quart. 1 fl. 10 X.
20
2 fl.

Abrahamus Graunphobe
Philos. et Medicinæ
Doctor.

<36610688370017

<36610688370017

Bayer. Staatsbibliothek

40 D[illegible] 1161.

AUGUSTI QUIRINI RIVINI,
D. & P. P.

DISSERTATIONES MEDICÆ

DIVERSIS TEMPORIBUS HABITÆ,

NUNC VERO

IN UNUM FASCICULUM COLLECTÆ.

LIPSIÆ,

Sumptibus PHILIPPI VVILHELMI STOCKII,

ANNO MDCC X.

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

ANTONIO EGON

S. R. I. PRINCIPI

ET

PRINCIPALI COMITI IN FÜRSTENBERG

COMITI IN HEILIGENBERGA, ET VVERDENBERG

LANDGRAVIO IN BAAR ET STÜHLINGEN,

DYNASTÆ IN HAUSEN ET KINZINGERTHAL,

IN WEITRA, TROCHTELFINGEN ET

WEHRENWAG,

REGIS POLONIARUM ET ELE

CTORIS SAXONIÆ

GUBERNATORI

IN ELECTORATU CONNEXIS AC RELIQVIS

DITIONIBUS

PRINCIPI AC DOMINO SUO

LONGE CLEMENTISSIMO,

FELICITATEM PERPETUAM!

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE
LONGE CLEMENTISSIME,

Dii non egent rebus hominum: nec placantur auro argentoque, vel donis pretiosioribus; sed magis spectant immolantium affectus, quam

divitias. Sæpe grata ſuperis exiſtunt ſacrifi
cia, quanquam minimis conſtent impendiis,
modo quisque victimam ſuam offerat bono an
mo, manu religioſa. Ita ſolent plerique in
molare hoſtias, non tam ex dignitate illius, cu
ſacra faciunt, quam pro facultatibus ſuis, agri
cola fruges, oves ac boves paſtor: ſalsâ etiam
molâ litant, qui thura non habent.

Quamobrem veniam quoque abs TE, SE
RENISSIME PRINCEPS, mih
polliceor, aut certe humillimo corde peto, ſi qui
in eo peccavi; quod CELSISSIMO NO
MINI TUO hunc librum exigui valoris
conſecrare auſus fuerim. Equidem fateor
haud mereri eum, ut in conſpectum SERE
NI

NITATIS VESTRÆ prodeat. Scio, uæ ſcripſi, medica eſſe, adeoque Principum ulæ minus congrua.

Enimvero vulgo Medicos ſolent appellare ratioſos, ſed vereor valde, ne iſta nomencla- ura magis excogitata ſit ad blandiendum, ut ilicet ad exercendam artem, in ſe ſatis tædi- ſam, quaſi alliciantur ſpe præmii aut larga onoris promiſſione. Verum concedo, in caſu eceſſitatis eum quandoque acceptum fore: re- quo nihilominus tempore moleſtus erit omni- us, nec meliore conditione, quam penula, ex- a pluviam nihili æſtimata.

Meliora tamen ſperare jubet SERENI-

TA-

TATIS VESTRÆ ſingulari
tos propenſio, ac indefeſſum in am
ſcientiis artibusque ſtudium; utpote
Etus ſane præclaros non absque ſtup
invidia exterarum gentium jamjam
Saxonia noſtra, & plura inpoſterum
mittit cum DEO & die. Nam & T
SERENISSIME PRINC
Præſidium, mihi quamvis immerenti
mum pluries expertus ſum, poſtquam i
ſcere TIBI feliciore fato contigit; atqu
conſtituimecumqualemcunque teſſeram g
mentis ac ſignum meæ devotionis exhi
Cumque alia mihi jam non ſuppetant, m

ddere, quæ poſſum, quàm quæ debeo, ne-
re diutius. TUA vero Gratia facile,
t ſpero, diluet meæ temeritatis crimen.
DEVS TE ſervet

SERENISSIME PRINCEPS

ex voto

humillimi ſervi

Rivini.



PRAEFATIO AD LECIOREM.

EQvidem magni semper æstimavi exercitium Disputatorium, quod firmiter persvasus sim, haud felicius alia ratione ingenium reddi alacre ac promtum: & quanquam verbis litigiisque nulla ægritudo propellatur, in Medico tamen præ cæteris requiritur promtitudo & animi præsentia, inprimis si apo-

plexia, catarrhus ſuffocativus ſimilesque morbi repentini hominem invadant, ſpatium deliberandi prolixum vix ac ne vix quidem admittentes. Non poſſum tamen eorum probare inſtitutum, qui omnem in undique corraſis Diſputationibus eruditionem quærunt, ac inſtar inæſtimabilis theſauri cuſtodiunt ſancte. Sufficit enim ad diſputandum etiam brevior tractatio paucis incluſa thelibus: amplior, præſertim vilioris materiæ, me judice aliena eſt ab inſtituto: Si vero materia fuerit intricatior, tædioſa lectio eſt per

am-

ambages quasi labyrintheos nos circumducens. Quomodo autem cohæreant inter se, quæ à diversis Autoribus per omnia sæpe disſentientibus conſcripta ſunt, quivis perſpicit non obſcure; nec magis ridiculum arbitror morionis veſtitum cum cura ex omni colorum genere inepte conſutum, quam apparatum ejusmodi collectaneorum nullatenus conſonantium. Quæris, quid me impulerit, ut has ante annos etiam bene multos habitas Diſſertationes uno volumine complexas iterum in publicum prodire velim? Diſſimulare igitur

plexia, catarrhus ſuffocativus ſimilesque morbi repentini hominem invadant, ſpatium deliberandi prolixum vix ac ne vix quidem admittentes. Non poſſum tamen eorum probare inſtitutum, qui omnem in undique corraſis Diſputationibus eruditionem quærunt, ac inſtar inæſtimabilis theſauri cuſtodiunt ſancte. Sufficit enim ad diſputandum etiam brevior tractatio paucis incluſa thelibus: amplior, præſertim vilioris materiæ, me judice aliena eſt ab inſtituto: Si vero materia fuerit intricatior, tædioſa lectio eſt per

am-

ambages quasi labyrintheos nos circumducens. Quomodo autem cohæreant inter se, quæ à diversis Autoribus per omnia sæpe disſentientibus conſcripta ſunt, quivis perſpicit non obſcure; nec magis ridiculum arbitror morionis veſtitum cum cura ex omni colorum genere inepte conſutum, quam apparatum ejusmodi collectaneorum nullatenus conſonantium. Quæris, quid me impulerit, ut has ante annos etiam bene multos habitas Diſſertationes uno volumine complexas iterum in publicum prodire velim? Diſſimulare igitur

plexia, catarrhus ſuffocativus ſimilesque morbi repentini hominem invadant, ſpatium deliberandi prolixum vix ac ne vix quidem admittentes. Non poſſum tamen eorum probare inſtitutum, qui omnem in undique corraſis Diſputationibus eruditionem quærunt, ac inſtar inæſtimabilis theſauri cuſtodiunt ſancte. Sufficit enim ad diſputandum etiam brevior tractatio paucis incluſa thelibus: amplior, præſertim vilioris materiæ, me judice aliena eſt ab inſtituto: Si vero materia fuerit intricatior, tædioſa lectio eſt per

am-

ambages quaſi labyrintheos nos circumducens. Quomodo autem cohæreant inter ſe, quæ à diverſis Autoribus per omnia ſæpe diſſentientibus conſcripta ſunt, quivis perſpicit non obſcure; nec magis ridiculum arbitror morionis veſtitum cum cura ex omni colorum genere inepte conſutum, quam apparatum ejusmodi collectaneorum nullatenus conſonantium. Quæris, quid me impulerit, ut has ante annos etiam bene multos habitas Diſſertationes uno volumine complexas iterum in publicum prodire velim? Diſſimulare igitur

plexia, catarrhus ſuffocativus ſimilesque morbi repentini hominem invadant, ſpatium deliberandi prolixum vix ac ne vix quidem admittentes. Non poſſum tamen eorum probare inſtitutum, qui omnem in undique corraſis Diſputationibus eruditionem quærunt, ac inſtar inæſtimabilis theſauri cuſtodiunt ſancte. Sufficit enim ad diſputandum etiam brevior tractatio paucis incluſa thelibus: amplior, præſertim vilioris materiæ, me judice aliena eſt ab inſtituto: Si vero materia fuerit intricatior, tædioſa lectio eſt per

am-

ambages quasi labyrintheos nos circumducens. Quomodo autem cohæreant inter se, quæ à diversis Autoribus per omnia sæpe dissentientibus conscripta sunt, quivis perspicit non obscure; nec magis ridiculum arbitror morionis vestitum cum cura ex omni colorum genere inepte consutum, quam apparatum ejusmodi collectaneorum nullatenus consonantium. Quæris, quid me impulerit, ut has ante annos etiam bene multos habitas Dissertationes uno volumine complexas iterum in publicum prodire velim? Dissimulare igitur

nequeo, ad instantiam meorum Auditorum id fieri, atque in horum gratiam me quoque correxisse aliqua, scilicet in quibus meam mutavi sententiam e. g. de embryonis nutritione per os, de usu lienis &c. ne fortasis pro vero ac certo habeat tyro, quod antehac connivendo permisi aliis. Te interea scire velim, sub nomine meo edi, quæ alibi variis insignita titulis occurrunt. Ne igitur quis me pennis peregrinis & ascititiis superbire putet, moneo plerasque Disputationes à me habitas vel respondendo vel præsidēdo: quasdam nihilominus adjectas,

quæ

quæ non tam meæ ſunt, quam meorum, i.e. à Diſcipulis meis aut elaboratæ ad meam hypotheſin, aut ad minimum in cathedra publica defenſæ. Quemadmodum enim lubens ſciensque omitto de iis, quæ ſub meo præſidio circumferuntur, nempe ut ſua laus relinquatur integra his, qui ſpecimen aliquod publicum proprio elaboratum marte exhibere voluerunt: ita ejusdem dignitatis cum meis cenſeo, quæſub mea manuductione, directione ac diſpoſitione natæ ſunt. Tantum ergo abeſt, ut honori vel exiſtimationi alicujus tantillum detrahi ve-

lim, ut potius probem conatus illorum, qui cum cura ſequi Præceptoris ſui veſtigia & opinionem ex ore illius hauſtam ſervare ſalvam non dubitarunt. Sane liberos numeramus non eos tantum, quos generamus immediate, ſed & exhis natos nepotes: non invidebitis igitur mihi hanc gloriam, quotquot partum veſtrum meis intermixtum laboribus obſervabitis. Sarta quoque in poſterum tectaque erunt jura veſtra, etiamſi aliquam partem veſtra cum pace mihi vendicem. Mihi ſufficiat, deſiderio veſtro quadantenus ſatisfeciſſe, ut in uno faſciculo habere queatis, antea diſperſas, vitioſe recuſas, aut fere deperditas. Integrum eſt cuique, examinare omnia, conſentire vel diſſentire pro lubitu: Forſan haud diſplicebunt omnia: me vero pretium operæ feciſſe puto, ſi qvædam Lectori Benevolo grata & accepta intellexero. Bene vale.

Series Disputationum:

I.	de Medico inculpato.	pag. 1.
II.	Medico superstitioso	14.
III.	Medicamentorum proprietatibus	37.
IV.	Medicamentorum dubio effectu	57.
V.	Medicamentorum officinal. censura	72.
VI.	Medicina in Alimentis optima	229.
VII.	Agrestis vitæ sanitate	147.
VIII.	Spiritu hominis vitali	162.
IX.	Imaginationis viribus medicis	223.
X.	Visu	239.
XI.	Apoplexia	257.
XII.	Remediis antepilepticis	277.
XIII.	Angina	289.
XIV.	Raucedine	302.
XV.	Asthmate	314.
XVI.	Hæmoptysi	329.
XVII.	Phthisi	341.
XVIII.	Empyemate thoracis	358.
XIX.	Palpitatione cordis	369.
XX.	Fermento Ventriculi acido	382.
XXI.	Fame canina & Bulimo	396.
XXII.	Dyspepsia	410.
XXIII.	Bile	426.
XXIV.	Volvulo	442.
XXV.	Lienteria	461.
XXVI.	Sanguificatione	473.
XXVII.	Sangvinis pravitate	490.

		pag.
XXVIII.	Nutritione	514
XXIX.	Tabe ſcorbutica	534
XXX.	Paralyſi ſcorbutica	548
XXXI.	Hydrope	564
XXXII.	Iſchuria	584
XXXIII.	Diabete	598
XXXIV.	Abortu	609
XXXV.	Morbis hæreditariis	623
XXXVI.	Morbis Endemiis	639
XXXVII.	Morbis animatis	668
XXXIIX.	Morbis complicatis	699
XXXIX.	Morbo auxiliari	716
XL.	Morbo retrogrado	735
XLI.	Recidiva	756
XLII.	Febribus intermittentibus	773
XLIII.	Febribus ardentibus	806
XLIV.	Febribus malignis	820
XLV.	Peſte	831
XLVI.	Frigoris damno	905
XLVII.	Situ ægrorum commodo	931

DISPUTATIO I.
DE
MEDICO INCULPATO
J. D.

QUi Rempublicam optimam omnibusque numeris absolutam sistunt, tanquam ideam & normam Imperantibus pariter ac subditis utilissimam, cum probè norint, nullam præcisè nominari posse, abstrahunt non malè à cunctis, finguntque Utopiam, in qua mirè concurrat, quicquid in hâc vel illâ civitate laudabiliter fiat. Simile quid mihi accidit, *Medicum Inculpatum* traditurо; Tantum enim abest, me posse quoddam vel è Veteribus vel Recentioribus exemplum allegare imitatione dignum, ut potius neminem inter omnes inculpatum penitus existimem, quanquam singuli fortassis habeant, quod laudem mereatur. Ita videlicet comparatum est Medici officium, ut huic satisfacturus exactè humanam prorsus naturam ac sortem, i. e. fragilitatem inevitabilem deponere necessario debeat. Adeò frequens ac multiplex occurrit peccandi occasio haud facilè declinanda, etiam ab experientissimo & maximè religioso. *Illum ego Medicum*, inquit Hippocrates de Veter. Med. *vehementer laudarim, qui parum delinquat.* Quantò magis laudandus erit omninò inculpatus, ita

 nempè

nempè in Praxi seſe gerens, ut nihil in eo desiderari, nihil vituperari queat. Talis est, quem Tibi, Lector benevole, hîc describam. Stultum est, ad imitandum non optima quæque proponere, si Exempla rariora, vel etiam nulla occurrunt, certè præcepta saluberrima seu regulæ haud deficiunt, quarum beneficio rectum à pravo discernere licebit, ac intelligere, quid Medicum, ut inculpatus sit, agere, quid vitare oporteat. Hæc proinde duo erunt Capita Dissertationis præsentis, brevissimis exponenda; quod meum institutum ut suâ Divinâ Gratiâ clementissimè secundare velit supremus rerum Arbiter, est, quod humillimis contendo precibus.

CAP. I.

Quid Medico inculpato agendum sit, imperans.

§. 1.

SUnt quidem non pauci, præsertum plebejorum in eâ opinione, facillimam esse medendi artem, atque ideò nihil impedire, quo minùs etiam indoctus quivis, rusticus & opilio, exercere charitatem christianam hoc pacto queat; *Deprehendi*, ait Helm. in tumul. pest. p. 831. *insuper omne nebulonum & meretricum genus, deceptores, Judæos & carnifices, ubi semel propriâ auctoritate seſe intrusissent, mox audendo graduatos. In nullo enim majorem licentiam, temeritates ampliores, credulitates crudeliores, tenebras densiores, ac confusiones frequentiores offendi, quàm in munerum nobilissimo, in quo cuique liberum est occidere, si homicidium subsidii pallio sit involutum, & occisus terrâ tegatur.* Ast, bone Deus, quam pauci considerant periculum, in quo & ipsi versantur medicastri, & ægri, quos decipiunt.

Qua-

Quadrat in HOS illud Syracidis, cap. 3. vers. 27. *Qui se in discrimen projicit, perit in eo;* ast vers. 24. in ILLOS, *quod tui non est muneris, ne tractes temerè.* Num quid magis temerarium esse potest, quam sanitatem, imò vitam credere, iis qui neque conscientiæ suæ neque famæ rationem habent ullam. Culpa profectò non est levis, quid? quod dolus subest atque malitia summa, jactitare peritiam artis, promittere auxilium certum, ut saltem lucrum captent, bono sc. titulo. Conf. Freitagii *Noct. Med.*

§. 2. Sed indigni sunt impostores hujusmodi, quorum mentio fiat, ubi de Medicis non famâ & nomine, sed re ipsa talibus sermo habetur. Plus sanè in Medico requiritur, quàm prima fronte cuiquam in mentem venire queat. *Primo Pietas* utilis ad omnia hic commemoranda; Qui enim proximi salutem, gloriamque DEI, serio intendit, non potest non laudabiliter agere cuncta, sibique successum promittere meliorem. Solenne plerisque Practicis est in præscribendis medicamentis formulam inchoare pio voto, ad minimum literis initialibus expresso, videlicet, invocato Divini Numinis auxilio, e. g. J. J. Jehova Juva; J. D. i. e. Juvante Deo. J. T. Juvante Triuno; A. D. i. e. Auxiliante Deo, & quæ sunt similia. Quæ certè consuetudo vel ideò mihi probatur, quod in mentem revocando nomen Omnipotentis nos admoneat, ne nimium tribuamus ingenio nostro, sed benedictionem à Datore omnis boni expectemus. Neque alienum est ab officio Medici, vel ægrum vel adstantes adhortari, præsertim in graviore morbo, ut salutem animæ inprimis curent. Id jubent decreta Pontificum Innocentii III. Pii V. Sixti V. vetantque sub pœnâ excommunicationis, ne quis ad triduum visitet ægrum, si confiteri peccata sua coram Ecclesiæ ministro nolit. Quod edictum, ut observaretur sanctius ad Academias omnes & collegia Medicorum perscriptum est, neminem ad faciendam Medicinam & honores admittendum, nisi Jure jurando ad observationem inviolabilem hujus constitutionis sese obstrinxerit, eosque Medicos, qui gradum antea fuerint adepti, in justam hanc

legem ſubierint, omnibus exuendos privilegiis, accepto ſpoliandos gradu, donec reſipuerint, ab eccleſiæ foribus arcendos, pro infamibus habendos, è Medicorum collegio proſcribendos, pœnâ pecuniariâ mulctandos. *vid. à Reies in Camp. Elyſ. jucund. quæſt. p. m. 144.*

§. 3. Requiritur SECUNDO etiam *Eruditio* nempe ad exercendam hanc artem ſufficiens. Et quanquam ad Practicum, qua talem, hæc duo directè videantur ſpectare, notitia ſcilicet morborum & remediorum, nihilominus ſub ſe comprehendunt plurima. Ut morborum ſedem, cauſas, ſymptomata, ſigna, eventum & reliqua eò pertinentia ſatis calleat, verſatus eſſe in anatome, Phyſiologia, Pathologiâ & Semioticâ debet: nec minor apparatus eſt neceſſarius ad comparandam remediorum cognitionem. Studium Botanices & accuratior materiæ medicæ notitia, labores chymici & pharmaceutici, item quæ ad Chirurgiam pertinent, operationes, ita quidem nobis perſpecta eſſe debent, ut ſecurè & expeditè de his pronunciare valeamus, quotieſcunque occaſio tulerit. Judicent alii, an non hâc ratione Pharmacopœi, Chirurgi & Obſtetrices omne, quod Medicis in eos jure competit regimen, declinent impunè, quando plerique horum, potiſſimum imperitiores ad illorum dexteritatem provocant, ac lubenter à ſuis humeris dejiciunt id onus tanquam à ſe alienum. **Dafür mag der Apothecker ſorgen; das muß der Barbier verſtehen, das gehöret für die Kinder-Mütter, Herr Gevatter er wirds wol machen ꝛc.** Quidſi vero Rhizotomus e. gr. in colligendis ſimplicibus erret? uti totâ die fieri adſolet: quidſi Chirurgus minus exercitatus tuam imploret opem in caſu ancipiti? annon putas, in te redundare culpam? ſi quid factum fuerit incongruè, aut neglectum, quod fieri oportebat. Et quanquam in genere omnes Practici videantur obligati ad hoc, ut ſuppleant defectum eorum, qui ſe illorum directioni ſubmittunt, nihilominus vinculo duplici adeoque magis obſtricti præ ceteris ſunt, qui à Magiſtratu ſub nomine Phyſicorum ſpecialiter quaſi conducti huic præficiuntur muneri.

Quo

Quo pacto ſuæ conſcientiæ pariter ac famæ conſulere queant haud intelligo, quotiescunque cum damno ægrorum ignorant, quod ſcire debebant.

§. 4. TERTIO *alacritas & promptitudo* Medicum decet, ſi forte vocatus fuerit ad ægrum; Etenim non pauci ſunt morbi adeò repentini, uti catarrhus ſuffocativus, paſſio hyſterica, ſyncope, apoplexia, cholera &c. qui nullam planè patiuntur moram, ſed & intra horam jugulant hominem. Si ergò tempus opportunum neglexerit cunctator, qnid quæſo proderit mortuo? Accidit autem ejusmodi ſubitanea ægritudo noctu æquè ac interdiu, atque ideò ſemper paratum eſſe oportet Medicum, nè aliquando fruſtra vel diutius expectetur. Extra urbem pernoctare absque ſpeciali Magiſtratus indultu non licet Poliatro. At nec domum ſuam deſerere tutò poteſt Practicus, niſi ad minimùm conſtet, quo in loco inveniatur, ſi opus. Præſens autem eſſe debet non corpore tantùm, quamvis & hoc ægro atque reliquis ejus curam habentibus plurimùm ſolatii afferat, ſed etiam conſilio & opere. Nec enim in hoc paſſu deliberandum eſt diu; non dubitandum, potiùs extemporale auxilium poſtulatur & juxta mali vehementiam ac celeritatem æquè generoſum & efficax.

§. 5. Enimverò non ſufficit ſemel iterumque vidiſſe patientem, præſertim in morbis diuturnis & chronicis, aut certè in malignis, propterea QUARTO *Diligentia* quoque deſideratur haud immeritò in iis, qui Medicinam faciunt. Quodſi enim ſymptomata ingruant graviora, ex. gr. hæmorrhagia, diarrhœa in ſtatu febrium petechialium, purpuratarum &c. Quidſi morbi facies mutetur omninò, ut Medicamenta etiam mutanda ſint? Ponamus in Chloroſi acriora aperientia fuiſſe aliquando exhibita; quis verò continuabit eorum uſum, ſi vel menſes copiosè fluant, vel hæmoptyſis fortè accidat? Præſentia igitur Medici frequentior nonnunquam ſummè utilis exiſtit & neceſſaria. Quandoquidem verò impoſſibile prorſus eſt aſſidere tota die ac obſervare accidentia cuncta, er-

rores in diætâ, animi affectus &c. Itaque de his omnibus admonendi sunt partim ægrotantes ipsi, partim qui custodiam eorum atque regimen in se suscipiunt: inprimis, ut mature significetur Medico, si quid fortassis evenerit, quod periculum creare vel augere valeat.

§. 6. QUINTO commendat Practicum inter alia *Humanitas* quoque. Ita enim universus Medicorum Ordo communiter appellatur Gratiosissimus procul dubio, quod omnes præsumantur longe benignissimi, ad benefaciendum nati, divinâ prorsus facultate sanandi pollentes. Cavendum interim est, ne vel nimia familiaritas pariat contemptum vel immodicum complacendi studium sapiat adulationem aut servilem animum ab ingenuo alieniissimum. Non desunt inter Doctores, qui manu propriâ & applicare Clysma, & amputare membra sphacelata, & explorare calculum vesicæ, & fœtum extrahere mortuum solent; Quemadmodum autem hæc & similia, si fiant in extremo necessitatis casu, veniam potius merentur quam laudem: ita in genere infra dignitatem sunt Medici, quæcunque à Pharmacopœi famulo, à Chirurgo, à lithotomi morione, à Vetulâ communiter fiunt. Ubi communis labor est heri cum servis, ibi profectò parum autoritatis superest.

§. 7. SEXTA *Patientia* quoque in Medico desiderari potest. Quotidianas auscultare querelas, spectare nil nisi calamitates, inter lacrymas gemitusque omnium ad agonizantes accedere, inter nives & frigora, pluvias & tonitrua per urbem circumire, vix dormire tutò, nedum cibare, verbo, inquietudine fatigari perpetua; res adeo quidem tædiosa est, ut planè persuasus sim, quam plurimos, si ab initio norint fastidium praxeos, quodvis potius vitæ genus eligere quam artem istam alioquin egregiam. At nihil intolerabilius est obsecrationibus ac imprecationibus immodicis, cum jam conclamata sunt omnia, morbusque incurabilis nullam admittat curam. Ut taceam, haud rarò culpam atque contumeliam in Medicum conjici, si malum fuerit rebelle ac contumax, quanquam ægro-

tus

tus ipſe nonnunquam minus obediens regulis diæteticis impediat optimorum remediorum vires, novamque ſubminiſtrando materiam indies morbum augeat ac confirmet. Accedit, quod Magnates ac divites communiter non pluris æſtiment ſuos Medicos quam Mercenarium quemvis; **Davor geb ich dem** Doctor **ſein Geld, daß er muß auffwarten, und alles wieder gut machen. Was wird es ihm ſchaden, wenn er gleich eine Nacht oder etliche mit wachet.** E contrario ſi pauperes ſint, quos fortaſſe chronica lues cruciat, tum verò diffidentia longè major optima etiam conſilia Medici extenuat, **eben als wenn es ihm kein Ernſt wäre. Unſer eines**, inquiunt, **hat ſchlechte Hülffe, ja, wer es auch zu bezahlen hätte, wie reiche Leute**, & ſic porro. Jam vero judicent omnes boni, num hæc atque ſimilia convitia prorſus immerita animo ſemper æquo tolerari queant. Quicquid ſit. Patientia vincit omnia.

§. 8. Non minor virtus eſt *Animoſitas* SEPTIMO commemoranda. Habet enim ea duplicem utilitatem, una eſt, quam percipit æger; altera, quam Medicus ipſe. Meticuloſus certe, qui ad caſum epilepticorum tremit, lue venerea infectos ne attingere quidem audet, Dyſentericos reformidat, & magis adhuc ſudores febre maligna correptorum, de vitâ ſuâ laborat indeſinenter, & quamprimum leviſſima ſe ſiterit occaſio, tentatur ſtatim mille modis, terrore, contagio, nauſea, imaginatione &c. O miſerum, ſi graſſante peſte viſitandi ſunt, quos corripuit. Væ autem miſeris, qui vitam ſuam homini credunt umbram propriam metuenti. Quamdiu enim Medicus ſpem adhuc aliquam facit, vultuque ad hilaritatem compoſito meliora promittit, tamdiu lætatus expectatione ſalutis æger ſanctè obſervat præcepta omnia, poſtulat ſumitq; medicamenta cum voluptate quâdam, atque ita excitata natura languens nihil non cooperatur, quod ad recuperandam ſanitatem proficuum ſentit. Si vero Medicus deſperet, quanta quæſo in eum erit ægri fiducia, non parùm aliàs valens ad reſtitutionem accelerandam.

§. 9. Possent plures adhuc virtutes recensèri quæ Medicum ornant, sed instar omnium sit *Prudentia* ULTIMO loco annectenda, utpote cujus ambitus adeò amplus est, ut sub se complectatur totum artificium sese commendandi & acquirendi favorem populi, amplificandi celebritatem famæ suæ, paucis, implendi omnes partes officii sui, ne ullo modo defecisse videatur; Accuratè igitur observare debet circumstrantias singulas, personarum, loci, temporis &c. Prudentis est conversari decenter cum omnibus, cum superioribus honorificè, cum paribus amicè, cum inferioribus benignè. Imprudentis foret, tenuioris fortunæ hominibus præscribere pretiosa, divitioribus viliora. Neque sufficit ægrum attendere solùm, sed & adstantes considerandi sunt similiter, & Medici alii, si fortè cum iis deliberandum sit, & Chirurgi &c. Nam & prudentis est in casu dubio, vel imminente periculo convocare alios, ne quid intermissum dici queat. Sæpius mutanda quoque consilia sunt ob certam loci conditionem, in quo æger deprehenditur. Quis exhibebit sudoriferum, vomitorium, aut mercuriale purgans, quando iter faciendum est, mediâ etiam hyeme, vel ubi castra mutanda sunt. Copioso medicamentorum apparatu, ad annum etiam sufficiente obruere qui Officinam habet vicinam, supervacaneum est; vicissim qui longiùs absunt, ruri habitantes, dimittere dato unico pulvere antifebrili contra quartanam inconsideratè factum, videbitur. Gravidis inurere fonticulum, dum lochia fluunt vel menses fortiter purgare; sanguinem liberalius mittere lactanti; per æstatem commendare largiorem aromatum usum, per hyemem nitratorum & refrigerantium, hæc & similia, utpote intempestiva, pugnant prorsus cum judicio Practico, adeoque à Medico prudenti haud fiunt, cuncta circumspecte agenti. Sequitur

CAP.

CAP. II.

Quid Medico inculpato vitandum ſit, docens.

§. 1.

HActenus ea vidimus, quæ agenda ſunt Medico, ut malum ægro aliunde imminens vel moleſtum avertat, quantum poſſibile; Jam verò admonendus eſt porro, ne ipſe damnum inferat; id quod multifariam fieri poteſt. Aut enim inſidiatur opibus ægri, qui avarus eſt; aut læſſit famam ejus garrulus, qui nihil ſilet: aut offendit caſtitatem innocentium, ſi laſcivus fuerit; aut ſanitatem atque vitam ipſam, non modo per negligentiam ac imperitiam permittendo aliis ut fiat, quod fieri haud debebat, de quibus in §. 3. ſuperius dictum, ſed & ſuadendo, imperando, faciendo talia, quæ ipſum arguere culpæ vel etiam malitiæ poſſint. De ſingulis ſpeciatim aliqua hic adjicere, operæ pretium eſt, ſed breviter.

§. 2. *Avaritiæ* primus debetur locus. Quanquam enim hæc directè pecuniam ſpectet ac fraudes emungendi crumenas ægrotantium, conſequentia tamen longè peſſima eſt, hoc uno ſuppoſito, quod Medicus ſit lucri nimium cupidus; adeò nullum eſt facinus, in quod non conſentiat, ſi modo fructum exinde capere queat uberiorem. Ad minimum pauperes in egeſtate relinquere ipſi religio nulla eſt: quamdiu ſolvendo ſunt, non deſinit iis porrigere medicamenta, etiamſi eadem fruſtranea probè norit: pretioſa ex auro, margaritis, bezoar & ſimilibus aut fingit dari à ſe aut diſpenſat reverà, non quòd majorem ex iis utilitatem capiat æger, ſed quia carius vendit: ut ſoſtrum poſtulare majus queat, ægrotantium frequentat ædes, etiam absque neceſſitate moleſtè ſedulus: morbum quoque protrahit ad plures, ſi fieri poteſt, dies, nihil agendo, vel permittendo ægris, quæ malum augeant, vel repugnando, ne fortè alius ſe peritior ingenuusve ipſi ad conſultandum jungatur ſocius, &c.

§. 3. Nominavi SECUNDO *Garrulitatem* quorundam non tolerandam. Plures ſunt morbi, qui exoſum reddunt hominem, uti lues venerea, gonorrhœa virulenta, fluor albus, herniæ, ſtomacace, ozœna, &c. Hos ergo propalare nefas eſt, cum in puncto matrimonii vel promotionis ad officia publica cuiquam impedimento eſſe queant. Gravius peccat, qui de metuenda Epidemica lue blaterat quamprimùm febres malignas in unâ alteraque domo fortè deprehendit, utque metum incutiat civibus ſuis, aut remedia, quibus ſe immunes à contagione præſtare valeant, carius & copioſè vendat, è longinquo etiam imminere vel appropinquare malum prænunciat. Interim tempeſtatum anomalia, copioſior pluvia, frigoris defectio in hyeme, calor æſtatis remiſſior & intenſior, mutationes aeris ſubitaneæ, ventus & nebulæ, ſimiliaque plura interdum favent fatidico. Quis dubitet, ita diſpoſitos, i. e. metu examinatos ferè, ad ipſam quoque peſtem contrahendam eſſe proclives admodum. Atque ſic damnum æſtimari debet, non ut huic vel illi particulatim illatum, ſed publico, quod majus eſt. Elucescit autem hominis imprudentia vel ex eo clariſſimè, quod hac ratione nulli parcens, ſuis etiam ac ſibi ipſi vim inferat. Dum enim hujus vel illius fœminæ virique affectum, v. g. fluorem album, vel gonorrhœam temerè divulgat, nemo erit, qui morbi alicujus haud propalandi curam ei committat amplius.

§. 4. TERTIO *Laſcivia*, ſi quem alium certe Medicum dedecet. Enimverò ſunt, qui juxta Machiavelli Medici regulam VII. mulierum gratiam ſibi conciliare non verentur, confabulando, jocando, palpando, &c. qui negant verecundiæ limites ſe tranſilire, quicquid loquantur vel agant, ſiquidem naturalia haud ſunt turpia ex mente illorum. Arrident interim nugæ, ſi non omnibus, certè ſalacioribus, potiſſimum occaſione commodâ, & profeſſione longè utiliſſimâ favente. Integrum eſt Medico, viſitare puellas, mulieresve omni tempore, nocturnis quoque horis, ſi modo neceſſitas id poſtulet ac morbus urgeat, ſimulatus etiam. Adhæc præ-

præsumitur vulgò major licentia in eis, qui sapiunt ultra cæteros, & intelligunt passiones sequioris sexûs. Quæ minùs pulchra est, lentiginibus commaculata, rugis anilibus obsita &c. optat fucum: sterilis, ut fœcunda fiat, petit adjumentum sibi ferendum, maritove: alia, ne sponso displiceat, virginitatem fortè amissam restitui mavult: alia menstrua suppressa pelli, atque sic porrò. Jam verò mirum haud videbitur, si optimè cupiant, faveantque peculiariter, cui se obligatos mille modis sentiunt. Hæc atque similia dudum prævidens antiquissimus noster Præceptor *Hippocrates*, quod nollet artem sanandi prorsus divinam contaminari petulantiâ istâ, Jurejurando certo devinctos voluit, quotquot eam addiscunt, ut castè ac sanctè vitam artemque custodiant, & ab illicitâ furtivâque Venere abstineant.

§. 5. Quid dicam QUARTO de *Vinolentia* & libidine Conviviorum? Sanè dolendum est, à paucis vitium istud reverà pessimum animadverti. Sed ponamus, liberum esse cuique abuti potu generoso aliisque ad necessitatem hominis à Creatore liberaliter concessis; Ponamus cuique competere Jus vitæ ac necis in corpus proprium, nec referre, quibus modis vel morbum vel mortem ipsam acceleremus. Ponamus blando ebrietatis pallio tegi, quicquid peccatur. Nihilominus à Medico si quid commissum fuerit in ægrotantium curâ, vel neglectum hâc ex causâ, quis excusabit eum? Accidit non rarò, ut subitaneus morbus aliquem prehendat nisi succurras statim, frustra Medicinam parabis seram. Finge, Medicum desiderari, ut opem gerat; sed eum vel vino sepultum ne quidem excitari posse, vel vacillantem & oscitantem, meroque omninò plenum adduci. Numquid ab eo expectabis proficuum? Periculum tamen in morâ est summum, si nihil agat: Gravior est culpa, si quid temerè fiat. Interim patitur, interim moritur justus.

§. 6. QUINTO. Commemoranda *Polypragmosyne* itidem venit, quæ sæpiùs impedimento est, quo minùs debitam in meden-

do induſtriam adhibere quis valeat. Meretur hùc tranſcribi elegans locus BACONIS DE VERULAMIO *de augm. ſcient. l. 4. p. m. 249. Equidem Medicis minus ſuccenſeo, ſi ſæpenumero vacent alicui alteri ſtudio, quod adamant magis, quàm arti ſuæ propriæ. Invenies enim inter eos Poetas, Antiquarios, Criticos, Rhetores, Politicos, Theologos atque in iis artibus magis quam in profeſſione propriâ eruditos. Neque hoc fit, uti arbitror, quia habeant, quæ ſibi obverſentur objecta, tam fœda & triſtia, ut animum ad alia abducere iis omninò ſit opus, ſed quod arbitrentur parùm ipſis intereſſe, vel ad exiſtimationem, vel ad lucrum, utrum artis ſuæ mediocritatem, an perfectionem in eâ majorem aſſequantur. Morbi enim tædia, vitæ dulcedo, ſpei fallacia, & amicorum commendatio efficiunt, ut homines facilè in Medicis qualibuscunque fiduciam collocent. Verum, ſi quis hæc attentius perpendat, ea potiùs ad culpam Medicorum, quam ad culpæ excuſationem ſpectant.* Scilicet in antecedenti capite ad diligentiam generaliter adhortati ſumus practicum, hoc in loco in ſpecie loquimur de eo impedimento, quod nonnullis legitimum cenſeri queat, h. e. ſi per occupationes certas, ſeu privata ſeu publica negotia ſint, ab ægrorum viſitatione avocetur. Nam & hoc excuſari nequit, quia ſalus proximi aliis omnibus meritò anteponenda eſt, ubi quis ſemel ejusdem Curam in ſe ſuſcipere juratò promiſit.

§. 7. Nec *Temeritatem* SEXTO præterire poſſum, videlicet eorum, qui nodum Gordium, quando per artem ſolvere neſciunt, vi atque gladio, ut ſic dicam, rumpere conantur; Verum eſt: Audaces interdum fortuna juvat. Quid ſi conſilium vel tentamen malè ceſſerit? Tunc ſerò ſapiunt poſt ſua damna Phryges. Num quis excitabit hydropicum, paracentheſi minus prudenter inſtituta, eductoque feliciter ſero mortuum? Exhibere vomitorium, purgans, hypnoticum, atque ſimilia fortiora remedia, utile frequentius, nonnunquam etiam neceſſarium eſt; ſed juſto tempore, doſi legitimâ, cum regimine atque cuſtodia fieri debet. Aſt qui non ponderatis omnibus circumſtantiis idem agit, atque

in

in gravius periculum conjicit ægrum, veniam meretur nullam, quin potius ſtigma famæ atque conſcientiæ ſemel inuſtum ſervabit perpetuò. Debebat enim ſcire, quod ſe ignoraſſe a poſteriori videt. Equidem ex *Platonis* ſententia *dialog. de leg. 8. mundi ſunt, qui curantes non ſponte occiderint*; at ſecundum *Caroli V. conſtit. art. 134. Et qui noxiis medicamentis utitur, & qui bonis abutitur, impunitus dimitti haud debet.*

§. 8. Denique SEPTIMO *Malitia & Dolus* interdum accedit, quod peſſimum eſt. Talis deprehenditur manifeſtè, tàm in poculo abortivo, ſi gravidis propinetur conſultò, quàm in veneno, ſi animo nocendi detur. Quod ad prius diſtinguunt nonnulli tempus geſtationis, nempè initium ejus à reliquis menſibus; exiſtimantque, ante 40. diem fœtum animâ rationali haud gaudere, atque ideo primis 6. ſeptimanis non tàm hominem, quam ſpem hominis extingui, unde ordinariâ pœna L. Corneliæ tanquam homicidas eſſe afficiendos, qui fœtum de induſtria pellunt jamjam animatum, ſed leviori, ſi ab initio id fiat. Procul dubio tale quid in mente habuit *Ariſtoteles*, quando *in Politic. l. 7. c. 16.* ſabinam propinare prægnantibus aut colocynthidem juſſit, cùm nimis populoſam cerneret civitatem. Conſilio ſanè peſſimo. Etenim demonſtrari ſat evidenti ratione poteſt, infuſionem animæ nullatenus fieri poſt decurſum aliquot hebdomadum, ſed in ipſo ſtatim conceptus momento accedere virtute generandi, quam Parentes poſſident. Homicidii ergò accuſantur meritò, & qui primis & qui ultimis temporibus embryonem necant.

§. 9. Et quandoquidem ſalubrium & in ſalubrium notitia propriè ad Medicum ſpectat, fieri aliter nequit, quin venenorum etiam ſcientiam ſibi acquirat, non ut noceat iis, ſed ut damno hinc illato mederi ſciat. Culpa non vacat, qui arſenicalibus, mercurialibus, antimonialibus, aliisque corroſivis temerè utitur in morborum curatione, quamvis ejusdem intentio quandoque optima fuerit. Aſt parare vel miſcere venena, & exhibere, quo

perimant hominem, flagitium eſt tantum, adeò horrendum, ut malim aſſerere iſtud facinus à quocunque alio potiùs quam à Medico gratioſo & ad benefaciendum nato perpetrari; niſi exempla proſtarent horrenda, videatur ſaltem *Abaſv. Fritſchius tr. de peccat. Medic. Concluſ. XVI.*

§. 10. Nolo in re odioſa prolixiore uti ſermone. Quapropter hic abrumpo filum, quanquam plura ſupereſſe ad laudem pariter ac vituperium Medici facientia probè norim. Sufficiat hâc vice tetigiſſe potiora, quorſum reliqua non difficulter reduci poſſunt. Ut enim in ſummam cuncta contraham, arbitror eum quidem MEDICUM omninò INCULPATUM eſſe, qui non tam amore ſui, quam proximi & potiſſimum æterni Numinis flagrat, magisque divini nominis Gloriam, & ægrotantium ſalutem, quam divitias aut honores quærit.

DISPUTATIO II.

DE

MEDICO SUPERSTITIOSO.

ERat quondam dignitas Medicinæ tanta, ut Reges quoque præ cæteris eandem tractarent, ſique conditionis eſſent inferioris, qui exercebant illam, Heroibus tamen atque Diis anumerarentur. Sed his diebus quantus non eſt contemtus Artis optimæ? cum

cum tamen jam exculta magis veterem longe imperfectiorem multis modis ſuperare queat, ac debeat ex merito. Cauſas hujus deſpicientiæ ſi quis quærat, exiſtimo id fieri partim culpa Medicorum propria, partim aliena. Culpa profecto aliena patiuntur Medici, quando iis a vulgo ſocii adſcribuntur peſſimæ notæ homines, Circulatores, Carnifices, Lamiæ ac Idiotæ quicunque audaculi, ſi modo licentiam ſibi ſumant in ſanitatem & vitam aliorum ſæviendi ſub auxilii prætextu. Sed & ſua culpa floccipenduntur Medici, ſi omnia his paria cum illis fuerint: i. e. more agyrtarum plura promittant temere, quam quæ in ipſius poteſtate ſita ſunt, lucri magis cupidi, quam ægro utiles: ſi ſorditie atque crudelitate imitentur carnificum ſervos, ſtercore conſolaturi miſeros, aut flammam ferrumque minitantes perpetuo: ſi vetularum inſtar rebus inanibus addicti atque ſuperſtitioſi fuerint: ſi minus circumſpecte loquantur, aut agant etiam, quæ infra dignitatem Medici ſunt. Sepoſitis hac vice cunctis, quæ Virum honeſtum ac literatum minus decent, de *Medico ſuperſtitioſo* tantum diſſerere decrevi, breviter oſtenſurus, hunc inter politiores ne quidem tolerandum eſſe. Quod ut feliciter fiat, Supremum ab ipſo Divino Numine mihi præſidium exoro. De Lectoris Benevoli applauſu magis ſecurus, quam ſollicitus de Cenſura Momi.

§. 1. Ut

§. 1.

UT majorem ſibi autoritatem conciliet Cacodæmon, incautisque perſuadeat ſe nullatenus cedere omnipotenti DEO, non dubitat ſimiæ inſtar imitari ſuo modo miracula etiam, & quicquid unquam ad manifeſtandam gloriam ſuam T. O. M. fecit. Inter alia, fidem miraculoſam ut effingat, ſuperſtitionem tanquam ſeminium omnis Magiæ ſpargit undique, ſuo tempore fructum eo uberiorem laturam, quo altiores in animo credulorum radices egerit, atque majore cum cura cuſtodita fuerit.

§. 2. Quid enim ſuperſtitio aliud eſt, quam vana credulitas e. g. in præſagiendis futuris contingentibus, aut confidentia in rem nullius momenti. Qua vanitate quondam Haruſpices fuiſſe claros, teſtantur paſſim hiſtoriæ, quippe qui victimarum exta inſpicientes de futuris prædicere haud verebantur, ſicuti auſpices ex avium volatu cantuque de rerum agendarum eventu felici triſtique reſpondebant. Alia ut taceam.

§. 3. Equidem tale quid olim apud infideles gentes, cultuque Idolorum infames obtinuiſſe mirum non eſt: ſed quis credat facile, aut ſine indignatione ferat etiamnum inter eos, qui Chriſtianorum nomine ſuperbiunt, dari nihilo meliores, ne dicam deteriores adhuc. Meum non eſt hic loci allegare, quo pacto quidam, ne vulnerentur, ſe muniant, prælium cum hoſte inituri: quomodo à fulminis ictu ſe præſtent immunes: quis uſus virgulæ Mercurii divinatoriæ, & quæ ſunt ſimilia. De his tantummodo ſermonem habere conſtitui, quæ ad Forum pertinent Medicum, imo quæ ab ipſis etiam Medicis probantur.

§. 4. Melioris ordinis ergo lubet ea revocare ad tria puncta, ſcilicet *Semioticum*, *Pathologicum* & *Therapeuticum*, ita, ut in primo agam de divinationibus ex ſignis fallacibus, quibus tamen nonnulli nimium confidunt: *ſecundo* de inani metu Pathologorum fruſtra cauſas accuſantium otioſas: *tertio* de fiducia vana Practicorum plus juſto tribuentium remediis invalidis.

§. 5. *Pri-*

§. 5. *Primo* ſuperſtitioſus eſt Medicus in *Semiotica* occupatus, ſi ſanitatis morborumque ſigna ex fontibus petit infidis, uti ſunt Uroſcopia ſ. Inſpectio Lotii, Pulſus animadverſio &c. Quanquam enim hæc ipſa in quibusdam caſibus ſuum habeant uſum, non poſſum tamen non improbare abuſum illorum, nempe quotiescunque latius extenduntur, quam par erat, etiam ad ea, quæ cum renibus, veſica & lotio, cum corde, arteriis atque ſanguine nihil habent commercii.

§. 6. Quis credat ætatis annos, ſexûs diſcrimen, graviditatis indicia atque ſimilia in Urina depingi. Sunt nihilominus qui talia ex ejus inſpectione determinare audent. Imo de omnium partium totius corporis affectibus minime fallax judicium fieri poſſe, certo perſuaſi ſunt. *Confer Hier. Reuſneri Schol. in Willichii Urin. Probat. pag. 17. & 19.*

§. 7. Et quanquam Medici politiores hanc Uromantiam jam dudum improbarint, uti *Euricius Cordus in peculiari ſcripto de abuſu Uroſcopiæ, Joh. Langius L. 2. Epiſt. 23. Petrus Foreſtus Libris tribus de incerto & fallaci Urinarum judicio, Joh. Freitagius in Noct. Med. cap. 14.* reperiuntur tamen his etiam diebus, qui undecunque allatum lotium examinant in ædibus ſuis, de morbi natura & ſede reſpondent, remedia præſcribunt, quamvis nunquam ægrotantem viderint, nec quicquam de Circumſtantiis ullis reſciverint, haud raro eas ſtudio celantibus aniculis, Practici dexteritatem hoc pacto tentantibus.

§. 8. Perplacet de iis judicium *Leonh. Fuchſii, quod P. I. Inſtit. Med. Lib. IV. ſect. 3. cap. 1. habet: Valde autem inepti ſunt, qui ex Urinæ inſpectione prædicere conantur, quod ſcilicet inſcitiam, aut verius ſtultitiam ſuam hac ratione omnibus planam faciant. Plebejis etiam pulchre ſe ridendos exhibent, dum non raro ea hinc divinent, aut certo etiam affirment, quæ ſciunt eſſe vaniſſima. Proinde, qui pertinaciter hodie ſibi perſvadent nihil non ex Lotii inſpectione cognoſci poſſe, adeoque imperitæ multitudini hac*

ratione ſpe lucri, parum certe liberalis, imponere in delitiis habent, ii certe digni ſunt, ut novo etiam aliquo elogio exornentur, & non ut olim ab Ariſtophane σκατοφάγοι, quo epitheto avaros & indoctos Medicos dignatus eſt, ſed potius ἱερονίται appellentur.

§. 9. Minus ſordida, nihilo tamen meliora ſunt ſigna, quæ a pulſu deſumi ſolent interdum ſatis ſuperſtitioſe. Peccant in hoc Sinenſes præ cæteris, uti ex *Andr. Cleyeri Specimine Medic. Sinicæ* abunde patet: peccant etiam noſtrates non pauci, qui promiſcue, quemcunque viſitent, ægri pulſum contrectant, atque hinc judicium nimis quam temerarium formant de ſtatu ægritudinis, ejusque fauſto eventu infauſtove. *Vid. Sam. Hafenrefferi Monochordon Symbolico-Biomanticum.*

§. 10. Seducit autem eos maxime, ut arbitror, veterum autoritas. Si modo Galenum videamus, quantam non operam impendit explicandæ vel ſoli huic doctrinæ. Etenim præter libellum de Pulſibus ad Tyrones, ſcripſit ſeorſim libros quatuor de Pulſuum differentiis & quatuor alios de dignoſcendis Pulſibus, adhuc alios quatuor de cauſis Pulſuum, iterumque alios quatuor de Præſagitione ex Pulſibus: & tandem Synopſin librorum ſuorum ſedecim de Pulſibus.

§. 11. Enimvero experientia docet, neque in ſanis pulſum æqualem ſemper exiſtere, ſed mutari multis modis, in ira, terrore, amore ſimilibusque animi affectibus, a commotione corporis, ſaltu, curſu &c. ab aëre ambiente calido frigidoque: viciſſim nec in ægrotantibus periculum oſtendere certo. Nam & pulſus obſervatus fuit ſæpenumero bonus in febribus malignis aliisque gravioribus morbis per dies bene multos, usque dum miſeri extremum efflarent halitum: & quandoque maxime inordinatus, intermittens ac peſſimus, quamvis in vitæ diſcrimine haud verſarentur homines; quod in paſſionibus hyſtericis ab odore ſuaveolentium ortis vel in pleuritidis initio crebrius accidit. Quid? quod pulſus utriusque carpi non convenit ſemper

in

in eodem ægro, ſed qui fortaſſe hoc in latere laudabilis eſt, in altero deprehenditur peſſimus, *vid. Ol. Borrichius in Act. Hafn. Ann. I. obſ. 68. & Joh. Schmidius in Eph. Germ. Ann. IX. obſ. 61.*

§. 12. Largior interdum ex pulſus vehementia, magnitudine, frequentia vel debilitate, inæqualitate, defectu &c. robur naturæ aut virium inopiam, ſanguinis abundantiam & æſtuationem, cordis palpitationem atque ſimilia dignoſci. Verum quid exinde colligimus certi, quando ſingulis fere horis variat? Examinetur ſaltim pulſus in febre Tertiana & conſtabit luculenter, alium deprehendi circa invaſionem, alium in horrore, alium durante æſtu, alium ſub finem paroxyſmi, atque alium die intercalari. Quis vero palpabit perpetuo eundem ægrum? Et cui bono?

§. 13. Nimirum certiora ſæpe ſigna ſuppeditat ipſius ægrotantis relatio vel adſtantium: plura ſpectare poteſt Medicus, etſi pulſum omnino negligat. Quis de plethora dubitet, ſi venæ turgeant inſigniter? Ecquis ex loquela ægri ſatis clara, ex oculorum hilaritate, manuum alacri motu & ſimilibus non colligat roboris firmitatem? vel e contrario imbecillitatem ſummam, ſi vox admodum ſubmiſſa vel plane deperdita, ſi facies Hippocratica fuerit: ſi vix ac ne vix quidem attollere manum, ne dum ſe in lecto erigere valeat miſer.

§. 14. Quid ſi ægri reformident manum Medici? Sic enim pueri ſolent meticuloſi fuſis lacrymis, ejulando clamandoque nec ſine bilis commotione manibus pedibusque ſe defendere, ſi quis minus præcognitus eos attingere auſit. Nec aliter quam cum faſtidio ſe contrectari ſinunt, qui nimis timent contagium; credunt namque peſtem febresque malignas, Luem veneream aliosque morbos periculoſiores vel hoc pacto propagari poſſe, quod effluvia hujusmodi virulenta contaminare digitorum extremitates queant, in alios poſtmodum transferenda inſontes. Atqui & hi curantur absque pulſus cognitione.

ratione spe lucri, parum certe liberalis, imponere in delitiis habent, ii certe digni sunt, ut novo etiam aliquo elogio exornentur, & non ut olim ab Aristophane σκατοφάγοι, quo epitheto avaros & indoctos Medicos dignatus est, sed potius ἀροπόται appellentur.

§. 9. Minus sordida, nihilo tamen meliora sunt signa, quæ a pulsu desumi solent interdum satis superstitiose. Peccant in hoc Sinenses præ cæteris, uti ex *Andr. Cleyeri Specimine Medic. Sinicæ* abunde patet: peccant etiam nostrates non pauci, qui promiscue, quemcunque visitent, ægri pulsum contrectant, atque hinc judicium nimis quam temerarium formant de statu ægritudinis, ejusque fausto eventu infaustove. *Vid. Sam. Hafenrefferi Monochordon Symbolico-Biomanticum.*

§. 10. Seducit autem eos maxime, ut arbitror, veterum autoritas. Si modo Galenum videamus, quantam non operam impendit explicandæ vel soli huic doctrinæ. Etenim præter libellum de Pulsibus ad Tyrones, scripsit seorsim libros quatuor de Pulsuum differentiis & quatuor alios de dignoscendis Pulsibus, adhuc alios quatuor de causis Pulsuum, iterumque alios quatuor de Præsagitione ex Pulsibus: & tandem Synopsin librorum suorum sedecim de Pulsibus.

§. 11. Enimvero experientia docet, neque in sanis pulsum æqualem semper existere, sed mutari multis modis, in ira, terrore, amore similibusque animi affectibus, a commotione corporis, saltu, cursu &c. ab aëre ambiente calido frigidoque: vicissim nec in ægrotantibus periculum ostendere certo. Nam & pulsus observatus fuit sæpenumero bonus in febribus malignis aliisque gravioribus morbis per dies bene multos, usque dum miseri extremum efflarent halitum: & quandoque maxime inordinatus, intermittens ac pessimus, quamvis in vitæ discrimine haud versarentur homines; quod in passionibus hystericis ab odore suaveolentium ortis vel in pleuritidis initio crebrius accidit. Quid? quod pulsus utriusque carpi non convenit semper in

in eodem ægro, ſed qui fortaſſe hoc in latere laudabilis eſt, in altero deprehenditur peſſimus, *vid. Ol. Borrichius in Act. Hafn. Ann. I. obſ. 68. & Joh. Schmidius in Eph. Germ. Ann. IX. obſ. 61.*

§. 12. Largior interdum ex pulſus vehementia, magnitudine, frequentia vel debilitate, inæqualitate, defectu &c. robur naturæ aut virium inopiam, ſanguinis abundantiam & æſtuationem, cordis palpitationem atque ſimilia dignoſci. Verum quid exinde colligimus certi, quando ſingulis fere horis variat? Examinetur ſaltim pulſus in febre Tertiana & conſtabit luculenter, alium deprehendi circa invaſionem, alium in horrore, alium durante æſtu, alium ſub finem paroxyſmi, atque alium die intercalari. Quis vero palpabit perpetuo eundem ægrum? Et cui bono?

§. 13. Nimirum certiora ſæpe ſigna ſuppeditat ipſius ægrotantis relatio vel adſtantium: plura ſpectare poteſt Medicus, etſi pulſum omnino negligat. Quis de plethora dubitet, ſi venæ turgeant inſigniter? Ecquis ex loquela ægri ſatis clara, ex oculorum hilaritate, manuum alacri motu & ſimilibus non colligat roboris firmitatem? vel e contrario imbecillitatem ſummam, ſi vox admodum ſubmiſſa vel plane deperdita, ſi facies Hippocratica fuerit: ſi vix ac ne vix quidem attollere manum, nedum ſe in lecto erigere valeat miſer.

§. 14. Quid ſi ægri reformident manum Medici? Sic enim pueri ſolent meticuloſi fuſis lacrymis, ejulando clamandoque nec ſine bilis commotione manibus pedibusque ſe defendere, ſi quis minus præcognitus eos attingere auſit. Nec aliter quam cum faſtidio ſe contrectari ſinunt, qui nimis timent contagium; credunt namque peſtem febresque malignas, Luem veneream aliosque morbos periculoſiores vel hoc pacto propagari poſſe, quod effluvia hujusmodi virulenta contaminare digitorum extremitates queant, in alios poſtmodum transferenda inſontes. Atqui & hi curantur absque pulſus cognitione.

ratione ſpe lucri, parum certe liberalis, imponere in delitiis habent, ii certe digni ſunt, ut novo etiam aliquo elogio exornentur, & non ut olim ab Ariſtophane σκατοφάγοι, quo epitheto avaros & indoctos Medicos dignatus eſt, ſed potius ἱερονίκαι appellentur.

§. 9. Minus ſordida, nihilo tamen meliora ſunt ſigna, quæ a pulſu deſumi ſolent interdum ſatis ſuperſtitioſe. Peccant in hoc Sinenſes præ cæteris, uti ex *Andr. Cleyeri Specimine Medic. Sinicæ* abunde patet: peccant etiam noſtrates non pauci, qui promiſcue, quemcunque viſitent, ægri pulſum contrectant, atque hinc judicium nimis quam temerarium formant de ſtatu ægritudinis, ejusque fauſto eventu infauſtove. *Vid. Sam. Hafenrefferi Monochordon Symbolico-Biomanticum.*

§. 10. Seducit autem eos maxime, ut arbitror, veterum autoritas. Si modo Galenum videamus, quantam non operam impendit explicandæ vel ſoli huic doctrinæ. Etenim præter libellum de Pulſibus ad Tyrones, ſcripſit ſeorſim libros quatuor de Pulſuum differentiis & quatuor alios de dignoſcendis Pulſibus, adhuc alios quatuor de cauſis Pulſuum, iterumque alios quatuor de Præſagitione ex Pulſibus: & tandem Synopſin librorum ſuorum ſedecim de Pulſibus.

§. 11. Enimvero experientia docet, neque in ſanis pulſum æqualem ſemper exiſtere, ſed mutari multis modis, in ira, terrore, amore ſimilibusque animi affectibus, a commotione corporis, ſaltu, curſu &c. ab aëre ambiente calido frigidoque: viciſſim nec in ægrotantibus periculum oſtendere certo. Nam & pulſus obſervatus fuit ſæpenumero bonus in febribus malignis aliisque gravioribus morbis per dies bene multos, usque dum miſeri extremum efflarent halitum: & quandoque maxime inordinatus, intermittens ac peſſimus, quamvis in vitæ diſcrimine haud verſarentur homines; quod in paſſionibus hyſtericis ab odore ſuaveolentium ortis vel in pleuritidis initio crebrius accidit. Quid? quod pulſus utriusque carpi non convenit ſemper

in

in eodem ægro, ſed qui fortaſſe hoc in latere laudabilis eſt, in altero deprehenditur peſſimus, *vid. Ol. Borrichius in Act. Hafn. Ann. I. obſ. 68. & Joh. Schmidius in Eph. Germ. Ann. IX. obſ. 61.*

§. 12. Largior interdum ex pulſus vehementia, magnitudine, frequentia vel debilitate, inæqualitate, defectu &c. robur naturæ aut virium inopiam, ſanguinis abundantiam & æſtuationem, cordis palpitationem atque ſimilia dignoſci. Verum quid exinde colligimus certi, quando ſingulis fere horis variat? Examinetur ſaltim pulſus in febre Tertiana & conſtabit luculenter, alium deprehendi circa invaſionem, alium in horrore, alium durante æſtu, alium ſub finem paroxyſmi, atque alium die intercalari. Quis vero palpabit perpetuo eundem ægrum? Et cui bono?

§. 13. Nimirum certiora ſæpe ſigna ſuppeditat ipſius ægrotantis relatio vel adſtantium: plura ſpectare poteſt Medicus, etſi pulſum omnino negligat. Quis de plethora dubitet, ſi venæ turgeant inſigniter? Ecquis ex loquela ægri ſatis clara, ex oculorum hilaritate, manuum alacri motu & ſimilibus non colligat roboris firmitatem? vel e contrario imbecillitatem ſummam, ſi vox admodum ſubmiſſa vel plane deperdita, ſi facies Hippocratica fuerit: ſi vix ac ne vix quidem attollere manum, nedum ſe in lecto erigere valeat miſer.

§. 14. Quid ſi ægri reformident manum Medici? Sic enim pueri ſolent meticuloſi fuſis lacrymis, ejulando clamandoque nec ſine bilis commotione manibus pedibusque ſe defendere, ſi quis minus præcognitus eos attingere auſit. Nec aliter quam cum faſtidio ſe contrectari ſinunt, qui nimis timent contagium; credunt namque peſtem febresque malignas, Luem veneream aliosque morbos periculoſiores vel hoc pacto propagari poſſe, quod effluvia hujusmodi virulenta contaminare digitorum extremitates queant, in alios poſtmodum transferenda inſontes. Atqui & hi curantur absque pulſus cognitione.

ratione ſpe lucri, parum certe liberalis, imponere in delitiis habent, ii certe digni ſunt, ut novo etiam aliquo elogio exornentur, & non ut olim ab Ariſtophane σκατοφάγοι, quo epitheto avaros & indoctos Medicos dignatus eſt, ſed potius ἱερόπται appellentur.

§. 9. Minus ſordida, nihilo tamen meliora ſunt ſigna, quæ a pulſu deſumi ſolent interdum ſatis ſuperſtitioſe. Peccant in hoc Sinenſes præ cæteris, uti ex *Andr. Cleyeri Specimine Medic. Sinicæ* abunde patet: peccant etiam noſtrates non pauci, qui promiſcue, quemcunque viſitent, ægri pulſum contrectant, atque hinc judicium nimis quam temerarium formant de ſtatu ægritudinis, ejusque fauſto eventu infauſtove. *Vid. Sam. Hafenrefferi Monochordon Symbolico-Biomanticum.*

§. 10. Seducit autem eos maxime, ut arbitror, veterum autoritas. Si modo Galenum videamus, quantam non operam impendit explicandæ vel ſoli huic doctrinæ. Etenim præter libellum de Pulſibus ad Tyrones, ſcripſit ſeorſim libros quatuor de Pulſuum differentiis & quatuor alios de dignoſcendis Pulſibus, adhuc alios quatuor de cauſis Pulſuum, iterumque alios quatuor de Præſagitione ex Pulſibus: & tandem Synopſin librorum ſuorum ſedecim de Pulſibus.

§. 11. Enimvero experientia docet, neque in ſanis pulſum æqualem ſemper exiſtere, ſed mutari multis modis, in ira, terrore, amore ſimilibusque animi affectibus, a commotione corporis, ſaltu, curſu &c. ab aëre ambiente calido frigidoque: viciſſim nec in ægrotantibus periculum oſtendere certo. Nam & pulſus obſervatus fuit ſæpenumero bonus in febribus malignis aliisque gravioribus morbis per dies bene multos, usque dum miſeri extremum efflarent halitum: & quandoque maxime inordinatus, intermittens ac peſſimus, quamvis in vitæ diſcrimine haud verſarentur homines; quod in paſſionibus hyſtericis ab odore ſuaveolentium ortis vel in pleuritidis initio crebrius accidit. Quid? quod pulſus utriusque carpi non convenit ſemper

in

in eodem ægro, ſed qui fortaſſe hoc in latere laudabilis eſt, in altero deprehenditur peſſimus, *vid. Ol. Borrichius in Act. Hafn. Ann. I. obſ. 68. & Joh. Schmidius in Eph. Germ. Ann. IX. obſ. 61.*

§. 12. Largior interdum ex pulſus vehementia, magnitudine, frequentia vel debilitate, inæqualitate, defectu &c. robur naturæ aut virium inopiam, ſanguinis abundantiam & æſtuationem, cordis palpitationem atque ſimilia dignoſci. Verum quid exinde colligimus certi, quando ſingulis fere horis variat? Examinetur ſaltim pulſus in febre Tertiana & conſtabit luculenter, alium deprehendi circa invaſionem, alium in horrore, alium durante æſtu, alium ſub finem paroxyſmi, atque alium die intercalari. Quis vero palpabit perpetuo eundem ægrum? Et cui bono?

§. 13. Nimirum certiora ſæpe ſigna ſuppeditat ipſius ægrotantis relatio vel adſtantium: plura ſpectare poteſt Medicus, etſi pulſum omnino negligat. Quis de plethora dubitet, ſi venæ turgeant inſigniter? Ecquis ex loquela ægri ſatis clara, ex oculorum hilaritate, manuum alacri motu & ſimilibus non colligat roboris firmitatem? vel e contrario imbecillitatem ſummam, ſi vox admodum ſubmiſſa vel plane deperdita, ſi facies Hippocratica fuerit: ſi vix ac ne vix quidem attollere manum, nedum ſe in lecto erigere valeat miſer.

§. 14. Quid ſi ægri reformident manum Medici? Sic enim pueri ſolent meticuloſi fuſis lacrymis, ejulando clamandoque nec ſine bilis commotione manibus pedibusque ſe defendere, ſi quis minus præcognitus eos attingere auſit. Nec aliter quam cum faſtidio ſe contrectari ſinunt, qui nimis timent contagium; credunt namque peſtem febresque malignas, Luem venereamaliosque morbos periculoſiores vel hoc pacto propagari poſſe, quod effluvia hujusmodi virulenta contaminare digitorum extremitates queant, in alios poſtmodum transferenda inſontes. Atqui & hi curantur absque pulſus cognitione.

ratione ſpe lucri, parum certe liberalis, imponere in delitiis habent, ii certe digni ſunt, ut novo etiam aliquo elogio exornentur, & non ut olim ab Ariſtophane σκατοφάγοι, quo epitheto avaros & indoctos Medicos dignatus eſt, ſed potius ἐφοπέται appellentur.

§. 9. Minus ſordida, nihilo tamen meliora ſunt ſigna, quæ a pulſu deſumi ſolent interdum ſatis ſuperſtitioſe. Peccant in hoc Sinenſes præ cæteris, uti ex *Andr. Cleyeri Specimine Medic. Sinicæ* abunde patet: peccant etiam noſtrates non pauci, qui promiſcue, quemcunque viſitent, ægri pulſum contrectant, atque hinc judicium nimis quam temerarium formant de ſtatu ægritudinis, ejusque fauſto eventu infauſtove. *Vid. Sam. Hafenrefferi Monochordon Symbolico-Biomanticum.*

§. 10. Seducit autem eos maxime, ut arbitror, veterum autoritas. Si modo Galenum videamus, quantam non operam impendit explicandæ vel ſoli huic doctrinæ. Etenim præter libellum de Pulſibus ad Tyrones, ſcripſit ſeorſim libros quatuor de Pulſuum differentiis & quatuor alios de dignoſcendis Pulſibus, adhuc alios quatuor de cauſis Pulſuum, iterumque alios quatuor de Præſagitione ex Pulſibus: & tandem Synopſin librorum ſuorum ſedecim de Pulſibus.

§. 11. Enimvero experientia docet, neque in ſanis pulſum æqualem ſemper exiſtere, ſed mutari multis modis, in ira, terrore, amore ſimilibusque animi affectibus, a commotione corporis, ſaltu, curſu &c. ab aëre ambiente calido frigidoque: viciſſim nec in ægrotantibus periculum oſtendere certo. Nam & pulſus obſervatus fuit ſæpenumero bonus in febribus malignis aliisque gravioribus morbis per dies bene multos, usque dum miſeri extremum efflarent halitum: & quandoque maxime inordinatus, intermittens ac peſſimus, quamvis in vitæ diſcrimine haud verſarentur homines; quod in paſſionibus hyſtericis ab odore ſuaveolentium ortis vel in pleuritidis initio crebrius accidit. Quid? quod pulſus utriusque carpi non convenit ſemper

in

in eodem ægro, ſed qui fortaſſe hoc in latere laudabilis eſt, in altero deprehenditur peſſimus, *vid. Ol. Borrichius in Act. Hafn. Ann. I. obſ. 68. & Joh. Schmidius in Eph. Germ. Ann. IX. obſ. 61.*

§. 12. Largior interdum ex pulſus vehementia, magnitudine, frequentia vel debilitate, inæqualitate, defectu &c. robur naturæ aut virium inopiam, ſanguinis abundantiam & æſtuationem, cordis palpitationem atque ſimilia dignoſci. Verum quid exinde colligimus certi, quando ſingulis fere horis variat? Examinetur ſaltim pulſus in febre Tertiana & conſtabit luculenter, alium deprehendi circa invaſionem, alium in horrore, alium durante æſtu, alium ſub finem paroxyſmi, atque alium die intercalari. Quis vero palpabit perpetuo eundem ægrum? Et cui bono?

§. 13. Nimirum certiora ſæpe ſigna ſuppeditat ipſius ægrotantis relatio vel adſtantium: plura ſpectare poteſt Medicus, etſi pulſum omnino negligat. Quis de plethora dubitet, ſi venæ turgeant inſigniter? Ecquis ex loquela ægri ſatis clara, ex oculorum hilaritate, manuum alacri motu & ſimilibus non colligat roboris firmitatem? vel e contrario imbecillitatem ſummam, ſi vox admodum ſubmiſſa vel plane deperdita, ſi facies Hippocratica fuerit: ſi vix ac ne vix quidem attollere manum, ne dum ſe in lecto erigere valeat miſer.

§. 14. Quid ſi ægri reformident manum Medici? Sic enim pueri ſolent meticuloſi fuſis lacrymis, ejulando clamandoque nec ſine bilis commotione manibus pedibusque ſe defendere, ſi quis minus præcognitus eos attingere auſit. Nec aliter quam cum faſtidio ſe contrectari ſinunt, qui nimis timent contagium; credunt namque peſtem febresque malignas, Luem veneream aliosque morbos periculoſiores vel hoc pacto propagari poſſe, quod effluvia hujusmodi virulenta contaminare digitorum extremitates queant, in alios poſtmodum transferenda inſontes. Atqui & hi curantur absque pulſus cognitione.

§. 15. Exiſtimo igitur eum quoque Medicum eſſe ſuperſtitioſis annumerandum, qui nimium fidit pulſui, qui ſine diſcretione in quocunque valetudinis vitio ad carpi arterias ſe convertit, quaſi ex oraculo ſciſcitaturus, quem exitum res habitura ſit; cum id mille aliis modis noſſe queat ſecurius. Aut enim levius malum eſt, e. g. ſcabies, coryza, tuſſis, ſtranguria &c. quid opus eſt explorare pulſum? Aut graviſſimum eſt & incurabile, uti ſunt vulnera lethalia ſimpliciter, phthiſis conſummata, ſphacelus viſcerum &c. quid juvat infelix applicatio manuum? ſed ponamus in ancipiti caſu verſari hominem, ſi dyſenteria fortaſſe illum affligat vel calculus, ſi apoplecticus corruat &c. Tum vero Medicus, ut puto, nil agit, qui ex pulſu pronunciat, quod cunctis obvium eſt: ſed eum potius laudarem, qui remedio ſuccurreret conveniente, quod fluxum ſiſtat, dolores mitiget, torpidum exciter atque ſic porro. Ita enim ab interitu qui vindicatur, reſtitutum ſibi pulſum, quisquis antea fuerit, ſentiet ipſe, ut Medico exploratore haud indigeat.

§. 16. Quid dicam de his, qui Phyſiognomiam, Chiromantiam, Onirocriticam, & neſcio quas artificioſas diſpunctiones geomanticas tanti æſtimant, ut illa etiam ad medendi artem pertinere arbitrentur tanquam neceſſariam & egregiam ſcientiam, unde natura roburque hominum, propenſiones ad varia morborum genera, periculum imminens & ipſe vitæ fatalis terminus cognoſcatur non obſcure. *Vid. Theophr. Paracelſus, Joh. Teiſnierius, Robertus Flud, Hieronymus Cardanus, Rud. Goclenius, Arnoldus de Villa nova, Faſciculus Geomanticus, Veronæ An. 1687. impreſſus &c.*

§. 17. Mihi, ſalvis aliorum judiciis, ita videtur. In genere, Medicinam non eſſe ulterius extendendam vanisque conjecturis ſociandam, cum in ſe ampliſſima jamjam exiſtat, ſibique ſufficiat, ac parum emolumenti capere queat ex acceſſione talium ineptiarum. Ubi vita hominum periclitatur, luſus nugæque locum

cum non inveniunt: ad minimum existimationi nostræ minus consultum erit, si, quod alias Cingarorum est, nostrum faciamus opus.

§. 18. In specie de Physiognomia ita sentio. Narrat *Cicero Tusc. Qu. Lib. 4, 37. & Lib. de Fato V.* Socratem a Zopyro, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere, stupidum, bardum & mulierosum fuisse judicatum; cum igitur ab aliis irrideretur Physiognomon, respondit Socrates, verum illius judicium futurum, nisi naturæ indecentes motus ratione atque philosophiæ studio compescuisset. Quod de moribus dictum fuit, eodem modo applicemus ad naturam reliquam sensu Medico spectatam; crediderim fortasse majorem etiam certitudinem constare Metoposcopiæ, nisi beneficio medicamentorum facile corrigeretur inclinatio ad quodvis vitium. Quid ergo fallaci credimus speculationi?

§. 19. De Chiromantia non est cur plura verba faciam: Sufficiat allegasse celeberrimi *Sturmii Mathesin compendiariam*, qui cum Tabula ultima exposuisset chiromantiæ rudimenta tandem sic concludit: *Hæc ex eorum mente, qui mediocriter de hac etiam artis divinatoriæ particula sentiunt, adjicere præcedentibus lubuit. Nobis enim si cordate ingenueque quod sentimus dicendum est, Chiromantia multo minus adhuc quam Astrologia, vana illa ac temeraria futurorum contingentium divinatrix, Mathematicis s. scientiis s. artibus accenseri meretur: nec alio fine, vel hunc ultimum occupare locum passi sumus, quam quod seriis comœdiis & Tragœdiarum actionibus mimi vulgo & ridicula spectacula superaddi solent.*

§. 20. Quod somniorum interpretationes attinet, non putarim iis diu insudandum esse Medico. Aut enim a causis oriuntur præternaturalibus, uti pavor in somno, incubus, pollutiones nocturnæ &c. ad eos itaque respiciendum erit absque dubio: aut causam materialem in corpore non habent, sed phantasticam tantum, ita errare nequit, qui omnia sensu contrario intelligenda velit. Vi-

delicet, ſi quid gratum nobis acciderit inter dormiendum, e. g. invenitur Theſaurus, malum eſt ac dolendum omnino id revera non obtigiſſe nobis; ſi vero triſte quid apparuerit, v. g. ſub manu carnificis aut latronum periclitamur, nihil profecto jucundius eſt, quam nos expergefactos nihil offenſionis habere amplius. Ita bonum ſomnium in pejorem partem, peſſimum in bonam interpretari licebit: quod medio modo ſe habet pro indifferenti transeat.

§. 21. Denique ſtudium Geomanticum pene dixiſſem phantaſticum, neque immerito, cum ipſe *Flud in Prolegom. §. 3. de Anim. intell. ſcient.* ubi de Arte Geomantica legitime comparanda diſſerit, plurimum ac tantum non omne tribuat phantaſiæ: nam & qui ſpiritu phantaſtico languet, optatum finem non aſſequetur, ſed confuſe & indiſcrete judicabit. Quotusquisque vero ſanitatem vitamque ſuam non Medico potius experto atque prudenti committat credatque quam homini tali fanatico juxta Alfakini methodum determinanti, qua occaſione acciderit morbus: an longa vel medicabilis ſit infirmitas: quæ cibaria conveniant ægro: num ipſi moriendum ſit &c.

§. 22. Eccur ad imitationem *Joh. Ern. Burggravii* e ſanguine humano non præparamus Biolychnium ſeu lucernam, cum vita ejus, cui accenſa eſt, myſtice viventem jugiter, cum morte illius expirantem ac interim omnes affectus graviores prodentem? Quid jucundius foret, quam eorum, quotquot curæ ſe noſtræ committunt, lampadem vitalem arte hac chemica paratam in certo quodam aſſervari theatro, ut quoties viſum nobis fuerit, noſſe illorum ſtatum queamus, haud aliter ac ſi præſentes forent? Aſt ſi hæc ſuperſtitioſa non ſunt, quid dubitamus e manu vetulæ cryſtallum eripere? Ita enim facilius adhuc licebit ſpectare, quicquid deſiderari poteſt ex omni genere vel præteritorum, vel præſentium, vel futurorum.

§. 23. Satis de ſemiotice ſuperſtitioſo, tranſeo ad *Pathologum*. In quo ſi tantummodo ineptias Aſtrologico-Medicas notare velim, habe-

haberem ſane uberrimam dicendi materiam. Ne vero injurius videar in elegantiſſimam ſyderum ſcientiam, fateor ingenue hujus quidem utilitatem ac neceſſitatem ſummam exiſtere in diſtinguendis temporibus, diebus annisque; aſt nullatenus pertinere ad Medicum qua talem exiſtimo, demonſtraturus paucis, lubrico, aut ſi mavis plane nullo niti fundamento, quicquid de ſyderum influxu, ſi ſolem excipias, ſcribunt finguntque communiter.

§. 24. Si *Gulideolum Mordicum in Præfatione Tr. Hipp. de ſignif. Vit. & Mort. ſecundum motum Lunæ & aſpectus Planetarum* audiamus, conſtat Hippocratem optimum medentium dixiſſe: *Cujusmodi Medicus eſt, qui ignorat Aſtronomiam?* Reſpondeo, minus ſuperſtitioſus. Provoco ad eundem tractatum, ſi modo Hippocratis eſt; provoco ad omnes libros, quotquot hucusque ſunt editi eum in finem, ut Aſtrologiæ uſum in Medicina oſtendant, numquid aliud agant, quam ut pro lubitu partes humani corporis morbosque diſtribuant inter ſtellas erraticas fixasque absque omni ratione, non dicam evidenti, ſed ne probabili quidem.

§. 25. Cui lubet evolvat *Georg. Collimitii & Jac. Scholl Artificium de applicatione Aſtrologiæ ad Medicinam, Gualth. Herm. Rüf. Iatro-Mathematicam h. e. Medicationis accommodatæ ad Aſtrologicam rationem enchiridion, Ant. Mizaldi Medicum ſimul & Aſtrologicum Æſculapii & Uraniæ ex colloquio conjugium, Cornel. Schylandri Medicinam Aſtrologicam, Wolf. Geuſſ. Methodum curand. morbor. Mathem. Joh. Ganiveti Amicum Medicorum, Hippol. Obicii Iatraſtronomicon, Joh. Kolneri Tractatum Iatro-Mathematicum, Jacobi Fontani Librum de Aſtrologia Medica, Aug. Ezleri Introductorium Iatro-Mathematicum.* Plures ut non recenſeam.

§. 26. Quæritur jam quamobrem juxta *Joh. Hisk. Cardilucium in Zodiaco Medico* Libræ ſubjiciatur Epar: Aquario Vena Cava cum pedibus: geminis venæ hæmorhoidales & menſtruales cum utroque brachio: ſagittario fel atque femora: Arieti Ventriculi fundus & Caput: Leoni hypochondria ac tempora: Cancro cerebrum, Pulmo,

mo, Thorax, & oculi: Scorpioni Pudenda: Piſcibus Inteſtina cum utero: Tauro Cor: Virgini Lien, Pancreas, muſculi, renes: Capricorno Lienis arteriæ, ductus ſuccusque pancreaticus. Quid ſi de legitima diſtributione dubitem?

§. 27. Annon liceret mihi eodem jure, quo Caput Arieti tribuitur, idem aſſignare Capricorno, Tauroque. Si enim Cornua frontem ornare debent, non video quomodo Aſtrologus declinare Cornua Capricorni Taurique poſſit, cum eodem jure id poſtulent quo Aries. Cur brachia geminis adſcribantur infirmis, non video, concedantur potius Leoni, ut robur ſuum exercere valeat, quod in hypochondriis atque temporibus haud licet: Geminis autem Pectus, ut mammis nutriantur debite. Aquario quid convenientius Veſica pro Amphora? Scorpioni pro nido inteſtina? Cur ſtomachum invideamus Tauro: Cancro pedes: Oculos Sagittario: Piſcibus lympham: Virgini genitalia? & ſi cogit amare Jecur, hoc potius Puellæ ſacrandum erit præ Liene atque Pancreate. Denique cordi aptiſſima erit Libra, ut in excipiendo ac reddendo ſanguine proportio ſervetur juſta. Ita enim ad minimum umbra cujusdam rationis allegari poſſet.

§. 28. De Planetis pariter dubitare liceret, numquid ad ſanitatem ſervandam deſtruendamve valeant. Dicuntur equidem alii malevoli, Saturnus & Mars, alii benigni Venus & Jupiter, alii nunc boni, nunc mali uti Sol & Mercurius, tandemque Luna benefica potius, quam malefica: Præterea ſingulis Planetis non modo peculiaria membra ſed & morbi certi deſtinari ſolent: Saturno phthiſis, Hectica, Vitia Lienis, hydrops, podagra, Cancer & ſimilia: Jovi angina, pleuritis, peripneumonia, apoplexia, ſpaſmus, lethargus, Cardiaca &c. Marti Epatis vitia, febres tertianæ atque continuæ; hemicrania, eryſipelas &c. Soli oculorum atque oris affectus: Veneri apoſtemata, fiſtulæ atque ſic porro.

§. 29. Jam vero ſcire pervelim, primo, unde id probari queat, cum autoritas affirmantium me haud moveat, multo minus eorum obſer-

obſervationes mire fallaces : Deinde poſito iſta omnia ſe habere ita, quemadmodum fingitur, quid vero emolumenti hinc redundat in Medicum. Aut enim impedire poſſum ejusmodi malignum influxum, aut non poſſum : ſi medicamenta valent adverſus ſydera, eodem modo proderunt ſeu attendantur ſeu negligantur horum ſtationes, retrogradationes, conjunctiones, oppoſitiones &c. Si minus valent, nihil ago, ſed otioſus ſpectator ſum.

§. 30. Sol, inquiunt, valde calefacit & parumper ſiccat: Mars ſiccando urit : Saturnus valde frigefacit : Jupiter, Venus, Luna nonnihil calefacientes etiam humectant, ſed Jupiter parum, Venus multum, Luna plurimum, Mercurius autem indifferens eſt. Regero proinde Solis quidem calorem eſſe manifeſtum, reliquorum Planetarum vires urendi, refrigerandi, & humectandi nullibi deprehendi. Si verum eſt Martem urere adeo, neceſſum eſt ſane, ut, ſi forte nobis vicinior fuerit, media hyeme majorem ſentiamus æſtum, quam in diebus canicularibus a radiorum ſolarium fervore. Eodem modo frigus intenſiſſimum erit media æſtate ad minimum horis nocturnis ſi Saturnus apparuerit, hoc ſuppoſito, quod tam potenter refrigeret. Atqui & hoc falſum eſt. Reliquos ut mẽtuamus, cauſam habemus nullam. Mercurius tanquam indifferens nihil agit ; Jupiter, Venus, Luna tanquam nonnihil calefacientes, plus minus humectantes alterare noſtra corpora vix valent, ſiquidem ad horum temperiem propius accedere dicuntur.

§. 31. Et quanquam a viribus radiorum ſolarium haud licet argumentari ad influxum reliquorum Planetarum ; Largiar id tamen ex ſuperabundanti. Quodſi vero ab injuriis radiorum ſolarium ſecuri ſumus, horis nocturnis per majorem anni partem, quamdiu remotior a nobis Phœbus eſt, imo & in ſolſtitio æſtivo, ſi modo cœlum fuerit nubilum. Cur igitur metuamus Martem, Saturnum &c. ſæpe nullibi apparentia.

§. 32. Poſito autem vires horum ſuperare ſolem ipſum : impoſſibile nihilominus erit, ut impreſſio hodie facta, v. g. ad plures

perduret non dies aut menſes modo, ſed annos etiam; cum neceſſum ſit, ut a ſuperveniente alia æque potenti conſtellatione priſtina iterum extinguatur. Unde liquido apparet, quid de Genethliaca ſentiendum ſit, utpote quæ de univerſa hominis vita ex hora nativitatis judicat. Fuere tamen inter Medicos etiam non infimæ notæ, uti *Hier. Cardanus*, *Heliſeus Röslinus*, *Joh. Rud. Camerarius*, qui & in hoc muſtaceo laudem quærere haud erubuerunt.

§. 33. Non dicam prorſus ridiculum eſſe, quod aſtrorum influxum ad ea quoque velint extendere, quæ cum luce, calore, frigore, ſiccitate ac humiditate nihil commune habent, uti ſunt honores, divitiæ, vitia & virtutes &c. Profecto qui Solem præficiunt honoribus, Lunam peregrinationi, Venerem amori atque ſic porro: ſuis occœcati præjudiciis non vident, ſolem idem agere cum fur affigitur patibulo virgisve cæditur, quam cum ſolenniſſime Inſignia diſtribuuntur Doctoralia. Quid Luna Peregrinantes juvat præ Sole? Forſan & Coridon majores a laſciviore colona ſentiet ſtimulos, quam a Venere cæterisque corporibus cœleſtibus ſimul ſumtis. Verum tranſeant hæc utpote quæ Medicum haud attinent.

§. 34. Saltim id deſidero, ſi de longævitate ac robore naturæ, de propenſione ad certa morborum genera ſermo ſit, cur hora partus aut conceptus ſi mavis, reliquam omnem vitam ita determinet, ut ab eo tempore nulla ſperanda ſit reſtitutio in integrum, ſi modo primus ille aſpectus malignus fuerit. Quamvis enim cum primo aere omne virus, ut ſic dicam, aſtrale inſpiret recens natus, quid prohibet, quo minus idem ſucceſſu temporis emendetur, expellatur aut tollatur penitus, ſi non alio pacto ad minimum a ſubſequente aſpectu benigniore pariter efficaci.

§. 35. Quidſi aliæ intercedant cauſæ prorſus contrariæ themati natalitio? e. g. promittuntur omnia meliora juxta *Chriſt. Pezelii præcepta genethl.* Vita longior a morbis libera, fortuna proſpera, divitiæ, conjugium fœcundum &c. annon fieri poteſt ut a latronibus inter-

interficiatur hactenus perfecte ſanus, ut furto amittantur omnia bona, ut propter ſterilitatem vel defectum Uxoris liberos procreare haud liceat? Quid ergo pollicetur Sol atque Luna, Venus atque Mercurius cum Tauro Aſinove cœleſti, quod in poteſtate illorum haud ſitum eſt. Si cui res anguſta domi fuerit, ut ne panis quidem ad explendam famem ſufficiat, ei credo craſſities vel obeſitas corporis negabitur, quicquid ex domiciliis imaginariis Aſtrologus ſpondeat.

§. 36. Conferatur *P. Gaſſendus, Animadv. in Lib. X. Diogenis Laertii p. m. 478. & ſeqq.* Nec enim vacat diutius his immorari nugis, præſertim cum pauciſſimi Medicorum tale quid æſtiment: ac fortaſſis minus adhuc æſtimarent, niſi Magnates, qui vitam hanc mundanam nimium amant, adhuc in pretio haberent vanos hujusmodi ſiderum influxus, & ſi quando morbus inſtet judice Mathematico, noſtram implorarent opem, ut imminens avertatur periculum.

§. 37. Quotusquisque vero non metuit Annum Climactericum, quæcunque demum extiterit hora genituræ? Virum ex ordine literatorum novi, cum annum attingeret 63. valde ſollicitum fuiſſe, ne fatalis jam inſtaret terminus, maxime, cum vidiſſet e crepida ſua proſiliiſſe murem candidum. Factum eſt, quod crediderit; paulo poſt enim ægrotavit, qui hucusque ſatis vegetus ne canos quidem alebat crines & mortuus eſt. Non miror, quem muſculus terret, præ metu exanimari omnino, ſi audiat univerſum cœlum ſibi contrariari.

§. 38. Cauſam ſi poſtulas, ob quam is præ cæteris annus adeo periculoſus exiſtat, aliam reddere haud valent, quam quod numerus ſeptenarius atque novenarius in alterandis corporibus mire efficax, hic concurrat ex novem ſeptenis reſultante anno 63. Si vero quæras unde illa numerorum potentia, tum quoque ultimum refugium eſt in ſeptem planetis præſertim in Mercurio. Quam apte id fiat, non male docet *Feder. Bonaventura de*

Octim. partu cap. 53. & cum eo Joh. Bapt. Sylvaticus Tr. de Anno Climact. p. 18.

§. 39. Aſt provocant ad experientiam & conſenſum pene omnium. Etenim tali anno notarunt obiiſſe Platonem Philoſophum, Diogenem Cynicum, Dionyſium Eracleontem aliosque. Verum quis narrat mortuos anno 40. vel 50. Non poſſum diſſimulare hic loci me veritatis eruendæ gratia evolviſſe *Henr. Witte Diarium Biographicum*, in quo hujus ſeculi jam labentis Scriptores præcipuos recenſet, ut reſcirem quantus eſſet Eruditorum anno climacterico mortuorum, numerus. Reperi proinde An. 1600. non niſi binos L. Joh. Wolffium & Rich. Streinium. An. 1601. nullum penitus. Cum igitur conferrem cæteros inibi nominatos, apparuit non minus fatalem fuiſſe 41, 45, 47, 49, 53, 55, 60, 66, 68. ſiquidem & harum ætatum bini quoque iſto biennio deceſſerunt: plures adhuc, tres puta æt. 56, 64, 80. quinque ſeptuagenarii. Cui lubet, colligat ætates per integrum ſeculum, atque tum obſervabit nullam prærogativam habere præ aliis annum 63. Felicius adhuc lis dirimi poſſet, ſi numerus eorum, qui quotannis moriuntur in urbe, cum cura examinaretur.

§. 40. Audiamus interim *Joh. Bapt. van Helmont Tr. de Tempore 56. p. m. 510. Quantum vero ſpectat ad annum Climactericum, tractum ex productione numeri ſeptem in novem, nimirum in annum vitæ 63. ſtolidum eſt inventum; quippe 70. anni dies hominis &c. ergo in poſterum falſi accuſant ſacra apud Chriſtianos; adeoque dæmonis eſt inventum, qui hoſtis vitæ noſtræ procurat mortis metu ſenes ante ſtatutam horam percellere. Alioqui namque quid facit numeri in numerum productio ad curſum vitæ?* Et paulo poſt: *Profecto ut pium eſt & Chriſtianum vitam agnoſcere a manu Conditoris, principis vitæ: ita perditorum eſt vitam a Planetis & numeris mutuaſſe.*

§. 41. Non male idem fortaſſe cenſeri de diebus Criticis poſſet, quos nonnulli ſatis ſuperſtitioſe in morbis acutis attendunt, puta ſeptimum, decimum quartum, & vigeſimum, vel vigeſimum primum

primum ad mentem aliorum; quaſi vero tota die non videamus die 5, 6, 8, 9, &c. tot levari aut mori ægros, quot iſtis diebus criticis. Ita enim ipſe *Hippocrates de Indicationibus II. p. m. 439. Febres judicantur in iisdem numero diebus, ex quibus & ſuperſtites evadunt homines, & ex quibus pereunt. Etenim placidiſſimæ febres, & ſignis ſecuriſſimis contingentes, quarto die deſinunt aut prius. Lethaliſſimæ vero & ſignis horrendiſſimis contingentes, quarto die aut prius occidunt.* Et paulo poſt *IV. p. 441. Si ſudores febricitanti fiant tertia die & quinta & ſeptima, & nona, & undecima, & vigeſima prima, & trigeſima prima, hi ſudores morbos judicant.* Cur non die ſexta etiam & octava & decima &c?

§. 42. Qui Æquinoctia & Solſtitia timet in morbis, ſi fuerit, idiota excuſari poteſt, quod neſciat, quid hæc ipſa ſibi velint: ſi Medicus extiterit, excuſari prorſus nequit. Conſulamus Experientiam. Incidunt Solſtitia in Junium & Decembrem, Æquinoctia in Martium & Septembrem. Mortui autem ſunt hic Lipſiæ intra hos quatuor Menſes

Anno 1694.	homines	320	toto anno 980
1695.		204	— 676
1696.		227.	— 693.

Numerus igitur his annis ne quidem ad tertiam aſcendit, quam tamen ſuperare neceſſario deberet, ſi menſes iſti forent periculoſiores. Quodſi vero ab iis, quæ utplurimum contingunt recte concludimus, dicendum potius foret, tempora illa Solſtitiorum & Æquinoctiorum eſſe ſalubriora præ cæteris anni partibus.

§. 43. Idem de Lunæ ac Solis Eclipſi monendum duco. Si lumen horum ad trihorium nobis negetur, ac ne totum quidem, quantum non damnum imminet ægris ex Medicorum quorundam, aut, ſi mavis, Medicaſtrorum opinione. Eccur non omnis nox lethalis eſt, præſertim longior hyberna, quando per plures horas Sol lumen ſuum invidet miſeris; quando nec Luna ullibi appareret, etiam in plenilunio denſis occultata nubibus?

§. 44. Provocas forſan ad Experientiam? adſum. Obſervabatur anno præterito 1697. d. 19. Oct. Eclipſis lunaris; moriebantur autem iſto menſe homines num. 45. præcedente Septembri 52. ſequenti Novemb. & Decembri 46. imo plures adhuc Martio, Aprili, Majo ejusd. anni. Anno 1696. cernebatur a nobis itidem Eclipſis Lunæ d. 30. Oct. iſto menſe moriebantur 46. homines, poſtmodum Nov. ac Decemb. 39. tantum, reliquis menſibus excepto Auguſto longe plures. Unde liquet, ſalutarem potius quam malignam fuiſſe utramque illam Eclipſin lunarem, cum plures ante, pauciores poſt eum interierint.

§. 45. Vis exemplum Eclipſeos ☉ris; en tibi egregium ſuppeditat An. 1694. 12. Junii. Moriebantur nempe hoc menſe 61. qui numerus omnium minimus eſt inter omnes illius anni menſes. Parum proinde abeſt, quin credam in odium Aſtrologorum Eclipſes etiam ☉res fortaſſe ſalutares nobis exiſtere. Ita namque apparuit ſub finem anni 1680. Cometa ſatis horrendus cum deſiiſſet peſtis. Si apparuiſſet circa initium illius anni, quis eum non accuſaſſet audacter? Ab illo autem tempore, ut puto, nemo amplius eſt, qui eundem adeo metuat; ad minimum dubitari poſſet annon plus valeat in abigenda peſte gravioribusque morbis, quam producendis iis, quod antehac creditum fuit.

§. 46. Tempus eſt ut Medicum quoque ſuperſtitioſum contemplemur in Praxi occupatum. Peccat autem is duplici ratione, ſcilicet quando ab ejusmodi rebus auxilium ſperat ægrisque promittit, quæ nullius plane valoris exiſtunt, neque medicamenti nomen merentur: deinceps quoque peccat, qui remedium quidem legitimum adhibet, ſed ſub certa quadam Circumſtantia, eaque vana; ita ut huic potiorem tribuat efficaciam absque ulla tamen ratione.

§. 47. Talis eſt Circumſtantia Temporis, quam animadvertere jubet Paracelſus Tr. 1. Phil. *De diverſitate temporum, mutationibus virium inde creſcentium vel decreſcentium philoſophantem primum*

mum ſcire refert, tempora anni eſſe diverſa & pro diverſitate temporum vires quoque rerum omnium augeri minuive &c. Paulo poſt: *Hæc itaque cum ſine contradictione vera ſint, ſequitur non ſemper bonum eſſe argillam ac lutum fodere, lignum cædere, multo minus herbas colligere, fructus decerpere radices eruere, balſamos ac gummata deradere; cuncta hæc peragi fas eſt tempore balſamico, certis menſibus, certo aſpectu ☽ ac aliorum ſignorum, certaque diei hora.*

§. 48. Inſiſtunt Præceptoris veſtigiis, ſtrenui ſectatores atque diſcipuli ejus. Inſtar omnium videatur *Barthol. Carrichteri Herbarium*, in quo cuncta ſecundum influxum aſtralem colligere cum cura jubet, obſervando inprimis Zodiaci ſignum in quo ☉ exiſtat, ut non niſi balſamico tempore in officinam recipiantur. Id enim ſi negligatur, exiſtimant vires ſimplicium aut nullas prorſus eſſe, aut certe ignobiliores; e. g. flores lil. convallium optimi ſunt ☉e in cancri 1. gradum ingreſſo: Centaurium minus cum ☉ in 15. gradu Virginis reperitur, egregium: rad. caryophyllatæ excellentior foditur quando Sol 1. gradum Leonis attingit, atque ſic porro.

§. 49. Alii ☽am potius attendunt ejusque incrementum ac decrementum, imo & certam diei horam, perſuaſi hoc pacto etiam non parum intendi robur medicamentorum, e. g. radix pœoniæ ut adverſus epilepſiam valeat, Luna decreſcente fodienda eſt, menſe Martio vel Aprili, vel etiam in diebus canicularibus; viſcum quernum Luna decreſcente inter duo Mariæ feſta decerpendum &c. *vid. Finckii Ench. dogm. Herm. p. 25.* Lignum fraxini, ut ſanguinem potentius ſiſtat, die Johannis cædendum, vel ante Solis ortum, vel in ipſo meridiani temporis puncto, vel potius ad mentem *Borelli* cum Sol & Luna in ariete concurrunt. *vid. Cent. II. obſ. 78.*

§. 50. Terra Lemnia in Inſula Stalimene, ut hodie dicitur, e monte Vulcano quotannis effoditur oriente Sole per ſex horas die 6. Auguſti tantum; id enim niſi fiat, nullam habere putatur efficaciam. *Vid. P. Bellonii Lib. 1. Obſ. c. 28. & 29. Ol. Wormii Muſeum p. 9. Fr. Placentia in Mar. Æg. redivivo p. 431.* Ita vulgo notiſſimum eſt,

eſt, Cornua Cervi æſtimari præ cæteris, quæ ſponte decidua inter duo Mariæ feſta, i. e. 15. Aug. & 8. Sept. inveniuntur.

§. 51. Sunt qui easdem circumſtantias temporis in præparatione medicamentorum ſimiliter attendunt. Lubet exempli loco ſaltem pulverem ſympatheticum allegare. Recipiunt enim Vitrioli Rom. quentitatem aliquam pro lubitu, factaque depuratione per ſolutionem & cryſtalliſationem, exponunt radiis Solaribus dum verſatur in Leone per horas 360. non ſine quadam myſterii ſpecie, ut loquitur *Nic. Papinus Differt. de Pulv. Sympath.* Calcinatum ita Vitriolum tam miras habet in ſiſtendis hæmorrhagiis vulneribusque ſanandis vires, ut pene inter miracula reponatur ab ejus admiratoribus. *Vide paſſim Theatr. ſympatheticum.*

§. 52. Nec deſunt, qui dum applicant medicamentum, dum purgans adhibent, vel venam ſecant, vel ſcarificant, alios quidem dies metuunt, alios eligunt ſuperſtitioſe. Provoco ad Faſtos, vulgo Calendaria. Quo fundamento id nitatur, vel inde apparet, quod, ſi tres pluresve inter ſe conferantur Aſtrologi, tanta occurrat diſſenſio; ut cui fides habenda ſit, merito dubites. Mirum eſt adeo audacter mentiri eos, cum tamen per Experientiam tota die contrarium demonſtrari queat.

§. 53. Memini antehac virum quendam eruditum, cum a ſudore ſe refrigeraret incautius, in pleuritidem incidiſſe cum febre. Accerſebatur igitur Medicus ſenex, qui poſtquam ægroti ſtatum cognoviſſet, ex Hippocrate reſpondit graviter, in diebus canicularibus nihil agendum neque purgandum neque venam ſecandam eſſe, quin potius ob tempus adeo periculoſum aliquandiu relinquendum ægrum. Poſt ejus diſceſſum cum ingraveſceret malum adducebatur junior quidam Medicus, poſthabita itaque authoritate omni mittebatur ſanguis, datisque remediis convenientibus reſtituebatur paucos intra dies, qui pene ſuffocatus a morbo erat.

§. 54. Quid

§. 54. Quid ergo de tempore dicam? omnino inſerviendum eſſe tempori, i. e. opportune facienda quæ fieri debent, colligenda, præparanda & applicanda remedia. Eam vero opportunitatem non docet dies præciſe Johannis aut Margaritæ nomine inſignis, non hora certa matutina vel meridiana, non Solis Lunæque vel reliquorum Siderum Aſpectus, ſed ipſa natura ſimplicium & morbi neceſſitas; quod ſic demonſtro breviter.

§. 55. Qui Calendario utuntur Gregoriano, antevertunt noſtra tempora perpetuo, quæritur jam qua die colligendi ſint flores hyperici, e. g. ne aberremus in exaltatione virium aſtrali? Reſpondeo, quemadmodum fructus ribium (noſtratibus Johannes-Beer) non decerpuntur præciſe die Johannis, niſi quatenus maturi ſunt, ita hyperici (Johannes-Kraut) flores, qui feſto Johannis juxta Stylum veterem novumque apparent, avelli poſſunt, reliquis diebus idem jus erit in alios tum quoque conſpicuos.

§. 56. Nec enim credendum eſt in eandem diem neceſſario ſimilem quotannis conſtellationem incidere. Quidſi Planeta malignus aliquando ſeſe admiſceat ac dominetur? Jam vero alia dari non poteſt ratio, propter quam religioſe adeo dies ejusmodi obſervari debeat, quam quod influxus cœleſtis propitius tum credatur, ſed absque ullo fundamento.

§. 57. Pudet me profecto conflictari amplius cum turpiter mendacibus. Dicitur Luna humorum domina. Sed quam miſerum illud imperium eſt ſideris, ad cujus præſentiam ne nubecula cedit, ac ne gutra quidem aquarum. Falſum eſt, quod communiter urgent, oſtreas gammarosque cum Lunæ lumine accreſcere ac decreſcere; ſed quovis tempore haberi alios ſuccipienos aliosque vacuos oſtendi poteſt quotidie. Quid enim *Jacobo Bontio* reſpondendum, qui *Lib. V. Hiſt. Nat. & Med.* hæc habet: *Aſtacos quoque fluviatiles ſimul & marinos habemus ſaporis optimi, ſed quod mirere, plenilunio hic omnia oſtracoderma ſunt inania, decreſcente vero luna implentur, contrario modo quam in Patria.*

tria. Anne in Indiis alia eſt Luna, quam quæ a nobis ſpectatur? Anne dominium Lunæ noſtratis extendit ſe ad mare?

§. 58. Jurarem Aquarii ſignum, quod nobis humidum frigidumque dicitur, inſtar Leonis æque calidum atque ſiccum eſſe iis, qui parem elevationem poli antarctici habent, qualem nos arctici. Nam & ſub ipſa linea æquinoctiali habitantibus procul dubio perinde erit ſeu Sol cancrum, ſeu capricornum ingrediatur. Videlicet, qui ad hunc illumve polum propius accedunt, ſentiunt aeris ac tempeſtatum mutationem, aliam ſi ſol abfuerit longius, aliam ſi proxime acceſſerit. Nihil autem conferre ſigna illa Zodiaci, ex hoc manifeſtum eſt, quod contrarium ſemper experiantur populi meridionales & ſeptentrionales.

§. 59. Satis de his; Etenim qui ſic inebriati pertinacius his inhærere nugis maluerint, eos nec ſana ratio, nec Experientia, utcunque contraria tantiſper movebit. Utinam tandem moverentur Scripturæ S. præceptis, aſtrologiæ ſtudium ſerio prohibentibus, vel monitis Patrum ſanctorum, tanquam dæmonum inventum id reprobantium, vel denique legibus civilibus ſub gladii pœna idem interdicentibus. Confer *Joh. Freitagii Noct. Med. cap. 18. p. 92. ſeqq.*

§. 60. Sunt adhuc aliæ Circumſtantiæ, jam olim a pharmacopolis atque rhizotomis in modo colligendi herbas obſervatæ. Mandragoram enſe ter circumſcribebant, ſpectantes ad occaſum: elleborum nigrum ad orientem converſa facie &c. Has dum recenſet Theophraſtus Hiſt. Plant. Lib. IX. cap. 9. tanquam abſurdas rejicit. Aſt nec inter Medicos modernos deſunt, qui ejusmodi ceremoniis phantaſticis mire delectantur. *Sambuci radix ſi ſurſum evellatur, purgat per ſuperiora, ſi e contra deorſum per foſſam ſubtus factam trahatur, movet alvum: ſambuci juli quoque ſi forſan cacumen verſus decerpantur, movent vomitum, e contra ſi deorſum eosdem decerpſeris, alvum laxant. Hæc Joh. Schræderus in Pharm. Medico-chym. Lib. 1. c. 26.* Quaſi vero purgantia

gantia reliqua non crebrius etiam Vomitum moveant in ſubjectis tenerioribus & proclivibus ad vomitum, imo & in robuſtioribus, ſi doſi exhibeantur majori.

§. 61. *Quis credat Sambuci extremitates & aſarum juxta Helmontium in Magn. vuln. cur. 170 auſcultare imperanti phantaſiæ deterptoris?* non audit verbera currus. Melius forſan auſcultabit hircus cornibus ſuſpenſus, reflexis ad eadem cruribus, ſi teſtes abſcindas, ut arcanum antipleuriticum, ruſticum inquam, ſanguinem ſcilicet colligas, alio quam lanionum vulgari modo. Sed cave tibi a pueris, ne phantaſiæ tuæ luſus ſibilo explodant digno; ſiquidem vulgo notum eſt, cruorem hirci habuiſſe vim reſolvendi ſanguinem congrumatum ante tuum illud frivolum inventum.

§. 62. Ut autem finem faciam cenſuræ meæ, lubet pauciſſimis adhuc attingere Medicorum quorundam ſuperſtitionem minus tolerandam, qui ſcilicet in ægrorum cura etiam ad ea ſe convertunt, quæ in totum vana ſunt, e. g. ad amuleta ridicula, unguentum armarium, transplantationem morborum, medicinam magneticam & ſympatheticam. Lubet unum alterumque ſaltem exemplum allegare, ut appareat, quo jure talis medendi ratio a nonnullis adeo æſtimetur.

§. 63. *Poſtulante perſona magna Proſapiæ, ut juxta genethliaci thematis tenorem amuletum quoddam Taleſmaticum conficeremus, quale quid ante hac nunquam ne in mentem quidem nobis venerat; ſuſcipere tamen adigimur. Obſervato itaque tempore, quod accommodatum videbatur, metalla fundi curavimus &c. Pectore geſtabatur perpetuo exemplar quod elegimus perfectius. Quoties adverſi quoddam accidebat perſonæ illi, non nummus tantum, ſed & illa, quam attingebat corporis pars, ſudabat largiter, quod admiratione ſumma ſæpe nobis ſignificabat.* Verba ſunt *Joh. Matth. Fabri in vindiciis Aſtrologiæ. p. m. 47.*

§. 64. Unguenti armarii deſcriptionem ſuppeditat *Rod. Go-*

clenius Tr. de magn. vuln. cur. Vſus ejus eſt hic: *Immergendum ferrum ſeu telum eſt, quod ſauciavit, in Unguentum, & ita relinquendum: æger quotidie ſua urina vulnus eluat deligatque mundo panno lineo, ſemper pus extergendo aurora qualibet, & absque ullo dolore ſanabitur. Si inſtrumentum, quo vulnus inflictum eſt, haberi nequit, aliud ducatur per vulnus & loco veri teli id inunge utroque latere, reponatur loco mundo & temperato, ſi enim aeri vel frigori nimio exponatur, excitabitur dolor. Attendendum eſt etiam caſimne an punctim factum ſit vulnus. In puncturæ enim telum inungendum eſt a cuſpide capulum verſus, in cæſura ab acie verſus tergum. Meminiſſe præterea oportet obligare tela &c.*

§. 65. Pro quartana hoc habet *Fr. Joël Tom. V. ſect. 2. p. m. 32.* remedium: *Urina patientis in paroxyſmo reddita cum farinæ q. ſ. ſubacta, in maſſam redacta & in clibano inſtar panis cocta fameli cani maſculo quidem, ſi maſculus eſt æger, & fœmellæ, ſi fœmina, exhibeatur comedenda, idque ter aut quater reiteretur, patiens quidem liberatur a febre, ſed laborabit canis.* En Medicinam Magneticam, aut ſi mavis transplantationem febris in canem. Vis exemplum transplantationis in arborem, lege *Phil. Salmuthi Cent. III. obſ. 34. Plura in Andr. Tenzelii Med. Diaſtatica, Guil. Maxuelli Medicina Magnetica &c.*

§. 66. Jam vero provoco ad Lectorem æquum, ſi hæc atque ſimilia faceret Anus, Opilio, Carnifex, annon in ſuſpicionem præſtigiarum magicarum, diabolicarum etiam, venire queant? Sed quid de Medico Tibi videtur? Qui artem divinam cum ignariſſimis & maxime ſuperſtitioſis contra ſanam rationem & experientiam manifeſtam his nefandis modis conſpurcat, dignus haud eſt, ut inter politiores toleretur.

DISPU-

DISPUTATIO III.

DE MEDICAMENTORUM PROPRIETATIBUS.

PRÆFATIO.

QUemadmodum Varietas rerum creatarum, ſi abſolutè ſpectentur & in ſe, adeo infinita eſt, ut certas omnibus ac determinatas proprietates, ab omnipotente Numine conceſſas, vix ſatis mirari queamus: ita reſpectu corporum noſtrorum, præcipuè ſi ad uſum Medicum trahantur, dubium non eſt, quin *vires* poſſideant itidem diverſas, *evacuandi* ſcil. quæ præter naturam collecta ſunt, *reſtituendi* quæ deficiunt, & *alterandi*, quæ vitioſa qualitate peccant. Et quandoquidem per Experientiam conſtat, alia ſpiritibus, alia humoribus, atque alia partibus ſolidis magis eſſe appropriata; hæc vero Virtus non omnibus obvia, ſed rebus abditis annumeranda veniat, opere pretium me facturum arbitratus ſum, ſi in examinandis ac eruendis his facultatibus, meas ingenii vires exercerem. In id ergo annitar ſedulo, ut potiſſimum operandi modum explicem, quantum fieri poteſt, clare, quamvis breviter; ſiquidem & hac ratione non deerit materia digna, quæ exercitii academici more ventile-

tur publice. Faxit DEUS, ut hæc omnia in ſui Divini Nominis gloriam, proximique ſalutem cedant feliciter!

CAP. I.

Medicamenta Spiritibus dicata continens.

§. 1.

TRes ſunt corporis noſtri partes, Spiritus, Humores, & ſolidæ, quæ ſecundum naturam unitæ adeo conſpirant inter ſe, ut & in ſtatu ſanitatis concurrant ad eandem functionem abſolvendam, & in morbis non parum conſentiant, ſi quæ forte læſa ex iis fuerit. Sicuti vero à parte potiſſimum affecta morbum dicimus vel Spirituum, vel Humorum, vel partium ſolidarum; ita nec incongruum eſt remedia diſtinguere in ea, quæ Spiritibus, quæ Humoribus, & quæ ſolidis appropriata ſunt; quanquam alias abundè conſtet, nullam partem affici ſolitariè, nec ullum remedium operari ſaltem in una parte intactis cæteris.

§. 2. Dum igitur medicamenta Spirituum perpendere animus eſt, ante omnia videndum, quinam ſint morbi Spirituum. Et videntur ii ad quatuor commodè claſſes redigi poſſe, ſcilicet ad Defectum, Torporem, Inquietudinem, & Impreſſionem idealem. Hinc ſimiliter & Medicamenta quadruplicis generis eſſe poterunt, nimirum Defectui Spirituum oppoſita *Analeptica*, Torpori *Excitantia*, Inquietudini *Hypnotica*; quæ autem ad Impreſſionem idealem tollendam valent, proprio nomine carent huc usque, niſi quod ſpecifica dicantur adverſus Melancholiam, Maniam, Hydrophobiam, item Febrifuga, Antiloimica &c.

§. 3. *Analeptica* propriè talia è vegetabilibus præcipuè parari ſolent, videlicet è floribus fructibusque ſuavioribus, uti *Spiritus florum roſarum, tiliæ, liliorum convallium, primulæ veris, cheiri, nec non cera ſo-*

cerasorum nigrorum, pomorum dulcium, rubi idæi, fragorum & cydoniorum: quibus adde *Spiritum baccarum juniperi, frumenti, ac vini,* præsertim dulcis, qualia sunt Hispanicum, Malvaticum, Canariense &c.

§. 4. Quod si enim similia similibus nutriuntur vel curantur, nihil est, quod magis aptum excogitari queat ad resarciendam Spirituum defectionem, quam Spirituosa hujusmodi. Et quantumvis tale remedium non totum ut inflammabile ac oleosum vel salinum & aquosum in naturam Spirituum convertatur; certum tamen est, in eo liquore delitescere particulus subtilissimas, verè analepticas, quæ cum iis convenientiam habent non levem, adeoque cum Spiritu animali uniri possunt non difficulter.

§. 5. Sive igitur ob inediam, sive Diarrhæam aut Hæmorrhagiam, sive abusum veneris, sive vigilias motumve corporis nimium, atque sudorem, sive alio quocunque modo accidat infirmitas vel totius corporis vel partis tantum; ubique tamen spirituosa unicum solamen erunt. Tumque mutato nomine generali, specialem acquirunt titulum, *Cephalicorum*, quando memoriæ imbecillitas vel sensuum hebetudo ægrum vexat: *Cordialium* si lipothymia vel syncope accidat, *Stomachicorum* in Apepsia & Bradypepsia, *Aphrodisiacorum* in impotentia virili; *Uterinorum* in sterilitate muliebri, partuque ob virium defectum difficili, atque sic porro.

§. 6. Neque vero credendum est, remedia illa ita differe inter se, ut quoddam ex iis saltem Cephalicum, saltem Cordiale aut stomachicum sit; sed quicquid operantur, præstant virtute illa generali, prout nec diversus est Microcosmetor aut Cardimelech, Gasteranaxve ab uno eodemque Spiritu vitali per omnia diffuso.

§. 7. Quæ adversus Torporem Spirituum valent, *Excitantia* dici aptè poterunt. Nec enim in hoc casu Spiritus verè deficiunt, sed ad functiones suas ritè obeundas saltem tardiores sunt minusque alacres. Nam & fœminæ cœteroquin satis robustæ non

rarò

rarò patiuntur animi deliquium, ſi forte ambræ, moſchi ſimiliumque ſuaveolentium odorem ſenſerint, & qui Apoplexia corripiuntur, in momento corruunt attoniti, quanquam jactura virium vel excretio manifeſta non præceſſerit.

§. 8. Ut ergo excitentur Spiritus & ad motum reducantur debitum, irritamento eſt opus. Id verò præſtant in univerſum *acria* omnia, præcipuè quæ ſapore ac odore forti ac penetranti gaudent, aromata & plantæ aromaticæ *Cardamomum*, *Cubebæ*, *Caryophylli*, *Nux moſchata*, *Macis*, *Cinnamomum*, *Roſmarinus*, *Salvia*, *Lavendula*, *Spica*, *Stœchas Arabica*, *Meliſſa*, *Serpillum*, *Majorana*, *Marum*, *Origanum*, *Satureja*, *Thymus*, *Pulegium*, *Ocimum*, *folia Lauri*, *Cortices citri & aurantiorum*, *Radix Angelicæ*, *Zedoariæ*, *Galangæ*, *Calamus aromaticus &c.* Unde varii generis medicamenta parari ſolent, potiſſimum Spiritus vel Aquæ deſtillatæ ſimplices & compoſitæ, è quibus magis uſitatæ ſunt *Spiritus florum rorismarini*, quem vocant *L' eau de la Reyne d' Hongrie*, *Aqua Lavendulæ*, *Antapoplectica Kolreuteri*, *Carfunculi*, *Antepileptica Langii*, *Anhaltina*, *Veltheimiana*, *Magnanimitatis*, *Vitæ mulierum ac Balſamum embryonum.*

§. 9. Ejusdem dignitatis exiſtunt *acida* volatilia & imprimis Spiritus ſalesque urinoſi. Acida ſunt acetum vini deſtillatum, & *Spiritus viridis æris*, *acetum liliorum convallium*, *lavendulatum*, *Spiritus vitrioli volatilis*, *Spiritus formicarum acidus*, & *ſimilia.* Urinoſa ſunt *Spiritus & ſal vol. cornu cervi*, *eboris*, *ungularum alcis*, *viperarum*, *lumbricorum terreſtrium*, *ſanguinis*, *urinæ*, *ſalis ammoniaci*, *fuliginis atque Tartari*; item *Camphora*, & ſi quis curioſior è plantis aromaticis conficere ſalia volatilia, vel etiam reliqua ex animali regno deſumta per adjectionem vegetabilium condire amat, ut ſub Titulo *Salis volatilis oleoſi vel aromatici* diſtribuantur. Ut taceam *Salia fixa & ſalſa* paulo acriora, ſiquidem & hæc ſuo modo ad Excitantia referri queunt.

§. 10. Nimirum virtus hujusmodi medicamentorum unice conſiſtit in vellicando. Etenim ſive natibus objiciantur ut odor

dor inſpiretur, ſive per modum ſternutatorii vel maſticatorii adhibeantur, ſive aſſumantur per os, ſive injiciantur ſub forma clysmatis, aut applicentur externè, ubique tamen operantur pungendo fibras partium ſenſu exquiſito præditas, atque ſic irritando inhabitantes Spiritus & commovendo, aut etiam alliciendo influentes. Id quod in ſummo gradu Veſicatoria præſtant externo uſu, optima excitantia, ſed non ſine dolore ac eroſione notabili.

§. 11. Hoc pacto reſuſcitantur per acriora adhibita, Hyſtericæ, Apoplectici, affectibusque ſoporoſis ſepulti, ubi ferè ſenſus motusque omnis abeſt. Iisdem levantur egregiè, qui frigore ac horrore febrili conquaſſantur, & qui ſaltem hac vel illa in parte langvorem patiuntur, e. g. Paralyſin manus pedisve aut linguæ, gravem auditum, item qui de ventriculo debili & Anorexia conqueruntur, nec non de mentis hebetudine atque defectu memoriæ. Unde facilè apparet idem Remedii genus, aromaticum vel excitans pro diverſitate ſubjectorum, quibus applicatur, modo nervinum appellari, modo cephalicum vel oticum, modo ſtomachicum vel carminativum, modo uterinum, febrifugum, calefaciens &c.

§. 12. His excitantibus è diametro ſunt oppoſita *Sedativa*, Hypnotica & Anodyna. Quemadmodum enim illa Spiritus commovent langventes, ita hæc potius inquietos ad blandam diſponunt tranquillitatem. Et fortiora quidem ac minus tuta Narcotica ſive Stupefactiva ſunt *Mandragora*, *Cicuta*, *Solanum* & *Hyſcoyamus*, atque ideò externe tantummodo præſcribi ſolent à politioribus. Mitiora magisque ſecura ſunt *Crocus*, *papaver ſativum erraticumque*, *nec non opium Thebaicum* ſi cum judicio exhibeantur. Mitiſſima ſunt *flores & radix Nymphæa*, *flores violarum*, *liliorum alborum*, *ſambuci*, *chamomillæ*, *meliloti atque anethum*. Huc refer Opium cydoniatum vel cum vino malvatico præparatum, extractum croci, ſyrupum tincturamque papaperis

ris erratici, & si quæ alia in officinis prostant anodyna sub Titulo Magisteriorum vel pulverum, trochiscorumve, composita è modo dictis.

§. 13. Quæritur autem non immeritò, quâ ratione operentur illa sedativa. Si saporem advertamus pleraque amara erunt, omnibus tamen id commune non est, siquidem teste J. B. van Helmont sulphur vitrioli veneris soporiferum melle dulcius deprehenditur: Si odorem, observabitur gravis utplurimum, propter quem jumenta Hyoscyamum, Solanum Cicutamque ne quidem degustare audent; nihilominus opium est Anodynum, quamvis in spiritu vini aut vino Malvatico vel succo cydoniorum digestum suam deposuerit graveolentiam. Quid? quod vinum ipsum suavissimum largius haustum somnum non minus quam ebrietatem inducit; itaque non videtur ex odore vel sapore determinanda vis talium remediorum.

§. 14. Enimverò mallem quàm lubentissimè sulphuri tribuere virtutem illam sedativam, si modo concreta magis sulphurea & sulphur ipsum æque forent efficacia. Ne dicam superare omnem captum, quomodo tantillum opii, granum etiam, figere possit Spiritus in universo corpore habitantes. Si quid igitur pronunciandum est in re ardua, satius fore arbitror, non per commixtionem seu fixationem materialem, qualem fortè à Nitro antimonium, ab acidis salia volatilia patiuntur, id explicari, sed per idealem sive virtualem.

§. 15. Notissimum est, hominem, dum attentius intuetur objectum quoddam, pulchrum præcipuè vel artificiosum, obstupescere quasi, sensuumque usu ad tempus privari: Infantesque tum consopiri feliciter, cum fabulas modulatur anus. Unde satis apparet, Spiritum ad hanc vel illam rem nimis intentum, requiescere ab aliis functionibus ac penè figi: Quidsi post assumtum Opiatum idem Spiritibus accidere credamus? cum præsertim constet, medicamento adhuc hærente intra ventriculum,

lum, oboriri ſomnum, nec amplius dolorem percipi, etia ſi partes maximè remotas occupaverit.

§. 16. Quis igitur non intelligit, quantæ ſint facultates medicamentorum hujus generis, præcipuè ſi præter uſum inte num ad externum quoque accommodemus eadem. Quantus non eſt numerus dolorum, capitis, pectoris, abdominis artuumque, cum paucisſimi morbi ſine dolore ſint. Sed præterea qui motus Spirituum inordinatos, & hinc dependentes motus humorum partiumque ſolidarum novit, eum latere non poteſt, quam polychreſta ſint illa ſedativa, videlicet in Agrypnia, æſtu & orgaſmo ſanguinis cæterorumque humorum, hæmorrhagiis, Vomitu, Cholera, Diarrhœa, Motibus convulſivis &c.

§. 17. Quid dicam de Spirituum erroribus phantaſticis ſive impreſſionibus morboſis, uti ſunt in appetendo Nauſea & Pica: inter dormiendum, Incubus, Pavores, & Inſomnia turbulenta: item Deliria omnis generis & exceſſus præternaturales in animi affectibus, Amor inſanus Furorque uterinus, Mania, Melancholia, Tarantiſmus, Hydrophobia & ſimilia.

§. 18. Non deſunt, quæ in his etiam caſibus ſpecificè conveniunt, ſed nec inſtituti mei ratio permittit prolixitatem ad explicandas illorum remediorum vires requiſitam, nec mutilare jam audeo materiam, quam lubet jam ſervare ſuo tempore fuſiùs explicandam, ubi ex profeſſo de morbis ſpirituum dicendum erit. Tranſeo igitur ad

CAP. II.

Medicamenta Humorum recenſens.

§. 1.

Vitia Humorum triplicis ſunt generis, ſcilicet vel in quantitate, vel in qualitate, vel in motu. In quantitate peccant vel excedendo vel deficiendo: Sub qualitate autem vitioſa compre-

henditur omnis humorum pravitas, uti sunt aquositas nimia vel visciditas, coagulatio, acrimonia, impuritas, & si quæ similis est humorum constitutio præternaturalis.

§. 2. In Humorum abundantia requiritur, (sepositis hîc chirurgicis præsidiis, Venæ sectione, Scarificatione, Hirudinibus, Paracenthesi &c.) evacuans medicamentum quorum aliud è ventriculo magis, quod vomitorium: aliud ex intestinis insimul, quod purgans; aliud ex Peripheria & ambitu corporis, quod sudoriferum: aliud ex ore, quod Apophlegmatizans sive masticatorium: Aliud è naribus, quod Ptarmicum vel Errhinum vocamus, atque sic porrò.

§. 3. *Vomitoria* è mineralibus usitatiora sunt *mercurius vitæ, Tartarus emeticus, infusum Croci metallorum vel hepatis Antimonii, Syrupus rubi emet. vel etiam vitriolum album depuratum.* E regno vegetabili *Nicotianam, Asarum, semen cataputiæ, radicem cyclaminis* & similia olim frequentiùs, quàm his temporibus præscripta deprehendimus: ac possit fortassè *Gummi Gutte* surrogari vicesque supplere omnium.

§. 4. Purgantia non differunt à Vomitoriis nisi gradu, atque ideò Emetica in subjectis robustioribus vel etiam Hydropicis tantùm per alvum evacuant: Vicissim purgantia in subjectis debilioribus, aut saltem largiùs exhibita, per superiora operantur non rarò. Dicuntur igitur vomitoria, quod ordinariè ac plerumque per superiora: purgantia, quod utplurimum per inferiora purgant.

§. 5. Hujus generis plura ingrediuntur officinas nostras, usitatiora sunt: *Colocynthis, Radix Hellebori nigri, Jalappæ, Rhabarbari, Mechoa acannæ, Agaricus, Stammonium, Aloe, folia sennæ &c.* Apparatum omnem qui desiderat, adire potest Fr. Deckers exercit. med. pract. cap. 4. & 5. ubi totus est in recensendis vomitoriis & purgantibus, iis etiam, quæ minus usitata sunt, partim quod ignava, partim quod nimis virulenta deprehendantur.

§. 6. Meum jam non est eligere Medicamenta, sed exponere,

nere, quænam sint eorum vires & quousque se extendant. Itaque quod ad Vomitoria, videtur omnis illorum efficacia consistere in acrimonia nauseosa, quæ in purgantibus mitior, unde ab iis statim ventriculus vehementer irritatur ad ejectionem ejus, quod molestum est: ab his præter Ventriculum intestina quoq; vellicantur. Unde ab Emeticis prorsus evertitur stomachus convulsus: a purgantibus acceleratur saltem ejusdem intestinorumq; motus peristalticus.

§. 7. Dum verò natura occupatur in egerendo medicamento plus minus virulento, non potest non unà excernere, quæ in ventriculo vel intestinis hærent. Ita enim pravi humores in primis viis collecti evacuantur commodè, & quæ aliàs sua natura nobis infensa sunt pharmaca, multiplicem possunt præstare usum, si modò cum judicio adhibeantur.

§. 8. Scilicet *primariò* expurgant ventriculum ac intestina, liberantque à cruditatibus biliosis, pituitosis, serosis, acidis, mixtisque varii generis, atque ideò in dolore ventriculi gravativo, Soda, malo Hypochondriaco & Torminibus ventris egregiè prosunt: *Secundariò* tamen in loca remotissima etiam operantur subducendo mali fomitem, unde in Vertigine, Apoplexia, Spasmo, Asthmate, Arthritide, Hydrope, Ictero ex abundantia bilis, & Febribus quamplurimis contemnenda non sunt.

§. 9. De Sudoriferis ita judicandum arbitror: Ad sensum alia plus, alia minus acria deprehenduntur. Acriora sunt *salia volatilia & fixa, liquor C. C. succinatus, mistura simpl. aqua tincturæ Bezoardica, Radix Angelicæ, Imperatoriæ, Levistici, Petasitidis, Carlinæ, Pimpinellæ &c. Lignum Guajacum, Herba cardui benedicti, Scordii, Chamædryos &c.* Mitiora sunt partes animalium duræ, *cornu Cervi & Alcis, Unicornu, ac Ebur*; & è mineralibus *antimonium Diaphoreticum simplex & martiale, Antihecticum Poterii, Bezoardicum minerale, Cinnabaris antimonii & nativa, nec non flores sulphuris.*

§. 10. Acriora procul dubio sudorem movent, vellicando fibras & totius corporis & cordis simul, unde commotis spiritibus

omnia magis æstuant, motusque sanguinis acceleratur manifeste: Hinc verò necessum est, ut propter orgasmum sanguinis, ubi cuncta turgescunt, lympha etiam per poros glandularum cutis expellatur copiosius. Mitiora ut puto, quanquam insipida sint actu, non destituuntur tamen particulis longè acrioribus ac penetrantibus, quas occultant, uti exemplo cornu cervi aut eboris satis apparet.

§. 11. Commovent igitur sudorifera, dum excretionem seri moliuntur, non spiritus tantùm ad modum suprà explicatum, sed & sanguinem humoresque reliquos laudabiles pariter ac excrementitios. Ea propter etiam multiplicem in curis morborum utilitatem affere valent: *Evacuando* nempe serum ac desiccando corpus, & inspissando humores nimis aquosos, in Hydrope, Coryza, Gonorrhœa & Alvi fluxu seroso: *Resolvendo & aperiendo*, in casu ab alto & sanguine congrumato, in obstructionibus mensium ac lochiorum, præsertim à refrigerio natis, in Pleuritide, Erysipelate, bubonibus &c. *Expellendo* in Peste, Variolis, morbillis, purpura, petechiis, lue venerea &c. Ac denique *Excitando* spiritus torpidos in febribus algidis, Passione hysterica, Apoplexia & affectibus Soporosis.

§. 12. Quod *Masticatoria & Ptarmica* concernit, ut brevis sim, sunt ea itidem acriora, in ore detinenda vel naribus applicanda. Usitatiora sunt ad Apophlegmatismum *Rad. Pyrethri, Olsnitii, Angelicæ ac Imperatoriæ, Caryophylli, Cardamomum, Cubebæ, Nux moschat, semen Erucæ atque Sinapi:* Ad Errhina & Sternutatoria, *Nicotiana, Majorana, flores Liliorum convallium, radix Hellebori albi, & proplebejis Ziniber atque Piper.*

§. 13. Hæc ipsa cum non humectent materialiter, ac nihilominus ab iis serum eliciatur copiosum, liquet omnino talia operari, potius virtualiter, irritando scilicet membranam faucium nariumque glanduloſam; tunc enim natura ipsa sive spiritus lympham affundunt uberiorem, ut eluatur, quod molestum est. Minuunt ergo Masticatoria & Ptarmica serum, excitantque torpentes spiritus, atque ideò in affectibus capitis potissimum æstimantur, in Cephalalgia,

lalgia, Doloribus dentium, Coryza, Auditu gravi & Tinnitu aurium, in Apoplexia & Affectibus soporosis, Vertigine similibusque.

§. 14. Hæc de Evacuantibus in abundantia pravorum humorum dicta sufficiant: Pergo itaque ad ea, quæ humores laudabiles ac deficientes restituunt. Atque talia fere duplicis sunt generis, *Evchyma* nempe, quæ chylum, lac atque semen augent, & *Humectantia* quæ serum subministrant largius. Similia igitur, ut supra dictum, similibus curantur, & quæ lacteo abundant succo, uti *Amygdalæ dulces, Pineæ, Pistacia, Nuces juglandes atque avellanæ recentes, Castaneæ, Oryza, Milium, pulmenta & lacticinia varii generis, chocolata aut & ova sorbilia* evchyma sunt, citra controversiam: Verum Humectantia sunt, non modo aquosa, sed & quæ mucilaginosa seri gelatinam quodammodo nutriunt, *aqua pura, omnes & destillatæ insipidæ, mucilago seminis Psyllii & Cydoniorum, decocta florum Violarum, Borraginis, Buglossi, Liliorum alborum, Malvæ, Nymphææ, Verbasci, rad. Altheæ, & herbarum in genere* sic dictarum emollientium, *Malvæ, Altheæ, Violariæ, Mercurialis, Brancæ ursinæ, Betæ, Parietariæ, Atriplicis* &c. item gelatina *cornu Cervi atq; Eboris.*

§. 15. Quemadmodum autem evchyma illa in Tabe, defectu lactis atque seminis conducunt: ita humectantia serum augendo partesque aridas lubricando præcipuè valent in siti morbosa, Raucedine, tussique sicca, Gravedine, alvi Obstructione, in quo casu emollientia non tantum per os exhiberi, verum etiam in forma clysmatis applicari solent frequentius. Hactenus de humorum abundantia & defectu.

§. 16. Sequitur jam *qualitas humorum vitiosa*, cujus varias species antehac recensui. Est enim quandoque sanguis, lac atque semen plus justo aquosius, unde Diabetes, Hæmorrhagiæ frequentiores, Gonorrhœa similiaque mala nascuntur; Tum verò *incrassantia* omnium sunt optima: *Gummi arabicum, Tragacantha, Mastiche, Olibanum, sanguis draconis, Benzoe, styrax, sperma Ceti, nec non Terra sigillata, Bolus Armenia & alba, Terra Lemnia, Margæ, Lac lunæ &c.*

§. 17. Sicuti

§. 17. Sicuti autem incrassantia in aquositate humorum, ita viciſſim in viſciditate nimia conveniunt *diluentia*, quæ in §. antecedenti 14. ſub nomine humectantium jam jam tradita ſunt. Vulgò adverſus viſciditatem incidentia quoque laudari ſolent, Zingiber ac Piper, aromata & acria quævis; nihilominus ſi rem penitius intueamur, clarum eſt, ejusmodi acria non operari in materiam ipſam ſive mucum reſolvendo, ſed in ventriculum v. g. irritando, ut copioſiore tunicâ glanduloſa affluat lympha pituitam debitè diluens.

§. 18. Nimirum operantur *incidentia* ſic dicta in ſtomacho non aliter atque ſternutatoria in naribus, ſi quem gravedo vexet; ſcilicet quod viſcidum eſt, ſolvitur non à pharmaco, ſed à ſero affluente. Nec enim gluten tauri fluorem unquam impetrabit, quamvis à Trageis aromaticis, ſternutatoriis ac maſticatoriis incidentibusve omnibus obruatur penitus: Ita nec adeo conſultum eſt acria exhibere iis, quorum corpora deficiente ſero viſciditatem patiuntur humorum.

§. 19. Quid de *Reſolventibus* dicam? Adverſus coagulationem ſanguinis lactisque utilibus. Sed dabitur anſa de his diſſerendi capite ſequenti, ubi de aperientibus: Dum enim humores coagulantur, ſtagnant grumi obſtruuntque partium poros; Itaque non opus eſt, hoc in loco pluribus commemorare medicamenta reſolventia, cum eadem hæc in obſtructionibus, ab humorum coagulatione natis, recenſenda ſint inferius.

§. 20. In acrimonia humorum corrigenda requiritur non unum genus medicamentorum, ſiquidem & acrimonia plurimum variat, & interdum acida, interdum ſalſa, interdum bilioſa vel mixta eſt. *Acidum* deſtruunt *martialia*, præcipue *limatura chalybis atque Hæmatites; & præcipitantia, lapides pretioſi ac minus pretioſi, Cryſtallus montana, Corallia, oſſa Sepiæ, mater Perlarum ac Margaritæ, lapides Cancrorum, teſtæ Ovorum, cornu Cervi, Ebur uſtum & non uſtum, ut & reliquæ partes animalium duræ ſupra recenſitæ, cum ſalibus volatilibus atque fixis.*

§. 21. Con-

§. 21. Conveniunt itaque Absorbentia cœteraque acidum destruentia in Ardore stomachi & Cardialgia, in Malo hypochondriaco & Colica, in Stranguria, Scorbuto, Arthritide aliisque ab acido natis affectibus. Monendum tamen est hoc pacto acidum quidem destrui, sed in salsum mutari, postmodum cum sudore vel urina excernendum; ne verò à salsedine lædatur æger, porrò de commodis cogitandum esse remediis.

§. 22. Recurrendum est videlicet ad *aquea* vel *incrassantia* jam jam laudata. Imprimis aquea ad temperandam quamcunque acrimoniam & maximè salsam aptissima sunt, ut vel exinde sufficienter intelligi possit, quid *potus* valeat *thermarum vel Thee*, diluendo salia & educendo per vias urinæ secretioni destinatas. Ab incrassantibus autem occultantur eædem particulæ acres salsæque, ita ut sapor earum vix dignoscatur, unde in Tussi & defluxionibus catarrhalibus à sero salso enatis utramque faciunt paginam.

§. 23. Præterea hoc in passu *dulcia* quoque locum habent, uti *Glycyrrhiza*, *Polypodium*, *Passulæ majores & minores*, *Ficus*, *Jujubæ*, *Sebesten*, *Pruna*, *Dactyli*, *Ceratonia*, *pulpa Cassiæ*, *Manna*, *Mel atque Saccharum*; quæ omnia ideo magis probanda sunt, quod facultate insimul gaudeant laxandi alvum. Duplici proinde nomine conveniunt, nempe temperandi & evacuandi simul, quod optimum est; nec enim sufficit per alterantia saltem immutasse humorum pravitatem, nisi è corpore etiam educatur. Adeo non ineptum est alterantibus, quæ per alvum, sudorem aut mictionem, haud satis evacuant, admiscere purgantia, fortiora quoque, si res id exigat.

§. 24. Idem judicandum de acidis salsisque in biliosa vel nidorosa cruditate multum proficuis, dum & bilem turbant & absterguntunà, præsertim si cum aqueis largius affusis propinentur. Sunt autem acida: *Spiritus Vitrioli*, *Sulphuris*, *Nitri*, *Salis*, *Vitrioli philosophicus*, *Clyssus antimonii*, *spiritus Viridis æris*, *& acetum quodcunque*, *succus Citri*, *Granatorum*, *Ribium*, *Berbernm*, *Rubi idæi*, ut & *Acetosæ*, *Acetosellæ*, *Sempervivi majoris & Portulacæ*. Salsa sunt: *Nitrum antimoniatum*, *rosatum*, *sulphuratum & vitriolatum*, *sive*

arcanum duplicatum, Tartarus vitriolatus & nitratus, cremor & cryſtalli Tartari, liquor terræ foliatæ Tartari & ſimilia.

§. 25. Uſitatiſſima igitur ſunt in febribus ardentibus & bilioſis, ad delendam ſitim cum oris amarore in Anorexia & Dyſpepſia, & ſi qui alii ſunt à bile oriundi morbi. Et quandoquidem rarius ſincera bilis occurrit acrior, quin acidus admiſceatur humor aut etiam pituita plus minus viſcida; tunc ergo & horum habenda inſimul eſt ratio; potiſſimum concurrente acido, non acida, ſed potius alcalino ſalſa præſcribere decet: ſicuti nec ſalſa exhibere licet, ubi cum bile ſalſedo conjuncta notatur.

§. 26. Reliquæ impuritates humorum, & præcipuè ſanguinis, prout in ſcabie, Luë venerea, lepra, variolis, purpura, petechiis, morbillis, gutta roſacea ſimilibusque exanthematibus obſervantur, *depurantia* poſtulant. Id ipſum vero duplici modo impetramus, ſcilicet vel evacuando vel expellendo. Inter alia ſuperius enarrata, purgantia & ſudorifera ſpeciatim conveniunt excelluntque Mercurialia & Antimonialia: *Mercurius dulcis & Antimonium purgans*, ubi malignitas abeſt; alioquin rectius omiſſo evacuante confugere licet ad *Cinnabarim nativam & antimonii, Antihecticum Poterii cæteraque ſudorifera fixiora.*

§. 27. Motus denique humorum vel nimius eſt, & inordinatus, vel impeditus ac diminutus. Nimius ac intempeſtivus eſt in hæmorrhagia quacunque, in gonorrhœa & pollutionibus nocturnis vel fluore albo mulierum, in ſalivæ lachrymarumque profuſione copioſa & inſolita &c. Impeditus eſt in ſuppreſſione menſium & lochiorum & obſtructionibus partium quarumcunque. Sed de horum affectuum remediis & jam ſupra dictum eſt occaſione Opiatorum, & in ſequentibus porro diſſerendum erit, ubi de adſtringentibus & aperientibus.

CAP.

CAP. III.

Medicamenta partibus ſolidis propria tradens.

§. 1.

INtelliguntur ſub nomine partium ſolidarum non oſſa modo, ſed & muſculi ac viſcera cum vaſis ſuis, & quicquid à Spiritibus humoribusque diſtinctum eſt. Unde non obſcurè colligi poteſt, quanta ſe offerat turba morborum hujus generis, ſi quis cunctarum partium integritatem externam internamque, ſi conformationem, numerum, magnitudinem, compoſitionem, continuitatem, & quæ ſub his comprehendi ſolent, aut ſuperaddi vitia, examinare velit.

§. 2. Præ cæteris frequentius occurrunt obſtructiones à materia ſtagnante plus minus viſcida, tartarea vel etiam lapidoſa, hinc inde in glandulis, muſculisve, in Pectore Pulmonibusque, in Abdomine, Hepate, Liene, Renibus, Utero, &c. His oppoſita medicamenta generali titulo appellantur *Aperientia*, Speciali Bechica vel Thoracica, vel etiam Expectorantia & Antipleuritica, quæ Pulmonibus atque Pectori: Epatica vel Anticterica, quæ Jecori: Splenetica, quæ Lieni: Diuretica, quæ Renibus cæterisque lotii viis; Emmenagoga, quæ Utero medentur.

§. 3. Superius, ubi de Diaphoreticis egi, monitum jam eſt, ſudorifera facultate aperiendi gaudere non contemnenda; ſed hic loci, ubi ex profeſſo de remediis obſtructionum dicendum, reſtat ut declarem, quomodo etiam abſque ſudore tolli queant. Videamus ergò materiam Medicam. Vulgo decantantur radices quinque aperientes majores, *Apii*, *Feniculi*, *Aſparagi*, *Petroſelini*, *Ruſci*, & minores quinque *Graminis*, *Rubiæ*, *Eryngii*, *Capparis*, *Ononidis*, ut & *Herba Marrubii albi*, *Tanaceti*, *Chamædryos*, *Chamæpityos*, *Pimpinellæ*, *Abrotani*, *Hederæ terreſtris*, *Schœnanthi*, *& antiſcorbutica acriora*, *Cochlearia*, *Naſturtium hortenſe aquaticumque*, *Beccabunga*, *Trifolium fibrinum & radix armoraciæ*.

§. 4. Enimvero his utuntur promiſcuè, ſi modo ſuſpicio adſit obſtructionis; ubi verò de morbi natura certiores ſunt facti, non acquieſcunt in iis, ſed quærunt magis ſpecifica, ſæpiusque in ſimili caſu experta. Quis enim *Radici Scrophulariæ ac Vincetoxici* non confidat magis? quam cunctis jam enarratis, quandocunque Strumæ, Scrophulæ, Parotis, Tonſillarum & glandularum ſublingualium aliarumque Tumores hominem affligunt.

§. 5. In Affectibus Pectoris, Pleuritide, Peripneumonia, Pleuropneumonia, Phthiſi, Vomica pulmonum, Empyemate Thoracis, Aſthmate, Tuſſique humoroſa, quis non eligat *Bechica, rad. ireos Florentinæ ac Helenii, Herb. Tuſſilaginis, Pulmonariæ, Scabioſæ, Veronicæ, Coſtæ, Botryos, Hyſſopi, Scordii, Eryſimi* &c. præſertim cum ejusmodi ſimplicia vim quoque balſamicam habeant, ubi exulceratio vel ſuppuratio id poſtulet.

§. 6. Ad Hepatis morbos expetuntur nunc magis amara, ut *Ageratum, Abſinthium vulgare ac Ponticum, Centaurium minus, Radix Gentianæ, Curcumæ, Cichorii, & Taraxaci*: nunc mitiora, ut *Epatica nobilis, Agrimonia, Bellis, Aſperula, Fragaria* &c. Hæc in Ictero & bile magis viſcida: illa Subjectis pituoſis potiùs conveniunt, in obſtructionibus ſcirrhoque jecoris cum Cachexia vel Hydrope.

§. 7. *Splenetica* ſunt *Aſplenium, Phyllitis, Cuscuta & Epithymum. Galeopſis milzadella; Fumaria, Chelidonium majus, Ruta, Cortices Capparum & Tamariſci, radix filicis, Gummi ammoniacum.* Omnibus tamen palmam præripiunt Martialia cum lapidibus cancrorum, Ebore, cornu Cervi, ſimilibusque abſorbentibus. Quemadmodum enim acida Lieni maximè infenſa ſunt, ita obſtructiones, & hinc natos dolores, tumores ſcirrhosve hujus viſceris non alia medicamentorum genera æque tollunt ac præcipitantia.

§. 8. Et quanquam plantæ aperientes in genere haud penitus contemnendæ ſint, præſertim, quæ virtute antiſpasmodica, vel etiam laxativa inſimul gaudent; nihilominus præferenda ſunt abſorbentia illa ideò, quod in congreſſu cum acido morboſo in ſalſa con-

vertan-

vertantur, abſtergentia primas vias & referantia obſtructiones viſcerum.

§. 9. Novi certè non unum hypochondriacum ac lienoſum, qui à ſumtis lapidibus cancrorum vel cornu Cervi etiam uſto alvum ſentit ſolutam non aliter, ac ſi pilulas aſſumſiſſet laxativas. Aſt magis miratus ſum, limaturam chalybis in iisdem ſubjectis non ſeroſa modo & bilioſa, ſed & pituitoſa expurgaſſe cum inſigni levamine. Dum ſcilicet in ventriculo ac inteſtinis particulæ martiales ſolvuntur ab acidis, Sapor hinc naſcitur Vitriolicus quodammodo dulcis, qualis in vitriolo martis ritè parato deprehenditur; cui procul dubio vis abſtergens pariter & aperiens debetur.

§. 10. Cumque *Acidulæ* ab eodem vitriolo martis ſuam impetrent efficaciam, non poſſum, quin hic earum quoque mentionem injiciam, præſertim cum adverſus malum hypochondriacum & Lienis vitia ſint utiliſſima, uſu legitimo. Quandoquidem verò particulæ martiales jam jam ſaturatæ ſunt in acidulis, moneo vim abſtergendi atque aperiendi non deeſſe illis; verùm facultatem deſtruendi acidum minus eſſe potentem, niſi quatenus ab aqueis potuque adeo copioſo diluitur.

§. 11. *Diureticorum* nomine veniunt præter *Aſparagum, Apium, Petroſelinum, Abrotanumque, Cerefolium, Daucus, Saxifragia, Adiantum album nigrumque ſeu Capilli veneris, Baccæ juniperi, Alkekengi & Cynosbati ſeu roſæ Sylveſtris; Lignum nephriticum atque Fraxini:* & è ſupra recenſitis acida, Salia volatilia & fixa, nec non Salſa omnis generis. Uſus horum medicamentorum præcipuus eſt in Urinæ ſuppreſſione, calculoque renum & veſicæ, ſecundariò tamen & in Hydrope, & ſi quando ſanguis congrumatus vel materia purulenta per renes exitum quærit.

§. 12. *Emmenagoga* denique vocantur, quæ fluxum impeditum Menſium ac Lochiorum rurſus promovent, uti *Radix Ariſtolochiæ, Fraxinellæ, Mei, Herba Meliſſæ, Pulegii, Balſamitæ, Nepetæ, Calaminthæ, Dictamni Cretici, Artemiſiæ, ſummit. Sabinæ, ac Rorismarini,*

rini, floris Chamomillæ vulg. & Romanæ, Calendulæ, Cheiri seu Leucoji lutei, Baccæ lauri, myrrha, Succinum &c.

§. 13. Quæritur jam, quâ ratione operentur Aperientia? & quomodo idem remedii genus modo emenagogum, modò diureticum, modò splenèticum existat? atque sic porrò. Respondeo, Aperientium vires non uno semper se habere modo: & quemadmodum Obstructiones omnes non sunt ejusdem conditionis, vel ab eadem causa obortæ, ita nec remedia his opposita eodem ubique modo vires suas exerunt.

§. 14. Sunt quædam, instar Sudoriferum commoventia omnem sanguinis Massam, atque ita ob circulationem auctam è poris partium propellentia, quicquid fortè coagulatum retentumque præter naturam fuerit: alia propiùs attingunt partem affectam, atque tum aggrediuntur vel fibras hujus, vel ipsam materiam peccantem. Ne dicam anodyna & antispasmodica & absorbentia positis certis circumstantiis obstructiones tollere.

§. 15. Nimirum Adstringentia quoque diuretica esse ac splenetica, adeoque aperientia suo modo, id quidem per experientiam constat; nec improbabile videtur, id præstare adstringentia, quatenus irritatæ ab iis fibræ ad sui contractionem, calculum v. gr. insimul propellunt, uti aliàs externo usu vim repellendi notoriam possident.

§. 16. Quæ vero ipsam obstruentem materiam alterant, minuunt, tolluntque, illa quidem per modum cujusdam menstrui, uti non male arbitratur Rob. Boyle in Tract. de specifica virtute simplicium, operantur: Aquea scilicet diluendo ac solvendo viscida & tartarea, usque dum debitum rursus acquirant fluorem: Salina verò permeando ac discerpendo, quæ coagulata sunt, etiam duriora & lapidea. Nil impedit antem, quo minus idem remedium diversis modis simul prodesse queat: imò aperientia hoc magis erunt efficacia, quo pluribus respondebunt intentionibus.

§. 17. Dicendum nunc etiam foret de Adstringentibus, qualia sunt, *Radix Tormentillæ, Bistortæ, Ireos palustris, Herba Pyrolæ, Sanículæ,*

Sanicula, Alchimilla, Vincæ, folia Myrti, flores Rosarum rubrarum, & Granatorum, fructus Cydoniorum, Corni, Cupressi, Gallæ, Succus Acaciæ, Rob. sorbi torminalis: item Saccharum Saturni, Alumen, Tinctura Hematitis & Sulphuris Vitrioli; sed jam quivis è modò dictis intelligit, quo pacto ab adstringentibus vellicatæ fibræ poros contrahant interjectos, & consequenter viam præcludant humoribus transituris.

§. 18. Optimo igitur cum successu adhibentur in Hæmorrhagiis quibuscunque, in Fluxu Mensium & Lochiorum nimio, in sputo cruento, in Dysenteria & Alvi Fluoribus reliquis, in Gonorrhœa & Fluore albo, in sudore totius vel particulari manuum pedumve immodico, in stomacace, ulceribus manantibus &c.

§. 19. Similiter & in recentibus Vulneribus fracturisque curandis non parum valent eadem hæc adstringentia, tumque merentur nomen Traumaticorum seu Vulnerariorum, uti exemplo *Consolid. majoris, Plantaginis, Herniariæ, Virgæ aureæ* aliorumque apparet. Præterea tamen aliud etiam genus *Consolidantium* datur, quæ sapore istiusmodi acerbo vel austero non æquè instructa sunt, e. gr. *flores Liliorum alborum & Hyperici, fructus Momordicæ, Masticbe, Thus, Sarcocolla, Elemi, Terebinthina, Balsamus Peruvianus & Copaiba, item Cera, flores Sulphuris & similia.*

§. 20. Nimirum acria quoque, curationem vulnerum egregiè juvant, quatenus, non minus quàm propriè adstringentia, irritando fibras, partim poros coarctant hiantes, sanguinem fundentes serumque, coalitionem impediens: partim ipsos carnium cutisque villos propius ad se invicem adducunt contrahuntque, ut hoc facilius coeant. Quem enim latet Spiritus vini rectificatissimi virtus in sistendo sanguine, Sacchari Salisq; communis aut Nicotianæ recentis efficacia in sanandis vulneribus, ut alia taceam.

§. 21. Verum, quid sentiendum erit de his, quæ saporem vix notabilem aut saltem unctuosum præ se ferunt, uti Flores Sulphuris, Cera & similia. Enimverò particulas magis activas illis etiam denega-

denegare prorsus non possum: si tamen iis vel maximè destituantur, ratio nihilominus supereſt, ob quam Glutinantium & Balsamicorum titulo insigniri mereantur. Notum est glutine, quo fabri utuntur lignarii, cum assulis, membrana, papyro, vel vesicæ bubulæ portione, applicato vulnera consolidari recentia: Pari facultate pollent resinosa & incrassantia, utpote quæ poris impacta tenaciùsque adhærentia, nec effluxum sanguinis ichorisque nec accessum aeris multum nocivi permittunt.

§. 22. Plura jam non adducam, quanquam de Anodynis, Antispasmodicis, Antiparalyticis, Antepilepticis aliisque hoc etiam in loco differendum foret. Sufficiat hic monuisse dolores motusque partium solidarum inordinatos ac impeditos deberi & humoribus pravis & Spirituum errori, atque ideò ex antedictis facilè colligi posse virtutes horum medicamentorum.

§. 23. Ad minimum mihi, si non aliis, satis est & perquàm jucundum intelligere vires remediorum, non hamosis furcatisque aculeis, non hebetibus obtusisq; moleculis, fictisque simulacris innixas, sed ex ipsa simplicium natura & sapore omnibus obvio. Videlicet proprium Aqueorum est humectare atque diluere: Terreorum desiccare, ac absorbere acidum: Viscidorum incrassare ac glutinare: dulcium temperare: austerorum adstringere: acrium aperire, excitare, & si nauseosa fuerint, purgare superius inferiusque: Spirituosorum corroborare, &c.

DISPU-

DISPUTATIO IV.
DE
MEDICAMENTORUM
DUBIO EFFECTU.

COmmunis est & quotidiana Practicorum querela de dubiis medicamentorum virtutibus; cum nihil æque Medicum confundat ac terreat, quam si remedium, aliàs ab omnibus decantatum sæpiusque expertum, fruſtra præscribatur ægro & iteretur, sine ullo tamen levamine. Ecquid turpius? quam à sumto pharmaco, dum meliora speramus, cuncta fieri deteriora. Extra dubium autem est, simplicia, si spectentur in se, facultatibus gaudere omnino certis ac infallibilibus, iis puta, ad quas in creationis actu easdem destinare voluit Omnipotens. Nec enim quicquam in DEO, datore omnis boni, desiderari potest; & profectò injurius in Creatorem foret, qui tantisper dubitare velit de iis, quæ simpliciter à summi Numinis voluntate omninò plena dependent. Quandoquidem verò ex parte nostrâ non unum occurrit obstaculum, nec mirum erit, si vel centies medicamentorum operatio turbetur per accidens; nam & levissimus error sæpius ægrotum simul atque Medicum decipit, eluditque vanâ expectatione. Cum itaque plurimum intersit, nosse, quo pacto legitimus remediorum effectus impediatur, non abs re fore judicavimus, si hac vice in-

denegare prorsus non possum: si tamen iis vel maximè destituantur, ratio nihilominus superest, ob quam Glutinantium & Balsamicorum titulo insigniri mereantur. Notum est glutine, quo fabri utuntur lignarii, cum assulis, membrana, papyro, vel vesicæ bubulæ portione, applicato vulnera consolidari recentia: Pari facultate pollent resinosa & incrassantia, utpote quæ poris impacta tenaciùsque adhærentia, nec effluxum sanguinis ichorisque nec accessum aeris multum nocivi permittunt.

§. 22. Plura jam non adducam, quanquam de Anodynis, Antispasmodicis, Antiparalyticis, Antepilepticis aliisque hoc etiam in loco differendum foret. Sufficiat hic monuisse dolores motusque partium solidarum inordinatos ac impeditos deberi & humoribus pravis & Spirituum errori, atque ideò ex antedictis facilè colligi posse virtutes horum medicamentorum.

§. 23. Ad minimum mihi, si non aliis, satis est & perquàm jucundum intelligere vires remediorum, non hamosis furcatisque aculeis, non hebetibus obtusisq; moleculis, fictisque simulacris innixas, sed ex ipsa simplicium natura & sapore omnibus obvio. Videlicet propr.um Aqueorum est humectare atque diluere: Terreorum desiccare, ac absorbere acidum: Viscidorum incrassare ac glutinare: dulcium temperare: austerorum adstringere: acrium aperire, excitare, & si nauseosa fuerint, purgare superius inferiusque: Spirituosorum corroborare, &c.

DISPU-

DISPUTATIO IV.
DE
MEDICAMENTORUM
DUBIO EFFECTU.

COmmunis est & quotidiana Practicorum querela de dubiis medicamentorum virtutibus; cum nihil æque Medicum confundat ac terreat, quam si remedium, aliàs ab omnibus decantatum sæpiusque expertum, frustra præscribatur ægro & iteretur, sine ullo tamen levamine. Ecquid turpius? quam à sumto pharmaco, dum meliora speramus, cuncta fieri deteriora. Extra dubium autem est, simplicia, si spectentur in se, facultatibus gaudere omnino certis ac infallibilibus, iis puta, ad quas in creationis actu easdem destinare voluit Omnipotens. Nec enim quicquam in DEO, datore omnis boni, desiderari potest; & profectò injurius in Creatorem foret, qui tantisper dubitare velit de iis, quæ simpliciter à summi Numinis voluntate omninò plena dependent. Quandoquidem verò ex parte nostrâ non unum occurrit obstaculum, nec mirum erit, si vel centies medicamentorum operatio turbetur per accidens; nam & levissimus error sæpius ægrotum simul atque Medicum decipit, eluditque vanâ expectatione. Cum itaque plurimum intersit, nosse, quo pacto legitimus remediorum effectus impediatur, non abs re fore judicavimus, si hac vice in-

denegare prorsus non possum: si tamen iis vel maximè destituantur, ratio nihilominus superest, ob quam Glutinantium & Balsamicorum titulo insigniri mereantur. Notum est glutine, quo fabri utuntur lignarii, cum assulis, membrana, papyro, vel vesicæ bubulæ portione, applicato vulnera consolidari recentia: Pari facultate pollent resinosa & incrassantia, utpote quæ poris impacta tenaciùsque adhærentia, nec effluxum sanguinis ichorisque nec accessum aeris multum nocivi permittunt.

§. 22. Plura jam non adducam, quanquam de Anodynis, Antispasmodicis, Antiparalyticis, Antepilepticis aliisque hoc etiam in loco differendum foret. Sufficiat hic monuisse dolores motusque partium solidarum inordinatos ac impeditos deberi & humoribus pravis & Spirituum errori, atque ideò ex antedictis facilè colligi posse virtutes horum medicamentorum.

§. 23. Ad minimum mihi, si non aliis, satis est & perquàm jucundum intelligere vires remediorum, non hamosis furcatisque aculeis, non hebetibus obtusisq; moleculis, fictisque simulacris innixas, sed ex ipsa simplicium natura & sapore omnibus obvio. Videlicet propr.um Aqueorum est humectare atque diluere: Terreorum desiccare, ac absorbere acidum: Viscidorum incrassare ac glutinare: dulcium temperare: austerorum adstringere: acrium aperire, excitare, & si nauseosa fuerint, purgare superius inferiusque: Spirituosorum corroborare, &c.

DISPU-

DISPUTATIO IV.
DE
MEDICAMENTORUM
DUBIO EFFECTU.

COmmunis est & quotidiana Practicorum querela de dubiis medicamentorum virtutibus; cum nihil æque Medicum confundat ac terreat, quam si remedium, aliàs ab omnibus decantatum sæpiusque expertum, frustra præscribatur ægro & iteretur, sine ullo tamen levamine. Ecquid turpius? quam à sumto pharmaco, dum meliora speramus, cuncta fieri deteriora. Extra dubium autem est, simplicia, si spectentur in se, facultatibus gaudere omnino certis ac infallibilibus, iis puta, ad quas in creationis actu easdem destinare voluit Omnipotens. Nec enim quicquam in DEO, datore omnis boni, desiderari potest; & profectò injurius in Creatorem foret, qui tantisper dubitare velit de iis, quæ simpliciter à summi Numinis voluntate omninò plena dependent. Quandoquidem verò ex parte nostrâ non unum occurrit obstaculum, nec mirum erit, si vel centies medicamentorum operatio turbetur per accidens; nam & levissimus error sæpius ægrotum simul atque Medicum decipit, eluditque vanâ expectatione. Cum itaque plurimum interfit, nosse, quo pacto legitimus remediorum effectus impediatur, non abs re fore judicavimus, si hac vice in-

denegare prorsus non possum: si tamen iis vel maximè destituantur, ratio nihilominus superest, ob quam Glutinantium & Balsamicorum titulo insigniri mereantur. Notum est glutine, quo fabri utuntur lignarii, cum assulis, membrana, papyro, vel vesicæ bubulæ portione, applicato vulnera consolidari recentia: Pari facultate pollent resinosa & incrassantia, utpote quæ poris impacta tenaciùsque adhærentia, nec effluxum sanguinis ichorisque nec accessum aeris multum nocivi permittunt.

§. 22. Plura jam non adducam, quanquam de Anodynis, Antispasmodicis, Antiparalyticis, Antepilepticis aliisque hoc etiam in loco differendum foret. Sufficiat hic monuisse dolores motusque partium solidarum inordinatos ac impeditos deberi & humoribus pravis & Spirituum errori, atque ideò ex antedictis facilè colligi posse virtutes horum medicamentorum.

§. 23. Ad minimum mihi, si non aliis, satis est & perquàm jucundum intelligere vires remediorum, non hamosis furcatisque aculeis, non hebetibus obtusisq; moleculis, fictisque simulacris innixas, sed ex ipsa simplicium natura & sapore omnibus obvio. Videlicet propr.um Aqueorum est humectare atque diluere: Terreorum desiccare, ac absorbere acidum: Viscidorum incrassare ac glutinare: dulcium temperare: austerorum adstringere: acrium aperire, excitare, & si nauseosa fuerint, purgare superius inferiusque: Spirituosorum corroborare, &c.

DISPU-

DISPUTATIO IV.
DE
MEDICAMENTORUM
DUBIO EFFECTU.

COmmunis est & quotidiana Practicorum querela de dubiis medicamentorum virtutibus; cum nihil æque Medicum confundat ac terreat, quam si remedium, aliàs ab omnibus decantatum sæpiusque expertum, frustra præscribatur ægro & iteretur, sine ullo tamen levamine. Ecquid turpius? quam à sumto pharmaco, dum meliora speramus, cuncta fieri deteriora. Extra dubium autem est, simplicia, si spectentur in se, facultatibus gaudere omnino certis ac infallibilibus, iis puta, ad quas in creationis actu easdem destinare voluit Omnipotens. Nec enim quicquam in DEO, datore omnis boni, desiderari potest; & profectò injurius in Creatorem foret, qui tantisper dubitare velit de iis, quæ simpliciter à summi Numinis voluntate omninò plena dependent. Quandoquidem verò ex parte nostrâ non unum occurrit obstaculum, nec mirum erit, si vel centies medicamentorum operatio turbetur per accidens; nam & levissimus error sæpius ægrotum simul atque Medicum decipit, eluditque vanâ expectatione. Cum itaque plurimum intersit, nosse, quo pacto legitimus remediorum effectus impediatur, non abs re fore judicavimus, si hac vice inquira-

denegare prorsus non possum: si tamen iis vel maximè destituantur, ratio nihilominus superest, ob quam Glutinantium & Balsamicorum titulo insigniri mereantur. Notum est glutine, quo fabri utuntur lignarii, cum assulis, membrana, papyro, vel vesicæ bubulæ portione, applicato vulnera consolidari recentia: Pari facultate pollent resinosa & incrassantia, utpote quæ poris impacta tenaciùsque adhærentia, nec effluxum sanguinis ichorisque nec accessum aeris multum nocivi permittunt.

§. 22. Plura jam non adducam, quanquam de Anodynis, Antispasmodicis, Antiparalyticis, Antepilepticis aliisque hoc etiam in loco differendum foret. Sufficiat hic monuisse dolores motusque partium solidarum inordinatos ac impeditos deberi & humoribus pravis & Spirituum errori, atque ideò ex antedictis facilè colligi posse virtutes horum medicamentorum.

§. 23. Ad minimum mihi, si non aliis, satis est & perquàm jucundum intelligere vires remediorum, non hamosis furcatisque aculeis, non hebetibus obtusisq; moleculis, fictisque simulacris innixas, sed ex ipsa simplicium natura & sapore omnibus obvio. Videlicet propr.um Aqueorum est humectare atque diluere: Terreorum desiccare, ac absorbere acidum: Viscidorum incrassare ac glutinare: dulcium temperare: austerorum adstringere: acrium aperire, excitare, & si nauseosa fuerint, purgare superius inferiusque: Spirituosorum corroborare, &c.

DISPU-

DISPUTATIO IV.
DE
MEDICAMENTORUM
DUBIO EFFECTU.

COmmunis est & quotidiana Practicorum querela de dubiis medicamentorum virtutibus; cum nihil æque Medicum confundat ac terreat, quam si remedium, aliàs ab omnibus decantatum sæpiusque expertum, fruſtra præscribatur ægro & iteretur, sine ullo tamen levamine. Ecquid turpius? quam à sumto pharmaco, dum meliora speramus, cuncta fieri deteriora. Extra dubium autem est, simplicia, si spectentur in se, facultatibus gaudere omnino certis ac infallibilibus, iis puta, ad quas in creationis actu easdem destinare voluit Omnipotens. Nec enim quicquam in DEO, datore omnis boni, desiderari potest; & profectò injurius in Creatorem foret, qui tantisper dubitare velit de iis, quæ simpliciter à summi Numinis voluntate omninò plena dependent. Quandoquidem verò ex parte nostrâ non unum occurrit obstaculum, nec mirum erit, si vel centies medicamentorum operatio turbetur per accidens; nam & levissimus error sæpius ægrotum simul atque Medicum decipit, eluditque vanâ expectatione. Cum itaque plurimum intersit, nosse, quo pacto legitimus remediorum effectus impediatur, non abs re fore judicavimus, si hac vice inquira-

quiramus in causas. Quod ut feliciter succedat, Divinum imploramus Numen, cujus gratiæ quoscunque nostros conatus unicè commendamus.

§. 1.

ARduum foret ac nimis prolixum, ne dicam temerarium atque impossibile, si quis omnes eruere modos velit, quibus simplicium vires alterentur. Nobis pro ratione instituti satis erit, si hâc vice summa tantum delibemus genera; ita enim non difficulter Lector benevolus supplere poterit, quæ fortè prætermissa sunt.

Reducimus autem tractationem omnem ad duo puncta. Nempe primùm videbimus quomodo medicamentorum virtus immutetur à præparatione: deinde quid valeat eorundem applicatio incongrua.

§. 2. Præparationem quod attinet, monendum est ante omnia in colligendis medicamentis curam requiri non vanam. Equidem nimia illa & superstitiosa curiositas minus probari potest, qua decepti cum Carrichtero aliisq; Paracelsistis certas præcisè dies eligunt, ut plantas benigno astrorum influxu impræg natas impetrent. Nec modus ille colligendi phantasticus quicquam valet, dum juxta Marsilium Ficinum folia hellebori, juxta Helmontium asari folia & sambuci turiones sursum versus decerpenda sunt ut vomitus moveant, & deorsum ut per inferiora purgent. Vid. *Fr. Hoffmanni Clav. Pharm. Schroed. p. 34.* Attamen non negamus negligentiam in colligendis simplicibus multum obesse. Præterquam enim quod substituantur quandoque falsa & spuria, e. g. in locum pratensium primularum veris sylvestres ac inodoræ; cuncta suo metiri decet modulo, v. g. radices perennium ante germinationem recipere, flores dum ad perfectionem tendunt, semina non nisi matura, atque sic porro.

§. 3. Quid? quod in asservando quoque multum peccari solet. Sperma ceti, oleum amygd. dulc. &c. rancida si fuerint, sine

damno

damnè assumi non possunt; & profectò quæ in floribus liliorum convallium, rosarum, violarum, tunicæ, tiliæ similibusque virtus est analeptica, cephalica & cordialis, ea inter desiccandum maximam partem exhalat, adeoque sicci longè inferiores sunt recentibus. Econtrà nec desunt nobis, quorum virtus eodem pacto exaltatur: ita enim rad. ireos Florent. suaviorem spirat odorem, postquam desiccatur: vaccinia nigra dum succulenta sunt, alvum lubricant, siccæ tamen egregiè adstringunt, ita ut in ipsâ quoque dysenteriâ cæteris irritis non semel optimò cum successu exhibita fuerint.

§. 4. Ecquis facile crediderit, in pulverisatione etiam, quæ simplicissima est medicamentorum præparatio errare quenquam. Nihilominus, qui tutiam, cerussam, æs ustum & similia in affectibus oculorum adhibere velit, antequam in tenuissimum pulverem convertantur, observabit manifestè plus noxæ quam emolumenti ab ægro inde percipi. Neque prætereundum est, nonnunquam inter pulverisandum virulentiam quandam affricari concretis. Quotiescunque vidimus excitatos vomitus à coralliis pulverisatis, saltem ideo quod in mortario aurichalceo contusa fuerint; vix enim credibile est, quam nauseosum saporem contrahant duriora ab admixtione particularum venerearum.

§. 5. Sed fermentationis vim in alterandis concretis omnes novimus. Nec enim quenquam latere potest, quomodo recenter expressus uvarum succus in vinum convertatur, odore, sapore, colore, imò totâ naturâ diversum à musto. Fructus certè rubi idæi atque fragorum refrigerant satis potenter, spiritus autem inde paratus æque inflammabilis est ac spiritus frumenti vel juniperi. An igitur in febribus quibuscunque ardentibus commode præscribatur, judicent alii.

§. 6. Potentior adhuc est putrefactio, utpote quæ mixtionem corporum multò magis destruit. Ut enim taceamus fœtorem rerum putidarum vix evitabilem; saltim certum est, specificam fa-

cultatem plurimùm eâ ratione immutari. Atque ideò salia volatilia è plantis putrefactis parata quanquam inter curiosa chymica reponi omninò mereantur, singulare tamen quid in morborum curis non præstant præ spiritu salis ammoniaci, cornu cervi, eboris, ungularum alces &c. Nec quisquam adeò insulsus est, ut loco spiritus vini recipiat spiritum è putridis vini fecibus destillatum, aut loco spiritus formicarum acidissimi urinosum, nisi expresè testari velit, se ignorare discrimen inter materiam recentem & putridam, inter spiritum ardentem, urinosum & acidum.

§. 7. In hoc autem ferè omnes consentiunt, quod per destillationem separetur purum ab impuro, adque ideò non tam cruda in usum esse revocanda, quam correcta per artem chemicam. Verùm quis nescit, destillata sæpius esse à concretis multum aliena? Quædam eorum penitus fatua sunt, uti aquæ destillatæ plantarum adstringentium, tormentillæ, tenellorum quercûs, symphyti M. &c. Alia si quem usum habent, habent tamen diversum ac sæpè contrarium, si conferantur cum materiâ, ex quâ fiunt. Mastiche in substantiâ si exhibeatur, vi pollet incrassandi egregiâ, sed ejusdem spiritus acidus resolvit potius. Nitrum refrigerat potentissimè, spiritus ejus longè ignobilior est: & quemadmodum nemo unquam pro scopo emolliendi oleum philosophorum substituit oleo communi; ita nec in febribus ardentibus, ubi cornu cervi, succinum & similia locum habent, sal volatile cornu cervi, succinatum, aut oleum succini æque commodè præscribimus.

§. 8. Non minus immutata deprehenduntur, quæ calcinationem experta sunt. Cornu cervi ac ebur ustum, quanquam absorbendi ac præcipitandi vi excellant; ad sudorem tamen movendum, sanguinemque congrumatum resolvendum magis conveniunt non usta. Neque credendum est, plantarum cineres & salia fixa virtutem suam specificam sub tali torturâ ignis servare incolumem. Certè alcali quod ex hyperico paratur aut fraxino inter vulneraria reponi non meretur. Nec major est in absynthii vel menthæ sale virtus

tus ſtomachica, in rutæ, ſalviæ, ac roriſmarini ſale cephalica, in ſale centaurii minoris vel cardui benedicti febrifuga, quam in ſale tartari aut cineribus clavellatis. Alumen per calcinationem mitigatur & dulceſcit: antimonium contra innoxium per incinerationem potentius evadit vomitorium; ac mirum eſt per vitrificationem non ceſſare virulentiam iſtam, cum tamen aliàs alcalia longè acriora omnem ſaporem facultatemque deponant, ſi cum arenâ in vitrum fundantur.

§. 9. Nempe vel unicum ſufficere poſſet antimonium, ut appareat, à ſolâ texturâ particularum mutatâ dependere varium concretorum uſum. Conſideremus ſaltem fixationem ejus; etenim quod cum triplo nitri probè fuſum eſt, diaphoreticum præbet inſigne: cum æquali pondere detonatum vomitus movet enormes in longè minore doſi. Væ autem & ægroto & Medico, ſi antimonialia perfectè fixata tùm non fuerint, cum omnis in ſudore ſpes collocatur. Quid magis ineptum eſſe poteſt, quam ſi antihecticum Poterii, antimonium diaphoreticum ſimplex & martiale ad ſanguinem congrumatum reſolvendum puerperæ detur contra dolores poſt partum, ſi apparentibus petechiis & purpurâ in febribus malignis, ſi etiam phthiſicis præſcribatur, atque tunc per ſuperiora & inferiora purgentur validè.

§. 10. Notum eſt per ſublimationem ex antimonio flores haberi emeticos valdè; dum verò ipſi mercurius ſublimatus admiſcetur, deſtillat quidem pars ejus in butyrum antimonii admodum corroſivum & mercurio vitæ prægnans, pars tamen altera eodem actu ſublimatur in cinnabarim ſuaviſſimum ſudoriferum. Cavendum autem ne quid corroſivi fortè admiſceatur, atque ideo non niſi rectificatâ utimur cinnabari antimonii. Par eſt ratio mercurii dulcis; quamdiu enim is ipſe ſublimatum ſapit, virulentus eſt; vidimusque paucis à granis non raro obortas hypercatharſes in adultis æque ac pueris. Confer *Ephem. Nat. Cur. Ann. I. Obſ. 54.*

§. 11. Per-

§. 11. Pergimus ad infusionem examinandam. Nam & in eâ duobus præcipue modis peccatur, scilicet si affundatur menstruum aut minus potens, aut alienum à scopo, & materiæ extrahendæ plane contrarium. Si quis enim radicem jalappæ similiaque resinosa macerare in aquâ velit, infusum deprehendet omnino iners, siquidem talia non aqueum sed spirituosum postulant menstruum. E contrario videas alios, qui sine omni judicio, quicquid in sacculum cogi potest; vino infundunt. Tales sunt noduli antepileptici, antiscorbutici, antipodagrici, & qui nimio in mensium fluxu & hœmorrhoidibus, item in phthisi, atque hecticâ commendantur. Non desunt tamen qui vina istiusmodi medicata in tantum extollunt, ut unicè optent si fieri posset, panaceæ titulo eadem insigniri.

§. 12. Idem in decoctis observandum, ubi & hoc accedit, quod per ipsam coctionem virtus quorundam imminuatur, quatenus particulæ volatiles magisque activæ in auram abeunt. De asaro non recensebimus plura, cujus vim vomitoriam & purgantem penitus tolli asserunt, si diutius vel in vino vel in aquâ coquatur. Clarius id experientiâ culinari constat in radice armoraciæ, quippe quæ tam fortem ebullitionem non requirit, quin statim suam, quâ gaudet, acrimoniam perdat, invito coquo. Similis est natura cochleariæ, nasturtii aliorumque, unde non immeritò vel planè omitti è decoctis, vel in diplomate coqui debent, aut quod perinde est, in cucurbitâ juxta Zvvelfferum, scilicet ut exhalans nobilior pars ope superimpositi alembici colligi queat in excipulo.

§. 13. Eandem censuram merentur solutiones, quæ nativum simplicium robor omninò destruunt. Exemplum præ cæteris egregium præbent liquor margaritarum & coralliorum, refugium misellorum ultimum. Absit ut magnatibus invideamus pretiosa. Nec ii sumus, qui vim iisdem denegemus cordialem. Posito autem hanc ipsam esse in hujusmodi concretis eminentem, quæ reliqua lapidosa, uti sunt crystallus montana, lapides cancrorum, cor-

au

nu cervi &c. longè superet; nondum tamen sequitur, ergò & oleum eorundem est summa medicina. Testem hic vocamus experientiam doctorum stultorumque magistrâm; quanquam sanæ rationis dictamen satis demonstret, eorum, quæ à naturâ destinata sunt ad absorbendum sive præcipitandum, nullam tum esse virtutem, cum jamjam saturata sunt. Atqui talia verè sunt perlæ atque corallia ab aceto, spiritu viridis æris, nitri, similibusquè acidis soluta.

§. 14. Transeundum hic quoque foret ad magisteria, quæ non aliâ ratione fiunt, quam quod soluta per præcipitationem iterum liberentur à menstruo; sed verendum ne injurii videamur in pharmacopæas ad palatum modernorum instructas. Si quis ergò matrem perlarum, ossa sepiæ, dentem apri & hippopotami, ebur & unicornu, lapides percarum & cancrorum similiaque cruda horret, simplicemque illorum pulverisationem aversatur, ei per nos licebit usurpare magisteria operosius præparata. Speramus tamen eundem, si sapit, non obscurè deprehensurum ex usu, hæc ipsa esse non ignava modo, sed & interdum alieno sapore ingrata, videlicet ob admixtas inter solvendum aut præcipitandum salinas, nullo unquam artificio separandas, particulas.

§. 15. Unicum adhuc circa medicamentorum præparationes addimus, nimirum de pessimo sacchari mellisque abusu in officinis. Non sunt de nihilo quæ Helmont in Dispensatorio modernorum effatur §. *29. 30. & seq.* Qui enim longâ serie occurrentes syrupos & conservas cum condituris examinabit, eum latere non potest, quomodo quævis promiscuè amara, acria, acida, adstringentia & insipida occultentur à dulcibus & obtundantur. Profectò vix potio vel Emulsio aut apozema, ut alias non adducam formulas, ægro præscribitur, quin ad saporis gratiam edulcetur syrupo quodam aut saccharo tabulus similibusque. Ne prolixiores simus in re manifestâ, sufficiat adduxisse saltem dysentericos. Inter alia fortius adstringentia non ultima est radix ireos aquaticæ.

Quan-

Quanquam verò hujus pulvis & decoctum sint optima, vim tamen omnem ilicò amittunt, non secus ac reliqua antidysenterica, si tantillum addatur sacchari; atque ideò nullum hic locum habet nectar adstringens, nullum conserva. Fœminas jam non attinganus, nec febricitantes; certi tamen sumus, in iis pasiones hystericas non infrequenter excitari à saccharatis, in his paroxysmos intendi notabiliter.

§. 16. Equidem datâ hîc occasione dicendum quoque foret in genere de mixtione simplicium incongruâ, nisi metuendum nobis sit, hoc pacto maximè offendi eos, qui sesquipedalibus formulis eruditionem suam testari volunt. Videntur certè istiusmodi Practici non absimiles musico minus perito, qui ne deficiat, quotquot manibus pedibusque prehendere potest claves organi pulsat intrepidus, speratque hoc pacto fortasis inter alios eum quoque deprehendi sonum, quem melodia exigit: Idem agunt, qui absque delectu in curandis morbis, quicquid occurrit, corradunt coacervantque; quanquam enim unum alterumque non inconveniens sit, obruitur tamen à pluribus aliis ac turbatur ita, ut nemo sine commiseratione aut potius indignatione dissensum sæpius enormem tolerare queat.

§. 17. Sed pergendum jam est ad alteram dissertationis nostræ partem, ubi de variis in applicatione non contemnendis erroribus. Quamvis enim medicamentum quoddam optimè præparatum sit & in se satis generosum, nihilominus ejusdem virtus adhuc innumeras ob causas destrui potest ac impediri. Propterea nec inconveniens erit, si evitandæ confusionis gratiâ circumstantias has referamus ad duo quasi capita; ita ut primùm consideremus eas, quæ in ægro ipso, deinceps quæ in medico notari possunt.

§. 18. Ante omnia ægrorum idiosyncrasiæ, si quæ fortè sint, aut ut verius loquar, impressiones phantasticæ observandæ veniunt. Notum est dari homines, quorum alii vinum, alii cinnamomum rosasque, alii ambram abhorrent &c. Qui ergò hæc & similia istiusmodi

modi nauſeatoribus pro ſcopo analeptico, cephalico, cordiali vel ſtomachico præſcribere velit, ei mirum eſſe non poterit, ſi planè contrarius ſequatur effectus. Id totâ die in iis deprehendimus fœminis, quæ ſvaveolentia omninò deteſtantur; tantum enim abeſt, easdem ab his recreari, ut potius lipothymiæ, paſſiones ac ſuffocationes hinc oriantur hyſtericæ.

§. 19. Nihilo meliores quorundam ſunt conſuetudines pravæ erroresque habituales in diætâ, irâ &c. Sunt quos immoderata potus ingurgitatio reddit hydropicos. Credisne verò hos ullo artificio poſſe reſtitui, quamdiu ſuum renuunt defraudare genium. Ita profecto morbus in quibusdam ſubjectis reſpectivè incurabilis eſt, qui abſolutè ſpectatus non eſt talis. Nec enim antiſcorbutica aut febrifuga ideò deſinunt eſſe quæ ſunt, quanquam in multis fruſtra exhibeantur, videlicet apud quos nulla eſt cibi potusque deligendi ratio.

§. 20. Fœminam novimus, quæ uteri hæmorrhagias ferè continuas patitur, & quandoquidem vinum Rhenanum unicè amat, ita ut eodem non tantum pro potu ordinario, ſed & pro vehiculo in aſſumendis medicamentis utatur, clarum eſt, hæc ipſa adſtringentia planè fruſtranea exiſtere, ſaltem ideò quod vinum inſimul hauſtum plus commovere ſanguinis ebullitiones in ſcorbuticâ poſſit, quam ut ſedari queant medicamentis. Eadem fortaſſis ratio eſt, ob quam pauperculi longè felicius è febribus ardentibus liberantur præ divitibus, ſcilicet, quod pura, quam potant, aqua iſtiusmodi morbis magis conveniat, quam nobilioris cereviſiæ vi nive potus, refrigerantibus planè contrarius.

§. 21. Ecquid frequentius eſt, quam viciſſim alios ab hauſtu frigido peſſimè habere. Sanè in febribus malignis, colicâ, dyſenteriâ & hyſtericâ paſſione quicquid agis, fruſtrà tentas, niſi ægrotantes quodammodò ſibi temperent. Aſt quam pauci ſunt, qui cum vires deficiunt, potu grato ſe recreare non expetant, usque dum ſuo demum damno cautiores fiant. Clariſſimum hujus exemplum

Quanquam verò hujus pulvis & decoctum sint optima, vim tamen omnem ilicò amittunt, non secus ac reliqua antidysenterica, si tantillum addatur sacchari; atque ideò nullum hic locum habet nectar adstringens, nullum conserva. Fœminas jam non attingamus, nec febricitantes; certi tamen sumus, in iis pasiones hysterica non infrequenter excitari à saccharatis, in his paroxysmos intendi notabiliter.

§. 16. Equidem datâ hîc occasione dicendum quoque foret in genere de mixtione simplicium incongruâ, nisi metuendum nobis sit, hoc pacto maximè offendi eos, qui sesquipedalibus formulis eruditionem suam testari volunt. Videntur certè istiusmodi Practici non absimiles musico minus perito, qui ne deficiat, quotquot manibus pedibusque prehendere potest claves organi pulsat intrepidus, speratque hoc pacto fortasis inter alios eum quoque deprehendi sonum, quem melodia exigit: Idem agunt, qui absque delectu in curandis morbis, quicquid occurrit, corradunt coacervantque; quanquam enim unum alterumque non inconveniens sit, obruitur tamen à pluribus aliis ac turbatur ita, ut nemo sine commiseratione aut potius indignatione dissensum sæpius enormem tolerare queat.

§. 17. Sed pergendum jam est ad alteram dissertationis nostræ partem, ubi de variis in applicatione non contemnendis erroribus. Quamvis enim medicamentum quoddam optimè præparatum sit & in se satis generosum, nihilominus ejusdem virtus adhuc innumeras ob causas destrui potest ac impediri. Propterea nec inconveniens erit, si evitandæ confusionis gratiâ circumstantias has referamus ad duo quasi capita; ita ut primùm consideremus eas, quæ in ægro ipso, deinceps quæ in medico notari possunt.

§. 18. Ante omnia ægrorum idiosyncrasiæ, si quæ fortè sint, aut ut verius loquar, impressiones phantasticæ observandæ veniunt. Notum est dari homines, quorum alii vinum, alii cinnamomum rosasque, alii ambram abhorrent &c. Qui ergò hæc & similia istiusmodi

modi nauſeatoribus pro ſcopo analeptico, cephalico, cordiali vel ſtomachico præſcribere velit, ei mirum eſſe non poterit, ſi planè contrarius ſequatur effectus. Id totâ die in iis deprehendimus fœminis, quæ ſvaveolentia omninò deteſtantur; tantum enim abeſt, easdem ab his recreari, ut potius lipothymiæ, paſſiones ac ſuffocationes hinc oriantur hyſtericæ.

§. 19. Nihilo meliores quorundam ſunt conſuetudines pravæ erroresque habituales in diætâ, irâ &c. Sunt quos immoderata potus ingurgitatio reddit hydropicos. Credisne verò hos ullo artificio poſſe reſtitui, quamdiu ſuum renuunt defraudare genium. Ita profecto morbus in quibusdam ſubjectis reſpectivè incurabilis eſt, qui abſolutè ſpectatus non eſt talis. Nec enim antiſcorbutica aut febrifuga ideò deſinunt eſſe quæ ſunt, quanquam in multis fruſtra exhibeantur, videlicet apud quos nulla eſt cibi potusque deligendi ratio.

§. 20. Fœminam novimus, quæ uteri hæmorrhagias ferè continuas patitur, & quandoquidem vinum Rhenanum unicè amat, ita ut eodem non tantum pro potu ordinario, ſed & pro vehiculo in aſſumendis medicamentis utatur, clarum eſt, hæc ipſa adſtringentia planè fruſtranea exiſtere, ſaltem ideò quod vinum inſimul hauſtum plus commovere ſanguinis ebullitiones in ſcorbuticâ poſſit, quam ut ſedari queant medicamentis. Eadem fortaſſis ratio eſt, ob quam pauperculi longè felicius è febribus ardentibus liberantur præ divitibus, ſcilicet, quod pura, quam potant, aqua iſtiusmodi morbis magis conveniat, quam nobilioris cereviſiæ vi nive potus, refrigerantibus planè contrarius.

§. 21. Ecquid frequentius eſt, quam viciſſim alios ab hauſtu frigido peſſimè habere. Sanè in febribus malignis, colicâ, dyſenteriâ & hyſtericâ paſſione quicquid agis, fruſtrà tentas, niſi ægrotantes quodammodò ſibi temperent. Aſt quam pauci ſunt, qui cum vires deficiunt, potu grato ſe recreare non expetant, usque dum ſuo demum damno cautiores fiant. Clariſſimum hujus exemplum

Quanquam verò hujus pulvis & decoctum sint optima, vim tamen omnem ilicò amittunt, non secus ac reliqua antidysenterica, si tantillum addatur sacchari; atque ideò nullum hic locum habet nectar adstringens, nullum conserva. Fœminas jam non attingamus, nec febricitantes; certi tamen sumus, in iis pasiones hystericas non infrequenter excitari à saccharatis, in his paroxysmos intendi notabiliter.

§. 16. Equidem datâ hîc occasione dicendum quoque foret in genere de mixtione simplicium incongruâ, nisi metuendum nobis sit, hoc pacto maximè offendi eos, qui sesquipedalibus formulis eruditionem suam testari volunt. Videntur certè istiusmodi Practici non absimiles musico minus perito, qui ne deficiat, quotquot manibus pedibusque prehendere potest claves organi pulsat intrepidus, speratque hoc pacto fortasis inter alios eum quoque deprehendi sonum, quem melodia exigit: Idem agunt, qui absque delectu in curandis morbis, quicquid occurrit, corradunt coacervantque; quanquam enim unum alterumque non inconveniens sit, obruitur tamen à pluribus aliis ac turbatur ita, ut nemo sine commiseratione aut potius indignatione dissensum sæpius enormem tolerare queat.

§. 17. Sed pergendum jam est ad alteram dissertationis nostræ partem, ubi de variis in applicatione non contemnendis erroribus. Quamvis enim medicamentum quoddam optimè præparatum sit & in se satis generosum, nihilominus ejusdem virtus adhuc innumeras ob causas destrui potest ac impediri. Propterea nec inconveniens erit, si evitandæ confusionis gratiâ circumstantias has referamus ad duo quasi capita; ita ut primùm consideremus eas, quæ in ægro ipso, deinceps quæ in medico notari possunt.

§. 18. Ante omnia ægrorum idiosyncrasiæ, si quæ fortè sint, aut ut verius loquar, impressiones phantasticæ observandæ veniunt. Notum est dari homines, quorum alii vinum, alii cinnamomum rosasque, alii ambram abhorrent &c. Qui ergò hæc & similia istiusmodi

modi nauseatoribus pro scopo analeptico, cephalico, cordiali vel stomachico præscribere velit, ei mirum esse non poterit, si planè contrarius sequatur effectus. Id totâ die in iis deprehendimus fœminis, quæ svaveolentia omninò detestantur; tantum enim abest, easdem ab his recreari, ut potius lipothymiæ, passiones ac suffocationes hinc oriantur hystericæ.

§. 19. Nihilo meliores quorundam sunt consuetudines pravæ erroresque habituales in diætâ, irâ &c. Sunt quos immoderata potus ingurgitatio reddit hydropicos. Credisne verò hos ullo artificio posse restitui, quamdiu suum renuunt defraudare genium. Ita profecto morbus in quibusdam subjectis respectivè incurabilis est, qui absolutè spectatus non est talis. Nec enim antiscorbutica aut febrifuga ideò desinunt esse quæ sunt, quanquam in multis frustra exhibeantur, videlicet apud quos nulla est cibi potusque deligendi ratio.

§. 20. Fœminam novimus, quæ uteri hæmorrhagias ferè continuas patitur, & quandoquidem vinum Rhenanum unicè amat, ita ut eodem non tantum pro potu ordinario, sed & pro vehiculo in assumendis medicamentis utatur, clarum est, hæc ipsa adstringentia planè frustranea existere, saltem ideò quod vinum insimul haustum plus commovere sanguinis ebullitiones in scorbuticâ possit, quam ut sedari queant medicamentis. Eadem fortassis ratio est, ob quam pauperculi longè felicius è febribus ardentibus liberantur præ divitibus, scilicet, quod pura, quam potant, aqua istiusmodi morbis magis conveniat, quam nobilioris cerevisiæ vi nive potus, refrigerantibus planè contrarius.

§. 21. Ecquid frequentius est, quam vicissim alios ab haustu frigido pessimè habere. Sanè in febribus malignis, colicâ, dysenteriâ & hystericâ passione quicquid agis, frustrà tentas, nisi ægrotantes quodammodò sibi temperent. Ast quam pauci sunt, qui cum vires deficiunt, potu grato se recreare non expetant, usque dum suo demum damno cautiores fiant. Clarissimum hujus exemplum

Quanquam verò hujus pulvis & decoctum sint optima, vim tamen omnem ilicò amittunt, non secus ac reliqua antidysenterica, si tantillum addatur sacchari; atque ideò nullum hic locum habet nectar adstringens, nullum conserva. Fœminas jam non attinganus, nec febricitantes; certi tamen sumus, in iis passiones hystericas non infrequenter excitari à saccharatis, in his paroxysmos intendi notabiliter.

§. 16. Equidem datâ hîc occasione dicendum quoque foret in genere de mixtione simplicium incongruâ, nisi metuendum nobis sit, hoc pacto maximè offendi eos, qui sesquipedalibus formulis eruditionem suam testari volunt. Videntur certè istiusmodi Practici non absimiles musico minus perito, qui ne deficiat, quotquot manibus pedibusque prehendere potest claves organi pulsat intrepidus, speratque hoc pacto fortasis inter alios eum quoque deprehendi sonum, quem melodia exigit: Idem agunt, qui absque delectu in curandis morbis, quicquid occurrit, corradunt coacervantque; quanquam enim unum alterumque non inconveniens sit, obruitur tamen à pluribus aliis ac turbatur ita, ut nemo sine commiseratione aut potius indignatione dissensum sæpius enormem tolerare queat.

§. 17. Sed pergendum jam est ad alteram dissertationis nostræ partem, ubi de variis in applicatione non contemnendis erroribus. Quamvis enim medicamentum quoddam optimè præparatum sit & in se satis generosum, nihilominus ejusdem virtus adhuc innumeras ob causas destrui potest ac impediri. Propterea nec inconveniens erit, si evitandæ confusionis gratiâ circumstantias has referamus ad duo quasi capita; ita ut primùm consideremus eas, quæ in ægro ipso, deinceps quæ in medico notari possunt.

§. 18. Ante omnia ægrorum idiosyncrasiæ, si quæ fortè sint, aut ut verius loquar, impressiones phantasticæ observandæ veniunt. Notum est dari homines, quorum alii vinum, alii cinnamomum rosasque, alii ambram abhorrent &c. Qui ergò hæc & similia istiusmodi

modi nauſeatoribus pro ſcopo analeptico, cephalico, cordiali vel ſtomachico præſcribere velit, ei mirum eſſe non poterit, ſi planè contrarius ſequatur effectus. Id totâ die in iis deprehendimus fœminis, quæ ſvaveolentia omninò deteſtantur; tantum enim abeſt, easdem ab his recreari, ut potius lipothymiæ, paſſiones ac ſuffocationes hinc oriantur hyſtericæ.

§. 19. Nihilo meliores quorundam ſunt conſuetudines pravæ erroresque habituales in diætâ, irâ &c. Sunt quos immoderata potus ingurgitatio reddit hydropicos. Credisne verò hos ullo artificio poſſe reſtitui, quamdiu ſuum renuunt defraudare genium. Ita profecto morbus in quibusdam ſubjectis reſpectivè incurabilis eſt, qui abſolutè ſpectatus non eſt talis. Nec enim antiſcorbutica aut febrifuga ideò deſinunt eſſe quæ ſunt, quanquam in multis fruſtra exhibeantur, videlicet apud quos nulla eſt cibi potusque deligendi ratio.

§. 20. Fœminam novimus, quæ uteri hæmorrhagias ferè continuas patitur, & quandoquidem vinum Rhenanum unicè amat, ita ut eodem non tantum pro potu ordinario, ſed & pro vehiculo in aſſumendis medicamentis utatur, clarum eſt, hæc ipſa adſtringentia planè fruſtranea exiſtere, ſaltem ideò quod vinum inſimul hauſtum plus commovere ſanguinis ebullitiones in ſcorbuticâ poſſit, quam ut ſedari queant medicamentis. Eadem fortaſſis ratio eſt, ob quam pauperculi longè felicius è febribus ardentibus liberantur præ divitibus, ſcilicet, quod pura, quam potant, aqua iſtiusmodi morbis magis conveniat, quam nobilioris cereviſiæ vi nive potus, refrigerantibus planè contrarius.

§. 21. Ecquid frequentius eſt, quam viciſſim alios ab hauſtu frigido peſſimè habere. Sanè in febribus malignis, colicâ, dyſenteriâ & hyſtericâ paſſione quicquid agis, fruſtrà tentas, niſi ægrotantes quodammodò ſibi temperent. Aſt quam pauci ſunt, qui cum vires deficiunt, potu grato ſe recreare non expetant, usque dum ſuo demum damno cautiores fiant. Clariſſimum hujus exemplum

Quanquam verò hujus pulvis & decoctum sint optima, vim tamen omnem ilicò amittunt, non secus ac reliqua antidysenterica, si tantillum addatur sacchari; atque ideò nullum hic locum habet nectar adstringens, nullum conserva. Fœminas jam non attingamus, nec febricitantes; certi tamen sumus, in iis pasiones hystericas non infrequenter excitari à saccharatis, in his paroxysmos intendi notabiliter.

§. 16. Equidem datâ hîc occasione dicendum quoque foret in genere de mixtione simplicium incongruâ, nisi metuendum nobis sit, hoc pacto maximè offendi eos, qui sesquipedalibus formulis eruditionem suam testari volunt. Videntur certè istiusmodi Practici non absimiles musico minus perito, qui ne deficiat, quotquot manibus pedibusque prehendere potest claves organi pulsat intrepidus, speratque hoc pacto fortasis inter alios eum quoque deprehendi sonum, quem melodia exigit: Idem agunt, qui absque delectu in curandis morbis, quicquid occurrit, corradunt coacervantque; quanquam enim unum alterumque non inconveniens sit, obruitur tamen à pluribus aliis ac turbatur ita, ut nemo sine commiseratione aut potius indignatione dissensum sæpius enormem tolerare queat.

§. 17. Sed pergendum jam est ad alteram dissertationis nostræ partem, ubi de variis in applicatione non contemnendis erroribus. Quamvis enim medicamentum quoddam optimè præparatum sit & in se satis generosum, nihilominus ejusdem virtus adhuc innumeras ob causas destrui potest ac impediri. Propterea nec inconveniens erit, si evitandæ confusionis gratiâ circumstantias has referamus ad duo quasi capita; ita ut primùm consideremus eas, quæ in ægro ipso, deinceps quæ in medico notari possunt.

§. 18. Ante omnia ægrorum idiosyncrasiæ, si quæ fortè sint, aut ut verius loquar, impressiones phantasticæ observandæ veniunt. Notum est dari homines, quorum alii vinum, alii cinnamomum rosasque, alii ambram abhorrent &c. Qui ergò hæc & similia istiusmodi

modi nauſeatoribus pro ſcopo analeptico, cephalico, cordiali vel ſtomachico præſcribere velit, ei mirum eſſe non poterit, ſi planè contrarius ſequatur effectus. Id totâ die in iis deprehendimus fœminis, quæ ſvaveolentia omninò deteſtantur; tantum enim abeſt, easdem ab his recreari, ut potius lipothymiæ, paſſiones ac ſuffocationes hinc oriantur hyſtericæ.

§. 19. Nihilo meliores quorundam ſunt conſuetudines pravæ erroresque habituales in diætâ, irâ &c. Sunt quos immoderata potus ingurgitatio reddit hydropicos. Credisne verò hos ullo artificio poſſe reſtitui, quamdiu ſuum renuunt defraudare genium. Ita profecto morbus in quibusdam ſubjectis reſpectivè incurabilis eſt, qui abſolutè ſpectatus non eſt talis. Nec enim antiſcorbutica aut febrifuga ideò deſinunt eſſe quæ ſunt, quanquam in multis fruſtra exhibeantur, videlicet apud quos nulla eſt cibi potusque deligendi ratio.

§. 20. Fœminam novimus, quæ uteri hœmorrhagias ferè continuas patitur, & quandoquidem vinum Rhenanum unicè amat, ita ut eodem non tantum pro potu ordinario, ſed & pro vehiculo in aſſumendis medicamentis utatur, clarum eſt, hæc ipſa adſtringentia planè fruſtranea exiſtere, ſaltem ideò quod vinum inſimul hauſtum plus commovere ſanguinis ebullitiones in ſcorbuticâ poſſit, quam ut ſedari queant medicamentis. Eadem fortaſſis ratio eſt, ob quam pauperculi longè felicius è febribus ardentibus liberantur præ divitibus, ſcilicet, quod pura, quam potant, aqua iſtiusmodi morbis magis conveniat, quam nobilioris cereviſiæ vi nive potus, refrigerantibus planè contrarius.

§. 21. Ecquid frequentius eſt, quam viciſſim alios ab hauſtu frigido peſſimè habere. Sanè in febribus malignis, colicâ, dyſenteriâ & hyſtericâ paſſione quicquid agis, fruſtrà tentas, niſi ægrotantes quodammodò ſibi temperent. Aſt quam pauci ſunt, qui cum vires deficiunt, potu grato ſe recreare non expetant, usque dum ſuo demum damno cautiores fiant. Clariſſimum hujus exemplum

nobis mulier dedit, quam ex improviso cholera invadebat. Cum enim indesinenter vomitus enormes alvique dejectiones cum torminibus ventris atrocibus & summâ virium prostratione per horam passa esset, imminente jamjam sudore frigido & lipothymiâ statim liberata est, quamprimum terram vitrioli balsamicam, cum tribus olei cinnamomi guttulis, & unico opii fermentati grano mixtam, in jusculo sumeret. Post decursum horæ cum secura jam esset, cervisiam postulat, ut vires quodammodo reficeret; & ecce vix potus in ventriculum descenderat, quin statim summa cordis anxietas cum vomittu & alvi fluxu recurreret; hoc viso alteram sine morâ dosin dicti medicamenti accepit, atque sic juvante Deo sanata est, per aliquot dies frigidum abhorrens potum.

§. 22. Indigent similiter plures custodiâ & regimine non vano cum evacuandum est. Qui à sumto pharmaco purgante vel vomitorio panem ad satietatem usque ingerit, ut nauseam tollat saporemque medicamenti minus gratum, ei nec displicere potest, si optatus effectus non sequatur, ob vires videlicet remedii obrutas à cibo. Ast magis mirum est, etiam fortiora purgantia enervari penitus, si ad sudorem paulo largiorem commoveatur corpus. Tale quid in iis potissimum opificibus observare licet, qui verno tempore pharmacum petunt præservationis gratia; ubi enim ad labores consuetos accedunt, ne quid interea non agatur, eo ipso utplurimum irritam reddunt medicaminis facultatem.

§. 23. Putasne vero quenquem sudare, si post diaphoreticum sumtum se aëri liberiori ac frigido exponat. Non desunt tamen, qui nil minus quam sudorem, utut maximè necessarium, expectant debito modo, sed aut lectum omnino deserunt, aut certè corpus denudant impatientes. Itaque si tales fortè corripiantur petechiis, purpurâ, morbillis, variolis vel peste ipsa, & in genere, ubi per sudorem expellenda malignitas & resolvenda est; tùm certè frustra exhibebis alexipharmaca & bezoardica tua, etiamsi optima maximeque pretiosa.

§. 24. Sunt

§. 24. Sunt autem hujusmodi errores vix ægris condonandi, sed & vix corrigendi. Vidimus quem ingenii acumen felicitasque memoriæ deseruit ideo, quod nimis indulgeret veneri. Medicus in consilium vocatus cum non dubitaret ei commendare aquam magnanimitatis cum confectione alkermes, nec non aromata vinumque generosius, factum est, ut potius indies magis magisque debilitaretur. Videlicet quo plus aucti excitatique sunt spiritus, eò plus etiam inhiavit explendæ libidini; atque ita salacitatis suæ pœnas dedit, stupidus, vertiginosus, somnolentus tirstisque, cephalicis omnibus incassum tentatis.

§. 25. Nec reticendum est, interdum etiam omnia exhiberi frustra ægrorum culpa, si scilicet prudentem Medicum non prius postulent, quam mors in ollâ sit. Circa morbi etenim accessum plurimi nil agunt, antequam de naturâ ejusdem constet, putantque fortassis à benigniore vel robustiore naturâ superari malum, ut medicamento non indigeant: Ubi verò in progressu omnia exasperantur, ad aniculam confugiunt, aut imperitum balneatorem, barbitonsorem, pharmacopolam, insulsum rusticum aut agyrtam, similemve medicastrum asininum. Ab his torquentur ægroti miserum in modum, donec vires, quæ à morbo relictæ sunt, penitus exhaustæ fuerint. Jam verò tempus est, ut accersatur Medicus. Scilicet fronte capillata est, posthæc occasio calva.

§. 26. Quemadmodum autem volentibus non fit injuria, præsertim si studio servandæ pecuniæ sordido Medicum maturè non postulent; ita potius commiseratione digni videntur, quos vel fama imperitioris vulgi, vel è longinquo petitus Doctoris titulus seducit, quos humanitas singularis, & assiduitas Medici officiosa juvat. Nimirum plerique nesciunt, multos quidem ad palliandam ignorantiam modos esse, eosque faciles, verum ad solidam in arte nostrâ eruditionem acquirendam requiri longè plurima & ardua, atque ideò à turbâ illiteratorum aut semidoctorum planè aliena.

§. 27. Equidem omnibus æque natura patet atque pharmaco-

pœa, attamen duo cum faciunt idem, non est idem. Sunt enim medicamenta stricti ensis instar, quo vel servatur vel jugulatur æger. Judicio proinde opus est atque peritiâ non tralatitiâ, si quis debellare morbos cupit, ne in vitæ discrimen conjiciantur, qui opem implorant medicam. Sed ad rem! videamus hâc vice, quomodo culpa Medici parum proficiant pharmaca.

§. 28. Scilicet non rarum est, omnem à Medico moveri lapidem, præmissâ venæ sectione purgari corpus, & per clysmata probè anum elui, tùm verò optima quæque cordialia exhiberi cum sudoriferis, ne dicam arcana majora cum Panaceis. Sed laterem lavant. Interim & hora ruit, & æger paulatim consumitur ac desperat, quòd nullum prorsus à medicamentis levamen sentiat. Quid ille? Ich kan mich gantz nicht in die Kranckheit finden. Sequitur? Ergo wird er sich auch nimmermehr heraus finden. Ecquis tangere metam ausit, quam ignorat? nec enim, ut passeres, morbi fugantur. Illi quidem & crepitacula metuunt & larvatum stramen: hi verò nec respectu personarum & medentis autoritate, nec horrendo remediorum apparatu vinci volunt.

§. 29. Vani sunt igitur omnes conatus, qui scopum non ferunt. Pessimi autem sunt, si non modo tituber artista dubitetque, sed & graviore lapsu penitus aberret in diagnosi. Qui enim morbum ipsum ejusq; symptomata & causam probè perspecta non habet, is certè aut minus juvabit, aut nocebit magis. Exempli loco sit sputum sanguinis, quod in pleuritide, nisi maturè discutiatur, frequentius accidit. Id verò non paucos decipit, ut adstringentibus utantur, cum potius resolvendum sit; atque ideò suppressâ excretione suffocantur alii, alii pessimè suppurantur relicto empyemate thoracis.

§. 30. Numerantur alias flores sulphuris inter expectorantia, nec malè, nimirum quandocunque in siccâ tussi catarrhus tenuis, uti loquuntur, affluit, suaque acrimonia laryngem cum arteriâ asperâ vellicat, stimulatque ad sui excretionem. Hoc certè in casu,

quæ

quæ vi gaudent incraſſandi, optima ſunt. Aſt quam ineptè in humorosâ tuſi exhibeantur, nemo facilè non intelligit. Videas nihilominus quamplurimos, qui nec unquam pulverem pectoralem præſcribere audent, cui flores ſulphuris non admiſceantur; quodſi autem anhelatio, ut ſolet, in ſubjectis pituitoſis ſequitur, tunc morbo tribuunt, quod verius intempeſtivo incraſſantium uſui debeb[illegible]t.

§. 31. Conqueruntur certè non pauci de infido ſucceſſu experimentorum, (es will nichts anſchlagen) dolentque admodum, ſi e. g. cortex chinæ, toties in febribus expertus, non ubique expectationi reſpondeat. Dicis: fortaſſe legitimus non fuit cortex, aut ob vetuſtatem ignobilior, aut parcius exhibitus. Quidſi verò nihil eorum allegari queat? Obſervavimus profectò non ſemel, eundem corticem admodum ſelectum recentemque tam in ſubſtantiâ quam infuſo largiter datum, febrem tamen non ceſſaſſe prius, quam cum ægrotantium morte. Quid hic reſpondes: Abſit, ut accuſes incertam ſpecifici virtutem. Accuſanda potius erit imprudentia Medici, qui diſcernere diverſos ægrorum ſtatus neſcit. Ut ſuum cuique tribuatur, judicio eſt opus, qui hôc deſtituitur, parum in arte noſtrâ proficere poterit.

§. 32. Nemo unquam adeò inſulſus eſt, ut omnium pedibus eundem inducere calceum auſit; ſiquidem huic cothurnus placet, illi ſandalium, aliis pero vel ocrea. Ecquid verò aliud agunt, qui ſuas undique panaceas crepant, qui arcana antiphthiſica, ſecreta febrifuga, ſpecifica cephalica, ſtomachica, hepatica & id genus alia pro infallibilibus habent, adeoque ſine cauſæ accuratâ cognitione omnibus commendant, præbentque temerario auſu. Quodſi alias in actione forenſi circumſtantiæ, ut dicitur, variant jus judicisq; ſententiam; multò magis in foro Medico neceſſum erit, ut circumſtantias omnes ritè penſitemus, præſertim quando ægrorum cauſa nec moram patitur, nec ſperare ullam ſinit reſtitutionem in integrum, ſi malè cœpta fuerit.

§. 33. Hactenus de medicamentorum delectu erroneo, & quidem

dem ob ignoratam morbi causæque morbificæ naturam. Quis verò credat, etiamnum peccari posse multis modis, quanquam repertum sit morbo ægroque conveniens remedium. Nempe qui debitam cuivis dosin non porrigit, turpissime non rarò labitur. Omne nimium hîc quoque vertitur in vitium, ac præsertim in præscribendis opiatis, vomitoriis & purgantibus maximè periculosus excessus est. Sunt tamen & in his erogandis nonnulli admodum liberales; si malè tum evenerit, excusari gravissimus error per ægri debilitatem, aut morbi vehementiam, aut virulentiam medicaminis indomitam solet.

§. 34. E contrariò qui nimis sunt timidi, hôc parciores observantur in dispensatione medicamentorum, illorum etiam, quæ & minus periculosa sunt, & dosin majorem tolerant. Rectè quidem bezoar orientalis & margaritæ, tanquam pretiosa in minore quantitate præscribuntur aliis permixta; si quis autem lapides cancrorum & cornu cervi ustum ad pauciora recipit grana, ridiculus est. Scilicet frustra metuunt, ne dudum explosum ventriculi fermentum, quod fingunt acidum, penitus destruatur à largius sumtis præcipitantibus. Eandem censuram merentur, qui spiritus vegetabilium ardentes, ceraſorum, pomorum dulcium, liliorum convallium, rosarum &c. non nisi guttatim sumendos jubent, cum tamen nemo sit, qui longè acriorem spiritum vini unciatim non hauriat.

§. 35. Et quemadmodum uno ictu non cæditur ilex; ita rarò in morborum cura satis erit unica remedii dosis. Nec enim desperandum est in chronicis morbis, cum nihil profecerit medicamentum primâ vel alterâ vice datum; continuandum potius intrepidè ac repetendum crebrius est, quicquid appropriatum malo visum fuerit. Acquirunt enim non pauca, quæ imbecilliora etiam putantur, majus robur, si modò reiterentur; & gutta cavat lapidem non vi, sed sæpe cadendo.

§. 37. Ast quanta miseria, quanta perditio egregiorum medicaminum, si eos spectemus, qui vagabundi sunt animi. Quicurationem morborum fortuitam, artemque nostram incertis niti conjecturis

cturis credunt; iis quidem solenne est, ut vel in horas mutentur. Alia præscribunt manè, alia circa meridiem, alia vesperi: modò acida, modò salia volatilia & fixa, modò terrea, modò salsa, modò acria, modò dulcia &c. Interdum casu & quasi per errorem reperitur medicamentum conveniens, sæpissimè tamen laudabile redditur frustraneum a concurrente vel præmisso aut superveniente contrario. Tum verò satisfeciſſe officio suo existimat Medicus, si quantum possibile omnem afferre jussit pharmacopolarum apparatum. Das ist ein rechtschaffener Mann, er hats an nichts lassen fehlen. Sed pauci norunt, medicamentorum sine judicio, sine methodo exhibitorum nullam esse posse efficaciam.

§. 37. Idem judicium requiritur non rarò ad distinguenda tempora, vel loca, similesvè circumstantias, nisi aberrare in medicaminum usu velimus. Eo crassior antem error erit, quo plures concurrunt hallucinationes. Spectat hûc elegans historia, quam reticere non possumus. Duo concurrebant Medici ad curam honestissimæ Matronæ, quartanâ oppressæ. Inter alia jubebat Medicus ad extinguendum æstum succo sempervivi majoris inungi dorsum secundum integrum spinæ tractum, & quidem aliquoties diebus intercalaribus. Omnes mirificâ expectatione suspensi tenebantur usque, dum instaret hora paroxysmi, ut effectum cernerent remedii minus noti vel usitati. Et ecce horror incredibilis invadit miseram præsentibus Medicis. Convertit se itaque unus ex his ad socium, autorem illius consilii, his verbis: Videntur certè ab inunctione satis adversus calorem febrilem munita tergora, dolendum autem à præcedaneo frigore adeò torqueri ægram. Utinam balsamo antifebrili, aut oleis destillatis aromaticis venter quoque perlitus foret. Si joco venia, dixerim tutiorem tùm ægram, si circa paroxysmi accessum anteriora intrepidè opponere horrori, posteriora æstui insequenti posit.

§. 38. Sufficiant hæc; ne videamur in re odiosâ prolixiores. Nec enim animus fuit, cum Fuchsio, Primerosio aliisque perstringere

5.

gere Medicorum errores; non potuimus tamen quin attingeremus ea, quæ ad scopum nostrum faciebant. Nempe demonstrandum erat, dubiam medicamentorum operationem non dependere ab incertâ eorundem virtute, sed vel ab inconvenienti præparatione pharmacopolæ aut Chymici, vel ab ægrorum illegitimo usu, vel denique à Medici applicatione minus consideratâ.

DISPUTATIO V.

DE

MEDICAMENTORUM OFFICINALIUM CENSURA.

Fluit procul dubio Medicina, cum nasceretur primùm, paucissimarum herbarum scientia, præcipuè illarum, quæ in alimenta hominum cedebant. Ut enim sanitatem, quantum possibile, integram servarent mortales, ante omnia discernere salubria didicerunt ab insalubribus. Cumque deprehenderent oleribus etiam fructibusque vim inesse Medicamentosam, ac inter ea quædam laxare alvum, alia eandem obstruere, nonnulla refrigerare atque sic porro, hinc cœperunt paulatim cogitare de regimine diætæ in morbis, ac postmodum etiam de reliquorum vegetabilium usu. Nec enim difficile fuit à minori ad majus argumentari: quando viderunt ab iis, quæ temperatissima eligebant pro cibo, corpus manifestè alterari, rectè judicarunt idem hoc magis posse cætera excellentiore odore ac sapore prædita. Urgente igitur necessitate tentare quævis obvia non dubitarunt; atque sic paulatim copiam remediorum peperit multitudo ægrotantium medentiumque. Nam & Græci, & Arabes, Barbari omnis generis idem experti sunt fatum; unde nec mirum est, tot exoticis hodie constare materiam Medicam, tot generosis & ignobilibus

bus, tot laudabilibus & illaudabilibus, poſtquam literati & illiterati à mundo condito ad hanc usquè horam congeruns, quicquid placuerit. O nos felices, quibus officinæ patent inſtructiſsimæ, ſcilicet auro gemmisquè, margaritis aliisque pretioſis referta, ſtercoribus etiam variisque quisquiliis onuſta, ut pro lubitu quisque ſibi eligere medicamentum valeat. Hæreo, annon Medicis major ignominia quam bonor, Pharmacopœis damnum majus quam lucrum, ægrotantibus nauſea potius quam deſiderium atque fiducia inde naſcatur, quod quævis promiſcuè ſine omni judicio coacervata tam ſanctè cuſtodiantur in Apothecis.

Horrent non pauci, ac horrerent omnes, credo, quæ præparantur ac diſtribuuntur in Officinis, ſi reſcirent, quibus contaminentur lances, mortarium & reliqua utenſilia. Novi fœminas, quæ morbum ac dolorem quemcunque pati, quæ mori malint, quam vel unicum granum guttulamve unicam è pharmacopolio aſſumere, quod aliquando audiverint, es kåme allerley von armen Sündern in die Apothecke. Quid quæſo fieret, ſi & patibuli cranium cum usnea, ſi mumias ſolo aſpectu abominandas, ſi ſtercora & lotium, priapos cum teſticulis atque ſimilia ibidem præparari ac diſpenſari ad curam ægrorum intelligerent. Hanc unicè ob cauſam memini Medicum, in cura ſcorbuti alioqui felicisſimum & per plures annos celeberrimum, planè derelictum exoſumque fuiſſe omnibus, quod cognoſcerent, eum lambricos terreſtres quotidiano in uſu habere. Aſſviperas etiam bufones que, ſcorpiones atque araneas quis non faſtidiat? ac nihilominus à Medicis magni nominis laudantur, medicamentis annumerata ſecretioribus.

Sed Pharmacopœorum quoque intereſt plurimum certis limitibus coërceri multitudinem Officinalium non tolerandam. Bone Deus, quantum apparatum poſtulant ſimplicia, cruda & præparata, quantum compoſita. Utque major ſit numerus vaſorum ligneorum, vitreorum, ſtanneorum, multiplicantur entia præter neceſſitatem. Quid enim obſtat, idem etiam remedium ſub varia formarepeti; en tibi radicem ari ſiccatam, en pulverem radicis ari præparata, en feculam

rad. ari. Si Cornu Cervi desideras, in promptu est integrum & raspatum, philosophice non minus quam vulgari modo praparatum, vel saltem ustum: ecce magisterium C C. ut taceam gelatinam, essentiam, spiritum sal vol. liquorem C C. succinatum &c. Usitata hæc tamen sunt, atque ideo jacturam hinc nullam facit Pharmacopœus. Quid si vero longa serie recenseam integras Classes Medicamentorum sub titulo Specierum, Confectionum, Rotularum, Trochiscorum, succorum inspissatorum, Extractorum, Pilularum, è quibus vix unum vel alterum præscribitur à Medicis politioribus. Destillandæ sunt ultra bis centunt aquæ quot annis, sufficerent decem. Nec plures in usu Syrupi sunt, neque Conservæ plures necessariæ; si autem omnes parare oporteat, verendum ne saccharum consumatur universum, quiquid naves ex insulis Fortunatis apportant. Sed ponamus, ex iis, quæ in Catalogo tria millia circiter numerantur, supervacaneas esse duas tertias, annon feriatur maxima pars impensarum? hoc ergo damnum ut aliunde resarciatur, necesse omnino est, pretia usualium plus justo augeri, majore cum detrimento ægrorum quam fructu Pharmacopolæ: utpote qui domum integram, si modo sat capax fuerit, implere atque occupare in utili copia, pluresque famulos servosque nutrire constanter debet, ne desint, qui frustra colligant, præparent, asservent atque custodiant, alio tempore iterum ejicienda.

Ecquid Medici ad hæc? redundat profecto culpa non levis in illos, quippe quorum inspectioni ac regimini cum Pharmacopœi merito subjecti sint tanquam ministri, nemo est, qui non existimet, Medicis placere, quæ non ex Officinis relegantur. Ponderemus jam, uti par est, Officinalium conditionem, & judicemus, annon pleraque in dedecus & opprobrium Medicorum cœacervata videri queant. Si quis dixerit fortasse per negligentiam tolerari quæ ferenda non sunt, aut per imperitiam non discerni posse muscerdam à pipere, quid respondebimus? Enimvero non his demum diebus talia nobis in mentem veniunt. Legat, qui velit, saltem Joh. Bapt. van Helmont Pharmacopolium ac Dispensatorium modernorum, item Danielis Ludovici Pharmaciam moder-

moderno ſeculo applicandam, alios lubens prætereo. Neque tamen me prorſus inanem cepiſſe laborem puto, ſi quæ nondum ſatis dicta ſunt, repetam, clariusque demonſtrem, ſalva conſcientia, ſalva exiſtimatione noſtra Officinas in eo ſtatu, qui de præſenti eſt, relinqui nullatenus poſſe.

Luculentius id apparebit poſtea, ubi oſtendero, quamplurima in iis haberi prorſus aliena, ſordida, ignobiliora, ſpuria, ſuperſtitioſa, ridicule præparata, incongruè mixta. De ſingulis agendum erit ſeorſim, quo magis diſtinctè cuncta intelligi queant. Sit ergo

CAP. I.

De Alienis, ad Officinam Medicam haut pertinentibus.

§. 1.

QUanquam Catalogus Officinarum in rubro nil niſi medicamenta promittat, in nigro tamen occurrunt non pauca, quæ nomen illud nequaquam merentur. Nec ego mentionem horum facerem, niſi metuendum mihi ſit, ne non attendiſſe videar, hinc inde medicamentis, quorum cenſuram in me ſuſcepi, temerè interjecta. Suppono nimirum tanquam firmum Pharmacopæi Officium in eo conſiſtere, ut pro ægrotantibus medicamenta præparet à Medico præſcripta. Quicquid ergo ad curam hominum à Medicis non adhibetur, ad officinam nullatenus pertinet.

§. 2. Jam vero ſubſumo, 1. quæ *brutis deſtinata* ſunt: *Aloë caballina, Sulphur caballinum, Unguentum ad ungulas equorum*, atque aliud *contra ſcabiem equorum, pulvis pro pecore, pulvis pro porcis.* Annon infra dignitatem eſt Pharmacopœi præparare, aſſervare, divendere, quæ meliore jure Officinam fabri aut ſtabulum hippocomi, vel ovile aut bubulci ſubulcive peram ornarent. Et quemadmodum artem Veterinariam exercere Medicum haut decet: ita nec riſum ludibriumque iſtorum hominum effugere poteſt, qui auſit ſe talibus immiſcere vel qualecunq; lucellum inde ſperare, ad quorum medelam innumera ubivis obvia expertus eſt quivis idiota.

§. 3. Quid dicam 2. de *venenis*, uti sunt *Arsenicum album*, *flavum*, *rubrum*, *Auripigmentum*, *Cobaltum*. Utimur iis ad necandos glires ac mures muscasque, sed à Medico prudenti & conscientioso vix ac ne vix quidem annumerantur Medicamentis. Vidi Chirurgum castrensem, qui paucis arsenici granis loco vomitorii utebatur in cura febrium, modo felici, modo infelici cum successu, quod ipse mihi fassus est ingenue. Ponamus autem stomachum pituita plenum à tali veneno minus nonnunquam lædi, anne igitur securè datur? Anne licebit illud propinare omnibus promiscuè, delicatioribus ac tenerioribus? Siquè aliquando male cesserit, quomodi declinabimus à nobis temeritatis notam? Conferatur D. Georg. Ern. Stahl, Prof. Hal. Observat. Chym. Phys. Med. Curiosarum Mensis quintus.

§. 4. Ecquid 3. *Pigmenta*, sibi volunt? *Bolus vulgaris*, *Creta*, *Ochra*, *Rubrica*, *Ærugo nativa*, *factitia & crystallisata*, *Cerussa citrina Miniumque*, *Cinnabaris factitia*, *Plumbago*, *Cadmia ferrei coloris*, *Argentum foliatum*, *scriptorium & Musicum*, *Aurum foliatum finum & bicolor*, idemque *scriptorium*. His adde, quæ regnum vegetabile subministrat, *Lignum Brasilianum rubrum*, *purpureum luteumque*, *cæruleum Indicum*, *Lacmus*, *Laccam Florentinam & in rotulis*, *Orleanam*, *succum cervispinæ*, &, quæ sub titulo *Tornasolis*, linteola succo heliotropii tricocci aut mori cerasorumve tincta. Quamvis enim nonnulla horum à quibusdam in usum Medicum aliquando vocentur; insignis tamen vel adeo singularis haud existit, quin alia ex Officinalibus in eorum locum surrogari queant citra periculum damnumve. Neque sequitur ad quasdam Compositiones illa præcise simplicia recipi debere, itaque hoc nomine in Officinis servanda esse. Quo enim jure Bismuthum, Magnes, Mercurius sublimatus, stannum Anglicum, Zinckum, Scorpiones, Tartarus, Radix Cynoglossæ, fructus Cacao, cum vaginiliis & frumento Indico è Catalogo simplicium omittuntur, cum tamen ad Magisterium Bismuthi, Emplastrum stipticum Crollii, Mercurium dul-

cem,

cem, antihecticum Poterii, flores Zinci, Oleum Scorpionum. Sal fixum, spiritum tincturamque Tartari, Pilulas de Cynogloſſa, ſuccoladamque recipienda ſint: eodem jure omittitur Minium, ærugo, Creta &c. quanquam Emplaſtrum de Minio, Unguentum Ægyptiacum atque alia ingrediantur.

§. 5. Si quis 4. *Coſmetica* etiam *Crollii* aliorumve rejiceret è Pharmacopœa, me facile conſentientem haberet. Non ignoro Medicos omni tempore fuiſſe, qui eorum quoque curam in ſe ſuſceperint: Quid? quod Chymici non minores ſibi divitias ex oleo Talci quam ipſo lapide Philoſophorum pollicentur, ſiquidem fucus in aula carior quovis auro æſtimatur. Infra dignitatem nihilominus Medicorum & Pharmacopœorum eſſe videtur, quæ apud omnes myropolas vulgo proſtant, Catalogo Medicamentorum officinalium inſeri: Tales ſunt *panniculi bombycini rubro colore imbuti*, Italis *le Pezette*, ad tingendas genas & labia: *Talcum*, præparatum tamen ad nitorem conciliandum cuti; *Sapo Venetus & odoratus cum ſpongia marina*, Balneatoribus ad ſordes abſtergendas utilior.

§. 6. Idem 5. de *Odoramentis* in genere judicium eſto; *Pomo ambræ, Trochiſcis alipta moſchata, de Gallia moſchata, de benzoë cum moſcho, de roſis cum moſcho, pro fumo cum & ſine moſcho, baculis fumalibus cum moſcho & ſine moſcho, Candelis profumo cum moſcho & ſine moſcho, pulveribus pro fumo cum moſcho atque communibus, pro divitibus atque pauperibus* quis utitur in curis ægrotantium? Num quis ex Officina petit *pulverem Cyprium?* quem barbitonſores & qui capillo criſpando & ad ornatum componendo unice operam dant, gratis fere diſpergunt exiguoque pretio venditant. Non dicam ſeplaſiarios occurrere, qui ſuaveolentia ex profeſſo parant ac miſcent egregia, unde ſingulares novique prorſus emergunt odores, cum quibus comparari veteres tritæque compoſitiones nullatenus poſſunt. Itaque nec *balſama*, prout in Officinis habentur, in magno ſunt valore, ſi antapoplecticum excipias ac fortè rutaceum, in caſu neceſſitatis quandoque deſideratum.

§. 7. Quem vero in finem 6. *Saccharata* in tanta ſerventur copia, non video. Nominantur octo ipſus *ſacchari* ſpecies, *Canarienſe, candum album & rubrum, farinaceum, Melitenſe, penidium, rubeum, Thomæum;* cur non additur ambratum? revera elegans. Sed fortaſſis unum inſtar omnium eſſe poterit. Hem! *Confectorum* ſeriem, *Rad. Acori, Amigdalarum dulcium, Aniſi, corticum Aurantiorum, atque Citri* &c. aut ſi *candiſata* mavis, ecce *radicem eandem Acori, fructus Amygdalarum dulc. Cortices aurantiorum ac citri* &c. Si vero ſucculenta magis palato arrident, *en Radicem Acori conditam, cort. Aurant. Citrique* atque ſimilia plura. Nec deſunt *Rotulæ aromaticæ cum moſcho, roſatæ cum & ſine moſcho, è berberum ſucco, diambræ, dianthos* atque ſic porro: item *Morſuli è berberum ſucco, è citro, è Cydoniis cum ſpeciebus & fructibus, Imperatoris cum fructibus. En panem Cæſareum, Martiumque ſimplicem atque compoſitum cum ſpeciebus.* Eſt & *Succolada* in promptu. Dolendum ſaltem multos hominesnauſeare delitias pharmacopœorum, juxta proverbium ab Helmontio allegatum: tolle iſtud, nam Apothecæ odorem habet; alioqui mundus non difficulter careret cupedinariis circa ballaria illa & ſaccharatas confecturas occupatis; careret quoque cauponibus aquariis, Thee, Coffee ac Succoladæ potum otioſæ plebi miniſtrantibus.

§. 8. Crediderim autem in gratiam puerorum dulcia illa præparari; quid igitur Viris loco ſaccharatorum exhibebimus? procul dubio, quæ 7. commemoranda veniunt, *ſale acetoque condita*, majori appetitui excitando idonea. Hujus generis ſunt *Cappares in aceto vel cum ſale, Citri flores in aceto, Limones cum ſale, Olivæ cum ſale.* Cur non adjiciunt Cucumeres acidos cum halece, aut Braſſicam muriaticam cum botulo probe ſalito ac piperato? Extra jocum. In oppidulo, ubi Pharmacopœi labores reditusque parciores ſunt, nil vetat eum Chartas luſorias etiam, tabacumque cum fiſtulis ad fumigandum factis venundare, præſertim deficientibus tabernariis: aſt in Urbe nobili, mercatoria, imperiali, regia, tale

quid

quid fieri non cernimus. Saltim Catalogo Medicamentorum inseri nequeunt.

§. 9. Verum occurrunt adhuc plura quæ *ad usus domesticos mechanicosque* magis quam formulas remediorum quadrant. *Cera Hispanica, rubra & viridis ad* sigillandum apta est: *arborea* hortulanis utilior: *Pix navalis* vietoribus & naupegis, *Colophonia* fidicinibus, *Ichthyocolla* vino clarificando œnopolis, arculariis ad glutinandum commoda: *Tripolis, Smiris, Pumex, & Alumen scissile* polienda metalla, vitra gemmasque optima artificibus necessaria: sicuti *Gypsum* & *Calx viva* cæmentariis fabrisque muratiis. At quorsum referam *sulphur citrinum* atque *vivum, mineram antimonii atque mercurii?* Quamdiu enim suppetunt flores sulphuris, non adeo pretiosi, possumus carere sulphure citrino ac vivo. Nec mineris antimonii mercuriive utimur in medicamentis, sed præparatis ex antimonio, & cinnabari nativa.

§. 10. Ut itaque in summam hactenus recensita contrahamus, concludimus ita: Quæcunque ad curam hominum ægrotantium non adhibentur, ea tanquam aliena è Catalogo Medicamentorum officinalium ejicienda sunt: Atqui brutis destinata remedia, Venena, Pigmenta, Cosmetica, Odoramenta, Saccharata, sale acetoque condita, & quæ in usus alios domesticos mechanicosve asservantur, non adhibentur ad curam hominum ægrotantium. Ergo tanquam aliena è Catalogo Medicamentorum Officinalium ejicienda sunt.

CAP. II.

De Sordidis ac nauseosis, quæ nomen Medicamentorum non merentur.

§. 1.

SI afflicto afflictio addenda non est, pessime agunt omnino, qui ut opem ferant ægris, indiscriminatim quicquid in manus venerit, sordida ac nauseosa maximè propinant. Et quemadmodum

hac

hac ratione miseri ab usu Medicamentorum deterrentur, nec facile ullum levamen sentiunt ab his quæ abhorret natura: ita profecto Artem optimam ac se ipsum prostituit, & contemptui ac ludibrio vulgi exponit, qui non veretur in tanta egregiorum remediorum abundantia exhibere turpia quævis, fœtore cadaveroso atque stercoreo molesta, sapore summe nauseoso ingrata, tota substantia homini, etiam minus delicato, ac vel solo nomine, abominanda.

§. 2. Ponamus enim iis qualemcunque medendi vim inesse, ergone porrigenda sunt ægrotantibus? non putarim. Medicum certe insignis arguit simplicitatis, si forte mutare nolit, quæ Veteribus in defectu meliorum usitata fuerunt. Sed minus prudens doctusve judicabitur, si loco hujusmodi nauseosorum substituere alia longe gratiora nesciat. Quasi vero specifica virtus adversus morbum quendam uni tantum rei à Creatore benignissimo concessa sit, qui potius hominis gratia condidit omnia, ut in casu necessitatis quoque reperiat undique terrarum, quibus succurreret suæ miseriæ. Videlicet ægritudo nulla est, ad cujus medelam non innumera dentur remedia; nostra proinde culpa i. e. ignavia nostra relinquuntur quamplurima, optima etiam, inexperta: sed excusationem fortassis prætendere possumus, quandocunque nullus medicamentorum defectus adest; si vero in quodam morbi genere non nisi ejusmodi sordida prostent, graviter peccat qui desinit alia tentare aut saltem quærere apud Autores, usque dum repertum fuerit dignum aliquod gratumque medicamentum.

§. 3. Interea quæ abhorremus natura, extra dubium r. *Mumia* est cum omnibus è corpore humano desumtis, quorum nihilominus ingens numerus in officinis habetur. Est locus in Ægypto aliquot leucis à ruderibus Memphis distans, unde funera illa medicata, juxta relationem ocularis testis Breuningii, Itinerar. Orient. pag. 158. & Petri de Valle pag. 103. erui ex arena & apportari ad nos solent. Quo morbi genere interierint, peste an veneno, incertum est; nec refert quo pacto servata fuerint, Aloë Myrrhaque,

an

an reſina cedria, vel aſphalto. Inter rariora tamen officinarum cuſtodiuntur ſancte: ac miſcentur non modo in ſubſtantia cum aliis pro pulvere contra caſum, & Athanaſia magna & emplaſtro Apoſtolico, de Betonica, Crolliique ſtiptico; ſed & paratur exinde quædam Eſſentia Mumiæ veræ, vel extractum, quod inter alia etiam Laudanum opiatum Quercetani Majus ingreditur. Cui bono? lege Renodæi Diſpenſatorium.

§. 4. Verum qui Mumiam non odit, amet *pinguedinem humanam cum medulla oſſium, ſecundinam primiparæ* atque hinc paratum *Spiritum:* vel etiam *Spiritum & Aquam cerebri humani, Spiritum & Sal vol. ſanguinis, urinæ, cranii humani, ol. cranii hum. gelatinam cran. hum.* & in forma pulveris *cranium patibuli, præparatum & uſtum, magiſterium cranii humani, oſſa microcoſmi præparata & uſta.* Nec *cingulum è corio humano* diſpliceat: per me licet. Anthropophagia Scytharum, Americanorum & reliquarum crudeliſimarum gentium damnatur ab omnibus; quis credat moratiores adeo immanes, ut è manu carnificis (non dicam Anatomici) turpilucricupidi repetant furum latronumque viſcera, cadavera. Certè canis canem vix unquam deguſtat mortuum, &, quod magis miratus ſum, cor etiam coctum non attingit: Quid vero nos impellit, ut ferociores ipſis videamur beſtiis? Annon alia in promptu ſunt, quæ vicem jam enarratorum ſupplere valeant? Annon balſamica, ſanguinem congrumatum reſolventia, juvantia partum, cephalica & antepileptica, cornua & oſſa ſufficienter, imo abundanter collecta extant in Pharmacopoliis? Quid opus eſt dilaniari hominem, aſſari & concoqui?

§. 5. Atqui alia quoque animalia 2. commemoranda hic loci ſunt, inſecta præcipue, *Viperæ ac Serpentes, Lumbrici, Bufones, Scinci marini, Scorpiones, Millepedes, Cochenilia, Apes, aranea cum telis:* quæ partim integra, partim aliis inmixta variisque modis præparata in uſum trahuntur. *Spinæ viperarum earumque Magiſterium, Sal vol. trochiſci de vipera, exuviæ ſerpentum, oleum, Eſſen-*

tial, *Spiritus & Sal vol. lumbricorum terrestrium*, & pulvis eorum in *puerpere ad lac augendum D. Michaelis*, *oleum scorpionum simplex & compositum &c.* Quæ vero temeritas est, medicamentis annumerare, ac non tantum exterius applicare corpori, sed interno etiam usu commendare ægroque propinare, quorum contactum omnes fugimus, dum vivunt, tanquam venenata vel nobis etiam exosa; siquidem nec post mortem arefacta oculis, naribus, linguæ arridere possunt.

§. 6. Ejusdem dignitatis sunt 3. brutorum viscera & partes plerumque putridæ ac verminosæ: *Pelliculæ ventriculi gallinarum*, *Lupi epar*, *ventriculus & intestina*, *Vulpis pulmones & lingua*, *Vituli pulmones*; & quæ parantur ex his, *aqua pulm. vituli cum succ. Mynsl. lohoch de pulmone vulpis* &c.: Si ventriculus ventriculum sanat: si quid jecur comestum in morbis epatis, si quid pulmones valent in affectibus pectoris, satius erit præparare illos in Culina quam Officina. Sed pudet me fateri publicè, quod tam multi reperiantur inter Medicos, eruditos etiam, qui nescio quos vires specificas in ejusmodi quisquiliis latitare putant, cum tamen omnis illarum Virtus omnino manifesta sit. In membranosis partibus, ventriculis vel intestinis hærere magnam partem substantiæ glutinosæ, quæ acriores humores invisçare valeat, neminem fugit. Prodesse Phthisicis atque tussientibus mucilaginosa & gummosa vel gelatinosa quis dubitat? ita enim semina Gossypii, Altheæ, Cydoniorum, gummi Arab. & Tragacantha in pulvere Haly contra Phthisin, item decoctum & gelatina eboris vel CC. ad temperandam humorum acrimoniam utilissimè adhibentur tota die. In Ictero & Jecoris affectibus amara laudantur ab omnibus. Fortasis portio bilis, quæ in ductibus epatis supereſt, fortasis absinthium in quo asservatur aut Myrrha ex consilio Zvvelferi admixta inter præparandum id præstat, si modo quid epar lupi valet. Ita solent canibus corvisque invidendam eripere prædam, & à lanionibus, venatoribus ac carnificibus redimere indigno pretio, quod alioqui penitus inutile foret. §. 7.

§. 7. Quid impedit quo minus 4. huc referamus *Hirci Cervique* vel *Asini sanguinem?* quorsum *Coagulum Leporis, hædique? fel lucii piscis, perdicis, tauri*, & rariorem *Calculum fellis bovis?* Ecquid opus est *pinguedine canis & equorum juba* in tanta meliorum minusque nauseosorum multitudine? quasi vero ad grumos sanguinis resolvendos, ad sudorem movendum, ad sedandos maniacorum furores, vel insultus epilepticos atque sic porro, innumera non prostent medicamenta, & quidem egregia, prorsus inculpata. Siccine meremur gratiosorum Medicorum honores ac dignitatem? quando miseros putido solamur auxilio. Et quanquam ab hujusmodi remediis interdum aliquod in ægros commodum redundet, nondum tamen sequitur, ideo illa porrigenda esse; quod enim Medicastro licet, non statim ingenuum decet Medicum, cujus Officium est non modo ægrotantes curare, sed quantum possibile cito, tuto ac etiam jucunde curare, si quidem prudentis nomen tueri cupit.

§. 8. Annon 5. cum regulis honesti pugnat *Priapis Testiculisque* pharmacopolium exornari, qualia citra pudorem nemo aliàs attingit, ac ne quidem nominat. Ut tamen varietas delectet, asservatur *Priapus* alius *Cervi*, alius *Ceti*, alius *Tauri*, alius *Vulpis*; quanquam inter alimenta occurrant longe gratiora, ova sorbilia, cochleæ atque ostreæ cum gelatinis optime sapidis, quæ augere sperma & humores acres temperare suo glutine, in priapis unicè quæsito, valeant. Quodsi vero ex Officina tale quid nihilominus præscribendum est, resarcire jacturam merito rejectorum priaporum licebit non difficulter, si modo radices Satyrionis, tragacantham cum cæteris §. 6. laudatis seminibus, radicibus aliisque mucilaginosis & lactescentibus concretis adhibere velimus. Potius miror, quamobrem in Collectione *testiculorum* tam parci, solisque *apri* testibus contenti sint pharmacopœi, cum tamen à multis etiam equi, cervi, leporis atque galli coleos mirum in modum extolli, latere neminem queat. Interim sub erroneo nomine testiculorum

Caſtoris aſſervatur *Caſtorium:* quod ſane mulierculis, qubus ſvaveolentia diſplicent, negare nolim: ſi modo Medici politiores non adeo delectentur ejusmodi ſordibus. Sit ita, egregie fœtere, necare vermes, expellere omnis generis exanthemata, pollere facultatibus nervinis ac uterinis, quid tum poſtea? Non deſunt alia, etiamſi Caſtoreo carerent Officinæ. Quid de Galbano, Aſa fœtida, & Sagapeno vobis videtur? & quæ parantur ex fuligine, ſuccino atque ſimilibus nihilo ignobiliora: ut Salia vol. taceam cum oleis empyreumaticis, in ſpecie camphoram & petroleum, quæ inſtar omnium eſſe poſſunt.

§. 9. Jam vero Crabrones irritabo, ad minimum ſcarabæos ſi 6. ſtercora, temere illata, ex Officinis Medicis relegari ac in perpetuum excludi velim. Quis citra indignationem ferat *ſtercus canis*, quod alias calceis è pavimento propellere, aut per errorem calcaſſe piget. Aſt, inquis, album eligitur, nempe canis oſſa rodentis. Pudeat! annon jam in promptu ſunt oſſa variis modis præparata, quibus in cura febrium, etiam vulneratorum, in Dyſenteria, Colica &c. utimur optimo cum ſucceſſu. Numquid à CC. uſto aut ſi mavis philoſophice calcinato differunt oſſea illa excrementa, ſi ſtercoreum fœtorem nolis deſiderare? Hunc vero extra controverſiam optat, qui aquam vulnerariam Strehlenſium ex eo per deſtillationem elicit. Quis non cinnabarim nativam, ſuccinum atque alia plura præferat *ſtercori pavonum*, quando vertigo aut Epilepſia medelam poſcit. Cur in Angina recipitur *nidus Hirundinum* probe fœdatus, cum limum terramque omnem inſigniter extinguere, inflammationes & refrigerare, lippis & tonſoribus, non dicam Mulomedicis, notiſſimum ſit. Quem in finem paratur *Sal fimi Columbini?*

Oeſypa quid redolent, quamvis mittantur Athenis? ait Ovidius. Scilicet ut ovium ſtercus referant, colligenda eſt ad illorum præparationem *lana ſuccida* è feminis potiſſimum, eaque non lota. Adeone tantam in ſtercore ſpem atque fiduciam collocare juvat? Id

vero

vero durius dictum poterat videri; mutentur exosa ista nomina, res ipsa fortasse minus odiosa erit. Qui stercus nominat, etiamsi ambram vel zibethum spiret, nauseam movet inevitabilem: ast œsypum vel album græcum quis non toleret facilius? Id procul dubio habuerunt in animo, qui *aquam omnium florum* appellarunt, ex recenti vaccarum stercore destillatam. Nondum tamen se satis liberarunt ab omni culpa: saltim ignorantiæ turpis notam vix ac ne vix quidem à se declinare potest, qui plus fidit bovis cerebro quam ingenio proprio aut arti suæ, in eligendis herbis refrigerantibus vel emollientibus.

§. 10. Apage indoctum ac rude pecus! Stercus & urina illorum sint fercula digna, qui Artis Medicæ nobilissimæ aspergere istam labem non dubitarunt, nunquam iterum eluendam: qui lolium, tritico miscuerunt cacodæmonem imitaturi, h. e. quævis turpia, obscœna, sordida laudatissimis adjecerunt medicamentis, cum tamen Altissimus è terra produxerit pro immensa bonitate sua copiam à viro prudenti nullatenus contemnendorum. Annon justam cavillandi ansam Calumniatoribus suppeditant, me judice, indigni, quorum nomina in Ordine Medicorum Gratiosissimo tolerentur. Itane Artem optimam, prorsus Divinam, conspurcare, ludibrioq; omnium exponi fas est? Non putarim. Quapropter nec materiæ huic tractandæ diutius inhærere mihi est volupe. Colligo sic potius: Quæcunque nauseam inevitabilem ægris creant, Medicosque simplicitatis, imperitiæ vel socordiæ arguunt, ea nomen medicamentorum haut merentur. Atqui sordida illa, Mumia & quæ desumuntur ex Cadavere humano, insecta plus minus venenata, brutorum viscera, partesque aliæ putridæ ac verminosæ, pudenda potissimum atque stercora, cum omnibus inde paratis, ægris nauseam creant inevitabilem, Medicosq; simplicitatis, imperitiæ vel socordiæ arguunt. Ergo Sordida illa nomen Medicamentorum haud merentur.

CAP. III.

De Ignobilioribus & indignis quæ asservantur in Pharmacopolio.

§. 1.

QVanquam nihil tam abjectum ac ignobile sit, quod non aliquando, positis nimirum certis circumstantiis, egregie prodesse valeat; nihilominus ad Prudentiam Medici pertinere arbitror, ut hoc etiam in passu electio instituatur debita; alioqui fieri potest facillime, ut ex contemptu medicamentorum adeo vulgarium vilissimorumque omnis in medentem & medicinam fiducia pereat, non sine præsentaneo & insigni ægrorum damno: Sed ignobiliora occurrunt varii generis, quædam pretio, aliqua virtute, atque alia usu minus celebria. Ratione pretii spernuntur communiter viliora, quibus vel nullum vel exiguum statui pretium potest. Ratione Virtutis respuimus merito exoleta, corrupta & potissimum virulenta. Ratione usus videtur minus consultum Officinam onerare inusitatis atque superfluis, ubi non desunt meliora frequenti constantique usu nobilitata. Verum laboris haud pœnitebit, si paulisper discutere velimus, quæ in pharmacopoliis coacervata huc pertinent.

§. 1. Etenim 1. videmus curiose asservari aliàs *rejectanea*: *Ungulas equi* ante fabri officinam, *Asini* è loco cadaveribus destinato colligendas: *Cornua pilosque hirci*, *pilos leporis*, *pennas perdicis*, *testis ovorum*, non dicam *Ostrearum & Concharum*: putamina *Castaneārum & nucum juglandium*: *nucleos Cerasorum*, *Dactylorum*, *Mespilorum*: *grillos Berberum Rosæ*, *sylvestris* & *semina Citri Limonum & Aurantiorum*: item vilissima hæc, ubivis obvia: *Lenticulas palustres*, *Herbam equiseti*, *folia Quercus*, *Tiliæ*, *Hederæ*, *Salicis*, *Fraxi-*

Fraxini, Pruni sylv. Mori, Corni, Persicorum, Ribium, Mespilorum, Cydoniorum, Vitis, Buxi, folia & summitates Lupuli, folia & Cortices betulæ atque juglandis arboris, Glandes querinas, porcorum paburlum, cum suis cupulis. Hæc & similia, siquidem lacus, arvum, sylva vel hortulus pene omnis fert, ut gratis etiam in magna quantitate haberi queant, mallem ad minimum in Catalogo Medicamentorum officinalium omitti, ne male audiant & Pharmacopœus & Medicus; hic namque putatur tam vulgaria æstimando parum sapere ultra tritissima empyricorum, rhizotomi vel anicularum experimenta: ille videtur omnes congerere quisquilias, saltim ut lucrum exinde majus reportet.

§. 3. Nec dissimilis erit 2. de *domesticis* & culinam quotidie ingredientibus sententia. Numquis à pharmacopola postulat *Lactucam, Endiviam, Scariolam, Acetosam vulg. aut Hispanicam, Petroselinum, Cerefolium, Feniculum, Anethum, Lepidium, Cochleariam, Nasturtium aquat: & hortense*, quippe quæ in acetariis & embammatibus aliisque modis à Coquo præparata omnibus magis arridenr. Quem non delectant *radices Pastinacæ, Pistacia & Pineæ?* item *Pruna, fructusque rosæ sylvestris*, quæ inter alimenta solent apponi haut raro: quemadmodum *Avellanæ, Lampertianæ* præsertim, *Nuces q. aquaticæ, Ficus Hispan. & Massilienses, Dactyli, Amygdalæ dulces, imprimis Ambrosinæ cum passulis* inter bellaria. Quis non pulmenta *ex Amylo vel Oryza Miliove*, aut jusculà ex Lentibus, Hordeo & Avena juxta leges cibarias parata lubentius sumat? quam secundum regulas artis pharmaceuticæ confectas *ptisanas* aut *decoctum Divi Ambrosii, vel hordei simplex atque compositum. Si Brassicæ* tam eximiæ facultates sunt, ut hac medicina teste Plinio, sexcentum annis servatus sit Populus Romanus absque Medicis, cur non relinquimus eandem inter alimenta medicamentosa? Certe dubium est, an officinarum *Lohoch s. eclegma de caulibus* æque salutare sit. *Cancris fluviatilibus* decenter coctis cedunt & *loboch & butyrum* inde confectum. Qui semel gelatinam, quam hodie coquus

quus etiam ex ichthyocolla selectiore parare solet svaveolentem, egregie coloratam sapidamque degustavit, ei nunquam placere poterit *Gelatina CC. vel Eboris, nedum Cranii humani. Butyrum majale* tempore verno nec pauperum negatur mensæ, nemini non gratum quamdiu recens fuerit: postmodum vero amittit omnem gratiam etiamsi stannea pyxide argenteave servetur. Nimirum ægre ferunt pinguia ætatem, atque ideo satius est ex culina quam officina petere *medullam Vituli, Tauri, Cervi, pinguedinem Agni, Leporis, Apri, Porci, Anseris, Anatis domesticæ ac sylvestris, Gallinæ, Caponis & Anguillæ*, si quis tentare illarum vires velit.

§. 4. Videamus igitur quæ *ignobiliora* sunt virtute, ac inter ea 3. commemoranda exoleta, odore scil. sapore ac virtute prædita. Quo ipso tamen non rejicio simpliciter inodora & insipida: sed quæ vires suas amittunt atque sic exolescunt, dum siccantur & asservantur. e. g. *Radix Armoraciæ vel raphani rusticani* prout è terra eruitur & quamdiu succulenta est, saporem habet acrem, antiscorbuticum, summe diureticum, *Rad. & herba Ranunculi* etiam vesicas excitat, *Herba Acetosellæ* cum sibi similibus acidum sapit non ingratum, quemadmodum *Cochlearia, Nasturtium &c.* jamjam oleribus annumerata se sapore suo commendant, quamdiu virent. Sicca nullius pretii sunt. Annon igitur satius foret, ea ex officinis Medicorum dimitti. Nam & hoc pacto felicius in cura morborum progredi poterit Medicus, si præter medicamenta officinalia v. g. in Cura scorbuti habeat nihilo ignobiliora, cibis intermiscenda, quæ citra nauseam copiose crebriusque omnes assumunt. Si *Myrobalani* quicquam valent, *Chebulæ* nempe, *Citrinæ, Bellyricæ, Indæ ac Emblicæ*, tanquam prima purgantia, quod tamen parum est, nisi melle, succo pomorum dulcium aut fortioribus etiam excitentur, longe potiora erunt pruna nostratium cerea & asinina, utpote de quibus certi sumus, quod alvum cieant. Hanc nimirum ob causam à magistratu loci hujus quotannis edicto prohibentur publico, ne quis illa venum exponat, quoniam compertum est dysenteriam

haud

haud raro nasci ab immoderato eorum usu, quem tamen evitare non licet, siquidem uno vel altero nummo emuntur plura, quam stomachus ferre valet sanitate illæsa. Quapropter miror ea loco Myrobalanorum in officinas non recipi; etenim hoc pacto definiri justa dosis, & declinari facillime hypercatharsis posset.

§. 5. Quod si vero exoleta illa, utpote viribus orbata, tolerari nequeunt, quid fiet 4 de *Corruptibilibus* sive iis, quæ brevi temporis spatio rancorem, situm aliudque vitium non tolerandum contrahunt. Id §. 3. monui pinguibus accidere, quod non modo de *butyro, medulla & axungiis*, sed & *de seminibus oleosis atque oleis expressis* intelligendum est; exempli loco sint *pinea, amygdalaque* tum quoque allegatæ, quibus nunc addere licebit *oleum commune & sperma ceti*, ut vulgo dicitur, cum omnibus inde compositis, qualia sunt *Pulvis Haly contra Phthisim, pulv. contra Calculum Augustanorum, unguentum potabile rubrum & viride.* Sed de mixtorum vitiis postmodum plura: hic loci contentus ero simplicibus. Atq; inter hæc ipsa videntur fructus præ cæteris corruptioni obnoxii; *Ficus, Dactyli & Ceratonia* vermiculantur facillime: *Aurantiorum acidorum & dulcium, Citri, Limonum, Granatorum poma* putrescunt citius. Quamcunque vero diligentiam adhibeas in conservandis horum succis, per sulphurationem laguncularum, per olei vel ceræ infusionem, nihil agis; paucos intra dies à pristina & naturali gratia multum remittit sapor: quod itidem accidere solet *succo berberum, ribiumque*, ac multo magis qui dulciores, aquosiores ac minus acidi sunt, *succo Betulæ, Rosarum, Semper vivi, Rubi id. Fragorum, Mororum, Pomorum borsdorff: Cerasorum, Cydoniorum.* Ut de omphacio s. immaturo uvarum succo nihil dicam. Salva igitur conscientia hos quoque succos cum fructibus suis ex officina ejicere possumus, liberum relinquentes Pharmacopœo, si à quoquam tale quid præscribatur, ut habita ratione temporis vel ab hortulanis, vel institoribus exoticorum fructuum, hic Lipsiæ Italis, defectum suppleat. Neque id vitio cuiquam verti potest, cum

nullatenus teneatur facile parabilia & aliunde melius impetranda in promtu habere, alioquin etiam vinum, lac, serum lactis, ova crustam panis & alia innumera suo inserere Catalogo deberet.

§. 6. Cur vero tolerantur 5. *virulenta* & manifeste nobis infensa? Haud vereor id pronunciare de *lapide Armeno & Lazuli*, qui veram Cupri mineram in se continent, eo copiosiorem, quo plus cœrulei coloris habent. Evertunt autem ac erodunt stomachum pro more venereorum; ideoque lavantur multoties, ut acrimoniam & vim exurendi amittant, atque sic melancholicis ac maniacis propinari queant. Enim vero ponamus in morbo desperato illorum usum aliquando innoxium fuisse: ponamus etiam inter purgantia Lazuli convenientissimum esse ratione substantiæ lapidosæ, quæ acidum in hujusmodi affectibus peccans insimul destruat: ergone vim habet exhilarandi, aut Cordialem, promiscue omnibus laudandam, quando per accidens quosdam juvat, humores præcipitando & exturbando acres? Occultatur autem Lazuli epithymo, polypodio, stœchade, spica Indica, succo eupatorii apiique *in pilulis Indis Haly*: epithymo, polypodio, aniso ac endiviæ succo in *pilulis de lapide cyaneo Mesue*; epithymo, aniso, fœniculo, mastiche fœniculique succo *in pilulis de 5. Myrobalanorum generibus Nicolai Alexandrini*: *In Electuario Diasenn. ejusdem Nicolai* idem Lazuli temperatur cum bolo (rectius quam lapide juxta græcum Codicem:) Armena, avellanis, saccharo, cinnamomo, spica Ind. Sem. ocimi, folio Indo, croco, fl. rosmarini, melle despumato & aromatibus omnis generis: atque ita fortassis nihil ageret in minore dosi, nisi stimulus ex colocynthide, scammoneo vel helleboro adjiceretur. Ast in *confectionem Alkermes* recipi eundem tanquam corroborans, ridiculum est, certe absonum: vide Casp. Hofmanni Paralipom. Offic. Cap. 76. Quid valeat *Tinctura Lap. Lazuli* & quæ huic affimis *est lunæ cærulea*, nemo non intelligit, cui cupri natura quadantenus perspecta est. Ad virulenta referri ex vegetabili regno possunt *radix*

dix & semina esulæ, semen Ricini cumprimis nigri, vulgo *granatilli*, *nux vomica* & *Anacardium*, quod præter omne meritum suum ad imitationem Lazuli commendatur tanquam analepticum. In affectibus Capitis Cordisque, imprimis usitata est *Confectio Anacardina & mel anacardinum*; sed audiamus Joh. Jonstonum Lib. 2. de Arb. p. 157. Melligo Anacardiorum exulcerat, inflammat, & sanguinem adurit; eodemque tota India pro caustico utitur. Atque ego (verba sunt Foresti Lib. IX. obs. 23. in scholiis :) in ea sententia fui semper & hærere constitui, nusquam experiri infamia, quum meliorum copia suppetat. Quandoquidem temerarium & insignis stultitiæ argumentum est, in ancipiti medicamine periculum facere, cum id nulla cogat necessitas.

§. 7. Porro ignobiliora 6. sunt plurima vel omnino *inutilia vel insitata* etiam. Annus labitur priusquam ex Officina quis appetat *Radices Allii & Porri; Agrimoniæ, Amaræ dulcis, Aquilegiæ, armoraciæ sylvestris, artemisiæ, asparagi, Chelidonii minoris, Cucumeris asinini, Cyclaminis, Graminis, Hyoscyami, Quinquefolii, Plantaginis Maj. & min. Sgammariæ, Verbenæ, Ulmariæ aut Lignum Aspalati, Buxi, Cypressi, Cydoniorum, vel Cortices berberum, Laureolæ, Frangulæ, Sambuci atque Tiliæ, radicis Fraxini, Mori, Quercus*: vel *Herbas amaræ dulcis, Amaranthi, Anonidis, Bardanæ, Bistortæ, Borraginis, Buglossi, Lavendulæ, Cannabis, Cardiacæ, Cardui Mariæ, Caryopyllatæ, Citerbitæ, Convolvuli, Cotulæ, Fabariæ, Cucumeris asinini, Enulæ, Filicis, filiculæ, flammulæ Jovis, Geranii malvatici, moschati & Rupertiani, Gallii, Gnaphalii, Lapathi acuti, Lysimachiæ purp. Lunariæ, Melampyri, Succisæ, Nummulariæ, Nymphææ, Ophiogloss, Persicariæ, Polygoni, Saponariæ, Scrophulariæ, Stœchadis citrinæ, Taraxaci, Sedi vermicul: Umbilici veneris, Vulvariæ, item folia Cupressi, Ebuli, Veratri albi, Ficus, Mezerei, Myrtillorum, Oleæ, Ricini, Tamariscis; pariter Flores epaticæ albæ, Fumariæ, Jaceæ, Lupuli, Petasitidis, Saxifragiæ, Siliginis, stœchad. citrinæ: Fructus cornorum exsiccatorum,*

torum, ribium, sorborum, Halicacabi, baccas & semen asparagi, solani ac Ruscі, Ebuli, hederæ arboreæ, Laureolæ & ipsam nucem Indicam; semina Cerefolii, Ciceris albi, Cichorei, Cochleariæ, Colocynthidis, Eryſimi, Ervi, Galegæ, Geniſtæ, Hyperici, Hyſſopi, Majoranæ, Meliſſæ, Mercurialis, Nicotianæ, Paſtinacæ, Perfoliatæ, Polygoni, Portulacæ, Raphani, Roſmarini, Sanguinariæ, Saxifragiæ, Spinachiæ, Thlaſpi Cret. & vulg. Si ad præparata reſpiciamus, cui bono *cineres Apum, Ciconiæ, Corvi, Noctuæ, Picarum, Reguli, Erinacei, Talpæ, Leporis martii ejusque pilorum, Equi pilorum?* &c. *tot aquæ diſtillatæ, ſalia fixa, Extracta, pilulæ, anditota,* quorum omnium ne decima quidem pars in uſu eſt? ſed de his Cap. 6. & 7. dicendum erit.

§. 8. Merentur igitur 7, *ſuperflua* quoque lituram, nam & hæc ignobiliora ſunt in reſpectu meliorum, quæ in Officinis proſtant. Numquis utitur *integris mandibulis lucii piſcis, Lapidibus Cancr. & percarum, matre perlarum vel Corallina, fragmentis coraliorum, Alabaſtro, Cryſtallo montana, lap. nephritico, fulminari, judaico, hæmatite, Tutia, Nihili, Opio, Scammonio, Vitriolo albo aliisque* innumeris, quamdiu *cruda* ſunt; annon ſufficeret nominaſſe pulveriſata vel præparata? Eccur deteriora ſimul cum electis aſſervantur? v. g. *Tragacantha, Thus, Myrrha communis*, i. e. ſordida & impura; Si *Cardamomum Maj.* ignobilius eſt minore, & *Galanga Major* minore, *Santalum rubrum atque album* flavo, *Mentaſtrum* Mentha, *Papaver nigrum* albo *Caſſiæ lignea* h. e. Cinnamomum ſylveſtre Zeylanico; *Nux moſchata mas* rotundiore fœmina, cur non negligimus ea ſervatis optimis? Undecunque afferatur *Thymiama*, plerumque fatuum, ſiquidem juxta Bauhinum Lib. IX. p. 342. cortex arboris eſt ſtyracifluæ, dignum haud cenſeo, cui locum in Pharmacopœa demus, quamdiu ſtyrax liquida & ſicca tolerabili emitur pretio. Eum vero ſtultiſſimum jure dixeris, qui *Lignū lentiſci*, cummuniter verminoſum, rarū tamen, eligat præ maſtiche, matris ingloriæ prole pulcherrima. Qui unquam obſervavit in terra

Gold-

Goldbergensi dulcedinem quasi lacteam, ei haud placere poterit *bolus alba*, præsertim *bohemica*, nobis usitata, cui sapor magis argillaceus inest & ingratus.

§. 9. Hæreo, annon ad superflua pertineant *æquipollentia* illa, quando duo vel tria aut etiam plura pro eadem intentione asservantur, quorum tamen facultates nihil inter se differunt, aut certe modicum. e. g. *amygdalæ ambrosinæ* non nisi magnitudine discrepant *a dulcibus* reliquis minoribus: *Folia Betæ rubræ & albæ* colore tantum. Quid juvat seorsim reposuisse radicem *Doronici Romani & Austriaci, semen Lactucæ comm. & Italicæ, Crocum Orientalem & Austriacum, Viscum quernum, tiliaceum & Corylinum, piper nigrum, album & longum.* Aut enim virtute paria sunt aut imparia; si paria, perinde pharmacopœo erit, quodnam sub nomine Doronici, Lactucæ, Croci, Visci, Piperis præscribat Medicus: si vero imparia sunt, cur non eligimus quod optimum est, spreto minus efficaci. Ne quid dissimulem, existimo varietatem istam potius ad pompam quam usum comparari, ut longiori serie recenseri queant, e. g. *flores rosarum albarum, incarnatarum, centifoliarum, rubrarum, sylvestrium, Viriolum album, commune, cypreum, Romanum, Ungaricum*; quasi vero non sufficeret unum vel alterum ex omnibus. Nam & illa superflua mihi videntur, quæ nisi nomine viribus tamen æquipollentia sunt. Estne singularis aliqua virtus in *pinguedine Muris alpini, Taxi, Vulpis, Ardeæ, Asciæ, Ciconiæ*, quam non inveniamus in axungia quadam domestica, quotidie recenti adeoque meliore. Largior fumum accensarum *Blattarum byzantin. Pilæque marinæ* in passione hysterica prodesse, nemo tamen est, qui non lubentius pennas, crines, picem ac sulphur, non dicam soleas calceorum attritas & similia prout in manus veniunt, adhibeat, præsertim ubi suffocatio urget; tunc enim posthabitis exoticis optima sunt proxima i. e. facile parabilia.

§. 10. Equidem erunt, quos haud pigebit ad salvandam varietatem Simplicium, vel etiam Compositorum, plures allegare rationes. Videlicet quædam commendabit Autoritas Veterum, alia Curiositas & diligentia recentiorum. Ecquis determinabit in casu dubio, e. g. an Crocus Austriacus sit præferendus Orientali &c. quamdiu nemo in universum Classicam Autoritatem in Medicina possidet. Quod Capita tot sensus; neque dissensus, credo major est in orbe toto, quam Practicorum in una Civitate, siquidem is demum præ cæteris experientissimi nomen se meruisse putat, qui nil intentatum relinquit, ac tandem aliqua singularia minusque nota eligit, sancte pro secretis custodienda. Dum igitur quisque sibi soli sapit, nihil emolumenti redundat in artem de industria suppressam. Nescio an sperandum, optandum tamen est, ut tandem aliquando instauraturi collapsam Medicinam consentirent de certis regulis ac legibus fundamentalibus, in quarum defectu cuilibet quod libet licet. Ego interim sub finem hujus Capitis argumentor ad hunc modum: Quæcunque minuunt existimationem Medicorum & Pharmacopœorum, falluntque spem ægrotantium, ea indigna sunt, quæ asserventur in officinis. Atqui modo recensita ignobiliora, rejectanea, exoleta, corruptioni facile obnoxia, virulenta & inutilia minuunt Existimationem Medicorum & Pharmacopœorum, falluntque spem ægrotantium. Ergo indigna sunt, quæ asserventur in officinis.

CAP.

CAP. IV.

De Dubiis, Spuriis ac erroneis, quibus tutò fidendum haud est.

§. 1.

COnqueruntur de infido experimentorum successu non Physici modo, sed magis adhuc Medici, & quidem Practici. Quando certissimum aliquod remedium, per plura secula decantatum frustra præscribitur ægris: quando effectus plane contrarius sequitur, e. g. vomitus post usum stomachici remedii, diarrhæa post sudoriferum assumtum, atque sic porro. Tum vero refugium quidem haud deest, idiosyncrasia ægrotantium, viscerum atonia, morbi repugnantia, naturæ motus symptomaticus criticusve. At si Officinam visitaremus, veram plerumque causam in erroneo deprehenderemus medicamento. Non miror autem in tanta simplicium copia per imperitiam, negligentiam aut malitiam Rizotomi, Myropolæ omniumque qui circa collectionem, præparationem, conservationem, distributionem Materiæ Medicæ occupantur, peccari tota die, vel decipi etiam satis oculatos, hinc quamplurima dari dubia, supposititia, adulterata & omnino falsa; ita ut rebus sic stantibus petere medicamentum ex Officina summe periculosum existimem. Sufficiat hac vice saltem ea, quæ utplurimum fiunt, annotasse: plura suppeditare poterit inspectio & examen paulo curatius.

§. 2. Prodeant igitur 1. *dubia*, pene dixerim deperdita & obsoleta, quæ in honorem Veterum his etiamnum diebus asservantur, si non in pyxide, certe in titulo. Quæ *radix* est *Been albi rubrique*, ut mercantur admisceri corroborantibus, in speciebus Cordial. Alex. Bened. Cordialibus temperatis August. de margaritis Calid. & frigid. de Moscho dulc. de Xyloaloë, de Gemmis calid. & frigid. Lætificantibus Gal. & Rhas. Liberantibus Aug. ast. Pleres archont.

Tale

Tale quid frustra expectabimus à radice Limonii maximi, quæ ut plurimum Behen rubrum dicitur, & Lychnidis sylvestris radice quæ album repræsentare debet. Ejusdem dignitatis plura occurrunt, si Clarissimi Salmasii Exercitationes de Homon. Hyl. Iatr. consulamus. *Costi* olim geminas species, aliam rubentem amaramque, aliam albam haud amaram extitisse, imo Dioscoridem tres potius notasse, Arabicam albam & odoratam, Indicam nigram, atque Syriacam colore buxeam, neminem fugit; cum nullo tamen ex omnibus his conveniunt, quæ jam habentur sub nomine Costi radices atque cortices. Ita & Rha veterum revera diversa radix est ab hodierno *Rhapontico*, *Rhabarbaro* & *Rha monachorum*. *Helleborus niger* alius Theophrasti, alius Dioscoridis est, alius qui verus Hippocratis dicitur. Turpethi nomine appellarunt Græci atque Arabes radicem vel Pithyusæ, vel Alypi, vel Tripolii; à quibus omnibus differt hodie usitatum Indicum, quale Celeberr. Hermannus in Hort. Acad. Lugd. Bat. p. 177. & seqq. accuratius delineavit sub titulo Convolvuli Indici alati maximi, foliis Ibisco nonnihil similibus, sicuti ex adjecta inibi figura patet.

§. 3. Nempe incerti tamdiu sumus, quamdiu simplicia hodie usitata non ex asse respondent veterum descriptioni ratione coloris, odoris, saporis, figuræ, substantiæ, virtutis, & si quid aliud notatu dignum in iis observatum fuerit. Equidem determinare non ausim, an major culpa sit antiquorum autorum, interdum haud sufficienter, forsan etiam falso describentium sua remedia: an posterorum ac modernorum, quid pro quo arripientium citra inquisitionem prolixam. Quid si veteres suo etiam tempore fuerint decepti? quemadmodum ipsum Dioscoridem circa Cinnamomum, Canelam, Malabathrum aliaque plura valde verosimile mihi est, postquam hæc ipsa tam anxie quæsita sunt à curiosioribus, sed frustra, utpote quæ prout ab Autore describuntur, nullibi apparent. Quidsi mera saltim nomina reperiantur absque ulla descriptione, sicuti e.g. in unguento de Citriis Nicolai *Entalia* & *Dentalia* seu po-

ius

tius Antalia ac Tentali cum *lapide borachio*, anne sufficit hujus in locum recepisse Borracem? in illorum vero defectu vel conchulas venereas albas ad mentem Valerii Cordi, vel tubulos striatos ac leves juxta Schrœderum: vel ex Capite aselli lapides dentatos ad imitationem Pharmacopœorum Londinensium, teste Dale Pharmacologia pag. 656. Exotica namque in eo infeliciora sunt, quod facilius præ cæteris dubia reddi queant; dum enim de manu in manum aliquoties traduntur, ansa datur errori frequentissima. Videlicet è manu Africanorum, Indorum, Turcarum Persarumque, qui primi talia impetrant, sæpissime ignari tam linguæ peregrinæ quam materiæ Medicæ; atque ita Colores mercantur cæci. Nihilominus inter alia forte aromata efferuntur ad nos: qui vendit rem ignotam, ne damnum patiatur, admiscet eam aliis, cum quibus aliquam similitudinem habet: qui emit, securus jam est, ac sæpe sibi gratulatur, si rarum quid sub certo nomine impetraverit, etiamsi nil minus sit, quam cujus appellationem habet. Decursu temporis tamen obliteratur error commissus, usuque continuato locum genuini occupat, quanquam aperte falsum sit.

§. 4. Id testantur 2. *Supposititia*, quæ non tantum substituuntur modo allegatis semper ambiguis, sed & aliis rebus, quas recte novimus; saltem ut in defectu legitimorum, si desiderentur, succedere queant. Vulgatissimum est vice *calami aromatici* dari radicem Acori; pro *ligno Nephritico* Mexicano Brasilianum: pro *Radice Chinæ* veræ Orientalis candidæ Peruvianam rubentem: pro *Terebinthina* lacrymas abietis laricisve: pro *Rad. Asphodeli* Martagon. pro *Rad. Hermodactylorum* Colchicum: pro *succo Acaciæ* succum pruneolorum agrestium: pro *Styrace liquida* expressam è nucleis: pro herba *Dictamni Cretici* fatuum Pseudo-dictamnum: sem. Myagri pro *Sesamo:* Smyrnii pro *Petroselino Macedonico: Lathyri* pro Cicere albo. Quid est *lapis Bufonites?* fabulantur non pauci, eum in capite bufonis annosi nasci; ast nemo inibi eum

reperire unquam potuit. Recipiunt ergo alii Echinometritem, ut recte appellatur à Menzelio in Eph. Germ. Dec. II. An. IX. obſ. 72. alii Conchitem, quod noſtrates communiter faciunt; jam vero conſtat eosdem lapides nil aliud eſſe, quam dentes molares lupi marini, qui alias etiam Oculi ſerpentum vocantur. Confer Imperati Hiſt. Nat. Lib. XXIV. Cap. 23. & Merret Pinac. Rer. Britann. pag. 210.

§. 5. Majus eſt, ſi ex inſtituto naturalia per artem imitaturi præparent miſceantque doloſe, ut veri ſpeciem habeant intrinſece ſpuria. *Aſphaltum* quod vulgo divenditur, mixtura eſt à bitumine Judaico multum aliena. Quomodo *Ebur* ad analogiam *foſſilis* calcinetur, me haud fugit; cumque nuperrime *Unicornu foſſile* hoc pacto paratum mihi exhiberetur, non fuit arduum fraudes detegere, ſiquidem ſerra diviſum oſtendebat ad oculum partem externam tantum fuiſſe mutatam interna omnino ſalva. *Borrax* factitia fortaſſe Aurifabris ad metallorum fuſionem idonea eſſe poteſt, ad medendum par nativæ ſ. genuinæ nunquam erit. Quid ſit *Sal Indus* clariſſime docet Plinius Hiſt. Nat. Lib. XXXI. Cap. 7. nempe foſſilis ex Oromeno monte, hodie vero vel ſaccharum porrigitur, ſi à Pharmacopœo id poſtules, vel Sal quoddam anguloſum, quale à nitri coctione ſuperfuiſſe vidi. Nomen *Boli Armenæ* imponitur Würtenbergicæ, Noricæ, Reichenbachenſi, Numburgenſi. Quæ ſigillo Turcico notatur *Terra* pro *Lemnia* venditatur, quæ tamen vix unquam genuina pervenire ad nos ſolet, ſiquidem & in patria inſtar rarioris Theſauri ſervatur, & in Conſtantinopoli extra Regis palatium non niſi ſpuria eſt, prout experimentum contra venena incanibus inſtitutum a Tavernier abunde confirmat.

§. 6. Nihilo meliora ſunt 3. *adulterata*, quando ſimplicia in ſe quidem bona per adjectionem rerum alienarum augent in pondere, ut majus exinde lucrum captent. Quomodo Saccharum Amylumque addatur *Mannæ Calabrinæ: Caſtoreo* ſangvis renefve caſtoris cum Gummi ammoniaco ſubacti: *Sennæ Alexandrinæ* Italica

lica vel etiam Coluteæ folia: *Ladano* terra nimis copiosa: *Asæ fœtidæ* sagapenum: *Opobalsamo* Arabico Terebinthina: *Croco* flores Carthami: *Mercurio vivo* plumbum stannumve: *Mercurio sublimato* Arsenicum atque sic porro, id quidem à Cordatioribus hinc inde annotatum atque prohibitum, nihilominus huc usque usitatam deprehendimus tota die. Præ cæteris experiuntur malitiosum hoc augmentum pretiosa, ne labori præmium desit, in specie *Ambra*, *Moschus*, *Zibethum*. Qua ratione id fiat, differere pluribus haud consultum puto. Cui lubet, evolvat Jacobi Sylvii Tr. de Adulteriis simplicium Medicam. cognosc. item Lisseti Benantii declarationem Fraudum apud pharmacop. commiss. nec non Joh. Ant. Lodetti Dialogum de Imposturis nonnullorum Pharmacopœorum.

§. 7. Nec præterire 4. *defraudata* seu expilata possum; quæ in eo distare ab adulteratis videntur, quod non per additionem sed subtractionem potius depravata & quasi deflorata sint. De *Styrace*, ut communiter in pane vel massa venum it, certum est, ejus meliorem partem forti expressione fuisse subductam. Atque hoc genuinus est Styrax liquidus: impetrari tamen difficillime à Myropolis potest, quod opportune recipiatur ad pretiosiora odoramenta; non nisi residuum ergo distrahitur sub nomine Styracis, uti clarius apparet, si vera & illibata Styracis grana spectemus. Similiter artificium leve sed gravius est flagitium è *Caryophyllis* integris extrahere oleum, iterumque fatuos permiscere cum bonis, ut secunda vice quæstum faciant in iis, alioqui rejiciendis. Nec vana est, me judice, suspicio, quam de cortice *Cinnamomi* fovent nonnulli, eum si plane insipidus ac inodorus reperiatur fortasse per macerationem suas amisisse vires. Quanquam enim non ignorem, præstantissimo adjici vilius ad fallendos emptores, nec diffitear temporis diuturnitate perire fragrantiam ac suavitatem nativam; nihilominus id opinionem meam admodum firmat, quod avaritia & fraudulentia in aliis pasibus plurimorum Institorum notissima sit. Accedit, quod non semel audiverim à fide dignis, statim in Zeylon simile

quid tentari, ac ne illud quidem Cinnamomum, è quo magna olei portio extracta fuit in totum reſpui, quin potius adjiciatur præſtantiori, ut una cum eo evehatur ad exteros.

§. 8. Quid vero 5. de iis dicam, quæ penitus *falſa & erronea* in Officinis extant? Sunt profecto Medici Celeberrimi, qui nec *lapidi Bezoar* fidendum exiſtimant; quoniam vix ullus apud nos inveniatur niſi factitius, adulterinus; vide Caſp. Reies Elyſ. Juc. Quæſt. Camp. Quæſt. 67. 24. Talem omnino falſum oſtendere cuilibet poſſum, prout eum ſub nomine Bezoar è Coromandel ante aliquot annos accepi à peregrino Mercatore, qui plures hujus generis diſtrahebat pretio inter Orientales & Occidentales quaſi medio. Sed mirum haud eſt, in pretioſis tantas commiti fraudes, cum operæ pretium ſit, magna mercede fallere: nam & in vilioribus id fieri aſſolet. Ita vidimus non ita pridem *Lapides cancrorum*, ex argilla uſta confectos, huc allatos venditosque. Detegi autem impoſtura non difficulter poteſt, ſi talia ſimplicia fuerint adhuc integra; quis vero dijudicabit ea, quando pulveriſata, vel cum aliis permixta ſunt. Qui *Margaritas præparatas* emunt, caveant ſibi, ne matrem perlarum oſtrearumque carius coëmant: neque Cornu Cervi uſtum obſervari facile poterit, ſiquis lapidibus Cancrorum & Percarum, Coralliis albis, Cryſtallo, mandibulis Lucii piſcis pulveriſatis & præparatis etiam liberalius addiderit. Has atque ſimiles fallacias cum expreſſe interdicat juramentum Pharmacopœorum, (ſi modo hi jurati ſint) non metuerem in Officinis. Poſtquam vero alii Simplicium inſtitores nullo jurejurando coërciti eadem præparata impune, ipſis etiam Pharmacopœis, venditant, vereor, ne hoc quoque pacto fallant & fallantur. Nec enim ſemel notavi deſtillatores ad nos veniſſe duabus ſaltim lagenis inſtructos, quarum una continebat. Spiritum Nitri, Aquam fortem, Aquam Regiam, Spiritumque Nitri Bezoarticum: altera ſuggerebat Spiritum Vitrioli communem, Vitrioli Martis & Vitrioli Veneris, Spiritum Sulphuris, Salis, Vitrioli philoſophicum & quicquid poſtularent

rent Emtores: atque inter hos postremi haud fuere Pharmacopœi.

§. 9. Dicam plura. Cum ante aliquot annos cura Horti Medici mihi committeretur, primusque labor à me hortulano injungeretur, ut quæ nimis luxurientur vulgatiora, erueret, noluit hic abjicere herbas tam copiosas nulloque negotio colligendas; me igitur inscio ingreditur Officinas, ostenditque de singulis manipulum. Eligit ergo Pharmacopœus non incelebris Tragopogon, Nepetam & Lychnidem viscosam latifoliam seu Viscariam. Dictum factum, coacervantur desideratæ plantæ, offeruntur recentes adhuc. Postquam insignem harum quantitatem exhibuisset, venit ad me schedulamque, in qua tot corbes Scorzoneræ, plures Calaminthæ, totidemque Centaurii minoris se accepisse fatetur Pharmacopœus, quorum omnium tamen vix vestigium antehac apparebat in Horto. Hæc dum scisciter mirabundus, affert Hortulanus de singulis quæ dederat specimen, atque sic certior redditus deprehendo Tragopogon pro Scorzonera, Nepetam pro Calamentha, Viscariam pro Centaurio minore fuisse in Officinam illata, & jamjam debite soluta. Non potui proinde, quin dolerem Pharmacopœi, Medici & ægrorum, utpote simul deceptorum, vices; nolui tamen invidere Hortulano illud qualecunque laboris solatium. Sic mundus vult decipi. Ego autem de hoc errore lubenter monuissem Officinæ Dominum, nisi metuissem, ne ægre ferret, si ei quasi exprobrassem vel imperitiam vel negligentiam adeo turpem. Ast quis falsa castigat, quæ à rizotomis inferuntur quotannis, ubi haud raro majus periculum subest: quemadmodum novissime vidi semen Phellandrii sive Cicutæ paluſtris pro semine Sileris montani à rustico herbario illatum; ut alia taceam.

§. 10. Hæc cum ita se habeant, nemo non perspicit, quam necessaria sit & Officinarum Reformatio & Visitatio frequentior, sed seria; in horum neglectu pessime consultum est iis, qui exinde vel sibi vel aliis certum pollicentur auxilium. At quam longissime abest ab incertitudinis & insufficientiæ culpa, quam exercemus Medicinam innocentissimam; nihilominus male audit, patiturque criminationes immeritas, quæ potiori jure caderent in artifices, si modo nomine isto digni sunt, vel ministros, eheu quam rudes. Necto autem ex hactenus allatis hoc argumentum: Quæc. Medicamenta intuta sunt ac deceptoria, ea tolerari salva conscientia nequeunt. Atqui ambigua illa, & supposititia & adulterata, & deflorata & falsa sunt intuta ac deceptoria. Ergo tolerari salva conscientia nequeunt.

CAP. V.

De Superstitiosis, vanis atque anilibus Medicamentis.

§. 1.

Quandoquidem omnis generis & nationis homines, ut supra dictum, suas in Medicinam contulerunt symbolas, dubium nullum est, quin plurima etiam facta sit accessio anilium, superstitiosorum, magicorumque remediorum, id est, omnino vanorum & impiorum penitus. Sane primordia nostræ Artis, quæ in Ægypto fuerunt, dissimulare insomniorum Oraculorumque vanitates haud valent. Quanquam vero his temporibus desierit vetustissima illa poscendi opem & consequendi ratio, non desunt tamen reliquiæ adhuc constanter servatæ ac de manu in manum quasi traditæ: quid? quod etiam nunc implorare lamias ac præstigiatores multis religio nulla est: qui sicut plerorumque morborum causas in veneficia conjiciunt, ita nec remedium aliunde felicius se impetrare

posse

posse putant, quam à magis vel sapiente anu. Attamen plebejorum pessimam consuetudinem haud attenderem, si modo Medici, turpe dictu, se non commaculârent eadem lue, dum ad imitationem Paracelsi ab ipso etiam cacodæmone se quicquam didicisse gloriantur citra pudorem.

§. 2. Bilem profecto commovent ac indignationem, qui nescio quo furore perciti laudatissima Creatoris omnipotentis dona respuunt, sed simiam ejus, utpote mendaciorum patrem, admirari, & quæ ad fallendum suggerit vana consilia, exoscular non dubitant. Ast lacrymis atque commiseratione digniores sunt, quorum infirmitas & hebetudo ingenii non permittit, ut album à nigro discernere queant. Videlicet plures dantur, qui suo diffidentes judicio non audent impugnare tam strenuos ineptiarum defensores: potius ad evitandas lites admittunt libenter quæcunque imperarint arrogantiores ac singularem scientiam adepti, possessores arcanorum. Quapropter alia culpa cadit in remediorum superstitiosorum inventores atque propugnatores pernitiosos, alia in simpliciores vel imprudentes assentatores. Quid multa? si talibus uti crimen est, paucos innocentes habes. Sunt enim superstitiosa longe plurima: quædam aperte talia & crassiora, quædam occulte atque subtiliora: hujus generis sunt pretiosa & rariora, itemque specifica: illius generis sunt, quæ certo modo certove tempore colliguntur vel præparantur, maxime vero phantastica, aut prorsus magica.

§. 3. Dum 1. *Pretiosa* refero ad superstitiosa, facile mihi concipere possum, qualem ab iis gratiam sim initurus, qui malint omnia medicamenta esse pretiosa. Solent ad minimum talia ubique inspergere sive purgandum sit, sive sudandum, sive corroborandum aut quomodocunque alterandum corpus, saltim ut horum prætextu cariora sint omnia. Serio: credisne *Auri foliati* ullam virtutem esse, ob quam mereatur addi Aquæ Carbunculi, Confectioni Alkermes, specifico Cephalico Mich. pulveri Marchionum, Analeptico

ptico Mindereri, Bezoardico Sennerti, Pannonico rubro, contra Abortum &c. Si oculos fallere in animo habes, quemadmodum pilulas inaurare solemus, non repugno; si quid amplius tibi promittis, fallis te ipsum, una cum ægro. Procul dubio ad imitationem veterum hæc fiunt: nam & Aurum atque Argentum simul immiscebat quondam Galenus vel potius Nicolaus & Rhasis speciebus lætificantibus, Mesue Electuario de Gemmis calido & frigido, Avicenna Confectioni de hyacintho; ita & nos cum Augustanis speciebus Cordialibus temperatis. Nec injurius in *Gemmas* ero, si harum quoque facultates tanti non faciam, prout sibi eas plerique concipiunt; sunt enim & fragmenta lapidum pretiosorum non adeo pretiosa, sicuti recipiuntur in Officinas, ut parum absit, quin Crystallus atque Corallia præ illis magis arrideant. Cumque *Margaritæ* minores tantum (majores quippe stultus contundit) ad usum Medicum expetantur, judicent, quæso, cordati omnes atque oculati, annon selectiora Matris perlarum fragmenta iis sint paria, sane potiora.

§. 4. Præsumuntur autem pretiosorum vires ex fundamento satis lubrico excellentiores, hactenus enim nec per experientiam de iis constat plus in medendo prodesse quam vulgatissima quævis: nec sana ratio dictitat ea concreta, quæ ferme immutabilia sunt uti Aurum & Gemmæ, multum valere in morborum cura: si vero Margaritæ non minus quam Bezoar, calculi morbosi sunt, quid me impellit ut credam eos ideo adversus ægritudines alias efficaciores existere? Sed raritas forsan æstimatur in his, aut elegantia, splendor, colorve: quid hoc ad Medicinam? Dicis: ad ornatum faciunt, & præcipue pro magnatibus ditioribusque asservantur; quis enim Principi non malit Perlas orientales quam ossa Sepiæ præscribere a versus ardorem stomachi etiam, vel simile malum levius. Largior: ergone meliores sunt & cordiales? non sequitur. Si pretiosa ideo forent talia, quod efficaciora, nihil monerem; quoniam vero efficaciora putantur quia pretiosa, non possum non æstimatio-

mationem hanc pro verè superstitiosa declarare. Atqui certum est Auro, Gemmis & margaritis suum assignatum pretium fuisse diu ante, quam de usu interno cogitare quisquam cœpit. Fertur opulentioris rustici filius patri suo, cum ægrotaret, passerculum Canariensem, qui ad fistulæ imitationem cantare didicerat, duodecim Ungaris emtum, assatumque ad manducandum apposuisse recreationis ergo. Hic vero degustans rarissimam aviculam, dum nullam hinc sentit virium instaurationem, ah, inquit, mi fili, deceptus es! Si quæ virtus in pretio est, cur non aureos nummos dedisti ad devorandum: continuare namque illorum esum potuissem, quousque libuerit. Sed nec Aurum, credo, & si quæ adhuc pretiosiora sunt, quicquam juvant, alioqui nullus moreretur Princeps: nemo in Orbe novo, ubi Aurum & Argentum, Gemmas & Margaritas tam vulgares audio, quam apud nos silices fluviatiles in ripa: Sic etiam est olitor valde opportuna locutus.

§. 5. Pergamus ad alia, & contemplemur 2. *specifica* superstitiosa; liceat mihi hoc nomine compellare, quæ appropriata vulgo creduntur non alia ex causa, quam quod vel similitudinem aliquam, vel convenientiam propiorem & affinitatem habeant cum certis membris. Signatura & similitudine accedit ad testiculos figura *Boleti Cervini* & *radicum Orchidis*, ergo stimulant ad Venerem: nec puto alium in usum apud Pharmacopœos prostare *Vulvariam*, quam quod ex odoris convenientia judicent illius virtutes. *Folia Melissophylli* ferunt juxta Crollium cordis speciem, (annon etiam Urticæ?) itaque eorum eximiæ sunt dotes adversus Cordis ægritudines. Ita enim *Cervi Cor*, *Ossa Cordis Cervi*, *Aqua Cordis Cervi*, & *Sal* ejusdem mire valent; scilicet si Ambram & Moschum adjicias, prout in *Tinctura Coralliorum cum spiritu Cordis Cervi*. *Dens Lupi* ad facilitandam dentium eruptionem in pueris utilissimus, atque ideo in Officinis asservatur, argento si lubet exornandus. Neque de nihilo est attendere discrimen sexus in ap-

plicandis remediis: eum namque in finem *pingvedo* e. g. *Ursi & Urſæ* aſſervatur ſeorſim in Officinis, ut pro viro maris pro mulieribus fæminæ axungia proſtet extra dubium convenientior. Id olim non obſervaſſe videntur Veteres, dum Ebur commendarunt ſexui ſequiori: his vero diebus haud abs re foret exploraſſe accuratius, annon Vaccæ Marinæ plus quam Hippopotami maris Dens facilitaret partum difficilem. Sed quod mireris, habent etiam morbi ſignaturas ſuas; cumque alias ſimile ſimile nutriat, magis curioſum eſt, ſimile ſimile curare ac etiam tollere; quemadmodum *lapis Microcoſmi* expellit calculum è renibus atque veſica, *pulvis Lumbricorum terreſtrium* vermes ex inteſtinis puerorum. Si hæc vera ſunt, atque adeo fundata in rerum natura, hæreo circa uſum tam frequentem Cornu Cervi, nec enim quisquam hactenus attendit, an ad ampliandas, an tollendas potius cornutorum excreſcentias conducat. Signatura profecto vim aliquam ſpecificam eamque inſignem pollicetur, etiam à cæco palpandam.

§. 6. Scilicet ſapiunt hæc Philoſophiam ſagacem, quemadmodum 3. etiam *ſuperſtitioſe collecta*, tum ratione modi, tum ratione temporis certi. De *cymis Sambuci* notum eſt, adhibitas in acetariis alvum movere, nonnunquam etiam vomitum, præcipue ſi ſurſum decerpantur: idemque facere pulveriſatas, notante Schrœdero in Pharmac. Med. Chym. p. 677. Rationem hanc reddit Helmont de Magn. Vuln. Cur. 170. Nempe Aſarum & Sambuci extremitates auſcultant imperanti phantaſiæ decerptoris, qui imprimit in plantam, hæc magneticè vero in folium, abſens etiam, cum alioqui cocto folio & in potionem exhibito periret virtus phantaſiæ impreſſa, ſi à planta integra magnetiſmus non foveretur. Quid audio? Anne alia eſt phantaſia decerpentis ſeu colligentis cymas: alia phantaſia Sambuci totius vel plantæ id patientis: alia phantaſia cymarum ſeu foliorum coctorum pulveriſatorumve: nempe magnetice inter ſe cohærentium? Anne vero alia etiam phantaſia eſt

Phar-

Pharmacopœi medicamentum præparantis: alia phantasia Medici præscribentis, alia phantasia ægri assumentis? Non video, quamobrem omittere has velimus, siquidem phantasiæ si mavis, stultorum plena sunt omnia. Dabo aliud stultitiæ insignis exemplum, quod idem suppeditat Helmont in Sext. Dig. Alim. Hum. 75. ubi *sanguinem Hirci* peculiari modo, revera phantastico, colligere docet. Ego, ait, pro cruore hircum suspendo cornibus, & crura posteriora reflecto ad cornua: testes abscindo, & recepto inde cruore exsanguem dimitto pro lanione. Cur dimittis? scire pervelim: scilicet quod pudet hujus ignobile munus in te susci pere. Ast pudeat potius te castrationis, quam abjectissimum hominum genus alias exercere solet. His forsan committeres negotium, nisi metueres, ne te irrideant, tuamque curiositatem, profunde adeo excogitatam.

§. 7. Cur tempus balsamicum non observare Autor jubeat, valde miror: notatum tamen id video in Pharmacopœa Augustana, mimirum æstatis principio, Sole Cancrum ingrediente hirci sanguinem esse colligendum: Num quid fictitium cancri cœlestis signum confert ad bonitatem cruoris? Annon Leonis signum fortius est? id enim cum occuparit Sol, monente Papinio, *Pulverem Sympatheticum* longe præstantissimum reddit. Eccur die Johannis Baptistæ non omnia paramus remedia contra tumores, dolores, inflammationes, vulnera & ulcera: siquidem nulla ratio apparet, ob quam *Ligno Fraxini* præcise illa consecretur dies: nam & ante Solis exortum cædere lignum vulnerarium licet. Partiamur operas: si antemeridianis horis vegetabilia congerere oportet, concedamus animalibus & mineralibus, quorum pauciora in Officinis prostant, pomeridianas. Enimvero injurius ero in tot celeberrimos doctissimosque Viros, Carrichterum, Thurnheisserum atque alios, qui tanto cum studio cunctis plantis suum assignarunt sidus, sub cujus dominio majus in medicando robur impetrent. Forsan sapiens dominabitur astris, ut ad nutum ejus quæ velit perfici-

ciant. Erras si hoc credis. Largior messem hyberno tempore nunquam contingere, neque vindemiam verno. Atque hoc sensu verum est, quod vulgo dicitur, omnia tempus habet. Verum quis diem huic labori certum assignare unquam potuit, siquidem maturitatem in frumento uvisque expectare oportet nullo ad sidera respectu habito. Annon irrideretur, qui mala Persica v. g. decerpere omnia simul ex eadem arbore velit; solent etenim successive suam acquirere bonitatem, ut necessum sit priores fructus eandem amittere prius, quam posteriores illam consequantur. Aut ergo singulis pomis asserere peculiare astrum debemus, aut maturos cum immaturis, bonos cum malis edere: quorum utrumque absonum est. Respondeant ad hoc, qui tantum tribuunt influentiæ syderum: imo vero videant ii, ne in DEum omnipotentem injurii sint, qui, quas potestates plantis ipse Creator liberaliter concesit, stellis affingunt. Id dogma Satanas olim inspiravit gentilibus, ut eos à veri Numinis cultu avocaret. Pudeat Christianum talia cogitasse, non ignorantem quod tertia die Creationis tellus cum suis vegetabilibus in debita perfectione fuerit à Deo ter optimo producta: et vidit Deus hæc omnia fuisse bona. Quid igitur ultimum rerum in bonitate sua jamjam creatarum complementum expectamus à sideribus, postera die adeoque post conditas stirpes demum creatis? Id si ponderarent Astrologi nasuti, resipiscerent tandem aliquando. Sed minor apud eos est autoritas Scripturæ sacræ quam paganorũ, alioqui attenderent severissimas Dei comminationes Jerem 10, 2. Mores gentium nolite discere, & à signis cœli nolite timere, quæ metuunt gentes. Esa. 44, 25. Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus & stabiliens terram & nullus mecum: irrita faciens signa divinatorum &ariolos in furorem vertens: convertens sapientes retrorsum & scientiam eorum stultam faciens; &c. Nam & justissimus Judex damnavit omne genus divinatorum, jussitque lapidari ac interfici Levit. 20, 27. Deuteron. 18, 9. & seqq.

§. 8. Quan-

§. 8. Quandoquidem vero hactenus dicta superstitionem arguunt, quæ non simpliciter in medicamentis taxatur, sed quatenus ea certo modo, certoque tempore superstitiose colliguntur, præparantur vel applicantur: lubet nunc etiam 4. *phantastica seu vana in totum* spectare. Instar omnium sint *Amuleta*, quorum gratia in Officinis plurima servantur. *Ætites* de collo suspensus præservare gravidas ab abortu dicitur, femori alligatus promovere partum: *Nephriticus* lapis brachio affixus liberare à calculo: *Bufonites* gestatus à veneno &c. Quale *amuletum contra pestem* paretur à pharmacopæis nostratibus nescio, forsan & ipsi nesciunt, porriguntque aliquando postulantibus, quicquid placuerit. Zenexton autem Helmontii, quod è bufone parare docet in Tumulo Pestis, tam nomine quam opere absurdum est; nec magis æstimandum quam si araneam nuce cassa inclusam appendas. Nimirum antiquissimus est periaptorum seu appendiculorum usus, etiam vanissimus, imo impius. Quotusquisque legit Alberti M. librum de Virtutibus herbarum, lapidum & animalium citra commotionem animi; si vis esse invisibilis, insensibilis, tutus ab armis & tempestatibus, à casu & periculis mortis, victor hostium &c. accipe lapidem Ophthalmium, Mephytem, Terpistritem, Corallium, Orithem, Adamantem &c. Fatetur autem ipse Albertus in libro de Mirabil. Mundi, se legisse libros necromanticos, libros imaginum & magicos, atque sic didicisse ligationes hominum per incantationes, per characteres, per veneficia & sermones non aliunde proficisci, quam ab animæ humanæ grandi ac excessivo affectu, amoris, odii similisve passionis. Idem loquitur Theophrastus Paracelsus cum suis asseclis, nisi quod loco affectuum imaginationem nominet, cujus ope quicquid vult, potest efficere homo, si modo sat fortis fuerit impressio facta. Vide Thom. Erasti Disp. I. de Medic. Nov. Paracelsi pag. 189.

§. 9. Apage superstitiosa! apage *Magica!* nam & hujusmodi deliramenta inter Medicamenta numerantur 5. damnanda. Hoc nomine

nomine si nullum aliud, certe dignissimum est *Unguentum armorum seu sympatheticum Crollii.* Quamvis enim superstitio in genere ad Magiam pertineat, videtur tamen alia levior, alia gravior, ac sæpe tam improba, ut impossibile sit alium ei Autorem præter Diabolum assignare. Novimus, Deo sint gratiæ, pro vulneratis remedia sufficientissima; Cacodæmonis autem inventum est, a legitimis mediis ad illegitima ut transitum faciamus, fiduciæ sive imaginationis aut rectius phantasiæ vires exaggerare. Id tanquam simia Omnipotentis intendit, ut, quas promissiones habet fides piorum, ad superstitionem sive vanam fiduciam quantum possibile transferat. Hoc ut facilius impetret à mancipiis suis, non statim nocere aliis docet, sed etiam juvare. Saccharo igitur arsenicum, ut sic loquar, permiscet ad inescandum glires, hoc est, suavitate miraculorum, aut rectius insolitorum effectuum, allicit credulos. Quid enim aliud est Magia, Incantatio, Ligamentum, quam fiducia in rem vanam ad producendum aliquem effectum mirandum; quem, cum supra naturæ vires sit, à Deo autem utpote naturalium facultatum Autore nullatenus expectari queat, non aliunde quam à Satana deducere possumus. Atque hoc fatentur, qui expressum cum eo pactum inierunt: non fatentur sed dissimulant, scire autem possunt ac debent, qui sub titulo Magiæ naturalis, curæ magneticæ, transplantatoriæ, sympatheticæ idem cum sagis magisque maleficis agunt; adeoque pactum ineunt tacitum. Quem quæso in finem servatur in Officinis utraque *Radix Victorialis*, ut vocant, *longa & rotunda*, scilicet ut vetulæ, Zingaro, militi nequissimo gratificemur, si se aliosve inviolabiles reddere cupiat. Ecquis usus est *Antirrhini* alius, quam ut à mulierculis contra spectra, incantationes & veneficia tam præservationis quam curationis gratia recipiatur, ad balneandum, ad fumigandum &c. Atqui & hoc Nigromantici opus est, per media superstitiosa convocare ac fugare spectra.

§. 10. Hæc cum ita se habeant, nemo est qui non cognoscat miseram

miseram Medicinæ nostræ conditionem, siquidem talia in Officinis vel oscitanter admittimus, vel approbamus temere, qualia citra famæ dispendium aut conscienriæ labem vir prudens ac honestus permittere vel probare nunquam potest. Enimvero commodum est legere vestigia majorum nostrorum; via namque tritissima etiam tutissima erit. Fuere olim qui remedia istiusmodi magni fecerunt; sunt hodie itidem Medici Celeberrimi nihil adversus ea dicturi. Irritus itaque labor universus erit, quem in reformandis Officinis collocare quis velit. Permittamus cuique ut libertate fruatur sua, quandoquidem nil juvat inanem perdidisse operam. Quapropter habeant sibi, qui nec admoniti resipiscere cupiunt. Ego nihilominus ita concludo: Quæcunque remedia sapiunt vanitatem, superstitionem ipsamque Magiam illicitam, ea Medicum haud decent. Atqui pretiosa, specifica, phantastice collecta & applicata sapiunt vanitatem, superstitionem ipsamque Magiam illicitam. Ergo Medicum haud decent.

CAP. IV.

De Male Præparatis.

§. 1.

SOlent pueri, ut tempus quandoque fallant, è pomo pyrove varii generis cibos parare omnia ex omnibus: anseres sine igne assare: pisces elixare sine aqua: ex arido ligno pictoque doliolo elicere incredibilem quantitatem vini ac cereviſiæ, imo & aquæ, si opus, non madefacientis manus. Hæc atque similia summo cum studio summaque cum attentione faciunt, ut jurares rem maxime seriam agi. Pueri puerilia tractant. Haud vereor tamen idem de Pharmacopœis pronunciare, quamvis non artifices amplius sed sapientes, atque philosophi appellari malint: forsan de Medicis etiam nonnullis qui talia tolerant, approbant, jubent vel

vel præſcribunt. Id equidem non miror factum fuiſſe tum temporis, cum labores Chemici adhuc infirmo ſtarent talo, & infantiam, ut ſic loquar, redolerent primam: me potius malè habet, quod videam repueraſcere viros, ſibi placentes & blandientes in rebus nihilo melioribus atque vix tolerandis.

§. 2. Viſitemus paulisper Officinarum Catalogum, vel apparatum potius, aut ſi mavis utrumque; ſiquidem in Catalogo nominantur quædam, quanquam deficiant: alia vicisſim adſunt, quæ inibi non recenſentur. Sunt autem inter præparata quamplurima, quibus non modo carere absque damno, ſed nec uti honeſte poſſumus. Quædam ſunt penitus inutilia viribusque medendi deſtituta: quædam ſupervacaneo negotio parta: quædam imperfecta & quaſi abortiva: nonnulla dubia incertique uſus: alia inepte: alia depravate: alia fraudulenter præparata. Nec enim quisquam conſiderat concreti naturam, neque modum procedendi; ſed quo magis mirabile ac inexpectatum emergit medicamentum, hoc plus æſtimatur, ſi modo laborioſum minusque vulgare fuerit. Equidem unicus alias finis eſt omnium præparationum, tam pharmaceuticarum quam Chemicarum, ut ad uſum commoda reddantur, & ubi neceſſe, quadantenus emendentur ſimplicia; itaque ſeparatur purum ab impuro, utile ab inutili: corrigitur virulentum, nauſeoſum, ingratum, atque ſic porro. Quæcunque igitur præparationes utilitatem nullam habent, neque vires concretorum exaltant, ſed minuunt, eæ tanquam pueriles, ridiculæ ac vanæ omnino rejiciendæ ſunt.

§. 3. Tales in Officinis præparationes notare poſſumus quamplurimas, ſi modo ex effectu judicare velimus. Ita enim obſervabimus 1. *inutilia* non pauca, prout ſupra cap. 3. §. 7. innui: Aquas potiſſimum deſtillatas penitus inodoras & inſipidas. Numquis uſus *Aquæ Pluvialis*, *Nivis* vel *Roris Majalis deſtillati* alius eſt, quam aquæ puræ fontanæ? Cumque ope Veſicæ nihil evocari poſit, niſi quod volatile fuerit, ſatis apparet, huic deſtillationi

non

non aliam subjiciendam esse materiam, quam quæ odorata est, siquidem odor de præsentia particularum volatilium testatur. Itaque s. Regnum Vegetabile s. animale suppeditet materiam, si deprehendantur inodora, rejicienda est merito, tanquam minus idonea, è qua laudabilis aqua destilari queat. Tales sunt aquæ inutiles *Alchimillæ*, *Alkekengi*, *Altheæ*, *Anagallidis*, *Aquilegiæ*, *Asparagi*, *florum Bellidis*, *Borraginis*, *Buglossi*, *Bursæ Pastoris*, *Calcatrippæ*, *Calendulæ*, *Capillorum Veneris*, *Cardiacæ*, *Cardui benedicti & Mariæ*, *Centumnodii*, *Chelidonii minoris*, *Cichorii*, *Consolidæ Majoris*, *Costæ*, *Cucurbitæ*, *Cuscutæ*, *Cynosbati*, *&c. &c.* Ex animali Regno *aqua Albuminis Ovorum*, *Spermatis Ranarum*, *Seri Lactis: Nec melior foret aqua Cordis Cervi*, *Cornuum Cervi tenellorum*, *Hirundinum*, *Picarum*, *Pulmonum Vituli*, nisi alia fragrantiora & utiliora simul, aromatica, & plantæ aromaticæ, adjicerentur. In totum ergo nec laudari nec rejici possunt, sed in tantum, quatenus vel utilia vel inutilia recipiunt. Quis enim *aquam Carbunculi seu Imperatoris Maximil.* respuat, quanquam juxta Schrœderi præceptum flores Borraginis, Herba Endiviæ, Avellanæ, Semen Pœoniæ, Rasura Cornu Cervi, Aurum foliatum, Margaritæ, Ossa de Corde Cervi, Lapidesque Percarum intempestive admisceantur. Sed de his utpote Compositis Capite sequenti.

§. 4. Deinde ad ridicule præparata 2. referri omnino debent *supervacaneo labore facta*. Quid sibi volunt *flores Benzoë?* quid *oleum Camphoræ?* utpote quæ tota substantia æquæ laudabiles sunt. Anne melior est *Lapis prunellæ* nitro puro? Eccur solvimus & præcipitamus iterum *Sulphur*, *Succinum*, *Cornu Cervi & Alces*, *Ebur*, *Dentem Apri*, *Castoris*, *Equi marini*, *Mandibulas Lucii Piscis*, *Matrem Perlarum*, *Oculos Cancrorum*, *Ossa Sepiæ*, *Ova Struthionis* &c. nisi facultates congenitas evertere velimus, quando emendare in *Magisteriis* non licet. Numquid peculiare promittit *Clyssus* vel *Spiritus Antimonii*, *Martis sudorif.* *Æruginis cum Sulphure*, *Aperitivus Penoti*, quod alia non præstent facilius parabilia. Annon

non puerile opus est Nitrum, Sal marinum atque Fossile destruere ac destillare primum, Spirituique acido non sine sumtibus parato iterum adjicere Sal fixum vel volatile, ut in salsum convertatur, sub titulo *Spiritus Nitri vel Salis coagulati* postmodum frustra servandum; nec enim *Spiritus Vitrioli coagulatus*, *Tartarus vitriolatus & nitratus*, *Nitrum vitriolatum* atque similia inter se adeo dissident, quin unum vel alterum eorum sufficere loco salsorum omnium possit. Idem de *Terra foliata tartari* & *Liquore illius* dicerem, nisi quotidianus usus, etiam Medicinæ tyrannus, eum defenderet. Examinemus tamen processum. Annon tartarus calcinatur primum, ut deposita quam habet, aciditate in alkali convertatur: huic vero acetum affundimus destillatum, ut quantum possibile pristinam acquirat naturam; sed per destillationem abstrahendum iterum acetum est, idque opus aliquoties repetendum, si curiosior esse velis. Fac ut in cella fluat residuum, & sic paratus est liquor terræ foliatæ tartari, quodammodo lixiviosus, si paulo fortiorem ignem adhibeas sub finem destillationis. En liquorem alkalino salsum, sed operose paratum, qualem nullo alias negotio impetramus è cineribus vegetabilium, si modo lixivium à sale fixo residuum servemus. Verum nec laboris supervacanei pœnitet, alioqui parcerent ei, quando *Æs ustum & Crocus Veneris vel Martis adstringens atque aperitivus* desideratur, cum è capite mortuo Æruginis atque Vitrioli hæc omnia gratis & copiose haberi queant.

§. 5. Haud magis æstimanda sunt 3. *imperfectè* ac saltem superficietenus *elaborata*. Ecce *Cornu Cervi vel Ebur Philosophice ac sine igne calcinata*. Habes autem utrumque tam ex integro raspatum quam ustum: si gelatina tibi displicet, recipe ustum; si vero fluctuas, optasque medium quoddam, misce pro lubitu cum raspato ustum. Interim Philosophi nomen depone ad hunc actum, quamdiu sine judicio puerile tentas artificium. Numquid aliud est *Spiritus Tartari* quam acidum phlegma, oleo adusto

ali-

aliquantisper impregnatum? atque idem nihilominus ingreditur *Mixturam simplicem*, revera simplicem, id est, minus ingeniosam, item *Tincturam Bezoardicam* sine Bezoar. Si enim aceto vini alexipharmaca virtus inest, cur loco Spiritus Tartari non idem recipis destillatum: nam & adustum sponte fluit, si ad siccitatem usq; destillationem continuare velis; atque ita satacre prodit ut partem aliquam Spiritus Vitrioli affundendi detrahere tuto queas. Quodsi vero majora speras de Sale volatili aut Spiritu Tartari urinoso, facillimum erit è vini fecibus putrefactis eos parare, ut tanta ignis tortura non indigeas, neque additione nitri, calcis vivæ aut silicum, quemadmodum in destillatione *Spiritus Carminativi de tribus*, *aut Amelungi Tinctura Nephritica* fieri solet. Dubito tamen, an hoc pacto nobilius impetres remedium, si hunc Spiritum tartari volatilem cum Spiritu Vitrioli misceas, quoniam ab hujus acore sal illius volatile rursus destruitur; saltem qui mixturam simplicem aut Tincturam bezoardicam ut vulgo paratur, ex acidis, aromaticis, atque spirituosis, utilem quandoque reperit, ejus intentioni neque Spiritus volatilis tartari neque Camphora in majori pondere adjecta satisfacere vel convenire poterit.

§. 6. Quis enim nostrum 4. *dubiis facile* fidat, quamdiu de illorum viribus incerti sumus. Non dicam *Antimonium Diaphoreticum simplex & Martiale*, itemque *Antihecticum Poterii*, modo vomitus, modo alvum, modo sudorem movere, dum initio Antimonium non accurate pulverisatum, ac postmodum cum Nitro non sufficienter fusum fixatumque fuerit; possent namque Pharmacopœi certiores de horum facultatibus esse, si ad horam fluere in Crucibulo illa permitterent; quandoquidem vero in mera detonatione aut leni ac momentanea fusione plerumque acquiescunt, itaque antimonialia raro secure dantur. Ast magis periculosa sunt vomitoria & purgantia dubio processu comparata. De *Auro fulminante* certum est, illud modo ignavum, modo corrosivum existere, quo plus minusve in edulcando eo laborarit artifex;

tifex; atque ideo nemo huc usque illo utitur solo, sed cum aliis maritato, ne vel nihil agat, vel nimium operetur. In præparatione *Tartari Emetici* vel *Croci metallorum absinthiaci* quis est, qui non fallatur? nam & in croco metallorum parando, ac postmodum in digerendo aut decoquendo, ignem vel fortiorem vel leniorem adhibere potest, unde insignis emergit pharmacorum differentia. Idem de *Syrupo Rui i Idæi emetico* metuendum: accedit, quod particulæ antimoniales tractu temporis subsidant fundumq; petant cum saccharo in Crystallos abituræ, unde Syrupus reliquus vim suam paulatim amittit. Minus laudabilis est præparatio *Scammonii Sulphurati vel Diagrydii Cydoniati;* quantum enim arenæ aliarumque rerum peregrinarum adjectum sit, scire Pharmacopœum non attinet, cum tamen exinde justam decernere dosin oporteat. Potius recipit massam, purior an impuriſſima sit, parum sollicitus exponit fumo sulphuris accensi, aut malo Cydonio excavato ingerit ut per coctionem a succo ejus corrigatur. Quemadmodum autem impuritates scammonii hac ratione non removentur debite, ita nec ipsum purgans æquales habere vires solet: quod enim inter fumigandum funditur id enervatur fere, quod intactum relinquitur, non aliud quam crudum est. Pariter in cydoniato se res habet, quo acidius adhibetur pomum, hoc mitius evadit scammonium: quo dulcius maturiusque pomum, hoc fortius supereſt purgans. Sed *Lazuli lotio* non modo dubia sed etiam prorsus inepta est: nec enim Pharmacopœus sibi constat, qualem post loturam velit: si lapidosum optet, cur non crystallum puriſſimam potius recipit aut Saxum purius? si coloratum seu metallicum, cur non optimum eligit ultramarinum? Nihil proinde agit, siquidem ejusdem dignitatis est & quod removet & quod cum tædio servat, & quidem pro conditione mineræ modo magis modo minus nauseosum.

§. 7. Plura

§. 7. Plura si nosse cupis inepta seu 5. recensenda *incongrue facta*, en illustria quædam specimina? *Oleum Perlarum, Carbunculi, Coralliorum.* Numerantur scilicet Margaritæ, Lapides pretiosi & Corallia inter Cordialia, procul dubio si acidus humor in corpore peccet, convenientissima. Sed quis usus erit præcipitantium seu absorbentium, postquam saturata sunt ac penitus dissoluta per acetum, succum Citri, Spiritum Salis aut acidum quodcunque. Si diureticum salsumque liquorem expetas, certare vel etiam pari passu ambulare cum liquore Lapidum Cancrorum aut Nephritico poterunt. Si vero Cordiale desideras medicamentum, insigniter erras. Verum nec Chemici magni nominis desunt, qui *Sal Coralliorum, Margaritarum & Matris perlarum* inter corroborantia miris deprædicant encomiis, atque hoc pacto ad Laudanum opiatum, Elixir uterinum aliaque polychresta recipiunt. Errant similiter, qui nimis volatilia redigere in formam extracti volunt. Quanquam enim per affusum vini spiritum virtus simplicium ejusmodi eliciatur commode, non remanet tamen in fundo, sed abstrahitur simul cum menstruo, ut non nisi magma ignobile utplurimum supersit. Hujus farinæ sunt extractum *Cochleariæ, Liliorum convallium, Rutæ, Salviæ, Majoranæ, Melissæ, Menthæ, Pœoniæ, Rosarum, Violarum, Primulæ veris, & in* genere odoriferarum plantarum. Nec satis attendisse videntur insitam rerum naturam, convenientiam & dissensum, qui *oleum Cydoniorum vel foliorum Salicis* parare docent per infusionem olei communis; quomodo enim cohærent inter se adstringentia & emollientia? Equis fingendus est casus, in quo tale oleum prodesse valeat?

§. 8. Enimvero sunt alia 6. quæ de industria præparando corrumpunt Pharmacopœi; plus minusve prout ipsis libuerit. Macerant nimirum quædam in aceto, ut castrentur, e. g. *Radix Ari, Esulæ, Hellebori, Semen Cumini, Coriandri, fructus Anacardiorum, Gutta Cambodia &c.* Alia torrent ut enerventur, *Rhabarbarum & Opium*: alia comburunt uti Sericum; utque salia fixa in majorem

proſtent numero, cremant vegetabilia aromatica, adſtringentia, refrigerantia, emollientia & anodyna, quaſi vero nativa virtus in cineribus poſt deflagrationem ſupereſſe poſſit. Talis eſt *ſal fixus Angelicæ, Aniſi, Acori, Calaminthæ, Carvi, Caryophyllatæ, Chærefolii, Cinamomi, Cumini, Fœniculi, Hyſſopi, Liliorum convallium, Matricariæ, Meliſſæ, Origani, Petroſelini, Roſmarini, Rutæ, Salviæ, Serpilli, Menthæ, Perſoliatæ, Prunellæ, Tiliæ, Mercurialis, Borraginis, Bugloſſi, Pœoniæ, Althææ, Malvæ, Meliloti, Chamomillæ vulgaris atque Romanæ, Sambuci, Anethi, Nicotianæ.* Si autem ſpecifica virtus inter deflagrandum perit, cur non utimur ſale Tartari vel cinerum clavellatorum loco iſtorum omnium? Quid perdimus reſinoſa vel dulcia, & deſtruimus facultates inſitas, quando ſpiritum atque *oleum è Ligno Guajaco, Maſtiche, Olibano, Gummi Ammoniaco, Melle, Saccharoque deſtillamus?* Annon alia ſuppetunt olea empyreumatica, ut ex oleo communi olivarum in ſe mitiſſimo præparare contrarium plane oleum philoſophorum neceſſe ſit? Iudicent alii, annon Petroleum explere vices hujus & olei ſuccini, & quorumcumque ſimilium abunde valeat.

§. 9. Non aliam vero hujusmodi præparationum prorſus incongruarum cauſam exiſtimo, quam quod gloriæ ſibi ducant Ciniflones, ſi evertere queant omnia; accedit cupido diteſcendi, qua permoti nec fumum vendere ac manifeſte falſa erubeſcunt. Appellabimus hæc 7. *Sophiſticæ præparata.* Inſtar omnium *Aurum potabile ſeu Tinctura Solis*, quæ tamen communiter nil minus quam de Auro participant. Aut enim Auri ſolutionem continet in ſe, tum corroſiva eſt admodum inſtar olei Vitrioli, ut vix unam alteramque guttulam copioſo dilutam vehiculo ægris exhibere queamus: aut ſuavis eſt ac temperata, omnis metalli expers cochleatim ſumenda, ſi eam experiri velimus efficacem. Sed impoſtura eſt enormis, Auro tribuere vires, quas rectius, ſi modo aliquæ ſunt, menſtruis aſſignare decebat, niſi decipere incautos largaque pecunia pretioſam vendere Tincturam propoſitum eſſet. Utinam con-

ſide-

fiderarent hi deceptores pessimi, non æris modo sed etiam vitæ jacturam frequentius ægrotantes facere, dum fraudulento confisi remedio alia meliora magis convenientia negligunt. De *Antimonii Tinctura & Oleo dulci*, ut & de *Sulphure Vitrioli* nihil dicam, nisi quod amplissimis promissionibus Autorum & expectationi miserorum haud respondeant. *Coralliorum* autem *Tincturam intactam* relinquere nequeo, utpote quæ non minus dolosa est quam Aurum potabile. Habemus in Officinis nostris præter simplicem tres adhuc compositas, D. Michaëlis, *antiscorbuticam, sassafratam, & cum Spiritu Cordis Cervi paratam.* Nullum est dubium, quin additamenta suppleant Coralliorum defectum in iis: speciatim autem de Tinctura Coralliorum cum Spiritu Cordis Cervi moneo, eam quidem, nisi Ambra Moschoque animetur, esse vanissimam. An vero mulieribus promiscue, febreque maligna correptis exhiberi secure possit, de eo videant, qui vix quenquam mori permittunt prius, quam hac Tinctura tanquam suprema benedictione donatus fuerit.

§. 10. Magno conatu magnas nugas, i. e. labore plurimo parata nullius momenti remedia vidimus plurima. Itane de corio luditur humano? de sanitate? de vita? Sed quid mirum? quandoquidem his diebus Ars Medendi fere definit esse liberalis, & Medicamentorum præparatio imperitis relinquitur, pro lubitu instituenda. Nec vero sufficit culpam conjecisse in Pharmacopœum, si fortasis remedia non fuerint, qualia esse debebant; Medicus profecto, ut suo satisfaciat officio, tenetur etiam, ne nihil eorum intermittat, quæ profutura ægris novit ac nosse debet. Quapropter & seligere optima, & curam gerere oportet, ut rite cuncta præparentur, ne morbus in defectu remediorum idoneorum ac necessariorum vel protrahatur vel deterior fiat cum ægrotantium insigni dispendio sumtuum viriumque vitalium. Argumentor sub finem hujus Capitis ad hunc modum: Quæcunque Medicamenta implicant nugas, imprudentiam vel imposturam

cum

cum damno ægrorum conjunctam, ea merito rejiciuntur. Atqui Medicamenta inutiliter, ſupervacuò, imperfectè, dubie, inepte, corrupte, ſophiſtice præparata, implicant nugas, imprudentiam, impoſturam cum damno ægrorum conjunctam. Ergo rejiciuntur merito.

CAP. VII.

De Incongrue mixtis.

§. 1.

SI ea foret Simplicium conditio, ut adverſus quemvis morbum ſaltem unicum daretur Medicamentum omnibus circumſtantiis ſatisfaciens, non indigeremus compoſitione aliqua. Quoniam vero pro diverſitate Subjectorum idem morbus ſæpenumero variat, diverſis comitatus ſymptomatibus, itaque miſcere frequentius oportet Simplicia, ut indicationibus ex omni parte ſatisfiat. Fieri autem id ipſum debet cum judicio, ne quid fruſtra, temere vel inepte adjiciatur. Ut enim compoſitio Medicamentorum inſtituatur decenter, attendendum eſt ad Circumſtantias longe plurimas, virtutem, ſaporem, odorem, colorem, conſiſtentiam, quantitatem, numerum, proportionem & ordinem ingredientium. Has qui negligit, miſcere Medicamenta non videtur, ſed confundere, vel etiam corrumpere. Unde nec mirum eſt, ſi frequentius ægri majus levamen auxiliumque ſentiant ab uſu Simplicium, forte à radicum collectore commendatorum, vel ab unguento quodam artificioſe haud excogitato, quam à Chirurgorum, Pharmacopœorum vel etiam Medicorum apparatu omni, ut ut ſpecioſo, magnisque laboribus ſumptibusque comparato.

§. 2. Recipiuntur 1. fruſtra *inutilia* quædam ad Compoſitionem. Quid enim e. g. pro Epithemate Epatis valebit *pulvis Coralliorum ac Spodii*; pro Epithemate Cordis etiam *Fragmentorum Lapidum pretioſorum omnium*, *Oſſis de corde Cervi*, *Margaritarumque* *præpa-*

præparatarum pulvis, externe applicatus? Quid volunt *Entalia* & *Dentalia*, *Umbilici*, *Corallia*, *Crystallus* & *Marmor* in *Unguento citreo* seu *Basilico* Nicolai? Quid *Concha Venereæ ustæ* in *Pilulis de Bdellio?* Quid *Carpobalsamum*, *semen Saxifragiæ*, *Asparagi*, *Ruscі*, *Milii Solis* atque *Rosarum* in *Pilulis Arthriticis?* Nimirum inutilia in hoc passu dicuntur non tantum ea, quæ respectu morbi talia sunt, sed & quæ respectu formulæ, ad quam recipiuntur, inutilia existunt, ac minus quadrant. e. g. *Radicem Ireos nostr: Ebuli* atque *Curcumæ*, *Rhabarbarum*, *Herb. Soldanellæ*, *floresque Genistæ* hydropicis prodesse nullum est dubium; ast qui peculiare *Sal hydropicum juxta Mynsichtum* exinde sibi promittit, vanus est, siquidem facultas horum purgandi per combustionem non minus perit, quam *seminis Erucæ*, *Cumini*, *Cubebarum*, *Nucis Mosch. Macisque* virtus carminativa.

§. 3. Annon frustra miscentur 2. quæ plane sibi *similia* sunt & æquipollentia, e. g. *Sal Cardui Bened. Absinthii* & *Centaurii min.* in *Sale febrili Mynsicht. Corallia rubra* & *alba*, *Bolus* vel *Marga* cum *Terris sigillatis* aut *Creta*: *Radix Althææ* ac *Malvæ*, *Polypodii* & *Glycyrrhizæ*, *Cinamomum* & *Cassia*, *Cardamomum majus* & *minus*, *Piper album*, *nigrum* & *longum*: *Cornu Cervi* & *Alcis*, *Lapides* & *Chelæ cancrorum*, *Mater perlarum* & *Margaritæ* &c. in *pulvere Pannonico*, *Marchionis*, *Anglo*, aliisque Compositionibus passim. Quanquam enim in his atque similibus aliqua deprehendatur differentia; exigua tamen est, nec adeo attendenda, nisi velimus in minimis videri nimis curiosi. Quid juvat *Saccharum albissimum* cum *Cando* atque *Penidio* sociare ad *Trochiscorum Bechicorum alborum* & *nigrorum* fabricam? Nihil frequentius est, quam ad Emulsionem recipi *quatuor semina frigida majora*, quasi unicum ex iis non sufficeret. Vidi hominem pauperrimum & simplicissimum simul, quotiescunque panem ederet quotidianum, primum separasse cum cura crustam & degustasse, post micam, ultimo combinasse iterum utramque partem æquali magnitudine atque in bolos formasse modo una,

modo vel alternis vicibus masticandos. Hoc pacto, ajebat, se posse multiplicem parere cibum ex unico pane. Ego autem misertus hominis, quæro quid potaret? Aquam, respondet, ubique obviam: quot putei, scaturigines, flumina in hac regione sunt, tot mihi potus genera; sed optimus est, quisquis in manus venit sitienti. Hæc ille. Jam vero cogitandum cunctis Cordatioribus relinquo, annon stupidiores sint simplicissimo, qui non raro in potionibus fontanam cum fluviatili h. e. insipidam cum fatua miscent aqua; nec enim aliud agunt, qui *Nucem Moschatam* cum *Mace* in Tragea præscribunt, & in decocto *Corticem Guajaci* cum *Ligno*, quam quod crustam panis cum mica rursus connectant.

§. 4. Pertinent ad vanas Compositiones 3. etiam illæ, quæ *fugitiva & minus durabilia* recipiunt: *Camphorum* e. g. *Sperniola Crollii, & Species de Tragacantha, Ambram* vel *Moschum pulvis Analepticus Mindereri, Cachecticus Quercetani, species Rosatæ, Cordiales, Lætificantes, Liberantes, &c.* In genere Aromata & quicquid odorē de se copiosum spargit, in forma pulverum asservari non debent. Norunt id coquinæ aut matres familias, Cinamomum, Caryophyllos, Zingiber ac Piper, integra potius quam contusa servantes, quod magnam partem suæ bonitatis amittere hac ratione illa experiantur. Annon simile quid accidit in Officinis, ubi plusquam sexaginta species Aromaticæ præter modo nominatas habentur, quarum tamen usus tam frequens haud existit; si vero quoddam eorum aliquando præscribatur, non potest non ignavum ac pene inutile interea fieri. Cur ergo tolerantur? Nec enim adeo ingeniosæ sunt Compositiones, quibus pares non ex tempore discipulus medicamentarii conficiat. Careamus his igitur, & ubi opus, sumamus Aromata & quæcunque odorata potius recentia.

§. 5. Magis ineptæ sunt 4. Compositiones, quæ constant *contrariis ac pugnantibus* inter se, ita ut unum ex ingredientibus destruat alterum, ejusque Operationes impediat; quando videli-

cet

cet ſvaveolentia coëunt cum fœtidis, dulcia cum amaris, refrigerantia cum calefacientibus, humectantia cum ſiccantibus, incraſſantia cum reſolventibus, adſtringentia cum purgantibus, atque ſic porro. Numquid ineptius inveniri poteſt, quam *Caſtoreum*, *Sagapenum*, *Aſam fœtidam* jungi *Cinamomo*, *Ambræ* aliisque ſvaveolentibus? nihilominus id fieri aſſolet in Laudano opiato & hyſterico, in Pilulis fœtidis, arthriticis, &c. Ecquid valet *Polypodium* cum *Colocynthide* copulatum in Pilulis aggregativis? *Glycyrrhizæ ſuccus Abſinthiique* in Pilulis, de Rhabarbaro? Forſan non deerunt, quibus dulcamara placent, alioqui fruſtra pararetur *Syrupus vel Conſerva*, *vulgaris & Pontici Abſinthii*, *Centaurii minoris*, *Chamædryos &c.* Quis *Camphoræ* cum Albumine ovorum, Ceruſſa & Oleo roſato temperatæ *in Unguento ad ambuſta vel Albo Camphorato ſit* uſus, ægri teſtantur eum experti. Annon *Mucilagines Pſylii*, *Lini*, *Altheæ*, *Malvæ* ac *Cydoniorum* deponunt ſuam emolliendi facultatem vel humectandi, quandocunque *Lithargyrium*, *Ceruſſa* & acriora gummata vel reſinæ iis adduntur prout *in Emplaſtro Diachylo*, *Unguento ad hæmorrhoides &c.* Nec temperare Catarrhi acrimoniam vel incraſſare ſerum tenuius poterunt *flores Sulphuris* ac *Magiſterium Benzoë in pulvere Pectorali D. Mich. ubi Radix Ari* copioſior adjicitur. Fortaſſe melius etiam foret ad roborandum ſtomachum ſervare *Cydoniorum fructus*, quam inutiliter terere ac perdere in præparatione *Gelatinæ laxativæ.*

§. 6. Huc referimus merito quoque Compoſitiones illas, quæ *§. nociva in* ſe continent. Vulgo notiſſimum eſt, quam ægre ferant *ſaccharum* mulieres ad paſſiones hyſtericas pronæ; aſt *in pulvere hyſterico Anguſt. & contra abortum* idem non ſuperaddi religio eſt. In vulneratis dum inflammatio adeſt, nocet manifeſte vinum, Spiritus vini, volatilia & acria quæcunque: non verentur tamen Practici ad imitationem D. Michaelis propinare quandam *eſſentiam Vulnerariam*, ex acribus adſtringentibus & reſolventibus paratam cum ſpiritu vini, cui etiam pro lubitu *eſſentiam Mumiæ*

aut Tincturam Myrrhæ infundunt: quo vero cum ſucceſſu detur, ipſi viderint. Quis Phthiſico permittat Piperis eſum? aſt *Confectionem Archigenis*, longo nigroque ſat acuatam, commendant communiter omnes. Verum quæ nominavi, nociva ſaltem ſunt particulariter huic vel illi ſubjecto, aut in certo morbi genere. Sunt alia univerſaliter nociva ideoque prorſus rejicienda, uti *Lazuli* & *Armenius lapis*, de quo Cap. III. §. 6. videri poteſt: item *ſemen Hyoſcyami* ſimiliaque narcotica. Ingreditur autem hoc ipſum *Pilulas de Cynogloſſa*, *Confectionem auream Alexandrinam*, *Athanaſiam magnam*, *Trypheram magnam*, *Philonium Perſicum & Romanum*; dumque in his minor quantitas occultatur Hyoſcyami, haud licet ejus virulentiam ſatis addiſcere, quam tamen, ſi ſeorſim exhibitum fuerit, manifeſte cernimus, quatenus homines mire ſtupidosreddit, quanquam in doſi non excedatur. De *Nuce Vomica* ſane dubito, an unquam ſolitarie quis eam tentarit prius, quam in *Electuarium de Ovo vel Camphoratum Kegleri reciperetur*. Ponamus autem illam vel alexipharmacam vel deleteriam eſſe, quid ſperandum vel metuendum ab ea, cujus ne unicum quidem granum ad integræ drachmæ doſin redit. Sed optimum erit vel omittere in caſu dubio quod ſuſpectum eſt, vel potius totum rejicere compoſitum, ne mutilando formulam injurii ſimus in Authorem.

§. 7. Profecto malim 6. *antiquas Compoſitiones* omnes ſupprimere, utpote *ſine ordine*, *ſine proportione*, *ſine artificio*, aut verius *ſine omni judicio utplurimum conſcriptas*. Quo plura in ils numerantur ingredientia, hoc plura notari poſſunt errata, ut jurare auſim, in quamplurimis non tam fuiſſe illa de induſtria ſic collecta, quam fortaſſe caſu aut per errorem collapſa, corraſa, confuſa, coacervata. Nec enim ratio apparet ulla, propter quam pene innumera in eandem confluant pyxidem, quæ nec inter ſe quadrant, nec morbo rectè opponi poſſunt; Pro polychreſtis tamen, ſi non univerſalibus ac Panaceis, venditantur quandoque Cephalica,

lica, Cordialia, Becchica, Stomachica, Epatica, Splenetica, Diuretica, Sudorifera, Purgantia, Opiata & nescio quæ non ad surdissima, & se invicem destruentia in unum congeruntur cumulum. Adeo inconditæ sunt pleræque formulæ, ut frequentius autor earum videatur studiose ineptire; instar omnium sit, *Mithridatium* & vix differens, nisi auctior foret, *Theriaca*. Ecce tibi *Cephalica* in Theriaca, Nardum Ind: & Celtic. Dictamnum Cret. Stœchadem Arab. Polium Cret. Amomum. Cardamomum & Ammi: *Cordialia* sunt Rosæ, Cinnamomum, Cassia lignea: *Becchica* sunt Trochisci de Scilla, Iris Illyrica, succus Glycyrrhizæ, Thus, Styrax Calamita, Gummi Arab. *Stomachica* sunt Magma Hedycroi, Piper longum, nigrum & album, Zingiber, Opobalsamum: *Carminativa*, Costus, Meum, Acorus, fol. Malabathri, Anisum, Schœnanthum, Fœniculum; *Uterina*, Nepeta, Castorium, Galbanum; *Aperientia*, Myrrha, Marrubium, Chamæpitys, Chamædrys Cretica, Seseli, Thlaspi, Hypericum, Aristolochia, Centaurium minus; *Diuretica*, sunt semen Petroselini Mac. Terebinthina, semen Dauci Cret. *Sudorifera*, Trochisci de Vipera, semen Buniadis, comæ Scordii Cret. Terra Lemnia, Phu Ponticum, Gentiana; *Adstringentia*, Rad. Quinquefolii, succus Hypocistidis, & Acaciæ; *Purgantia*, Agaricus, Rhabarbarum, Sagapenum, Opopanax; *Anodyna* sunt Opium, Crocus. Reliqua *nullius* sunt *pretii*, Chalcitis, Carpobalsamum, Bitumen judaicum. Videlicet in Universum 64. sunt ingredientia, etiamsi non attendamus, quæ ad Compositionem Trochiscorum Scilliticorum atque de Vipera, itemq; ad Magma Hedychroi recipiuntur. Atqui nec hic suffecit numerus, sed à Medicis Romanis & Bononiensibus auctus fuit, usque dum ad 90. ascenderet; nempe addenda erant adhuc varia, Trochisci de Camphora, Scordium nostrum, Folia Card. Ben. Rhapontieum, Radix Tormentillæ, Zedoariæ, Myrobalani Emblicæ ac Chebulæ, Siler montan. Abrotanum, Succus lentisci, &c.

§. 8. Quem in finem, quæso? scilicet ut auctior prodiret Theriaca. Sed ponamus hæc omnia materialiter inter se cohærere optimè; formaliter tamen spectata plusquam puerilem ostendunt simplicitatem. Annon sana ratio dictitat, similia esse conjungenda, contraria separanda: item in exhibendis mitioribus Medicamentis nos liberaliores esse debere, in generosis parciores, atque sic porro. Cur igitur non conjunguntur Anodyna, Purgantia, Aperientia & Adstringentia. Si vero id ipsum nimis laboriosum foret; cur non Radices, Herbæ, Semina, Succi &c. in certas rediguntur classes, aut ad minimum ordine Alphabetico recensentur ingredientia, ut saltem qualicunque methodo digesta videri queant. Quid dicam de Proportione? conceditur largissima dosis, quibus competeret parcior, & è contrario parcissima, quæ largiore propinanda erant. Præscribuntur æquali pondere, quæ plane diversæ naturæ ac efficaciæ sunt; sed inæquali, quorum virtus non dispar est. Exempli loco sit Opium, cujus tres recipiuntur unciæ, Croci drachmæ sex, Gummi Arabicum & Cardamomum in æquali dantur pondere: piperis longi sumuntur Unciæ tres, nigri & albi drachmæ sex. Si rationem hujus rei postulas, nulla reddi potest alia, quam sic voluisse Autores: forsan etiam habuisse alios, quos imitati fuerint; Nam & recentiores putant, hodie adhuc id sibi licere, quod olim haud prohibitum fuit. *Pilulæ de Cynoglossa*, prout à modernis correctæ cum Castorio leguntur in Pharmacopæa Augustana recipiunt *Opii, rad. Cynoglossi, seminis Hyoscyami ana unciam semis, croci Drachmam unam semis.* Quis non probaret potius Croci unciam unam, Opii drachmam unam, unam, spreto Hyoscyamo? Anne Colocynthis æquali pondere cum Hermodactylis, Myrobalanis, foliis Sennæ, Agarico & Epithymo rectè miscetur; id tamen jubet Mesue in *Pilulis de Hermodactylis*, *Nicalaus in Pilulis de Hiera*, *de Myrobalanis & octo rebus* &c. ergo inhærendum est stricte formulis medicamentorum etiam absurdissimis.

§. 9. Enim

§. 9. Enimvero ſi hæ tolerantur vel probantur Compoſitiones, cur non, quotquot in officina proſtant, Simplicia & Compoſita in unam cogimus maſſam? Nec dubium eſt, quin ex innumeris ita collectis unum vel alterum habeatur ſemper, quod cuique morbo directe oppoſitum ſit. Id, niſi fallor, in mente habuit *Matthiolus*, quando ad *Antidotum* ſuum non modo ſpecies ad Mithridatium & Theriacam requiſitas recipit, multisque additamentis auget, ſed præter alia Compoſita ipſam quoque Theriacam ac Mithridatium admiſcet, ſi quid forte in una Compoſitione omiſſum, ut cum altera tamen accedat. Legi autem merentur Zvvelferi Animadverſiones in eam. Plura non addo: jamjam enim & chartæ & temporis pœnitet, huic examini Compoſitorum cæterarumque ineptiarum impenſi. De Compoſitis enim, qualiacunque ſint, conſtanter ſtatuo, deleantur in totum. Indignus namque titulo Medici videtur, qui non quotiescunque velit, ex tempore meliora & ad ægrorum quorumcunque ſtatum magis accommodata præſcribere valeat. Ad nauſeam quippe vidimus, quam parum in hactenus notis Compoſitionibus inſit vel artificii, vel judicii. Argumentor proinde hunc in modum: Quæcunque Medicamenta nec adeo utilia neque neceſſaria ſunt, ſed multis modis inepta, illa ex Officinis dimitti poſſunt. Atqui Compoſita pleraque nec adeo utilia, neque neceſſaria ſunt, ſed multis modis inepta. Ergo ex Officinis dimitti poſſunt.

§. 10. Verum videbitur Cenſura hæc mea Medicamentorum Officinalium non paucis rigoroſior: utinam excitet Viros cordatiores, utinam Principes, qui hoc etiam in paſſu ſalutem publicam curarent, ſtatumque Pharmacopoliorum ſumme depravatum tandem aliquando corrigerent, reformarent. Id mecum optant omnes boni, haud facile ſperant: Cauſam reddit Leonh. Fuchſius in Dedicatione Operis Nicolai Myrepſi h. e. Ungventarii Alexandrini; cujus verba hæc ſunt: *Etſi medicinæ, arti omnium pulcherrimæ, utiliſſimæ ac maximè neceſſariæ, paucis admodum annis pluri-*

mum

mum de priſtino ſuo nitore acceſſit, hæque multum veteris ſplendoris recuperavit: tamen omnibus conſtat, eam partem, quæ de medicamentis tum ſimplicibus tum compoſitis agit, nondum plane eſſe expolitam ſuisque mendis prorſus repurgatam: neque id ſane temere. Nam obſtat in primis rei difficultas & magnitudo, cur ea celeritate, qua cætera hujus artis partes, ſuum ſplendorem nanciſci nequeat. Ut enim ſimplicium quis exquiſite notitiam habeat, atque miſtorum ex iis naturam cognoſcat, huic neceſſe eſt, ut terra naſcentium omnium ſpecies, formas, diſcrimina, qualitates, adeoque vim omnem diligenter expendat perſpectamque habeat: item prata, ſegetes, areas, campos, vineas, hortos, ſylvas, montes, collium flexus, valles, planities, opaca, lucos, ipſa etiam terræ marisque viſcera luſtret. Quibus ſane omnibus perluſtrandis quum unius hominis vita haud ſufficiat, quid mirum ſi hujus partis progreſſus ſint tardiores? præſertim quum hanc tarditatem non parum medicorum noſtræ ætatis ignavia juvet. Quotus enim quisque eſt Medicorum, qui ſimplicium cognitione incenſus, vel proximum lucum hortumve petere velit? tantum abeſt ut vaſtas ac longinquas ſolitudines luſtrare dignetur. Quin eo ſtupiditatis plurimi illorum perveniunt, ut hanc rem ad ſe non pertinere exiſtiment. Quocirca præclare rem geſſiſſe putant, ſi ad præſcriptum indoctiſſimorum pharmacopolarum, in quos hanc plane curam transferunt, nullo neque delectu neque judicio adhibito, quævis ipſis oblata medicamenta uſurpent: ut nemini mirum videri debeat, ſi ægroti ab iis medicamentis interdum non ſolum nil juventur, ſed plurimum etiam lædantur. Sunt enim & ipſi pharmacopolæ, æquè atque Medici, ſimplicium medicamentorum rudes & ignari, ut qui etiam curam cognoſcendorum & inquirendorum ſimplicium in mercatores omnium avariſſimos, & ad fallendum pulchre inſtructos, ſtultas denique ac magna ex parte ſuperſtitioſas mulierculas, ex quarum fide toti pendent, rejiciant. Quare quum univerſum fere medicæ materiæ negotium hodie ſit in mercatorum, muliercularum, & imperi-

peritorum ſeplaſiariorum manibus, non eſt cur de priſtino ejus nitore nobis aliquid polliceamur: præſertim quum in hodiernum usque diem adulterina multa, quæ pro legitimis in uſum quotidianum irrepſerunt, paſſim in publicis medicorum officinis impune ferantur, ac ſpectantibus etiam medicis, nullo metu, medicamentorum miſturis & compoſitionibus inſerantur. Tantum enim abeſt ut impoſturam hanc prohibeant, ut potius pro ea tuenda ac aſſerenda, haud ſecus quam pro aris & focis digladientur. Ut certe mirum non ſit, ſi ſeplaſiarii quoque ipſi hæc errata, freti medicorum patrocinio, tanquam ſibi per manus tradita, forti animo & alacriter retineant ac defendant. Proinde non eſt cur priſtinum nitorem recuperaturam hanc partem medicinæ, quæ ſimplicium notitiam tradit, ſperemus, niſi primum doctiſſimorum hominum induſtria & aſſiduis laboribus, à ſuis erroribus, qui vitio temporum & medicorum negligentia in illam irrepſerunt, (perinde ut olim Augiæ ſtabulum) ab immenſa ſimi copia fuerit repurgata.

DISPUTATIO VI.

DE

MEDICINA IN ALIMENTIS OPTIMA.

PRÆFATIO.

MEdicinam in Alimentis optimam non malè pronunciavit *Hippocrates Lib. de Alim. Sect. IV.* 16. optimam, ut ego arbitror, nauſeatoribus, qui reliqua pharmaca, ſi fortè officinam ſapiant aut redoleant, prorſus deteſtantur & abominantur; optimam

mam pauperibus vel etiam avaris, qui ſumtus qualescunque fuerint, ſuſtinere vel nequeunt, vel nolunt ad minimum: Optimam infirmis atque debilioribus & à naturâ & à morbo, quoniam ſtomachus corpusque reliquum alteratur magis ab inſvetis, cùm, quæ uſitata ſunt, blandius ac penè inſenſibiliter operantur. Quid multa? optimam in genere cunctis, & ſanis & ægrotantibus, vel ideò crediderim, quod, ſalubrium & inſalubrium diſcrimine ritè obſervato, haud facilè quisquam in morbum incidat, eo autem neglecto temerè, vix unquam convaleſcat aut reſtituatur perfectè, licet maximè appropriata exhibeantur medicamenta. Itaque poſt *Hippocratem* modo laudatum, plures fuerunt olim & nunc inter Medicos occupati ſedulique in eruendis ac deſcribendis Alimentorum facultatibus, in bonitate atque vitio cibi potusque determinando ac definiendo, quæ cuique naturæ conveniant. Eadem utilitas hujus materiæ me quoque allexit, ut præſentes de eâ Theſes conſcriberem, duobus diſtinctas capitibus, quorum prius MEDICINAM IN POTU, poſterius MEDICIMAM IN CIBO ſiſtit. Quos conatus meos ut, qui ſolus Medicinæ Parens æternus eſt, in ſui ſanctiſſimi Nominis gloriam, & commodum proximi, benignè velit dirigere, unicum eſt, quod humillime precor!

CAP. I.

CAP. I.

Medicinam in Potu ostendens.

§. 1.

EXtra dubium est, Diæteticam omnium antiquissimam, initium dedisse arti medendi; cùm enim observarent homines, alimentorum vires nullatenus esse pares, sed quædam, v. g. laxare alvum, alia eandem obstruere: Quædam refrigerare, alia calefacere corpus, &c. hinc didicerunt non difficulter, neque omnibus convenire omnia, si sanitatem integram tueri velint, neque in morbis promiscuè quævis exhiberi posse citra gravius periculum.

§. 2. Enimverò suffecerunt primis temporibus regulæ istæ diæteticæ tàm ad præservandum, quàm ad curandum, deficiente reliquâ Medicæ artis notitiâ. His diebus videntur nihilominus utiles valdè ac etiam necessariæ. Cumque apparatus alimentorum perpetuò augeatur egregiis accessionibus, parùm abest, quin affirmare ausim, non modò sanitatem firmam absque omni medicamentorum usu servari, si saltem accuratam quis rationem alimentorum habeat: Sed etiam gravissimos morbos curari solo cibi potusque delectu, adeòque faciliùs nos carere Officinis pharmaceuticis chemicisque, quàm culinâ & cellâ vinariâ, similibusque alimentorum promptuariis.

§. 3. Major proinde in posterum honos atque dignitas erit popinarii atque coquulæ, œnopolarum, & cauponum, quàm Medicorum, inquis? Non erit profectò. Etenim decernere, quid huic istivè conducat, quid obsit, nullius est, nisi Medici, ejus puta, qui exactè callet singulorum alimentorum facultates, & ex altera parte singulorum etiam hominum naturam, propensionem ad morbos, idiosyncrasiam, vitæ genus, & maximè, si ægrotent, conditiones viscerum, statum humorum, viriumque; verbo, circumstantias omnes probè qui considerat, is demum felices facere progressus poterit, quod de illiteratis minimè sperandum.

§. 4. Age, percurramus breviter ſumma genera; ſpecialiter namque cuncta examinare inſtituti mei ratio jam non permittit. Ante omnia diſtingui alimenta puto in ſalubria, quæ valetudini conducunt; inſalubria, quæ omninò ei adverſantur, & neutra ſeu indifferentia, quæ neque prodeſſe manifeſtè, nec obeſſe poſſunt. Dicuntur autem nullibi ſimpliciter ſalubria vel inſalubria, ſed relativè tantùm, i. e. in hoc vel illo caſu, atque ideò nil obſtat, quò minùs, idem vinum v. g. uni ſalutare, alteri nocivum, tertio pluribusque aliis indifferens exiſtat. Imo verò & hoc fieri poteſt, ut idem in eodem ſubjecto ſaltem diverſo tempore penitus contrarium ſortiatur eventum, & quod diu uſurpatum, nunquam alterare corpus, viſum eſt, pro diverſitate circumſtantiarum hodiè medicamenti, cras etiam veneni vim habere queat.

§. 5. Ut igitur Medicina in alimentis quam intendimus, reperiatur, oportet, primò quidem ea ſpectare abſolutè, ita ut inquiramus in illorum naturam ac differentiam: Deinceps verò eadem comparatè ſeu in reſpectu ad hoc illudvè ſubjectum, ut appareat, quid emolumenti ſperandum, aut damni metuendum inde ſit. Ita enim ſatisfeciſſe meo videbor officio, ſi & commendavero, quæ ſalubria ſunt certo in paſſu, & è contrario, quæ nociva ſunt, ſimul innuero. Reliqua nempe, quæ indifferenter ſe habent, ac valetudinem notabiliter haud afficiunt, ſicco pede præterire licebit abſque diſpendio.

§. 6. De Potu primùm acturus, neceſſum eſt, ut moneam, alium eſſe ſimpliciorem, alium compoſitum, item alium eſſe nativum, alium potiùs artefactum. Simplicisſimus inter omnes atque nativus eſt aqua. Solent autem variis modis eandem alterare convertendo in cereviſiam dulcem vel amaram, tenuem craſſamve, facta cum tritico, hordeo, avena, lupulo atque ſimilibus decoctione. Ita vinum etiam ſibi relictum ſimplicius eſt, ſuccus nempe uvarum expreſſus per fermentationem depuratus: non deſunt autem, qui pro vario ſcopo herbas, radices, cortices atque

ſimilia

similia inter efferveſcendum adjiciunt, ut vinum habeatur *abſinthites*, *enulatum*, *ſaſſafratum* &c. quemadmodum alii cereviſiam quoque condire *abſinthio*, *roremarino*, *ſalviâ*, *ſcolopendrio* ſimilibusque ſolent.

§. 7. Eſt nimirum triplex hic potus, aquæ, cereviſiæ, vini, noſtratibus uſitatior, plures ſunt extraordinarii, & quidem aquoſiores ut infuſum THEE atque COFFEE, hodie ſatis vulgares, antehac Sinenſibus, Ægyptiis & Arabibus proprii. Ad cereviſiam magis accedit potus ex BRANCA URISINA paratus, quem Sileſii à Polonis ac Lithuanis didicerunt. Vinoſum potius atque aromatiſatum eſt Mulſum non his modo populis, ſed & Moſcovitis atque Anglis conſvetum. Pertinent huc quoque Spiritus ardentes, ut *vini*, *frumenti*, *juniperi*, *aniſo*, *cinnamomo*, *caryophyllis*, *angelicâ cortic. aurantiorum atque citri* & mille aliis modis conditi.

§. 8. Ad potum extraordinarium referri quoque meretur hac, oxygala, ſerumque lactis. Narrat *Plinius l. 8. c. 45. & l. 6. c. 28. & 30.* gentes quasdam lacte vivere, cynocephalorum in ſpecie Nomades in India vagas. Prætereà Gethæ ac Scythæ ſunt γαλακτοπότται, & Tartari equino lacte utuntur pro potu, vid. *Sebitzius de Alim. Fac. Lib. 3. p. 751.* His autem in terris quanquam lactis potus haud ſit quotidianus, admittitur tamen à nonnullis & probatur, æſtivis præſertim diebus; ad minimùm recens natis eundem haud invidemus, quippe quibus toto ferè primo anno ſolennis eſſe ſolet.

§. 9. Sed jam diſpiciamus, quid ſingula valeant potulenta, & quo in caſu ſalubrium vel inſalubrium nomen mereantur. Primùm de aqua ſimplici. Meliores ſunt plerumque vel fontanæ, vel fluviatiles: Paluſtres enim & ſtagnantes, item pluviales ac præ cæteris marinæ minus laudabiles cenſentur, quod utplurimum putridum ſalſumque ſaporem habeant, & non rarò inficiantur ſeminio verminoſo.

§. 10. Virtus AQVARUM est in genere humectare sive defectum seri restituere, ac diluere viscidos pariter atque acres humores. Si vero frigida, uti plerumque fieri solet, potetur, æstum compescit potentius. Et quanquam sapore omni & odore destituatur, adeoque fatua videri queat, mirum tamen est, quas facultates habeat egregias etiam in debellandis gravioribus morbis.

§. 11. Tali potu curatam in juvene dysenteriam biliosam narrat *Amatus Lusitanus Cent. 2. obs. 27.* febrem ardentem *Smetius in Misc. Med. Lib 3. p. 161. Siculos memorant ante introductum nivis usum, cum in aëre degant ferventissimo, quotannis æstivis mensibus maximo numero febrium pestilentium tyrannide è medio sublatos: quod malum ferocire desiit, ex quo primum nivis usum in potu admisêre. Diligenti namque observatione exploratum est, in urbe Messana quotannis mille numerò pauciores quam ante usum nivis homines interire.* vid. *Balth. Pisanelli L. 16. de Alim Fac. p. 296.*

§. 12. Qui calidam potius amant instar Sinensium, aut frigidam non æque tolerant, possunt infuso Thee uti, quippe quod utilissimum in scorbuto & arthritide, in coryza similibusque catarrhis, observatur; ut parùm absit, quin panaceæ nomen à quibusdam obtinuerit, confer *Bontekoe* in suo *Tract. De usu Thee*; & *Simon Pauli Comm. de Abus. Tab. & Thee p. 66. Eph. Germ. N. C. dec. II. An. V. obs. 113. in Schol. & 131.*

§. 13. CEREVISIA si dulcior fuerit, nutrit copiosè adeòque Tabidis utilior; tenuior vim habet diureticam liberatque à calculo, & abstergit bilem in primis viis collectam: Sed amara hypochondriacis atque scorbuticis conducit; nec enim acescit facilè. Itaque nec malè agunt, qui *absinthium* ei adjiciunt, quando fermentat, in gratiam febricitantium, vel *scolopendrium* pro lienosis & hepatis obstructione laborantibus, vel *roremmarinum* atque *Salviam* adversus asthma, phthisin atque sic porrò.

§. 14. Qui

§. 14. Qui loco cereviſiæ LORAM potant, è pomis, pyris, pruneolis agreſtibus, paccis oxyacanthæ atque juniperi, uti plebeji ſolent in Normannia teſte *Schrœdero in Pharmac. p. 657.* & Carniola notante *Valvaſor* in der Ehre des Hertzogthums Crain *Tom. 1. p. 354.* biliosa & pituitosa vix colligunt in ſtomacho; etenim potus ejusmodi acidulus, præſertim ſi ad dulcedinem quodammodo inclinet, tollit humores iſtos ac ejicit promte.

§. 15. Efficacius ergò eſt HYDROMEL in Curlandia vulgare, de quo *Eph. Germ. Dec. 2. An. X. in App. pag. 134.* Sed ab eo prorſus diverſum eſt MULSUM, utpotè quod longè potentius eſt atque vinoſius, & propter aromata quæ adjiciuntur, ſtomacho æquè ac palato gratum. Utilius autem hyberno quam æſtivo tempore; calefacit enim inſigniter, pellit flatus, ſtimulat Veneream &c. Modum id parandi genuinum vide in *Lobelii Adverſar. p. 22.*

§. 16. MUSTI vires omnibus notiſſimæ ſunt; ſi quicquam aliud, certè muſtum ſuave purgans eſt, atque ideò convenit his, quibus alvus pigra præ ſiccitate fecum ob ſeri defectionem exiſtit. Dolendum ſaltem, id ſemper non haberi, niſi autumnali tempore. Nec errant, qui ad imitationem illius *ſuccum ceraſorum ac rubi idæi, cydoniorum, pomorum dulcium* colligunt & ſervant; quanquam & hi liquores progreſſu temporis in vinum commutentur haud contemnendum.

§. 17. Sed quis VINI laudes recenſebit dignas? Equidem Analepticum id omne potiſſimum eſt, ſeu vires defecerint in toto corpore, ſeu in parte aliqua. Reficit nimirùm & ipſum animum, abigendo triſtitiam, concilando ſomnum, acuendo ingenium: præterea excitat appetitum, juvat digeſtionem, auget robur virile &c. Quid in lipothymiis valeat, & bulimia & febribus malignis aliisque graviſſimis affectibus, teſtantur abundè obſervationes Autorum. Inſtar omnium videri poteſt *Sachs in Ampelographia Lib. 2. Sect. VI. Membr. 2. cap. 4. 5. 6. & 7.*

§. 18. Ea

§. 18. Est autem dulce præ cæteris generosius, uti Canariense, Malvaticum, Hispanicum. Quod acidulum est instar Rhenani, bilioſos atque pituitoſos magis juvat, beneficio tartari, quod continet, alvum laxans: quo nomine urinam quoque pellit & sudorem promovet. Idem pro varia conditione adjectorum aromatum, herbarum, radicum &c. si cephalicum magis, ut *sassafratum:* Stomachicum & antifebrile, ut *absinthites*, pectorale, carminativum, expellens, vermesque necans ut *enulatum* atque sic porrò.

§. 19. Quid SPIRITUS ARDENTES valeant, vulgo notissimum est; possident nimirum vim omnem quasi contractam, quam in vino diffusiorem reperimus. Conducit autem senibus præ cæteris, quando calor vitalis paulatim deficit: Idem habitantibus in locis frigidioribus, aut peregrinantibus hyberno tempore. Et quanquam nonnulli mediâ etiam æstate refici ejusmodi potu ament, promiscue tamen id omnibus permittendum haud est: Neque tolerat æque Spiritum vini acrem aromatisatum, qui fortasse mitius anisatum impunè haurit. Confer. *Zod. Med. Gallic. An. IV. Apr. obs. 2. p. 131.*

§. 20. De LACTIS mira efficacia contra venena quævis acerrima, si superbibatur largiter, quis dubitet. Mercurius sublimatus, arsenicum, auripigmentum atque similia melius haud ejiciuntur è stomacho, quàm ad vomitum usque hausto non insvavi hoc potu; nec mitigatur aliâ, quàm hâc ratione, feliciùs ardor ab arrosione natus, cum reliquis Symptomatibus, cruciatibus ventris puta, convulsionibus &c. Nam & continuatus per aliquot dies usus, quam Diætam Lactis vocant, temperat non parùm acrimoniam humorum, in scorbuticis, arthritide vexatis, hecticis &c.

§. 21. OXYGALA verò, SERUMQVE LACTIS, refrigerat magis, diluit & abstergit bilem, præcipuè in primis viis collectam. Egregiam itaque fert opem, quibus Hypochondria hinc æstuant, adeo-

adeoque perpetua fere alvi adſtrictione laborant: nec facille periclitatur paſſione iliaca, qui tempeſtive ſibi hoc genere potus conſulit.

§. 22. Ut in ſummam contrahantur omnia. Suppetit, quo venenorum per os aſſumtorum vim eludere, vermes necare, calculum ejicere, febrium frigus æſtumque mitigare, humores pravos corrigere ac educere, flatus diſſipare, virium defectum reſtituere, torpentes ſpiritus excitare, inquietos tranquillare poſſumus &c.

§. 23. Sunt autem optima hæc aliquando damnoſa, ſi quando permittantur intempeſtive. Ubi acidum peccat in primis viis, cavendum eſt à potu careviſiæ dulcis vinique aciduli, utpote quibus mire augetur: Item à lacte propter coagulum omnino metuendum. Ubi bilis abundat, abſtinendum à cereviſia lupulata plus minus amara: Ut & à ſpiritu vini vinoque aromatite. Qui vero pituitoſus eſt, à potu lactis ac cereviſiæ dulcis non ſatis defecatæ, uti & à Thee, Coffeeque potu læditur manifeſte. Niſi me fallunt omnia, exiſtimo pauperes aqua contentos vel hoc pacto facilius ferre inflammationes, febres ardentes, variolas, morbillosque, quod more divitum haud indulgeant gulæ, neque materiam alendo igni aptam ingerant, vinum puta, vel cereviſiam ſimiliter ſpirituoſam.

CAP. II.

Medicinam in Cibo Exhibens.

§. 1.

VArietas ciborum adhuc major eſt. Suppeditant eam partim animalia, partim vegetabilia. Quæ à Vegetabilibus deſumun-

ſumuntur, ſunt vel frumenta, vel legumina, vel fructus, vel radices, vel olera, vel turiones. Animalium autem quædam aquatilia, volucria, terreſtria, greſſilia, reptiliaque; quorum alia quidem integra inſtar oſtrearum, alia particulatim apponi ſolent, carnes videlicet, viſcera, glandulæ. Adde his ova pennatorum, itemque butyrum caſeumque, parata è lacte nonnullorum quadrupedum, & habes apparatum ciborum longe copioſiſſimum.

§. 2. Quæ condimenti loco adjiciuntur, ſunt itidem diverſa: Nonnullis adſpergitur ſal communis, fontanus, marinus aut foſſilis; aliis affunditur acetum oleumve, quibusdam ſacharum aut mel, plurimis aromata uſitatiora, *piper*, *zingiber*, *cariophylli*, *cardamomum*, *cinnamomum*, *macis*, *nux moſch.* *crocus*, vel horum loco *folia lauri*, *majorana*, *rosmarinus*, *origanum*, *ſemen carvi*, *aniſi*, &c. Atqui & horum additione notabiliter immutantur eſculenta.

§. 3. Jam videamus, quid ſingula valeant. Et FRUMENTORUM quidem, ſecalis præſertim atque tritici, uſus quotidianus eſt in pane. Melior eſt rite fermentatus: Qui nimis acidus eſt, biliosis & pituitoſis convenit, verum lædit hypochondriacos & lienoſos. Recens fragansque optime nutrit: Qui vero præ vetuſtate ſitum contraxit peſſimus. Placentarum autem dignitas æſtimanda ex iis, quæ maſſæ farinaceæ admiſcentur, uti ſunt *butyrum*, *paſſulæ*, *ceraſa*, *poma dulcia* &c.

§. 4. Nutriunt ſimiliter ALICA & PTISANA ex tritico, hordeoque vel avena decorticata. Pulmenta ex fegopyro, milio & oryza, & ſi quæ alia ſunt hujus generis, augent inſigniter lac atque ſperma. Et quandoquidem viſcoſis abundant particulis, dubium haud eſt, quin acres humores temperent; nam & utilia

lia deprehenduntur in tussi sicca cœteroque catarrho tenui, quemmadmodum in omnibus doloribus à scorbuto seu præternaturali salsedine sanguinis atque seri oriundis. Quibus vero nimia obesitas aut corpulentia molestiam creat, vel crassi viscidique humores damnum inferunt, ii rectius abstinent ab ejusmodi alimentorum usu.

§. 5. LEGUMINA, uti sunt pisa, lentes, fabæ, phaseoli, ciceres &c. flatulenta equidem omnia censentur, atque ideo iis fortasse salubria, quibus abdomen collapsum est: Nociva herniosis & qui flatibus infestantur. Speciatim pisa recentia & juniora (sunt enim dulciora veteribus contra naturam fructuum) laxant alvum satis commode. Decoctum lentium in expellendis variolis experimento plebejorum laudatur, sicuti cicerum rubrorum in purgandis puerperis consilio anicularum; quanquam apud Veteres etiam reperiamus horum encomia in simili passu.

§. 6. FRUCTUUM differentia talis existit: Sunt quidam simpliciter dulces, *ficus*, *passulæ majores*, *atque minores*, *dactyli*, *jujubæ* &c. in mitiganda humorum salsorum acriumque mordacitate omnino efficaces; quidam ex acido dulces, uti *cerasa*, *armeniaca*, *persica*, *pruna*, *mala*, *mora*, *fraga*, *grossularia*, *aurantia*, &c. bilem ac pituitam abstergentia, quod adhuc potentius præstant magis acida, *citri poma*, *limonesque*, *granata*, *berberes*, *ribes* &c. quidam austeri quid habent, adeoque adstringunt, uti *cydonia*, *mespila*, *sorba*, *corna & pyrorum* quædam species; in vomitu alvique fluxu admodum proficua; quidam abundant succo aquosiore, unde refrigerant potenter, diluendo bilem saliumque acrimoniam, ut *melo*, *anguria*, *cucurbita*, *cucumis*: Denique sunt, qui ad dulcedinem inclinant, minus succulenti ac potius occultantes mite oleum; *amygd. dulc. pineæ*, *pistacia*, *avellanæ*, *juglandes*, *castaneæ*, *glans fagea*, *tribulus aquaticus*, &c. quo-

rum facultates fere coincidunt cum his, quæ §. 4. hujus cap. recenſui.

§. 7. RADICES, quarum uſus in culina eſt, plurimæ gaudent ſapore ſubdulci, ejusdemque dignitatis cum modo recenſitis fructibus videntur; nempe, *Rad. ſiſari*, *tragopogi*, *Solani tuberoſi*, *paſtinacæ petroſelini*, *ſtaphylini*, *rapi* præſertim ſiccati, utpote magis ſapidi: Neque ingrata ſunt tubera chryſanthemi Peruviani, habent autem id peculiare præ reliquis, quod alvum moveant promte, ſi cum pingui juſculo comedantur. Acriores ſunt radices *napi atque raphani*, *ceparum item*, *allii*, *porrique*: acerrima eſt *armoraciæ*: Pellunt hæ ipſæ urinam calculumque, cient ſudorem, atque ita expellunt ſanguinis impuritates, necantque vermes. Sola ex amaris tenera *cichorei* radix comeditur, ſed macerata prius in aqua: ita nihilominus aliquam adhuc ſervat vim aperiendi, non incongruam lienoſis vel epatis obſtructionem patientibus.

§. 8. OLERA, quæ foliis, caulibusve in eſcam veniunt, ſunt vel fatua maximam partem, vel acidiuſcula, vel denique acria plus minus. Inſipida pene ſunt, *ſpinachia*, *blitum*, *atriplex*, *beta*, *locuſtæ*, *lactuca*, *endivia*, & quæ primo loco nominanda erat, braſſica, quippe qua medicina DC. annis uſus eſt populus Rom. teſte *Plin. Lib. 20. cap. 9.* Hæc in univerſum humectant, lubricant alvum, promovent excretionem è pectore ac pulmonibus. Magis refrigerant acida, *acetoſa*, *portulaca*, *ſedum*, extergendo bilem ſedant ardorem ſtomachi æſtum ſitimque hinc oriunda. Quæ acria ſunt, poſſident facultatem diureticam, præ cæteris diaphoreticam atque aperitivam, reſolvunt ſanguinem congrumatum, ſtimulant venerem, uti *cherefolium*, *petroſelinum*, *fœniculum*, *cochlearia*, *naſturtium paluſtre ac hortenſe*, *dracunculus*, *piperitis* &c.

§. 9. Ne-

§. 9 Neque contemnendi sunt TURIONES asparagi, eximie diuretici, & lupuli vel ideo probandi, quod cum virtute aperitiva concurrat laxativa sive leniter per inferiora evacuans, in solamen eorum, qui epatis lienisque obstructionibus, vel vomica pulmonum, vel strumis laborant. Vehementius operantur tenella germina sambuci, siquidem & vomitum movent, paulo liberalius assumta; in debillioribus præsertim ac delicatulis, adeoque modus colligendi ea, i. e. decerpendi sursum deorsumve vix attendendus venit.

§. 10. Satis de alimentis ex Regno vegetabili, transeo ad Animale. Vbi ante omnia monendum existimó, CARNIVM in genere differentiam haud esse parvi pendendam, si ætatem spectemus. Videlicet indurantur quasi cum annorum numero fibræ, adeoque pueris senibusque post casum dentium, infirmis quamcunque ob causam, juniorum animalium, pullorum, agnorum, vitulorum, esus omnino præscribendus est: Quibus vero ventriculus contingit robustior, qui exercitia corporis amant, aut laboriosam degunt vitam, his convenit etiam durior caro bubula, vervecina &c. Præterea ratione pinguedinis observandum est similiter, eam non omnes æque tolerare; qui enim bile abundant, aut anheloſi sunt præ ipsa obesitate nimia, neque carnem suillam lardumve, neque anseres probe saginatos aut similia comedunt sine damno.

§. 11. In specie, si AQVATILIA examinemus de anguilla utplurimum pingui certum id est, ac hæreo, annon cyprinus pinguior, augendo bilem, producat podagram, de quo legi meretur *Eph. Germ. Dec. II. An. V. obs. 46. cum schol.* Ostrearum esum haud ferunt pituitoſi, nihilominus ad temperandam scorbuticorum salsedinem, si recentes edantur, mire valent, testaturque Lindanus copioso earum usu restitutum fuisse hecticum, re-

ferente *Ettmüllero in Schræd Diluc. p. 190.* Alias de gammaris notissimum est, adversus phthisin optimos existere, quatenus acidum destruunt, in hoc affectu communiter peccans. Si quid enim aliud, certe cancri fluviatiles, præsertim quando testas deposuerunt duriores, mire prosunt ad acrimoniam illam obtundendam in scorbuto, malo hypochondriaco, doloribus Lienis, arthritide &c. prout didicimus experimento non uno, cujus remedii vires vel ideo extollendæ sunt, quod sine molestia, imo vero cum jucunditate potius aliqua, tantum assumi queat una vice, quantum vix pluribus dosibus de pulvere absorbente capi solet. Singularem itaque usum illius reticere haud possum hoc in loco, quem femina melancholica inde percepit; siquidem frequenti esu gammarorum, cum medicamenta detestaretur, unice restituta est.

§. 12. Non minor est numerus PENNATORUM, quibus vescimur: at neque recensere vel nominare cuncta jam vacat, nedum explorare curatius. Existimo autem discrimen potissimum à pabulo esse desumendum, quoniam plurimum inter est, quo pacto nutriantur. Aves rapaces sive carnivoras, uti sunt Accipitres, Falcones, Milvi, Noctuæ, Corvi, Cornices, Picæ &c. nemo est, qui non abhorreat, siquidem nec cadavera omnino putrida relinquunt intacta. Quæ pisces captant, ut anates, anseresque feræ, cygni, querquedulæ &c. peculiarem & quasi unctuosum saporem habent, multis haud ingratum. Granivoræ autem arridٍent omnibus, sylvestres pariter atque domesticæ, sicuti & illæ quibus fructus vel herbæ pro alimento inserviunt. Ita enim Juniperi baccas sapit redoletque turdus, adeoque ab his avide ingestis vires medicamentosas acquirit procul dubio. Ac fortasse passeres, troglodytæ contra calculum adeo decantati vires, quas possident lithontripticas, impetrant à vermiculis, quibus victitant.

§. 13. Sug-

§. 13. Suggerunt autem volucres præ cæteris peculiarem cibum ex OVIS capiendum: Imo quæ usitatoria sunt gallinarum ova, de quorum utilitate ita sentiendum puto. Solent mulierculæ prægnantibus, ne abortum faciant, ovorum germina, ut appellantur, propinare cum vino generoso, ac possent fortasse pari cum successu propinare integra, imitando eos, qui vel claritatem vocis servare, vel robur virile augere cupiunt. Nam & sorbilia copiose nutriunt, lac & semen augent, unde vix permittenda his, quibus pollutiones nocturnæ molestiam creant. Alioquin certum est, ab iis corrigi humorum acrimoniam, adeoque in gratiam ægrorum vix excogitari posse commodius alimentum, præsertim si lubricandus sit venter: Si enim alvi fluxio contigerit, satius erit vitella exhibere ad duritiem cocta cum tantillo macis nucisve moschatæ, vel aceti rosacei, ex consilio *Helmont. in Tr. Pylor. Rect. 22.* Moneo tamen, si bilis abundarit, ob omni ovorum esu abstinendum esse: nonvi enim hominem, qui statim eructantem è stomacho bilem sentit, quamprimum etiam unicum ovum sorbile comederit.

§. 14. Sed QVADRUPEDUM usus longe amplissimus est. Cumque carnium paulo superius facta sit mentio, lubet paucis attingere partes reliquas. Imprimis quæstio erit, numquid singulare valeant, e. g. pulmones vituli ac vulpis in affectibus pectoris, epar cervi agnive in morbis jecoris, renes vervecum taurive in vitiis renum, &c. Mihi salvo aliorum judicio ita videtur. Frustra occultas fingi proprietates atque virtutes specificas, cum non difficulter ratio reddi queat evidens. Quis nescit renum saporem urinosum, quem à perpetuo transeunte lotio acquirunt? Quid ergo mirum, si vim possideant diureticam. Notum est amara omnia, absinthium centaurium, eupatorium, cichoreum &c. vi aperiendi pollere in morbis epatis: quis deneget eandem bili, qua jecur animalium omne tingitur. Substantia

tia pulmonum cum prorſus membranacea ſit, quis dubitet, eam copiosa gelatina gravidam eſſe, optima profecto ad corrigendam humorum acrimoniam in tuſſi, raucedine, vel ulcere pulmonum. Atque ita teſticuli etiam prodeſſe poterunt ad augmentum ſpermatis; cujus gratia collectos vidi cum cura & poſt decentem præparationem inter fercula menſæ, cum caſtrarentur pulli gallinacei.

§. 15. Etenim quid cochleæ quæſo, ut REPTILIUM quoque mentio fiat, & oſtrea cum cinaræ atque aſparagi turionibus aliud agunt, quam quod liquori ſeminali generando materiam præbeant idoneam largamque, accedente ab adjectis aromatibus ſtimulo. Ad quem modum jura inſtaurantia & conſummata cum gelatinis ex iisdem cochleis, capone, gallinave aut carne quacunque alia parari ſolent ad recreandos hecticos vel infirmos ex graviore morbo; quibus vel ſolis ſervatos novimus pro deploratis jamjam habitos.

§ 16. De BUTYRO idem judicandum, quod de pinguedidine carnium: Neque cauſa eſt, cur canis axungiam in phthiſi vel tabe præferamus butyro majali; ſi enim adjectum ſal quenquam deterreat, quid impedit non ſalitum idem ſervari atque in uſum trahi. Hac occaſione autem id reticere nequeo, in quo peccatur tota die; nempe in febribus ardentibus aliisque bilioſis, cum inappetentia conjunctis, ſi quid ægris præbetur, turdus eſt, aut avicula, quævis obvenerit, aſſata; cum tamen in hoc caſu elixa multis modis præferenda ſint. Namque ſal quod aſpergitur & butyrum quo largiter perfunditur aſſatura talis, non poſſunt non augere ſitim æſtumque conſequenter damnum inferre manifeſtum.

§. 17. Ne-

§. 17. Neque CASEUS omnis ejusdem dignitatis est, neque omnibus eodem modo convenit. Recens tanquam mitior, præsertim pinguis nutrit non parum; traduntque Zoröastrem in desertis caseo vixisse annis viginti, ita temperatè, ut vetustatem non sentiret, narrante *Plinio Nat. Hist. Lib. XI. cap. 42.* Antiqvus acrior est, ac sæpe putridus, ab esu cujus largiore nonnullis calculus generatur indubitanter. Si fuerit siccior, obstruit alvum, qvibus ergo pigrior est, ut hyonchondriacis, temperare sibi ab ejus usu debent.

§. 18. Quod ad CONDIMENTA ciborum: Negari haud potest, SALIS communis utilitatem esse multiplicem: Fugat enim necatque lumbricos, abstergit bilem, ciet urinam, stimulat Venerem &c. Verùm si quis eo abutatur, esitando subinde haleces aliosvè pisces carnesvè muriaticos, metus est, ne scorbuticos dolores atque ulcera, scabiem atque pruritum sibi conciliet, nisi admodum liberalem potum simul adhibeat. Hydropici ergo, in quibus serum abundat, non modo tolerant halecum esum, sed & præsentaneum inde levamen sentiunt; etenim eorum nonnullos post fluxionem largam urinæ, hinc ortam, penitus restitutos restatur *Sennertus Cent. I. Epist. 8. pag. m. 1108.*

§. 19. ACETI usus in culinis quotidianus est pene, ad minimum in acetariis, vel embammatibus. Quas vires habeat etiam alexipharmacas videri potest in *Bartholini Cent. IV. Histor. 13.* Refrigerat autem? insigniter bilem expurgando. Sumque in ea persvasione homines agrestes diebus æstivis vix ferre posse calorem radiorum solarium, nisi reficiantur ejusmodi acetariis, brassicâ muriaticâ, oxygalâ &c. E contrario, si quis acidos humores in primis viis collegerit, cane pejus & angve vitare debet, quicquid acidum sapit.

§. 20. Acescunt autem dulcia quoque in tali stomacho; atque ideò lienosi pares experiuntur dolores seu cucumeres comederint acidos, seu saccharo conditos fructus omnis generis. Nam & fœminæ ad passiones uterinas pronæ ab utroque isto alimentorum genere læduntur pariter. Quid pueri patiantur ab usu panis mar-

tii ſimiliumque ſaccharatorum, vix quenquam fugit, qui obiter eorum morbos in ædibus divitum advertit. vid. *Germ. Dec. II. An. IX. obſ. 202. in ſchol. 5.*

§. 21. AROMATUM deniq; virtutes innoteſcunt vulgò. Nempe ſunt ea cephalica, optima in vertigine, memoriæ imbecillitate, hebetudine ſenſuum: Sunt ſtomachica, optima in anorexia vel apepſia, & carminativa in colica & inflationibus abdominis: Sunt aphrodiſiaca optima ſtimulantq; ad venerem: Verbo ſunt optima excitantia in langvore virium. Sed nec omni tempore nec omni ætati æque conducunt. Hybernis videlicet menſibus adhibenda magis, quam æſtivis. Senibus potius convenientia, quam junioribus aut ſtylo veterum calidioribus. Nam & in hoc paſſu juxta *Hippocratem Sect. I. Aph. 17. Dandum aliquid eſt conſvetudini, & tempori, & regioni, & ætati.*

§. 22. Hæc ſufficiant ſpeciminis loco dicta de Medicina in alimentis optima. Nec enim in animo fuit tradere fuſiùs ſingulorum ciborum potuumve facultates, ſed uno vel altero ſaltem exemplo monſtrare quantum valeat Diætæ regimen in conſervanda vel reſtituenda valetudine. Ut autem hoſce primos conatus meos æqui bonique conſulere velis, Lector Benevole, abs Te iterum iterumque contendo. DEO interim Optimo Maximo immortales pro conceſſis viribus decerno gratias, utque porrò benedicere laboribus ſtudiisque meis ex alto velit, precor humillimo corde. Sit Nomini Ejus Sanctiſſimo Laus, Honor & Gloria in omnem æternitatem.

DIS-

DISPUTATIO VII.

DE

AGRESTIS VITÆ SANITATE

I. N. J.

MIramur ſane qvandocunqve paganos viſitare licet per otium, genus hominum non minus frigoris ac æſtus, qvam ſitis, famis laborumqve patiens, id omne tamen, qvicqvid etiam ærumnæ atqve adverſitatis accidit, æqvo ferre animo, ac citra notabilem ſanitatis jacturam; ut ita Divina Benignitas compenſare videatur melioris ſanitatis dono dulcis otii defectum. Etenim ſeu primos infantum annos, ſeu ætatem mediam, ultimosve ſenectutis dies intueamur, non deerit, de qvo ſibi præ nobis gratulentur ruſtici. Qvotusqvisqve enim noſtrum ſexageſimum vel octogeſimum attingit annum, qvi non oculorum caligine aut podagra, phthiſi, lithiaſi, catarrho ſimilive morbo corripiatur. Videas nihilominus inter Ruricolas longe freqventius ſenium, qvod non hos ſolum, ſed & plures ſuperat annos, corpore ſat vegeto ſanoqve ac viribus ferè integris; qvale qvid nuperrime admiratus ſum in hortulano nonagenario, cujus alacritas, non obſtante capitis canitie, aliam longe ætatem præ ſe ferebat. Partus negotium qvæ non pericula noſtris parit? Adeo difficilis ſæpe eſt la-

ctatio, familiarisqve purpuræ malignitas, ut puerperii tempus ſuas non ignoret aniles regulas, plurimum ſuperſtitioſas. Villicam autem non unam vidimus ipſo die, qvo pepererat, ſurrexiſſe de lecto, ligna, aqvam atqve vaſa apportaſſe citra moleſtiam linteamina lavaſſe, ovem mactaſſe & vitulum, verbo, conſvetum obiiſſe munus non aliter, ac ſi ipſam non attinerent, qvæ clam geſta erant. Nec id mirum cuiqvam videbitur, qui infantes adhuc teneros cernit tempeſtatum injurias ipſumqve aſperrimum brumæ frigus ſeminudo pati corpore, qvaſi omni penitus ſenſu carerent, & ſaxeæ eſſent naturæ. Varioli autem, morbilli, ſimilesqve affectus ubi hos invadunt, tantum abeſt pueros affigi lecto, ut potius ægritudinem ludis fallant, ſpernantqve morbi inſultus minus periculoſos. Prolixius hanc agreſtis vitæ prærogativam deducere ſupervacaneum puto; vix enim à quoqvam, credo, in dubium vocabitur, Ruricolarum corpora noſtris ſaniora nec numeroſis æqve morbis obnoxia eſſe. Operæ tamen pretium me facturum puto, ſi hujus aſſerti non veritatem qvidem, qvippe qvæ in propatulo eſt, ſed rationes hac vice explicem. Videtur autem potiſſima ac

Pri-

Prima ratio conſiſtere in victu.

§. 1.

MUtationem equidem non unam alimenta ſubeunt, antequam in ſubſtantiam noſtri corporis convertantur. In ore namqve & comminuuntur ope dentium & humectantur ab affluente ſalivâ non ſine notabili alteratione. In ventriculo reſolvuntur, non qvidem ab acido qvodam fermento, ſed longe nobiliori cauſa, uti jam ſatis ab Excell. Dn. Præſide monſtratum eſt in nuperrime habita diſſertatione. In duodenum autem cremor hic è ventriculo egreſſus, corrigitur ilico ab affusa bile & pancreatico ſucco, qvo facilius & feces ſecedant, & purior ac chyloſa pars per inteſtinorum villoſam tunicam recipiatur in vaſa lactea. Alteratur deniqve & chymus in glandulis meſenterii à commixta lympha, non ſecus ac in receptaculo lumbari, donec tandem per ductum thoracicum in venam ipſumqve cor deveniat, atqve tunc demum, poſtqvam plures cum ſangvine circulationes paſſus eſt, ſecreto in renibus ſuperfluo ſero abeat in debitum noſtrarum corporis partium alimentum, ſangvinem puta, non amplius in humorem innominatum, rorem, gluten atqve cambium, convertendum, qvod Avicenna ejusqve aſſeclæ perperam docent.

§. 2. Sangvis tamen, non obſtantibus his qvalibuſcunqve alterationibus, ſervat nihilominus qvasdam aſſumtorum proprietates, ipſisqve nutriendis partibus affricat. Adeoqve & tauri caro paſtinacæ, & gallus Africanus vini malvatici ſaporem refert, qvibuſcum ſaginati erant, & porcus, paſcens prope montes ad zomam in maris littore, qvia recedente mari, ſqvillis conchiliisque veſcitur, carnem exhibet, qvæ piſcis axungiam ſapit, referente Helmontio in Magn. Oport. p. m. 121.

§. 3. Qvodſi igitur qvævis aſſumta, qvæ vix numero comprehendi poſſunt, ſuam naturam communicant cum noſtro corpore, manifeſtum eſt, qvanta oriri qveant incommoda ex ſolâ victus ratione neglectâ.

§. 4. Paratur namqve his qvidem in locis vix unqvam prandium aut cœna, ubi non acida ſimul & amara, dulcia & acria apponantur & aſſumantur; ex qvorum concurſu atqve miſcela varii dubio procul emergunt ſapores, innumerorum morborum cauſæ, amarum, ⊖ſum, dulce, acidum, inſipidum, acerbum & ſexcenta alia, qvorum ipſe Hippocrates meminit in lib. de priſc. Med.

§. 5. Præterea nec in aſſumendo modus ſervatur, ſed & in qvantitate æqve ac in qvalitate peccamus. Peſſima enim noſtratium conſvetudo eſt, non horis ſaltim ſed diebus aliqvot metiri epularum tempus. Neceſſe autem eſt, non intermiſſa variorum deglutitione, omnem turbari digeſtionem, atqve ſic varii generis cruditates coacervari in ventriculo.

§. 6. Rectiſſime enim Hippocrates 6. Epid. ſ. 4. aph. 20. docet: Sanitatis ſtudium eſt, non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores. Qvod ipſum qvamdiu accuratius obſervarunt veteres Germani, cane pejus & angve vitantes crapulam atqve commeſſationes opulentiores, tam diu plurimorum morborum, qvibus noſtra nunc ætas premitur, minus obnoxii, imo longe nobis ſalubriores, ſaniores fuere.

§. 7. Qvis inficias ibit purpuram, malum hypochondriacum, ſcorbutum atqve ſimiles affectus, olim minus notos, oriri ex vitiis in victu commiſſis, ac inde propagari ad ſeros nepotes. Cibi namqve plurimum inter ſe differentes ſapore, variiſqve modis aromatiſati dum aſſumuntur, qvid qvæſo aliud qvam multifariam acrimoniam producere in nobis poſſunt; Et immodica non tantum ciborum, ſed & potus ingurgitatio, qvid aliud qvam cruda ac indigeſta in corpore relinqvit? Unde non miror, qvales ſæpius morbi appareant, præcipue maligni, & in qvantum differant noſtra remedia à veterum experimentis, jam minus ſufficientibus.

§. 8. His probe conſideratis, facile elucet, quanto feliciores ſint agricolæ, qvippe qvi nec qvantitate nec qvalitate peccantibus alimentis, æqve ac urbani utuntur, ſed potius euchymis ac optime nutrientibus.

§. 9. In

§. 9. In quantitate equidem assumendorum videntur magis excedere pagani, quam urbani. Nemo enim rusticorum unquam satiatur hac ciborum, ut sic loquar, dosi, qua nos contenti sumus, qui vitam potissimum sedentariam agimus. Gravius ergo rustica gens peccat contra Lessii præceptum, qui cuique sufficientem cibi quantitatem esse vult unciarum duodecim, potus vero qvatuordecim.

§. 10. Optime autem huic jam responsum est à Jac. Primerosio in lib. 3. de Error. in Med. cap. 4. p. 251. juxta mentem Hipp. & Galeni; in assumendis nec modum, nec pondus, nec numerum cognosci posse, nec aliam certitudinem reperiri, quam corporis sensum; atque ideo non aliam quantitatem esse adhibendam, quam quæ ventriculos non gravat.

§. 11. Quamobrem, etsi duplo aut triplo plus & comedat bibatque rusticus, quam aliquis nostrûm, non tamen in quantitate, quippe quæ suæ naturæ sic debetur, peccat medicè, prout nec ethice, nec enim ipsius sanitati nec temperantiæ repugnat.

§. 12. Qualitatem autem assumendorum quod spectat. Commendat se paganorum victus partim simplicitate, partim bonitate. Lacte scilicet, butyro, ovis, oleribus similibusque cum pane quotidie vescuntur, citra curiosiorem apparatus variationem, atque eo ipso, quo delicatiora sed diversi saporis fercula negligunt, plus damni inde oriundi evitant, longeque melius suæ consulunt sanitati.

§. 13. Bonitatem alimentorum, quibus agricolæ uti solent, ut demonstrem, fere supervacaneum est. Lactis quippe vim alimentosam ac summe nutritivam vix quisquam in dubium vocare potest, cum palam sit, lac in ventriculo sano præ aliis omnibus citissime digeri, annotante id ex Bilsii observatione Diemerbrockio in Anatom. atque maximam partem quoad oleosas videlicet particulas, converti in substantiam aliti. Prudentissima hinc mater natura primum statim tenellorum adhuc infantum alimentum lac esse

esse voluit maternum, eo quod nil magis ad chyli naturam accedat, nihilque facilius in sangvinem nutrientem converti queat.

§. 14. Neque prætereunda hic foret vis lactis medicamentosa, (si prolixior esse velim.) Nec enim adeo rejicienda est lactis sic dicta diæta sive quotidianus usus, si cum regimine atque custodiâ prudentis Medici instituatur. Quid valeat lac, quibusque morbis conveniat, quivis judicioſior facile cognoscit. Plura notavit Baricellus in libro de lactis usu: alia, præcipue circa hausti veneni curam, notarunt alii: plurima docet quotidiana experientia.

§. 15. Eadem & butyri ratio est. Est enim hoc ipsum nobilior tantum lactis pars, unde non secus atque lac virtutes possidet alimentosas una & medicamentosas. In temperanda namque humorum acrimonia, qui in primis hærent viis, vix præstantius dari potest remedium; unde non adeo inconveniens, uti prima fronte videtur, in diarrhæa remedium est, quod pro certissimo mecum communicatum est experimento: si quis alvi fluxibus laborans butyrum nondum ⊖itum, supra carbones calefactum ebibat; sic enim & tormina sedari, & fluxum ilico cessare, expertus contestabatur.

§. 16. Ut taceam vires butyri specificas, quæ non raro è plantis ipsi accedunt. Clarum id in vaccis est, quæ scordium copiose vorant, ac postmodum lac & butyrum præbent, sapore & viribus scordii præditum; quod ipsum Kergerus testatur in egregio de fermentatione tractatu p. 125.

§. 17. De ovis idem esto judicium, quod de butyro & lacte latum est. Præfero equidem sorbilia reliquis, utpote quæ facilius præ cæteris digeruntur in ventriculo. In genere tamen omnia cujuscunque etiam sint avis non contemnendum præbent nutrimentum, ita ut nec Avicenna veritus sit asserere, ea tantum sangvinis generare, quantum ponderent.

§. 18. In langvente sane & dolente ventriculo non semel expertus sum ovorum virtutem medicam. Vitella item ovorum, adeo

adeo in alvi fluxibus ab Helmontio decantata in Tr. Pyl. Rector. rarius ægri medicique ſpem fallunt.

§. 19. Quid dicam de arborum fructibus, de rapis atque paſtinacis, crambe, ac reliquo olerum genere, quibus ruſtica gens ſuas exornat menſas. Quantum hæc ipſa valeant in ſaginando pecore, tota notamus die, adeoque non dubitem his ſolis & ruſticum non modo nutriri ſed & pinguefieri.

§. 20. Alimenta autem talia & medicamentoſa eſſe per ſingula non difficulter probari poſſet; interim unici illius admodum notabilis exempli meminiſſe ſufficit, quod in Laurenb. hiſt. 57. Acerra Philol. Cent. 1. habetur.

§. 21. Supplementum tandem omnium ciborum panis eſt, primarium hominis nutrimentum, ita ut & ipſe Salvator Noſter panem ſaltim tanquam potius nominare in præſcripta nobis oratione, atque ſub hoc ipſo omnia ad vitam neceſſaria complecti voluerit.

§. 22. Eſt autem panis adeo gratus atque amicus noſtræ naturæ, ut, cum plures vinum, caſeum atque butyrum aut ſimilia abhorreant, vix quisquam tamen panem rejiciat. Nec enim unquam panis faſtidium nos capit prout reliquorum ciborum, quibus frequentius veſci ſolemus. Imo ſi vel maxime cunctum æger cibum averſetur, omnium tamen poſtremo panis appetentiam amittit ut plurimum, primumque ſanitati reſtitutus repetit.

§. 23. Hæc de cibis ſufficiant. Potum autem paganorum ſi conſideramus, qui plerumque coventum aut ſimplex ∇ eſt, videtur longe inferioris conditionis ac minus nutritivus eſſe, quam nominata atque quotidiana eſca.

§. 24. Audio hic tamen illos, qui omnia ex ∇ produci credunt, aſſerere & ipſam ſimplicem ∇m nutrire poſſe; probantque id per varia experimenta v. g. per piſcem in vitro ad notabile ſui corporis augmentum enutritum per 3. annos, it. ex regno vegeta-

bili per ſalicem, quæ ſola ▽a auffusâ ad debitam proceritatem ſuccrevit. Conferatur Boyle, Helmont. & Beckius.

§. 25. Tamdiu autem circa vim hanc ▽æ nutritivam mihi dubitare licitum erit, quamdiu talis ex ▽ Philoſophus proprio teſtari exemplo denegat, ſe & ſuſtentatum & pinguefactum eſſe unicæ ▽æ potu.

§. 26. Inſtitutum eſt hanc rem ab Excell. Dn. Præſide experimentum aliquod ante biennium in cane. Incarceratum enim hunc ad aliquot dies, ſimplici aluit ▽a, inque ejus ſectione demonſtravit ne granulum quidem pinguedinis in toto corpore, ſanguinem non rubicundum aut nigricantem, ſed ſumme ▽oſum inſtar loturæ carnium, qui ne quidem extravaſatus coagulabatur; Venæ adeo pellucidæ, ſed viſcera ſaniſſima vibebantur, imo & lymphatica vaſa per univerſum corpus diſtributa tantæ evidentiæ erant, qualia nunquam iterum obſervavit tam clare, quamvis de induſtria in illorum ſyſtema inquiſiverit non ſemel.

§. 27. Nodum ergo quærere in ſcirpis videtur, qui ſingulare quoddam in ▽ nutrimentum ſibi pollicetur. Non rejiciendus tamen ideo potus ejus eſt, utpote qui ſola ſimplicitate ſe ſatis commendat. Aptus etenim ſic eſt, & pro vehendis alibilibus ciborum particulis, & ad eluendos quoscunque vitioſos humores in primis viis hærentes.

§. 28. Idem igitur ▽æ potius aliquando & medicamentoſus evadit, quale quid notatu dignum præſtitit in dyſenteria bilioſa, de qua videri poteſt Amatus Luſitan. Cent. 2. cur. 46. item in cholera, annotante Borell. cent. 2. obſ. 27. item in doloribus colicis, quos cæteris in caſſum ſibi propinatis ſolo ſimplicis ▽æ hauſtu ſedavit Illuſtris Princeps, quemadmodum in Excell. Dn. Præſes ex ore clariſſimi Hermanni Conringii habet.

§. 29. Nec vero alia mihi videtur ratio fontium ſalubriorum, qui ▽m ſaltem fontanam referunt ſapore, quales in vicinia Pegaviæ hoc anno, ut quondam, ſcatuerunt. Quicquid enim præſtat in

in morborum cura, id contingere poteſt hac ſola ratione, quod diluat atque eluat acrimoniam ſibi in ulceribus externarum partium, ſive internis partibus inhabitantem.

§. 30. Quod ſi vero alio ac miraculoſo modo hos fontes operari Deus velit Omnipotens, quale quid & ſtagnum illud Hieroſolymitanum, cujus mentio in Joh. cap. 5. facta eſt, præſtitit; ſatius erit horum incognitas vires admirari quam flocci pendere.

§. 31. Sed hæc de potu æque ac cibo meminiſſe ſufficiant. Pergendum itaque ad

Alteram Rationem quæ conſiſtit in Aëris liberioris inſpiratione.

§. 1.

PRimus profecto locus inter res n. n. merito ipſi aſſignatus eſt aëri, cum ejus qualitates præ cæteris inſignius alterent noſtrum corpus, adeoque non modo ad vitam ac ſanitatem ſervandam, ſed & ad morbos mortemque ipſam in vehendam, plurimum faciant.

§. 2. Hippocrates in libro de flatibus hæc habet, quæ latine ſic leguntur p. 402. Edit. Lind. Mortalibus autem vitæ, & morborum ægrotis ſolus aër auctor eſt. Tantaque omnibus corporibus ſpiritus neceſſitas exſtat, ut ſiquidem omnibus aliis abſtineat homo, neque cibum ſumat, neque potum, poſſit tamen dies duos vel tres & plures ducere. Si cui vero ſpiritus in corpus viæ intercipiantur, in brevi parte unius die intereat, ut vel hinc, quanto uſui ſpiritus corpori ſit, liceat æſtimare &c.

§. 3. Difficillimum interim explicatu eſt, quid & quomodo aër ad ſanitatem conferat. Quod materia generationis ſpirituum evadat, uti veteres crediderunt, citante Claudino in lib. de Ingr. ad infirm. p. 341. & Excell. Præceptore meo D. D. Bohnio in Diſſ. Phyſ. 15. §. 5. & ſeqq. adhuc obſcurum eſt. Manifeſtius autem eſt ab aëre ſanguinem alterari, quod color ejus mutatus ſatis teſtatur.

§. 4. Certo etenim constat, sanguinem omnem, qui venosus atque ater pulmones intrat, iterum arteriosum omnino & floridum ex illis redire; Imo & sanguinem extravasatum in superficie, qua aëri expositus est, coccineum acquirere colorem, ita ut si diuturniori agitatione commoveatur, quo aërem penitus intromittat, totus evadat purpureus, Vid. Lovverus in tr. de corde pag. 178. & seqq.

§. 5. Male quidem ex his infertur, pulmones esse officinam sanguinis; rectius tamen asserunt sanguinem non abs re alterari in horum membranaceis cellulis.

§. 6. Nihilominus tamen obscurior hujus rei ratio est. Alii enim sanguinem ab aëre volatilisari in pulmonibus asserunt, vid. Helmont. Tr. Blas. human. 45. Alii contra eum condensari volunt, conferatur Sylvii Disp. VII. §. 78. & Barth. Anat. pag. 431. & 432.

§. 7. Sciendum autem est, universum aërem constare ex diversis atomis, ▽eis np. terreis, ⊖inis, &c. quæ vel sua sponte, vel à calore, frigore vel ventorum vi elevantur à globo terraqueo. Conferatur egregia Sylvii Oratio de caus. nat. eff. Ep. Leid.

§. 8. Quibus vero atomis hoc negotium concreditum sit, nondum liquet. ⊖inæ profecto, acidæ ac ◐sæ, quales à Capite mortuo ◑li, ◐i, Ois, &c. attrahuntur, talem sanguini alterationem inducere minus aptæ sunt. Omnia namque acida, quemadmodum sanguinem coagulant, ita & colorem ejus obscuriorem reddunt, contrarium autem in pulmonibus accidit, ergo his ◐sis particulis attribui hic effectus nequit.

§. 9. Aptiores longe mihi videntur aëris particulæ spirituosæ, quas Mundi spiritum vocant, de quibus legi meretur curiosior Balduinus in Auro Auræ, & alii ab eo citati.

§. 10. Quicquid autem hujus sit, maneamus jam in eis quæ vulgo nota sunt, sane per quotidianam experientiam constat aerem

rem temperatum atque serenum saluberrimum, nebulosum contra & impurum admodum nocivum esse.

§. 11. Quis nescit raucedinem, tussim, pleuritidem, coryzam aliosque morbos ex solo aeris inspirati vitio nasci sæpissime.

§. 12. Ipsum pestis contagium, (quod Deus à nobis clementissime avertat) in aere circumvolitans, quas non clades importare dicitur, uti pecori sic & nobis, si quando in respiratione attrahatur.

§. 13. Quod si igitur à putridis, acribus, atque impuris effluviis cum aere inspiratis tanta nobis surgant mala, quid de illis judicandum erit hominibus, qui omni tempore inter fœtidas atque impuras exhalationes versantur.

§. 14. Ergo, inquis, cives hoc saniores erunt, quo magis nitida inhabitant domicilia, quæ non stercore consperſa sunt atque pulvere, sed ornata, picta, variisque modis emundata.

§. 15. Casæ contra, quas videmus & ex luto factas, fimo superstructas eoque circumdatas undique, quid aliud quam fœtidum præ se ferre odorem poterunt.

§. 16. Scias autem nostras domus aspectu quidem gratiores esse, secus quam casas; subtilem tamen squalorem atque vapores, qui his includuntur ædificiis, non parum damni nostris afferre corporibus. Manifestius hunc urbis fœtorem tum deprehendere licet, quando quis ex liberiori aura se domum confert. Et vicissim aëris liberioris virtutes tunc maxime notare possumus, si quis Phthisicus aut æger alius diutius lecto atque domo affixus tandem civitatem cum pago commutat, sensibiliter namque sic recreatur, ac si vires ipsamque vitam ex aere hauriret.

§. 17. Saccharum videlicet illud, quod in rore dulcissimum existit teste Helmont. Tr. Imag. ferment. p. 33. omnino & gratissimum nostræ est naturæ, ut certius mihi persuasum habeam, nunquam milites tam diu omnes adeo calamitates, sitim, famemq; sustinere posse nisi puriori aura sæpius reficiantur. §. 18.

§. 18. Latet quippe occultus vitæ cibus in aëre, quem potiſſimum horis matutinis una cum rore attrahunt agricolæ, quandocunque vix coruſcante aurora ſub dio ambulant, hortos aut arva colunt, fœnumve ſubſecant.

§. 19. Accedit his fragrantiſſimus illis tamen quotidianus odor florum, arborumque virentium, qui omnem adeo aërem replet, ut de ſalubritate ejus non niſi inſanus dubitare queat.

§. 20. Hac ipſa autem jucunditate deſtituimur, qui ab hortis atque rure longius abſentes intra mœnia vitam degimus. In hoc itaque longe feliciores nobis ſunt agricolæ, imo & propter hoc ſaniores.

§. 21. Videntur attamen & infeliciores eodem pacto. Nimirum poſito, quod ruſtici quandoque fruantur rore atque aura ſuaveolente, quæ nobis denegantur; Neceſſum tamen erit, ut alio tempore & nebulas atque putridum fœtorem tolerent, à quo noſtrum tueri corpus juxta fornacem non prohibemur. Unde qui commoda ferunt, ferunt etiam incommoda.

§. 22. Notandum ergo eſt, hæc ipſa naturæ paganorum non æque nocere poſſe ac noſtræ. Quemadmodum enim ſcabiei, luisque venereæ contagium, imo & peſtis atque febrium malignitas in dispoſita ſaltim corpora propagatur. Ita & nebulas atque ventorum aſperitates vel pueri agreſtes citra noxam ſuſtinent.

§. 23. Quoniam enim ſaguinea maſſa ex dulci pinguique alimento nata dulcior exiſtet, ideo, ſi quid aere communicatur, obliteratur ilico, atque deſtruitur à viſcidis illis in ſanguine particulis, ut citra aliquod damnum aut incommodum pati queat.

§. 24. Deinde ſi vel maxime aliqua hinc nasceretur in corpore ruſtico, turba, citius tamen eadem mali cauſa removeretur, eo quod labores continui, ſudores atque tranſpirationem inſenſibilem accelerent, à quibus facillime quicquid nocivum eſt atque malignum, discuti poteſt atque expelli. Videtur enim ſanitatis non

Ter-

Tertia Ratio quæ conſiſtit in motu Corporis,

§. 1.

QUanta ex ſolo ſæpius otio nascantur mala, ſuo teſtari poſſunt exempło, qui vitam agunt ſedentariam Non jam loquar moraliter de vitiis in deſidia natis, ſed medico, de morbis ſurgentibus ex neglecto corporis motu.

§. 2. Rectiſſime hinc qui ſtudiis incumbunt, exercitio ſe dedunt vario. Utiliſſimum enim, imo & neceſſarium ad ſervandam ſanitatem his eſt, non raro muſæum cum palæſtra, pennam cum gladio aut reticulo, libros cum pila, ſellam cum equo, otium cum ſaltu commutare, atque per vices motu & quieti uti.

§. 3. Videmus etenim non paucos ſpretis his exercitiis plerumque malum pati hypochondriacum, alvi obſtructiones aut miſerere mei, ut taceam pallorem faciei, atque frigus extremorum artuum, illis familiariſſimum.

§. 4. Tanto autem feliciores ſunt illi, imo & ſaniores, qui exercitio quodam corporis gaudent, quodcunque id etiam fuerit. Nec enim ipſe Galenus veritus eſt librum edere de parvæ pilæ luſu, cum viderit hunc ipſum aptiſſimum exiſtere ad conſervandam ſanitatem.

§. 5. In motu nempe corporis univerſa ſimul movetur maſſa ſanguinea, unde & faciei color magis vividus apparet, univerſumq; corpus incaleſcit egregie; adhæc notamus quotidie, à ſuſceptis laboribus appetitum augeri, chylificationem notabiliter promoveri, & quod maximum eſt, ipſam tranſpirationem, quæ per cutis poros contingit, accelerari.

§. 6. Quanta vero neceſſitas imo & utilitas tranſpirationis ſit, nemini non notum eſt, qui ab hac tantummodo impedita febres ſæpiuscule oriri conſiderat. Adeoque non rejiciendæ omnino

ſunt

ſunt regulæ, quas ad ſanitatem tuendam in ſua Medicina ſtatica Sanctorius tradit.

§. 7. Si quid enim vitioſum ac nocivum in corpore vel genitum fuerit, vel retentum, vel etiam inſpiratum, id omne inter ſudandum aut ſaltim inſenſibiliter transſpirandum reſolvitur expelliturque.

§. 8. Propterea non omittenda mihi videbatur ratio motus, ubi in cauſas ſanitatis agricolarum inquiritur. Hi enim inter omnes plurimum incumbunt operæ atque laboribus, eosque potiſſimum attinere videtur Creatoris dictum: In ſudore faciei tuæ cibum capies.

§. 9. Diſtinguunt equidem alias motum corporis moderatum ab immodico; & verum eſt mediocrem atque vires conſervare, & immoderatum easdem deſtruere ac nocivum eſſe homini.

§. 10. Videntur autem labores illi, quos agricolæ ferunt, eſſe admodum vehementes, minusque referri poſſe ad moderatum corporis motum; nam & arare, frumentum vel metere vel triturare, ligna findere &c. non parum roboris atque virium requirit. Obeſſe itaque ſanitati potius quam prodeſſe dicendi ſunt.

§. 11. Ita quidem eſt, neminem noſtrum & qui his curis non eſt aſſuetus, tolerare tantos labores poſſe, absque notabili virium jactura, inſignique corporis delaſſatione. Ruſtica autem gens, cujus membra jam firmata atque huic operi à primis fere annis aſſueta ſunt, hoc quicquid eſt negotii in ſe ſuscipit æquo hilarique animo, nec unquam attendit artuum laſſitudinem, quæ propter conſuetudinem vileſcit ac nihili penditur.

§. 12. Negandum interim non eſt, & in ruſticis vires ſpiritusque quodammodo diſſipari, ſciendum tamen, hanc qualemcunque jacturam prompte iterum reſarciri per alimenta illa eupepta, liberalius pro more aſſumta.

§. 13. Ergo adhuc firmum eſt, hunc quotidianum agricolarum motum

motum salubrem esse, illisque perquam convenientem, adeoque dignum qui animadvertatur hac occasione, qua mihi de causis sanitatem agrestis vitæ tuentibus sermo est.

§. 14. Hæ autem sunt potiores ex rebus non naturalibus causæ, quibus sanitatem debent rurícolæ. Cætera ut sunt excreta & retenta, somnus & vigilia, illis subordinantur, eorumque rationem sequi solent.

§. 15. Quamdiu enim legitimo cibo utamur & potu, item corporis motu, tamdiu nec somnus dulcissimus corpori defatigato, probeque pasto deficit: imo nec excretiones ordinariæ ac naturales suas deserunt regulas: nec ea, quæ secundum naturam in corpore retineri debent, rejiciuntur: verbo omnia salva sunt.

§. 16. Animi tamen pathemata singulare quid obtinent, eo quod ab his immediate alterentur spiritus, vitæ fons. Unde nullus omnino, etsi vel optima gaudeat diæta, aere fruatur sereníssimo, motuque utatur convenienti, sanus existit, nisi sedulo ab ira sibi caveat, liberque maneat à mœrore, terrore, curis similibusque animi passionibus.

§. 17. Quemadmodum autem paganorum corpora atque labores non inique comparantur cum brutorum natura, ita nec ab his animo multum discrepant. Sunt enim rustici plerumque ἀπαθεῖς atque in diem vivunt, alienissimi à curis, tristitia similibusque affectibus.

§. 18. Non ergo negandum est, & hoc pacto illos feliciores ac saniores existere; cum vero hi ipsi animi affectus non æque positive conferant ad sanitatem, ac cibus & potus, aëris inspiratio & motus corporis; deinde cum nec illorum usus adeo necessarius sit ad vitam servandam ut reliquorum, ideo horum tractationem jam sicco prætereire pede nullus dubito.

§. 19. Hæ sunt potiores mihi visæ rationes sanitatis qua agrestes gaudent. Tu vero L. B. hæc prima juventutis meæ conamina æqui bonique consule.

DISPUTATIO VIII.
DE
SPIRITU HOMINIS VITALI.

J. D

DOctrina equidem ſpirituum, ſi ſcripta veterum recentiorumque conferas, adeo intricata eſt atque obſcura, ut, quamvis eam deſiderarem ſæpius, ac recolere mihi proponerem, non ſemel tamen animum cum calamo abjecerim. Legi ac revolvi non ſuperficialiter, quæ ab aliis in hac materia ſcripta ſunt; reperi autem eandem à plurimis omnino neglectam, ab aliis rejectam, à paucis notatu aut ſcitu digna tradita eſſe, quibus non maxima pars errorum admixta fuerit, ut incertus eſſem, utrum facilius è bonis mala, an vero bona è malis eligi potuerint. Nihilominus, cum iſtam doctrinam & ſubtilem & maxime utilem in Medicina eſſe contemplarer, tandem vires quoque tentare meas volui ac experiri, annon remotis nugis, vanoque verborum fuco, pleniorem ſpirituum cognitionem, quam mente conceperam, exhibere in publicum, cenſuræque eruditorum ſiſtere poſſem. Nimis autem prolixa foret univerſa ſpirituum hiſtoria, idcirco hac vice tantum ea ſelegi, quæ ſecundum naturam in nobis occurrunt,

ſex

ſex diſtinctis capitibus, Spirituum Exiſtentiam, Naturam, Ortum, Conſervationem, Functiones atque Interitum tractaturus. Ne vero theſium prolixitas nauſeam Lectori moveat, earumque ſenſus atque connexio interrumpatur, volui potiora tantum in iis tractare breviter, & quæ ad ulteriorem rei explicationem faciunt, ſub calcem adjungere. Faxit DEUS, ut cedat feliciter!

CAP. I.
De Spirituum exiſtentia.

§. 1.

DOcet alias vulgatiſſima Philoſophorum regula, (a) nihil eſſe in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu; ſed liceat mihi ab his paulis per discedere, atque cum Carteſio (b.) aliam cognoscibilium normam quærere in mente, quando Spirituum, qui ſenſus ſubterfugiunt, exiſtentiam cæterasque conditiones explicare ac probare aggredior.

a) Ita communiter omnes ſtatuunt Peripatetici, quando faciliori methodo à manifeſtis progrediuntur ad magis obſcura, atque ea demum cum Thoma credunt, quæ viſu tactuque deprehendere licet. Nec diffitendum eſt affirmative quidem à ſenſibus peti poſſe aliquod argumentum credendorum; verum negative nullo modo. Quis enim adeo abſurdus eſt, ut, quia DEUM, Angelos, animam humanam, item transſpirationem atque effluvia ſubtiliora è corporibus, accretionem plantarum, & plura ſimilia ſenſibus non capit, hæc omnia temere negare auſit? Conf. Tatinghoff. in Clav. phil. nat. pag. 18. ſq. Sed nec poſitive de ſenſu perceptis argumentari adeo tutum eſt, ſiquidem hic ipſe ſæpius fallitur, ita ut, niſi recta ratio aliter judicet de objectis, ejusdemque errores corrigat, plura inepta intellectui offerantur. Notum eſt, ſi decuſſatis duobus digitis globulus attingatur, tactum eludi, ac duplicem quaſi ſentiri. v. Carteſ. Dioptr. p. m. 91. Qui tranquillas navigat aquas, ſe quietum, littora moveri ac celeri quaſi curſu præterlabi putat. Plures ægri citra deliria, cibum in ſe ſatis ſuavem,

dicunt amarum. Ambram, moſchum, Zibethum, & ſuaveolentia optima plorumque reſpuunt [illegible]icæ, eademque nauſeoſum ac gravem ſpirare odorem clamant. Quem denique echo non decipiat, quando bis terve repercuſſus ſonus plura mentitur ora? Adeo nullus eſt ab errore tutus, nullus in ſiſtendis ſpeciebus, propriis etiam, fidus intellectui ſenſus, quin & fallatur & fallat.

b.) Conſtat ex Cartheſio, ea, quæ in cogitatione noſtra verſantur, triplici ſub idea percipi, nempe vel innata; vel adventitia, vel factitia. Quid per has intellectum velit vide in Meditat. III. p. 17. & Epiſt. 54. P. II. pag. 210. Mihi vero paucis immutatis eosdem ſervare terminos placitum eſt, hoc modo, ut *Innatæ* dicantur, quæ in intellectu noſtro citra ſenſuum interventum deprehenduntur. Nec dubito, ante lapſum & jacturam intellectus protoplaſtorum, omnium pene rerum plenam perfectamque cognitionem illis conſtitiſſe, quamdiu ſcilicet imagine divina gaviſi ſunt. Sed nunc eheu! hac ipſa deperdita vix ullum amplius connatarum vel concreatarum potius idearum veſtigium in nobis reliquumeſt. Obſcura ſane eſt ipſa DEI cognitio, ac hæreo, annon ratio plura quam intellectus de eo tradat. Quantum ergo reliquiarum imaginis divinæ ſupereſt, in tantum quoque ſe extendunt ideæ connatæ, i. e. multum imperfectæ ſunt. Nihilominus à nativitate ſtatim noſtra adhuc quædam nobis cognita eſſe inficiari nemo poteſt. Quis quæſo infantibus modum ſuctionis, reſpirationisque monſtrat? Videas alios ab ortu caſeum, butyrum, alios feles, &c. adeo horrere, ut hanc ipſam congenitam nauſeæ ideam nullo pacto emendare aut delere valeant; idem forte ſentiendum eſt de negotio coitus, quod ipſum nec bruta latere poteſt, quantumvis in eo non inſtruantur. *Illatæ ſeu adventitiæ* plurimæ ſunt, cæ ſcilicet omnes, quæ per ſenſoria externa animæ noſtræ repræſentantur. Species nempe viſæ, auditæ &c. ſive quod idem eſt, colores, ſoni, odores, ſapores, dolores &c. Tandem *factitias* ſeu *enatas* voco illas, quæ vel ope Phantaſiæ, combinando ideas antea illatas, producuntur, non modo tempore ſomni, ſed & inter vigilandum; e. g. ſi monſtrum mihi imaginor bovino capite, pectore pennato alatoque, abdomine ſuillo mammisque præg andibus, pedibus humanis, tandemque cauda equina exornatum: vel ope ratiocinii deducuntur, aut ex connatis, e. g. qui Deum eſſe intelligit, novit quoque peccatum ipſi eſſe abominabile; aut etiam illatis, e. g. quando ab effectu evidenti cognoſco cauſam, atque ſic porro. Hujus ratiocinationis beneficio plurimas certe elicimus ideas. Ponamus itaque dubium eſſe de re quadam obſcura, quæ nec intellectu ſedem nativam habeat, nec in ſenſus incurrat per ſe, v. g. Spirituum exiſtentia. Quæritur hic, qua ratione cognoſci ea poſſit, & utrum ſenſus & phantaſia, an vero mens ipſa ad penetran-

trandam illam sufficiat? Atque hic, ut puto, satis erit, si ab effectibus manifestis inque sensus incurrentibus spirituum existentiam probavero, firmis argumentis demonstraturus, eos omnino dari, quamvis nec connatam illorum habeamus cognitionem, nec sensuum judicio subtilissimas illas particulas deprehendere possimus.

§. 2. Quemadmodum enim ipse Deus, & Angeli, & plura alia in sensus non incurrunt, ea tamen vere existere ope ratiocinii concipi potest ac demonstrari: ita & Spiritus revera in nobis dari, frustra quidem à visu, (c.) odore &c. addiscere conamur; nil vero impedit, quo minus beneficio cogitationis ac rectæ rationis illud assequamur.

c) Ita quidem Thom. Cornelius in progymnasm. 7. p. 290. & cum eo Marc. Malpigh. in Dissert. de polyp. cord. p. m. 274. statuit, postquam è sanguine adhuc calente per V. Sm missio, exhalare quendam vaporem vidit, qui linguam palatumque acri ac prope salsa mordacitate perstrinxit, halitum illum tenuissimum atque salinum omnium plane vitalium operum effectorem esse atque autorem, verbo: eundem quem alii vitalem spiritum dicunt. Nec displicere potest hæc observatio iis, qui cum Helmont in Tr. Blas hum. p. 147, 24. Spir. vit. p. 159. 17. 19. sextupl. digest. p. 176, 57. Spiritum salsum, de natura salis volatilis esse existimant. Verum absurditatem hujus opinionis similiumque demonstrabo infr. Cap. II. §. 8.

§. 8. Progredior autem hoc modo: (d) **Certum est corpora animalium omnia mere passive se habere, necullam edere functionem posse; proinde requiritur necessario aliquod movens activum, quod organa corporea principaliter actuare atque ad obeunda munia determinare queat.**

d) Argumentor enim sic ex sequ. §. 5. Quicquid sibi relictum motu caret, illud si moveatur, se habet pure passive. Atqui corpora animalium sibi relicta &c. E. Vel si mavis: Quicquid immobile fit per mortem, illius motus dependet à principio quodam vitali. Atqui corpora animalium &c. Ergo. Habent enim se corpora animalium non nisi instrumentaliter; ipsa quidem in se nullo gaudent motu animali, huic tamen inserviunt, quando à motore interno ad eundem impelluntur.

§. 4. Et quamvis Cartesius (e.) ejusque asseclæ (f.) brutis ani-

mam denegantes, principium motus pure mechanicum & corporeum in iis ſtatuant, nemo tamen eorum adeo abſurdus eſt, ut illis (g.) ſpiritum motus autorem deneget. Interim vereor animalia cum machinis hydraulicis vel automatis comparare, ſiquidem horum motus continuus & æqualis à principio quodam vel externo, vel ſi internum ſit, non libero dependet; illa vero ſponte agunt, nunc partes movent pro lubitu, nunc iterum quieſcunt.

e) Ep. P. I. p. 188. 288. & paſſim.

f) Ant. le Grand. Inſt. phil. p. 745. Benj. à Broeckhuyſ in œcon. an. p. 191.

g) Carteſ. l. c. & P. II. p. 35. & 102. le Grand. p. 808.

§. 5. Confirmat autem meum de corporis ſibi relicti impotentia aſſertum præ aliis mors animalium. Si enim materiæ huic aliqua ineſt potentia, cur quæſo motus ac cæteræ functiones ceſſant, & cur omnes ſimul in eodem momento quieſcunt, niſi quod forte communis omnium rector ac præſes diſceſſerit?

§. 6. Dicis, læſi organi culpa id accidere. Ita namque minimum in quadam machinæ parte (h.) vitium cunctam non raro impedit curſus elegantiam ac ſiſtit. Idem fortaſſe animantibus quoque accidit, quorum alia ex ventriculi, alia cordis, alia hepatis vel lienis, alia ex aliarum partium vitio decumbunt, tandemque corruunt.

h) Quod ſi aliqua inter omnes corporis partes foret connexio mechanica, ita ut ſemper motus unius viſceris proximum ſibique contiguum commoveret, quemadmodum in automatis rota rotam urget, tum ſane ſimilitudinem aliquam admitteret poſſem. Jam vero, cum notum ſit, exempto licet è canibus v. g. liene, reſciſſisque in homine crure, manu, auribus &c. ſalvam nihilominus vitam, ſenſum motumque permanere, adeoque ſingulas partes peculiari ſibique proprio gaudere motu; non video qua ratione mortis cauſa, defectusque motus ab organi læſione deduci poſſit. Id equidem non diffiteor læſa parte quadam nobili, cerebro vel corde, vitam multum periclitari, omnis autem interitus cauſam eſſe, conſtanter nego. Non enim ſemper propter organa læſa, ſed & ob læſum motorem ſpiritum, intereunt animantia, quod in §. 7mo innui.

§. 7.

§. 7. Quidſi vero illæſo corpore mors repentina irruat præ nimio (i.) gaudio, metu aut terrore &c? Non ſane crederem in horum organis vel tantillam læſionem concipi, deprehendi aut demonſtrari poſſe, Sequitur ergo movens illud læſum eſſe, cauſamque principalem functionum ſua deſeruiſſe inſtrumenta.

i) Vid. Lotich. in obſ. p. 284. Valer. Max. l. 9. c. 12, 2. 3. Rhod. in obſ. Med. Cent. I. 45. Th. Barthol. Hiſt. Cent. 4. 76. Zwinger. Th. Vit. Hom.

§. 8. Atque idem hoc argumentum à morte petitum monſtrat ſimul motorem internum eſſe, non (k.) externum. Etenim quæ principium ſui motus extra ſe habent, e g. molæ pneumaticæ, quemadmodum unice curſum ſuum exacte ad modum appellentis motoris determinari patiuntur, ita & poſt quietem afflante rurſus vento eundem repetunt. Mirum igitur eſſet, quamobrem cadavera animalium non ſæpius (l.) reſuscitentur, præſertim primis diebus, quandocunque integro corpore acceſſus motori denegatus non eſt.

k) Equidem le Grand c. l. p. 351. & 352, in eo totus eſt, ut demonſtret, nullum corpus ſeipſum movere (cum tamen animalia alibi automata dicat,) ſed omnis unice motûs principium Deum eſſe; Huic materiam cœleſtem ſubordinare videtur Tatingh. c. l. p. 137. quæ forte non multum diſtat à fluido illo aeris externo Pechlini, cujus uſum in animalibus movendis ac tantùm non reſuscitandis docuit in Meditat. de aër. & alim. defect. cap. 2. & 3. Verum enim verò, quemadmodum omnipotentiam divini Numinis tanquam cauſam primam & univerſalem non ſine admiratione veneramur, cujusque directioni gratioſæ omnia ſubeſſe piè credimus, ita nec dubitamus ab eodem Summo Numine cuilibet potius corpori concreatum eſſe motorem internum atque proprium, quàm omnibus communem externum, cùm ejusmodi movens catholicum, quod pro lubitu adeò innumera atque diverſa corpora agitare debeat, ad omnipotentiam divinam adſpirare videatur, quam cum altero communicaſſe Deum, nemo facile audebit affirmare.

l) Muſcis quidem & hirundinibus talem reſurrectionem denegandam non eſſe, patet ex Pechlini jàm allegato ſcripto. Atque ita omnino eſt, latitare aliquandiu ſpiritum horum animalium, ac tamdiu inſufficientem eſſe ad actuan-

da

da corporis organa, donec à calore externo commoveatur & excitetur. Ex hoc ipso autem nondum sequitur motorem externum volatui v. g. præesse. Aliud enim est principium movens internum excitari ab externo calore, & aliud, principium movens esse calorem externum.

§. 9. Colligo itaque, cum corpus mere passivum sit in animalibus, nec ab externo motore functiones eorum deduci possint, necessario principium quoddam motus internum ipsis datum esse à natura.

§. 10. Hoc ipsum movens autem quoniam distinctum (m.) est à corpore organico, eodemque subtilius atque nobilius, prout ex ejus functionibus constat, ideo non inconvenienter spirituum (n.) nomen jam usitatum ipsique impositum servamus.

m) Qui juxta Hippocratem tres corporis animalium partes statuunt, solidas, fluidas & impetum facientes, ii sanè spiritus à corpore organico adeo distingvere non videntur. Et verum quidem est, si hi ipsi in homine considerentur respectu mentis, ad corpus potius referri posse, utpote qui omnino materiales sunt, augentur & minuuntur, non secus atque corpus, quorum neutrum in mentem cadit. Attamen si quæ inter agens & patiens, formam ac materiam, subtile atque crassum differentia concedenda est, non dubito, idem discrimen inter jam ante nominata admittere. Quisquis enim in universum (hominem jam seponamus) corpora naturalia considerat, deprehendet non in animalibus tantum, sed & plantis, imo ipsis metallis durissimisque mineralibus hæc duo distinctissima existere, nempe particulas alias segnes ac inertes, alias moventes atque activas. His ea profecto omnia debentur, quæ formis alias adscribi solent. Quamdiu hæ ipsæ, quam inhabitant, materiam movent, tamdiu vivere dicenda est; adeo & ipsum metallum & mineralia sublimiores Philosophi viva dicunt. Quamprimum autem motor ille suum deserit domicilium, hoc certo certius interit, ac esse definit quod fuit. Interea quæ in metallis perfectio, in plantis vegetatio, in animantibus functiones ipsis competentes observantur, eæ quidem omnium commodissime à principio isto derivari possunt. Illa igitur duo præ cæteris merentur penitius attenteque examinari, sola, si ulla statuenda sunt principia corporum naturalium constitutiva, reliquis anteferenda.

n) Spi-

n) Spirituum nomen ambiguum est. Improprie quidem apud Chymicos non tantum per fermentationem parati ardentes, sed & salini, urinosi atque acidi, dicuntur spiritus, vini, salis ammoniaci, Vitrioli &c. Dein stylo grammatico spiritus nunc pro animo, nunc pro aëre in pulmones recepto; juxta Pneumaticos non tantum de DEO, Angelis, sed & humana mente accipitur. Verum physice præter spiritum animalem, vegetabilem, mineralem & cuivis subjecto proprium adeoque determinatum, datur quoque catholicus & indeterminatus; Sed hâc vice tantum de eo, qui in corpore humano hospitatur, quem vulgo animam vocant sensitivam.

§. 11. Jam vero ulterius argumentor: In homine corporis functiones plane (o.) coincidunt cum iis, quas in brutis observamus, quidni ergo statuam pares spiritus in homine his præesse, similiumque effectuum parem esse causam.

o) Si ea seponamus, quæ à mente humana in nobis peraguntur, non puto in dubium vocari posse, cæteras functiones, nutritionem, sensus atque motum, cum brutis omnino communes esse. Nec obstat nos ab iisdem in multis superari, juxta illud tritissimum; Nos aper auditu &c. ut robur Leonis, celeritatem cursus in aliis, similiaque taceam. Scilicet hæc ipsa differentia saltim gradualis est. Utque scias fundamentum illius excellentiæ, qua bruta gaudent, notandum est, nostram imbecillitatem à primo lapsu originem traxisse, tumque integrum hominem quoad omnes partes justa pœna à Creatore fuisse affectum. Ante lapsum dubio procul omnis perfectio & quicquid inter bruta excellentiæ distributum, collective in uno homine, tanquam complemento omnis creationis, concurrebat. Hæc obiter.

§. 12. Sed hic plures occurrunt, qui putant in nobis animam rationalem tanquam nobiliorem & eminentem has quoque functiones, quas cum brutis communes habemus, respirationem, motum, sensum &c. facillime præstare posse, cum majora & sublimiora queat.

§. 13. Sciant autem hi obstare plurima, quæ illud non admittant. Nam primo (p.) functiones animales sæpe in nobis succedunt contra intentionem & voluntatem rectæ rationis. Quando v. g. appetimus nociva, quando etiam nolentes irascimur, libidine,

ſimilibusque affectibus corripimur, quorum omnium primus impetus non niſi brutalis eſt, gubernandus ac modificandus à rationali anima. Impoſſibile vero eſt eandem cauſam in eodem actu eodemque momento agere & non agere velle & nolle.

p) Argumentor ita: Ubicunque duo contrarii actus concurrunt eodem tempore, ibi neceſſum eſt eorum quoque duas diverſas eſſe cauſas. Atqui in homine duo contrarii actus eodem tempore concurrunt E. Majoris ratio ex ipſa theſi conſtat. Id enim non rarum eſt eandem cauſam duo diverſa ſimul peragere, ut reſpirare & progredi; agere contraria per naturam impoſſibile eſt. Quoad minorem, exiſtimo rem claram eſſe in exemplis, v. g. Supponamus in die jejunii pium devotumque animum ab omni cibo lubentiſſime abſtinere. Annon putas ventriculum interim fame urgeri? Quam pauci noſtrum ab ira ſibi temperare poſſunt quin rubore ſuffundant faciem, oculosque oſtendant igneos, ad vindictam proni, quantumvis circumſtantiis aliud jubentibus recta ratio eandem diſſvadeat. De libidine nihil dicam; quod ſi enim nec nivale frigus extingere Franciſci cupidinem, nec urticarum ſpinarumque penetrantes punctura ſtimulis venereis, quos olim Benedictus ſenſit, reſiſtere potuerunt (de quibus videri poteſt Danhauer in lacte Catechet, P. II. p. 436), facile liquet, quam parum obſequioſus menti ſit appetitus ſenſitivus, & quanta inde pugna ſæpius oboriatur.

§. 14. His enim in actibus longe veroſimilius eſt, ſpeciem odoratam, auditam, viſam &c. ſpiritibus oblatam, eosdem commoviſſe, non alia ratione, quam quæ in brutis conſiderari poteſt. Ecquis vero inter nos adeo potens eſt, ut his affectibus ſatis reſiſtere poſſit. Fatemur ſane, ſed dolemus, vix unquam inter precandum omnem ad Deum meditationem mentis ſe convertere, quin ſpiritus, ſi non aliquam præſentem, quæ evitari à nobis poteſt, ſaltim antea receptam ideam noſtræ menti phantaſtice offerat dijudicandam, ea maxime invita.

§. 15. Verum quid jucundius eſſe poteſt, quam ſi ſpectemus (q.) agonizantes, poſtquam aliquandiu nec ſenſus nec vitæ ſignum dederunt ob exhauſtos pene Spiritus, tandem verbulo ſui meminiſſe Jeſu, hilarique vultu teſtari ſuæ mentis quietem, nec ullam ſibi obver-

obversari ideam præter unicam Salvatoris crucifixi. Adeo pleno rationis judicio tum demum fruuntur, quando animalis spiritus suas deseruit functiones, nec amplius species in mundo obvias menti obtrudit.

q) Inter alias notatu dignior visa est historia ab amico suavissimo communicata. Nimirum cum Parens ejus, Vir maxime pius ac de Ecclesia orthodoxa bene meritus, constitutus in agone mortis, nulla ulterius daret signa vitæ, factum est, ut, simul ac ab adstantibus hymnus ille germanicus; GOtt der Vater wohn uns bey ꝛc. occineretur, ter pallorem vultus cum rubore pereleganti commutaret, quotiescunque scil. invocaretur Personæ Divinitatis Nomen; sub finem cantus obiit placidissime.

§. 16. Porro si menti absolutum imperium in corpus à Deo concessum est, cur & quomodo (r.) deficit in vilioribus muniis, quæ omnino jubet ac tanquam maxime necessaria judicat; e. g. senex emeritus, cui uxor juvencula concredita est, mallet dubio procul suo satisfacere officio, damnum prævidens, quod ex negligentia sua oriri possit aut soleat; repugnant autem vires naturæ, eluditque spirituum imbecillitas voluntatis imperium.

r) Brutis equidem accidere potest, ut, quamvis organa recte se habeant, deficientibus viribus, quod velint, præstare nequeant. Nos autem cum mens immortalis sit, nec augeri vel minui possit ut anima brutorum, non possemus tali in casu deficere circa functiones animales, si has ipsas nostra mens præstet. Posita enim causa sufficiente & volente non potest deficere effectus. Cum vero functiones istiusmodi non semper succedant juxta lubitum, e. g. appetitus vel digestio ciborum, illæso ventriculo, &c. inde colligo, has operationes non esse ipsius mentis, sed ab alia causa proficisci. Itaque longe vero similius est præter mentem dari adhuc aliud agens ignobilius in nobis. Res sic se habet: Ratio est instar Domini, anima sensitiva instar servi; Et quemadmodum causa instrumentalis præter ea quæ ad nutum & directionem principalis præstat, plura adhuc operatur, repugnante etiam Domino, & plura negligit jussa: eodem modo rationi quidem directio spirituum concessa est, his interim relicta libertas obsequii. Atque illa ipsa licentia, qua sæpe abuntur spiritus, clare profecto demonstrat,

ſtrat, hos non pro organo tantum, ſed cauſa organica habendoseſſe: Vel potius, mentem functiones animales non tam præſtare, quam dirigere, quantum poteſt.

§. 17. Sed quod maxime discrimen mentis atque ſpirituum monſtrat, decrementum (s.) & augmentum horum eſt, quorum tamen neutrum in immortalem & immaterialem mentem cadere poteſt. Equidem & intellectus noſter atque voluntas, cum poſt lapſum protoplaſtorum imperfecta ſint theologice conſiderata, illuminari magis magisque ac perfici optant quotidie, accreſcere autem eadem & decreſcere nemo facile affirmabit. Contra vires corporis in perpetuo fluxu ſunt, nunc augentur, nunc minuuntur, quemadmodum ex quarto ſextoque capite clarum erit.

s) Dictum eſt ſupra corpus ſe tantum paſſive habere, adeoque vires ejus à diſtincto quodam agente eſſe deducendas. Quandocunque igitur obſervamus vires nobis deficere v. g. poſt inediam aliquot dierum, manifeſtum eſt, agens illud mortale eſſe & interitui obnoxium, ac propterea illas à mente alienas eſſe.

§. 18. Accedit, quod, cum ſpirituum nexus cum corpore facilior ſit & arctior, quam mentis, illi quodammodo diviſibiles videantur ſecundum corporis partium diviſionem, quod de mente immateriali dici non poteſt. Obſervarunt enim (t.) detruncatum caput aliquandiu moviſſe labia, vel terram dentibus momordiſſe, trementibus interea membris; nec dubium eſt, ſi quis acu tetigerit plantam pedis, poſt unam alteramve horam obſcuri ſenſus ſignum adhuc eum dediſſe, quod alias ſæpius viſum.

t) Marci in Phil. reſtit. p. 336.

§. 19. Annon probabile eſt, cum ſimile quid in anguilla, lacerta, muſca, aliisque brutis obſervemus, tales motus ac ſenſus notas reliquiis ſpirituum animalium deberi, quorum diſceſſus tardior eſt è corpore ſano vegetoque, (u) violenta morte interempto.

u) Qui

u) Qui morbo consumti exspirarunt, nulla amplius signa vel motus vel sensus edunt, quamprimum pulsus cum respiratione cessarit: Aſt violenta extincti nece, nisi insignis mœror timorque mortis præcesserit, aliter se habent. Exempla pulsus circa cor notati post aliquot horas vid. in Helmont. Tr. sed. anim. p. m. 230, 3. Scio hic quidem non paucos fore, qui statuant motum ejusmodi obscurum non à spiritibus, multo minus ab anima deduci posse, quin potius impressam in quibusdam partibus facultatem relinqui, quemadmodum turbinem flagello suo versatum aliquandiu circumagi cernunt. Sed jam non dicam, rationem aëris ambientis in hujus motu haberi posse; saltim illud urgeo, alium esse motum simpliciter mechanicum, alium animalem; nam v. g. quando angvilla in partes dissecta, sale conspergitur, multo magis si ignis carbonum statim subjiciatur, plurimum se torquet, atque hoc ipso testatur sensum doloris cum motu superesse: unde causæ moventis præsentia indubitato infertur.

§. 20. Atqui nunc finaliter concludo: spiritus hominis remanent aliquandiu in cadavere etiam diviso, augentur & decrescunt, suasque functiones pro lubitu vel deserere, vel explere possunt, spreto rectæ rationis directorio; ergo spiritus hi diversi sunt a mente.

CAP. II.

De Natura Spirituum.

§. 1.

JAm asserui in homine spiritum existere, qui præsit functionibus nobis cum bruto communibus, quique realiter à mente distinctus sit; nunc igitur inquirendum est ulterius, cujusnam naturæ ille nobis videatur?

§. 2. Neque vero hic audio eos, qui docent diversos in nobis dari spiritus, alios naturales (a.) alios vitales, alios animales, denique & alios genitales, sive hos inter se gradu, sive perfectione

fectione distinguant. Nam & horum fundamentum falsum est, & ratio sana contrarium monstrat.

a) Tritum est à primis jam temporibus triplicem spiritum veteres statuisse, nempe naturalem, ex alimentis in hepate genitum, à quo functiones naturales in corpore procederent; vitalem ex sangvine ortum in corde, qui præesset functionibus vitalibus; & animalem è vitali natum in cerebro, cui functiones animales deberemus. vid. Sennert. Instit. lib. I. cap. 6. His addunt recentiorum nonnulli genitalem, qui in organis spermaticis elaboratus generationis negotio inserviret. Conf. Sebast. Wirdig. med. Spirit. p. 82. & Goth. Mœb. in epit. instit. pag. 32. quorum tamen posterior naturalem negligit, uti ex antecedentibus ejusdem capitis videre est. Helmontius autem, licet contra veteres unum saltim spiritum statuat p.m. 178, 64. & 610, 97. nec specie sed muniis tantum eum distingvi velit, plures nihilominus admittere videtur aliis in locis; nempe pag. 159, 14. 577, 154, 57. ubi aperte tradit spiritum vitalem motivum fieri in medulla spinali, visivum in oculo, acusticum in auribus &c. ibidemque suscipere characterum determinationem, qua facta visorios ad lingvam delatos ineptos ad gustum, uti & tactus autores motui impares esse.

§. 3. Si enim considerabamus symmetriam functionum (b.) læsoque spiritu in una, omnes simul lædi, recte colligimus unicum omnium esse præsidem. Jam vero constat e. g. in tabe dorsali, totius corporis lassitudinem, nutritionis defectum, sensuum hebetudinem, ventriculi anorexiam & apepsiam solummodo ex jactura spirituum, quæ veneris ineptum & crebrius exercitium sequitur, nasci.

b) Quanquam perpetuum sit, læso spiritu in hac parte, lædi simul & eum qui in alias partes distributus est, e. g. læsa chylificatione vel sangvificatione universum lædi corpus; malui tamen uti exemplo spiritus genitalis læsi, quippe qui ultimus & perfectissimus ex consensu omnium, non facile remeare vel commutari iterum in ignobiliorem, naturalem puta, vel vitalem aut animalem potest; cum contra deficiente naturali, deficere reliqui nobiliores necessum habeant, ideo quod materia his generandis denegata fuerit. Dabo igitur aliam adhuc instantiam. Qui paulo debiliores sunt, quotiescunque nimium commovent corpus, laboribusque exercent durioribus, sentiunt deficientem non modo appetitum,

petitum, sed & digestionem; consumtis ergo spiritibus motoriis, illi quoque periere, qui in ventriculo digestioni primæ nec non fami præesse debebant.

§. 4. Deinde nec illud prætereundum est, Spiritus, si in una functione nimis occupati sint, avocari ab aliis atque intercipi. Pluribus intentus minor est ad singula sensus; & cum attenti in unam rem; v. g. sonum, spiritus ad aures copiosius affluunt, oculos sæpe aliasque partes derelinquunt, ut & ipse non raro somnus ex improviso claudat oculos.

§. 5. Quod si putas talem harmoniam inter sensus, quibus unicus animalis spiritus præsit, sed inter cætera non æque facilem fore, dabo aliud (c.) exemplum: Qui totus in lectione elegantis scripti, totus in amore puellæ cujusdam est, annon hic neglecta fame, digestiones, quæ naturalibus & vitalibus spiritibus alias assignantur, debilitat: Id enim (d) pallor faciei ex pituitosa cruditate primæ digestionis sanguini affusa ortus, satis clare indicat.

c) Inter signa corporis salubrioris vulgus illud quoque reponit, quando post pastum refrigerari quodammodo manus deprehendunt, ideo quod credant calorem retrocedere ab ambitu corporis ad ventriculum, ut hic chylificationem prompte absolvat. Ego vero ita potius statuo, spiritum caloris autorem non tam revocari à peripheria ad centrum, quam post assumtionem ciborum copiosius defluere ad stomachum, atque sic paulatim deficere in extremitatibus, præsertim si corpora fuerint minus robusta. Nam & in his ex eadem ratione lassitudo artuum & somnus à pastu statim supervenit; in fortioribus nihil horum observare licet.

d) Qui pallet, dicitur aut amare, aut studere, aut ægrotare. Mihi vero, qui & amori & studiis nimium dediti sunt, non pallere tantum, sed & ægrotare insimul videntur. In gratiam ergo hujus proverbii notari velim insignem esse in amoribus uti & studiis differentiam. In amantes non saltim eos quadrat dictum, qui spemque metumque inter dubii sunt, sed & qui Venere immoderata abutuntur; cum è contra non rarum sit legitimo amoris usu conservari ac exhilarari alios. Studiosos autem intelligo non nomine, sed re ipsa tales, præsertim qui lucubrationibus sese consecrarunt; adeo rarum est eruditos non pallere.

§. 6. Et quid opus est entia præter necessitatem multiplicari, cum unicus animalis spiritus sufficere possit. Cujus natura ut planior evadat, adhuc quædam perpendenda sunt.

§. 7. Ante omnia enim sciendum est, spiritum hunc materialem in nobis non aliter quam in brutis esse, quod ex ejus augmento & decremento aliisque supra (e.) allegatis conditionibus manifesto liquet.

e) Nempe convenientia cum anima brutorum, item divisibilitas indicat spiritus nostros esse materiales, potissimum tamen est argumentum quod ab augmento & decremento eorum petitur.

§. 8. Materia autem ejus & simplicissima esse debet & subtilissima: Simplicissima quidem, ut omnem excludat saporem, odorem, colorem, &c. Etenim qui fieri posset, si spiritus vel (f.) salsus, aut acidus foret, ut sapores rerum accurate distingueret; si colore quodam ipse tinctus foret, ut (g.) cærulei, viridis, rubri &c. speciem seu ideam in se reciperet in visu, atque sic porro.

f) Ita quidem sentit Wirdig c. l. p. 53. alios esse dulces, alios salsos, alios acidos, alios alcalisatos &c. Annon autem, si dulcis v. g. spiritus linguam inhabitaret, omnia assumta, mellis, si acidus aceti sapores præ se latura sint, iis dijudicandum relinquo, qui norunt, in affectibus biliosis ob fel salivæ admixtum quælibet ab ægro por amaris haberi.

g) Putasne, qui per vitrum viride intuentur objecta, de horum coloribus judicare posse? Idem existimo sentiendum esse, si spiritus forent colorati; sub eo etenim colore quævis apparerent, ideo quod humores ab inhabitante spiritu tingerentur. Eandem merentur notam, qui tenebricosos, obscurosque alios volunt; quæ enim huic vitiosæ qualitati adscribunt, si organon illæsum sit, defectui potius spirituum tribuendum censeo, vel etiam impressioni ideæ tristis atque melancholicæ.

§. 9. Subtilissima (h.) quoque ejus materia sit necesse est, ut & in partium motu alacris, in sensu facile mobilis sit spiritus, aptusque per firmiorem nervorum substantiam in minimos corporis poros distribui.

h) So-

h) Solent alias Philoſophi diſtinguere inter materiatum & materiale; illud nominant compoſitum elementare mixtum, hoc vero, quod ex ſubtiliori & ſimplici conſtat materia. Quando igitur ſpiritus materiales ſupra dixi, eo ipſo excludo ab eorum natura particulas ſic dictas elementares, terrenas potiſſimum & aqueas; de aereis & igneis in ſeqq. dicam. Interim non præterire poſſum eos, qui putant ſub forma liquoris cujusdam ſpiritus in noſtro corpore deprehendi. Dixi alibi hanc ipſam opinionem laborare inſufficientia probationis: hac proinde vice illud ſaltim urgeo, quod iſte liquor ineptus ſit ad præſtanda. Anne credis aliquot guttulas ejus ſufficere poſſe ad robur partium in motu? Crederem ſufficere, ſi inſtar fluvialis aquæ copioſe & cum impetu affluëret. Quamvis tum quoque motum potius undulatorium mihi concipere poſſem, eo quod concluſus liquor ab omni affluxu iterum recedere neceſſum habeat; Unde nunquam ſimplex motus, ſed vacillans, aut minimum trémulus obſervaretur. Deinde cum inter partes fluidas ſuccus ille nervorum quoque numerandus ſit, mallem potius alias ſubtiliores & agiliores particulas pro corporum motore haberi. Ad ſenſus autem quid liquor facere poſſit, plane non video. Quis in oculo deſideret humiditatem ad percipiendas ſpecies viſorias, aut in tympano ad recipiendum ſonum; nam & in illo nunquam deficere poteſt, in hoc membranam laxando magis nociva foret. Idem de cæteris ſenſoriis judicium eſto. Verum audio, non ſucco huic, quatenus liquidus, ſed quatenus ſpirituoſus eſt attribui illos affectus. Itaque regero ſpiritum ſolum ſufficere, nec indigere vehiculo. Annon inepte radiis ſolaribus, quibus nihil fere non pervium eſt, ſuccum affingeremus quo veherentur? Similiter & in noſtro corpore exiſtimarem fluxum per nervos magis impeditum eſſe ac tardum, ſi ſpiritibus ejusmodi glutinoſus liquor affingeretur.

§. 10. **Accedit itaque proxime ad naturam (i.) lucis, vel potius ignis, imo vero utrumque horum ſuperat ſpiritus. Concipi tamen poteſt & ut luminoſus & ut igneus ſeu calidus. Luminoſum quidem eſſe, ſpiritum non alia in nobis pars probare æque poteſt, quam oculi, quorum cornea cum (k.) pellucida ſit, facilius lumen ejus transmittit.**

i) Ne mireris L. B. me hic disjungere lucem & ignem, quando ſpiritus & luminoſos & calidos demonſtrare aggredior. Quemadmodum enim lumen datur absque igne, v. g. in radiis lunaribus, ligno putrido, adamante, ſimili-

milibusq; noctu lucentibus; ita quoq; ignis datur absque lumine, quandocunq; scilicet ab intermixtis particulis terreis, aqueis vel similibus disgregantur particulæ igneæ, quod de fumo ipso, aqua fervente &c. constat, quippe quibus non modo qualitas ignis seu calor, sed ipse ignis realiter admixtus est.

k) Si quis de lumine in corporibus nostris incluso dubitare velit ideo, quod non omnes partes splendeant, ille sciat per medium pellucidum quidem facillime, per opacum nullo modo radios lucis penetrare. Adeo enim rudis aut absurdus nemo est, ut, quam à parte anteriori laternæ cornea conspicit, præsentem candelæ flammam neget, quoniam eadem à tergo ex lamina ferrea constructo non appareat. Sufficientem ergo existimavi esse probationem luminis nobis congeniti, quam non potui nisi ex oculis desumere.

§. 11. Ecquis vero nescit in (l.) febribus ardentibus, quando fulgidi atque ignei apparent ægrorum oculi, jam instare deliria; similem quandoque splendorem observamus in ira excandescentium oculis, manifesto indicio, spirituum fervorem eos magis lucidos reddere.

l) Prolixum foret demonstratu, ardorem febrium & conjuncta deliria, agrypniam similiaque symptomata omnia unice ex spirituum motu præternaturali & impetuoso oriri. Mens profecto quæ immaterialis est non ægrotat instar corporis; Interim quæ à spiritibus ipsi dijudicandæ offeruntur ideæ, cum confusæ sint & turbulentæ, non possunt aliter quam, ut sunt, ab intellectu cognosci. Si quæ idea terroris, metus, iræ &c. in nostro versatur animo, annon putas eandem primario afficere spiritum animalem? Ita sane. Inter canem hydrophobum & hominem ab eo infectum, quanta non est rabiei conformitas, ut alium latrasse Borellus Cent. 1. obs. 74. alium sagacitate quasi venatica amicos suos olfecisse, Cent. III. obs. 68. aliam more canum adstantes morsu petiisse Rhodius Cent. I. obs. 46. testetur. Quid multa? animi vulgo dicta pathemata nobis cum brutis communia sunt, ac sæpe bestias imitari videntur, qui affectuum impetus sana ratione satis compescere nequeunt. Propterea cum certum sit in deliriis ac furore potissimum rapide commoveri spiritus, nec dubitare possum oculorum fulgorem tum observabilem quasi pro scintillis inde excusis habendum esse. Nec errat, qui idem, in remissiori tamen gradu, de iræ furore intelligere velit.

§. 12. Manifestius hoc in iis est, qui in densissimis tenebris vident ac distinguunt objectorum colores instar Tiberi Cæsaris, Asclepio-

clepiodori, Scaligeri aliorumque; lumen enim quod per (m.) pupillam egreditur oblataque illuminat, unde aliter, quam à spiritum copia proficiscí potest.

m) Videatur Plin. N. H. Lib. II. c. 37. & in Comment. p. 786. Plura hujus rei exempla, non tantum inter homines, sed & de lupo, felibus, leone, piscibusque nonnullis collecta notavit Frater mihi dilectissimus in Sched. de noctu lucentibus. Absurdus proinde hoc in passu est Helmont. quando in tr. de form. ort. p. m. 114, 49. 50. contra innumeras aliorum observationes negat lumen oculis esse proprium. Quis enim credat ope lunaris luminis noctivaga illa animantia cernere, quippe quæ eadem facultate pollent luna nullibi conspicua, etiamsi in subterraneis locis degant, quorsum radii lunares forte non pertingunt; aut si quis existimet per reflexionem tantillum lucis ad tenebras illas cryptarum obscurissimas penetrare, idem tamen necessario fateri debet, insufficiens illud esse ad illuminanda objecta. Experimentum illud Helmontii cum speculo instituendum, nondum fortassis expertum est: nec dubitarem, si modo oculi felis recta speculum versus dirigantur, ab hoc reflecti luminosos radios. Hi ipsi enim si directe in objectum feruntur, fieri aliter non potest, quin oculis in terram declinatis, nihil illorum vel in speculo, vel in nostro appareat oculo.

§. 13. Nec vero (n.) mechanicæ structuræ hunc splendorem deberi, (o.) mors docet, utpote in cujus accessu nativus oculorum nitor perit, evanescentibus paulatim spiritibus, donec tandem obscuri omnino corneique appareant.

n) Oculorum splendorem inter moriendum perire in omnibus omnino cadaveribus observare licet; à læsione organi illius jactura deduci nequit, nam & qui morte subitanea pereunt, v. g. ense transfossi, in eodem momento, quo corruunt, idem conspiciendum præbent. Ecquid vero cordis vulnus ad oculos?

o) Simile quid experiuntur cicindelæ & id genus infecta noctu lucentia, quorum varias species collegit Thom. Barthol. de luce hom. & brut. pag. 272. sq. Etenim & horum lucem esse vitalem inde non difficulter liquet, quod post mortem eadem pereat, ut adeo ab omnibus rideatur Bapt. Porta, quando ex lampyridibus arte chymica eliciendum liquorem in obscuro lucentem promittit, Conf. Rob. Boyle chym. scept. p. m. 306. & Pechlin. de purgant. pag. 33.

§. 14. Sed porro spiritus (p.) igneos esse probandum est, ubi

bi præmoneo comparationem me non instituere cum (q.) igne, ut loquuntur vulgo culinari, sed (r) puriori & cœlesti, is ipse enim cum absque pabulo non conservari possit, dubio procul ansam dedit Veteribus cogitandi de humido quodam conveniente, quod spiritus igneos tanquam oleum nutriret.

p) Possent hic quidam dubitare, an omnium animalium spiritus ignei sint, siquidem in piscibus nullus deprehendatur calor. Ergo sciendum est spiritus in se quidem esse igneos, adeoque calorem corpori necessario præstare, per accidens autem hoc effectu frustrari. Ambiens enim aqua actu frigidissima, quare non impediat corporis calorem, cum idem nostri ex artus aëre simili patiantur, quibus tamen nemo calidum innatum denegat.

q) De ignis natura multum disceptatur. Ac inter Neotericos quidem David von der Becke in experim. circa rer. nat. princip. pag. 25. sed admodum operosus est, ut in odium Peripateticorum ignem demonstret esse nil aliud, quam motum velocissimum sulphuris acidi volatilis; sed nondum, ut mihi videtur, probat quod probare debet. Nam ut brevis sim, sulphur inesse concretis combustibilibus, & particulas in flamma quandoq; acidas deprehendi, non diffiteor: Inde tamen haud sequitur, materiam ignis esse particulas acido-sulphureas volatiles. Quæ enim ab Ott. Tachen. in Hippocr. chim. cap. 26. & 27. annotata sunt experimenta circa martem, plumbum, corallia & antimonium, ostendunt aciditatem esse in flamma, sed communicatam ab accensis lignis, herbisque, prout ipse expresse docet p. m. 237. Idem censeo de iis, quæ von der Becke c. l. adjecit. Addo, demonstrari non posse, acidum tantummodo flammæ ab his concretis recipi, cum & ignis alcali eodem pacto inter calcinandum uniatur cum iisdem, quod corallia diutius calcinata manifeste indicant. Sal illud coralliorum hoc modo paratum non esse ipsis proprium, sed peregrinum ab aliis curiosioribus jam observatum est; id ipsum autem magis ad naturam alcalicam quam acidam inclinare quivis facile intelligit. Hæc de materiali. Formale ignis quod concernit, concedo quidem per motum operari, & per eundem quoque excitari ignem; in motu autem hujus formale consistere, aliud sonat. Alia enim est ratio operandi, alia essendi, quemadmodum & aliud est principium fiendi, aliud essendi. Verum est ignem sibi relictum moveri perpetuo, interim si impediatur in motu ignis esse non desinit. Res in exemplo clara est. Corpus lipothymia correpti in momento friget

get insigniter, redit paulo post sua sponte calor. Anne putas spiritum animalem defisse esse, quando ab operatione recedit; aut si a motu sangvinis rationem caloris deducere placet, dic quæso, quam ob causam v. g. à terrore sistatur sangvinis motus, & quare idem sangvis mox iterum commoveatur? Mihi autem longe verosimilius videtur, spiritum igneum connatum nostro corpori calorem præbere per motum, quo cessante calor quidem deficere potest, spirituum tamen natura integra manente. Absurdum ergo non est silices esse frigidissimos, quamtumvis ignis actu in poris eorum habitet; rectius enim elici ignem quam produci per concussionem crediderim: producuntur enim mixta quidem per combinationem diversarum particularum; quæ simplicissimæ sunt naturæ, ut ignis, non æque, quin potius è mixto educuntur.

r) Ex jam dictis liquet alium esse ignem purum, alium impurum, sive quod idem est, aliam esse naturam ignis, si in se spectetur ab ortu, aliam si quando in usum vocatus particulas heterogeneas plurimas sibi admiscere patitur. In sole, fonte ignis cœlestis, acidum aut, alcali, terrenas aqueasve particulas quærere quis ausit? Adhibito autem speculo vel vitro ustoriis, ubi semel stuppam vel papyrum accenderunt concentrati solis radii, nisi pabulo sustententur, evanescunt. Cum sole igitur cæterisque, (præeunte Aristot. in egregio loco. L. 2. de generat. animal. c. 3.) comparare spiritus nostri corporis non dubitavi: nam & hi ipsi non accensioni, sed nobiliori usui destinati, purissimi sunt, nec unquam admittunt à fuligine obscurove fumo adulterari vel deturpari. Confer Willisium de Anim. Brut. pag. 8.

§. 15. Calidum (s.) innatum hæc ambo unita dixere; nec dubitant etiam modernorum multi corpro lampade ac sede (t.) ignis vitalis habere, è quo calor ad omnia corporis membra diffundatur. Mihi vero nec lampas nec oleum placere potest, quid de flammula sentiendum putem, jam dicam.

s) Pepcrit doctrina de calido innato non parum difficultatis Physicis pariter atque Medicis, ita ut plures cum Montano profiteri oporteat, se vix tandem senes cognovisse, quid sit calor innatus. Opiniones autorum multum diversæ sunt: alii enim calorem illum elementarem, alii cœlestem esse volunt, plerique tamen in eo conveniunt, quod pro sede ejus aut etiam pabulo ipsi affingant humidum radicale, quod ipsum tamen non nisi in cerebro eorum natum, nullibi vero demonstratum est. Res autem in se minus difficilis existit,

ſi modo præconceptas opiniones confuſaque aliorum judicia paulisper ſeponamus. Calorem nobis quendam connatum eſſe, eumque vitalem, mortis refrigerium edocet. Non vero eſt de eſſentia animalis iſte calor, quia nec piſces ob defectum ejus eſſe deſinunt, nec artus noſtri ſtatim intereunt, quando frigent. Concipi ergo aliter non poteſt, quam ut qualitas ab alia cauſa producta. Jam, ſi examinemus animantium partes, clarum evadet, eum non deduci poſſe à partibus ſolidis, nec à fluidis, ideoque de alio cogitandum eſſe principio. Cumque calor iſte adeo arcte cum vita conjunctus ſit, conſtat eum ſimilem cum ipſa vita habere originem. Movens enim illud, quod ſpiritum vocamus, quia nunquam otioſum eſt in corpore, ſed omnia libere pervadit, non poteſt non calorem impertire membris, ſiquidem igneum eſt; tale autem exiſtere, inferius demonſtratum dabo. Cauſa proinde noſtris caloris ſpirituum motus eſt, quo moderato naturaliter ſe habet calor, accelerato præter naturam augetur, debilitato imminuitur, deficiente penitus tollitur.

t) Præ cæteris plurimum occupatus fuit in ſpeciali Diſſert. Jacobus Holſtius, ut in corde veram ſtatueret flammam, quæ per totum corpus calorem diffunderet, ac ſuſtentaretur ſiniſtri ventriculi innato pingui humore, per nervos quotidie reſtituendo. Eadem hæc flammula nec Th. Bartholino diſplicuit in Epiſt. ad illum Autorem, & Tract. de luce hom. & brut. cap. 17. Notandum tamen eſt hunc de nutrimento illius ignis ab Holſtio discedere, ſuccoque nervorum in dubium vocato, chyli potius per lacteum thoracicum affluentis pinguem ſubſtantiam ſubſtituere. Hujus loco amaram bilem lymphamque ſubacidam in corde concurrere, factaque effervescentia accendi ac perpetuari ignem vitalem Fr. de le Boe Sylv. in Diſput. 7. aſſerit. Mutaſſe tamen iterum ſuam videtur opinionem in Diſp. 10. §. 12. ſeq. ubi aperte negat, lucentem in corde ignem ſeu flammam dari, nec quicquam ellychnio analogon ibidem occurrere, nec oleoſum quid pro pabulo illius inibi animadverti: interim qui §m. 111. cum loco confert, deprehendet, Sylvium quidem reſpuere terminum flammæ, ſed ignis nomen retinere, ideo quod præter ignem lucentem, quem flammam vocant, dari & alium non lucentem exiſtimet. Eandem opinionem fovet Carthes de Paſſion. pag. 5. art. 8. Tr. de Hom. p. m. 8. Ep. 190. P. I, 52. Nec ego adeo ab his alienus eſſe poſſum, quando ſpiritus natura igneos pronunciavi: nempe calorem quidem ab hoc igne latente oriri concedo; at ſedem ejus in corde nego, quin potiq cerebrum cum cerebello ac ſpinali medulla fontem uti ſpirituum, ita & caloris

loris inde per distributionem horum nati, affirmare non dubito. Equidem si nulla alia ratio suppeteret, quæ demonstraret è corde vitam cum calore non distribui, unicum satis foret experimentum, quod contra vitalem ignem urget Gvalt. Needham in disquisit. de form. fœtu cap. 6. quando videlicet ranam exemto corde diu adhuc vivere & saltare non semel ipse vidit, verum etiam aliis curioso spectaculo exhibuit.

§. 16. Nimirum à Spirituum influxu omnem in partibus calorem deducendum esse, probant non modo ejus subitaneum augmentum, quod ex spirituum commotione in ira quivis in seipso experiri potest, sed & è contrario (u.) notabile frigus, in iis observandum, qui animi deliquium patiuntur, vel potius in morte, quando deficientibus spiritibus totius corporis calor discedit.

u) Non inficias eo præ multis aliis abditam esse naturam frigoris, hæc tamen mihi visa est. Cum supra dixerim in hoc universo dari particulas alias in se quiescentes, sed mobiles, & alias moventes activas; nunc porro moneo, illis corporeis particulis connatum esse frigus, uti ex harum spirituosarum commotione omnis calor nascitur. Deprehenditur autem frigus illud in corporibus æque naturalibus ac artificialibus, atque certum est, corpora hoc magis esse frigida, quo parcior eorum est spiritus, vel quo magis crassa & firmiori gaudent compage, utpote in qua materia internus motus tardior est ac magis obscurus; ita ut, quamvis silex v. g. aut chalybs plurimum ignis in se contineant realiter, per naturam tamen frigent ideo, quod in firmioribus poris conclusus ignis in motu impediatur. Facilius se expediunt alii, qui frigus à luna, uti calorem à sole derivant, adeoque spiritum non modo calidum, sed & frigidum statuunt cum Wirdig. l. c. Lib. 1. c. 9. & 10. Verum enim vero hanc ipsam hypothesin minus firmam esse hoc unicum docet, quod frigus insigne observetur in aere, quantumvis luna infra horizontem nostrum constituta sit; imo & alia concreta v. g. mineralia frigidissima in suis fodinis deprehendantur, etiamsi lunæ lumen ea nunquam attigerit. Equidem radii lunares, si per lentem vitream colligantur juxta Helmont. in form. ort. 113, 40. frigidissimi, rectius minus calidi, observantur; cujus phœnomeni rationem hanc esse puto. Præsuppono cum Helmontio Form. ort. 44. lumen lunæ non proprium esse, sed communicatum à sole, nec dubito cum lumine calorem in eandem transferri; quod vero lumen nobis repræsentetur à luna, sed calor ad nos non deferatur, hoc

hoc modo explico: Extra controversiam est, lumen saltim intentionaliter, ut loquuntur Philosophi, & repræsentative per aerem diffundi, calorem autem non nisi realiter propagari, quousque scil. particulæ igneæ pergunt. Itaque cum radius reflexus imbecillior sit directo, hinc fit, ut calor simul & lumen à luna remissiori gradu abeant. Lumen longe felicius ad nos pertingit, deficiente interim calore; ob rationem enim supra exhibitam lux facis è longinquo nostros ferit oculos, quamvis calor non nisi ab ea propius admota sentiatur. Dicis; at hic caloris defectus ad notabile illud frigus generandum non sufficit: Imo vero sufficit. Etenim cum aer sibi relictus sit frigidus, quod pauciores contineat particulas igneas, nisi hæ augeantur, non incalescit, quin potius nostra refrigerat corpora, si ei exponantur; aliter se habet, si copiosius ipsi à sole ignei affundantur radii. Quapropter, quando debiliores lunæ radii aerem ingrediuntur, possunt quidem regionem supernam lunæque proximam quodammodo calefacere, remotiorem non æque, ita ut, ob motum aeris impressum, deficiente calore frigus inducant. Habent se namque radii lunares non aliter ac oris halitus, quem si propius excipias calidum, si paulo remotius ad ulnæ v.g. distantiam nunquam non frigidum cognosces.

§. 17. Ac ne quis existimet, cum sanguine hunc calorem ad partes distribui è corde; sciat fere ordinarie in senibus, item in debilioribus subjectis, præsertim è graviori morbo evasis extremitates artuum valde frigidas deprehendi, ubi tamen nec sanguis, nec pulsus, sed unice vires seu spiritus deficiunt.

§. 18. Quod si vero à spirituum influxu calor dependet, sequitur omnino illorum naturam igneam esse. Non enim alia mihi videtur (x.) caloris causa præter ignem, quicquid alii dicant.

x) Supra de igne dixi rationem ejus non esse petendam ex motu particularum acidarum volatilium, sed atomos igneas realiter in concretis existere, quibus commotis calor excitetur. Nunc iis quoque satisfaciendum erit, qui affirmant calorem nihil aliud esse, quam motum particularum corporis; cui opinioni favet Fr. Baco de Verulam. oper. p. 351. Jac. Rohault. in Tr. phys. Part. I. c. 23. J. B. du Hamel tr. de mente hum. p. 382 sqq. aliique. Notum est, hyberno quoque tempore nostra corpora per motum, ligna item & saxa, nec non metalla ipsa per attritionem acceleratam incalescere: Quæritur ergo, an omnes particulæ horum concretorum, terreæ simul & metallicæ hoc modo in motum rapian-

rapiantur? Mihi vero vix probabile eſt, particulas eas, quæ per firmam combinationem ſolida conſtituunt corpora poſſe moveri. In ſunt proinde horum poris aliæ potius atomi, quibus commotis calor producitur. Nec enim quævis particulæ commotæ calorem gignunt; glacies glacie attrita calorem nunquam concipit: Ipſum hyemale frigus tunc intenſiſſimum eſt, quando ventorum turbines aërem vehementius concutiunt. Aſt ipſam ignis vim augeri per motum qui dubitat, fabrorum adeat officinas, ut videat caloris vim beneficio follis maxime intendi, ob acceleratum particularum ignearum motum; quo ſegniore, remiſſior illius gradus obſervatur.

§. 19. Adhæc qui conſiderat, quantum ignis etiam (y.) chymicus in transmutanda ac perficienda rerum natura valeat, is forte principium noſtrarum digeſtionum, (z.) chylificationis & ſanguificationis non aliud magis conveniens excogitare poterit, quam quod ex natura ſpirituum ignea intelligere licet.

y) Ut taceam deſtillationes, ſublimationes, incinerationes, putrefactiones, ſaltim quid in ſolvendis, depurandis & exaltandis concretis ignis debito regimine adhibitus per digeſtionem poſſit, hac vice commemorare placet. Adeo aptus eſt digeſtionis terminus ad explicandos ſpiritus noſtri operationes circa chylum, ſangvinem, ſemen, lac &c. Quo magis nomen coctionis, quod Veterum quidam adhibuerunt, culinam ſapit reipſa tamen idem ſignificans.

z) Quo tandem certus fias ſpiritum digeſtionum præſidem revera igneum exiſtere, conſidera, ſi lubet, in ventriculo maxime ejus naturam manifeſtari, quando aſſumtus vini vel frumenti ſpiritus inibi accenditur. Plura hujus rei exempla collegit Th. Barthol. Hiſt. Cent. I, 70. & Cent. III, 56. Fidem fere ſuperat quæ in Vol. I. Act. Hafn. obſ. 118. leguntur, nempe fœminam, quæ per triennium ſpiritu vini ſe enutrierat, tandem ſponte accenſam in fumum atque cineres abiiſſe relicto ſaltim cranio, digitorumque extremis. Conf. Miſc. N. C. Ann. I. obſ. 77. & Paulli Digr. de Mal. pag. 27. Præſuppoſito nunc, accenſionem non niſi ab igne fieri (ſive hic manifeſtus ſit, ſive latens perinde eſt), ſubſumo eſſe aliquid in noſtro ventriculo natura igneum, quod aptam materiam inveniens, eam incendere poſſit. Hoc ut fiat, duo requiruntur, nempe primo ſpiritus vini non adeo phlegmaticus ſit, nec ab aliis aſſumtis talis fiat; deinde ſpiritus animalis cum impetu ad ſtomachum affluat neceſſum duco. Propterea non eſt cur metuamus, ſæpius illud incendium nobis accidere.

§. 20. Videntur autem ſpiritus noſtri natura, prout eam jam explicuimus, convenire cum ſpiritu ceterorum animalium, utpote qui ſimiliter igneus & luminoſus, atque materialis eſt. Dubium itaque oriri poteſt, an non aliqua ſit inter noſtrum & brutorum ſpiritum (aa) differentia? Ita omnino eſt, Adeoque rectius ſimilem in brutis ſpiritum quam ejusdem naturæ ſtatuimus.

§. 21. Ut enim taceam à mente ſpiritum noſtrum maxime emendari ac juvari, præſertim in loquela, motu, ſenſu, appetitu, aliisque dictis animi pathematibus; ſaltim nunc, poſtquam convenientiam genericam vidimus, in diſcrimen ſpecificum ſpirituum inquirere placet.

aa) In materia equidem coincidunt reliquorum animantium ſpiritus cum noſtro, differunt autem partim in forma, partim in officio ſeu functionibus. Has in nobis ſæpe inferiores eſſe v. g. auditum, viſum &c. ſupra innui, ſed nunc addendum eſt, ob directionem à mente, vel potius correctionem easdem non raro nobiliores fieri. Quis neſcit loquelam brutorum ab hominum ſermone alieniſſimam eſſe, ideo quod rationis defectus in iis lingvæ non ſuggerat idoneam diſſerendi materiam. Si quid laude dignum circa ſenſus noſtros aut affectus obſervatur, id profecto mentis directioni tribuendum eſt. Crederem, phyſice quidem ſpiritus noſtros imbecilliores eſſe reſpectu quorundam animantium in ſuo genere perfectorum; meliores autem & ſublimiores ſunt ethice, quatenus moralitatem à mentis regimine ſuſceperunt. Verum enim vero hæc ipſa perfectio animæ ſenſitivæ non propria eſt & perpetua, ſed tantum accidentaria & communicata, ideirco digna mihi non videtur, quæ differentiam ſpecificam conſtituat inter noſtros & brutorum ſpiritus. Rectius eam à forma petendam exiſtimo.

§. 22. Atque hoc unicum in idea quærendum eſſe cenſeo. Uti enim corpora animalium ſpecie diverſorum non manifeſtius quam ratione externæ figuræ diſtinguuntur, ita & eorundem ſpiritus juxta (bb) idearum differentias à ſe invicem diſcerni poſſunt elegantiſſime.

bb) Si cui obſcurum videatur idearum nomen, ſciat alias à me ideas mentis, alias ſpirituum dici. De mente jam non loquar, niſi quod contra

Lud.

Lud. de la Forge tract. de mente hum. pag. 50. ſtatuam, non ſolum menti proprias, ſed & ſpirituum ideas dari. Has igitur quod concernit, cum ſupra dixerim in animalibus, vegetabilibus & mineralibus ſpiritum motorem exiſtere, idea autem nil aliud ſit, quam ſtatus certus ſpirituum, inde non abſurdum mihi viſum eſt ideas ad corpora naturalia in univerſum omnia extendere. Verum hic ſciendum eſt, aliam eſſe ideam ipſius ſpiritus, aliam objectorum in ſpiritu; melioris ergo diſtinctionis gratia illam nomino ſubjectivam, quod reſpectu ſaltim habeat ad ſubjectum, alteram vero objectivam, quæ objecta externa reſpicit. Tales ideæ objectivæ ſunt v. g. terroris, amoris, rei viſæ &c. Suntque harum aliæ connatæ, aliæ adventitiæ, aliæ factitiæ; qua diviſione ſupra quoq; uſi ſumus; ubi de ideis mentis potiſſimum agentes, non unum exemplum idearum ſpiritus, quateno cogitationi materiam præbent, adduximus; plura proinde hic addere ſupervacaneum arbitramur. In metalla igitur & vegetabilia Objectivæ non cadunt, ideo quod ſenſibus deſtituuntur. Connata autem ſubjectiva, quam ad evitandam confuſionem ſeminalem vocare poſſumus, in omni concreto reperitur, eaque ſaltim unica, cum objectivæ plures in eodem animante concurrere poſſint. A ſeminalibus itaque ideis, ſive, quod idem eſt, ſubjectivis differentiam ſpecificam corporum, & in ſpecie animalium deſumendam eſſe volui. Quis non intelligit, alium eſſe ſtatum ſpirituum in cane, alium in piſce, alium in pſittaco &c. Sunt enim omnes horum animantium particulæ animatæ, adeoque ſpiritu vitali repletæ, propterea ſpiritus, quem dicunt inſitum, non poteſt ſub alio ſchemate concipi, quam quod corporis figura indicat.

§. 23. Cum enim ſpiritus omnes totius corporis poros repleat, cunctasque particulas ſua virtute animet, fieri aliter non poteſt, quam ut ſpiritus (cc.) eandem cum corpore formam ſeu ideam referat. Et hæc idea efficientiſſima eſt, ut ſpiritum humanum à canino, bubulo &c. diſtinguat.

cc) Ac ne quis dubitet, ſpiritum ſeminalem ad omnes ſe partes extendere, ſaltim unicum hoc adducam argumentum: Quicquid vivit, illud ſpiritu eſt repletum. Atqui ſingulæ partes. Ergo. Majorem in ſeqq. probatam habebis, quando demonſtravero, vitam tantum ſpiritibus deberi, atque in horum defectu vel abſentia non modo partes, ſed & integra corpora emori.

CAP. III.
De Ortu Spirituum.

§. 1.

ITa visum est Omnipotenti & Sapientissimo Creatori, in principio totius mundi certam omni cenaturæ (a.) formam largiri, juxta quam non tantum supra lunaria ab inferioribus, mineralia à plantis & animalibus, sed & inter hæc species una ab altera, imo & sexus à sexu notabiliter distingui possent.

§. 2. Miranda est sane omnium rerum structura, sed, qui omnibus anteit, homo est, propter quem cuncta facta sunt ex iis intelligeret divinam Gloriam, eamq; indesinenter deprædicaret.

a) Formam in quovis corpore naturali duplicem observo, aliam corporis, quæ figura dicitur, aliam spiritus insiti, cui à me ideæ seminalis nomen jam impositum est. Has formas actu dicerni posse inde liquet, quod corporis figura aliquandiu remaneat in cadavere, post spiritum discessum, & vicissim quod idea spiritus integra sit læso corpore. Quandocunque igitur vulgo statuimus de forma, quod det esse, distingvi & operari, quæritur utrum de forma externa corporis, an vero interna spiritus intelligi debeat. Communiter quidem internæ hoc prædicatum adscribunt; sed nec desunt, qui existimant, lapidem v. g. & metalla nil aliud esse, quam congeriem particularum materiatarum, juxta quarum diversitatem distingvantur & operentur; Ignorata namque forma interna circa corticem hærent, in auro flavedinem, in adamante splendorem admirantur, in saxo duritiem, & si quæ similes materiæ conditiones in sensus incurrunt. Mihi autem videtur, de utraque formâ idem posse pronunciari, primario quidem de idea spiritus, sed secundario de corporis figura. Primo enim forma simul & materia essentiam mixti constituunt, atq; tum materia non quævis & informis, sed idonea intelligitur, alia piscis, alia plantæ, alia ferri &c. Deinde uti spiritus animalis multum differt à spiritu vegetabilium & mineralium; ita quoq; ipsæ figuræ serpentis & gallinæ, fungi ac tiliæ, rubricæ salisque fossilis si conferantur, plurimam statim diversitatem monstrant, ut nulla species cum altera coincidat perfecte, quamvis in multis conveniant. Denique ad operationes concurrere materiæ formam quis negare ausit? Spiritus profecto sine oculo non videt,

det, nec audit nisi beneficio auris. Quanquam autem constet structuram organicam corporum à spiritu proprio fabrefactam esse, non inepte tamen dixeris utramque formam, nempe corporis & spiritus, pro essendi, cognoscendi & operandi principio habendam esse. Quoniam vero hæ ipsæ per naturam uniuntur in vivente subjecto, nec corpus sine spiritu, uti nec spiritus sine corpore suas explere functiones potest, idcirco necesse non est, ut formas illas stricte distinguamus. Atque ideo in hac thesi non formas dixi, sed formam in quovis naturali corpore peculiarem deprehendi, atque per hanc ab aliis discerni posse. Perinde enim est, sive quis per externam, sive per internam, sive per utramque formam distinguere velit equum à rosa, cum forma organica exacte respondeat principali, hujusque naturam sufficienter exprimat.

§. 3. Sed nec solum atque unicum esse DEUS voluit, adeoq; (b.) generandi potentiam, qua vegetabilia & cætera animalia beaverat, homini quoq; gratiose concessit, data in matrimonium Eva.

b) De vegetabilium nec non animalium facultate generandi nemo ambigit, circa mineralia autem dubium esse potest, num & his aliquod insit semen aut vis sese multiplicandi. Ita quidem nonnulli statuunt, existimantque ex auro v. g. vel argento semen posse extrahi, quod lege artis digestum innumeros reddat fructus. Cum autem hoc ipsum non naturæ sed artis opus sit, deinde & illa multiplicatio metallorum per transmutationem potius momentaneam, quam generationem successivam contingat, proinde seminis nomen improprie iis tribui videtur, juxta stylum alias Alchymistis usitatum. Hanc igitur ob causam spreto minerali regno tantum de vegetabili & animali locutus sum in thesi, quando facultatem sibi simile generandi homini cum aliis commune dixi.

§. 4. Illa profecto efficacissima benedictionis verba, (crescite & multiplicamini) non tantum individuorum nutritionem & accretionem, sed & ex altera parte speciei propagationem spectant; Ut non dubitari possit, Deum voluisse, multiplicationem humani generis.

§. 5. Potuit autem Omnipotens, quemadmodum ex nihilo omnia producere, ita etiam, quæ jam existebant juxta divinum beneplacitum multiplicare. Non igitur nisi impius de possibilitate com-

completæ generationis hominum dubitat, quandoquidem verba Omnipotentis vera atque clara reſpuit.

§. 6. Creavit vero Deus non corpus tantum materiatum, ſed huic movendo ſpiritum præfecit, in quo mens immaterialis (c) inhabitat. Quando igitur homo hominem generare juſſus eſt, non ſufficit gigni corpus, gigni ſpiritus, gigni mentem, ſed omnia in unum ens, homini conforme, conjungere parentes tenentur.

c) Arduum ſemper fuit explicare modum, juxta quem mens noſtra immortalis atque immaterialis cum corpore materiato & corruptibili uniatur. Ac fruſtra quidem laborant, qui continuitatem deſiderant: non enim neceſſe eſt, ut totum ſit continuum. Dein & ii, quibus placet unam ſaltim animam rationalem in nobis ſtatuere, mire ſe torquent, quando explicandum eſt, quo pacto corpus à mente & viciſſim mens à corpore in ſuis functionibus adjuvetur. Videatur Grand. Inſtit. Phil. p. 924. ſqq. & Forge l. c. p. 91. & ſqq. Sed profecto nodum in ſcirpo quærunt. Etenim ab immateriali moveri corpus, novum non eſt; & ſi angelus lapidem atque hominem, diabolus porcos, cadavera &c. movere poteſt, quanto magis poteſt anima rationalis ſibi concreditum corpus gubernare, ſi Deo ita viſum fuerit. Aſt ne corporis cura indefinenter noſtram defatigaret mentem, atque à ſublimiori ſpeculatione averteret, placuit Sapientiſſimo Creatori, aliam homini mentem, aliam materialem animam largiri, quarum illa intelligere atque velle, hæc vero movere, ſentire objecta externa & appetere, quæ lubet, poſſit. Uti autem ſpiritus in poris corporis habitat, ut ſentiat quæ huic accidunt, ita quoque mens rationalis in ſpiritu reſidet ut ideas huic impreſſas intelligat & examinet. Si quis ergo unionis modum inter mentem & corpus à me petit, reſpondeo, illam interventu ſpiritus detineri, atque hanc præſentiam in quavis corporis parte ſufficientem eſſe ad ſuſtentandam hominis vitam.

§. 7. Sed mittamus ea, quæ de mente atque corpore notari poſſent in generationis negotio, ſaltim nunc circa ſpiritus ſolicitus ero, ut hujus ortus innoteſcat.

§. 8. Sciendum igitur eſt aliter ſe habere ſpiritum in (d.) generatione prima, aliter in generatione ſecunda, h. e. aliam eſſe rationem ſpirituum quatenus conſiderantur ſeparati in utroque parente,

rente, aliam, quando considerantur uniti post conceptum in utero muliebri. Illum melioris distinctionis ergo nominabo seminalem, hunc genitalem.

d) Mutuatus sum hanc divisionem ex Georg. Fr. Rallii Disp. de generat. animal. p. 15. & seq. Prima quidem generatio respicit parentes, i. e. elaborationem seminis & congressum (loquor jam de homine tantum) atque hujus generationis terminus est conceptus: ab hoc postmodum inchoatur secunda, quæ præter formationem fœtus in utero, nutritionem quoque ejus à matre includit, finiturque post partum, atque tunc generatio completa est.

§. 9. In parentibus quidem secedit hic seminalis spiritus à spiritu (e.) totius, beneficio partium genitalium, in quibus simul & asservatur cum (f.) liquore seminali. Nec dubium est, illum seminalem spiritum eadem gaudere natura atque idea cum spiritu parentum, cujus proles est.

e) Crediderunt non pauci cum Hippocrate Vol. I. p. m. 348. & Vol. II. p. 329. Semen parentum à singulis partibus totius quasi decerpi, à capite caput, à manu manum, atque sic porro. Cumque materiam hanc seminalem tanquam animatam requisiverint ad generationem, manifestum est, eos idem necessario sensisse de anima, quod de corpore pronunciarunt. Præ omnibus aperte hoc asserit Marci in Id. operatr. cap. 3. docens ex omnibus membris ideam ad singula puncta seminis colligi, & quidem tempore coitus, quando, spiritibus in venerem ruentibus, cunctæ partes in unum scopum quasi corradiant. Mihi autem neutrum arridet, ac statuo quidem semen à toto esse deciduum; sed à singulis membris avelli, partim materiam formandi corporis, partim ideam spiritus, hoc est quod nego. Annon videmus catulum caudatum nasci parentibus cauda orbatis, unde igitur caudæ materia desumta, defectusque ideæ restitutus est. Similiter & in humano genere, quamvis aures vel digiti resecentur utrique parenti, non tamen necesse est, ut mutilatum edant fœtum. Confer experimentum Willii factum in gallo & gallinis, quod legitur notatum in Act. Hafn. Vol. III. Obs. 80.

f) Intelligo hic loci sub nomine liquoris seminalis in viro potissimum semen in testiculis connexisque parastatis elaboratum, inque vesiculis seminalibus retentum: in muliere vero juxta receptam hodie opinionem ovula simili turgida humore, quamdiu in testiculis utero annexis commorantur. Vel potius,

tius hic præparatum atque in tubulis ſpermaticis circa orificium internum uteri ſitis collectum. Quantumvis enim certum ſit proſtatas non alium habere uſum quam in negotio generationis, prout ex earum diminutione à caſtratura canum liquet; inſignis tamen diverſitas inter liquorem proſtatarum, & eum qui in teſticulis elaboratus eſt, hoc ipſo non tollitur. Si enim conſiſtentiam eorum conſideremus, manifeſtum eſt illum omnino ſpiſſum, ſed hunc longe aquoſiorem eſſe. Quapropter non immerito quæritur, quid duplex hic ſibi liquor velit? Sciendum igitur eſt primo ſpiſſius requiri ſemen, ut eo melius ſpiritus in ſe retinere poſſit. Amant enim hi ipſi in oleoſis & viſcidis habitare; atque ab ejusmodi particulis potiſſimum incorporantur, ut iis nullum omnino ſemen vel animalium vel vegetabilium carere poſſit. Notatu dignum eſt, oleum longe copioſius haberi è ſeminibus quam plantis inde oriundis, ita ut melonum atque cucumerum ſemina egregie oleoſa, fructum tamen & folia proferant, unde vix guttula olei repeti queat. Hujus rei hæc eſt ratio; videlicet, quoniam plantæ continuo ſuum ſuppeditatur nutrimentum, habet procul dubio, quo ſuſtentetur & vivat; Alimenti autem hujus acceſſus cum denegetur avulſo è planta ſemini, inde illud neceſſario interiret, niſi natura provida incluſo ſpiritui obicem quaſi ponens, eundem intra ſulphureas compedes detinere voluerit. Hanc quoq; ob cauſam humanum ſemen in teſticulis natum craſſius eſt magisq; glutinoſum, meretur que verum dici; aſt quia vir illud minus commode in uterum ſub hac forma deferre poteſt, idcirco proſtatarum liquor magis ſeroſus, ubi neceſſe eſt, ei affunditur pro vehiculo, uti recte ſentit Regnerus de Graaf. op. p. 33. In fœminis vero, cum viam ſaltim lubricam ad faciliorem viri ad miſſionem humor glandoſorum corporum reddat proinde veri ſeminis nomen nec huic videtur competere.

§. 10. Quod ſi enim ſpiritus hic totus homogenus eſt, qualis eſſe debet, ſequitur eandem eſſe rationem (g.) partium ejus (ut ſic loquar) quæ totius. Et quamvis, cum Deo ita viſum fuerit, ad modum rei explicandum nemo amplius nos urgere queat, adumbrare tamen quodammodo poſſumus hoc negotium; ſi concipiamus v. g. corpus mechanicum ex meris cubis confectum; in hoc ſane quamcunque partem demas, cubica erit & omnino ſimilis toti. Vel quod idem eſt, recipe Mercurii currentis granum unum, divide hoc ipſum in minora pro lubitu, ac vide annon minima currentis

tis Mercurii granula eandem naturam & figuram cum indiviſo habeant,

g) Quod alias perhibent, animam eſſe totam in toto corpore & totam in quavis parte, idipſum profecto aliter explicari non poteſt, quam in homine v. g. non tantum unam eſſe ideam ſpirituum radicalem, quæ ſe ad omnia membra diffundat, ſed & in hac plures includi, ita ut aptitudinem ad viſum, auditum &c. ubique habeat ſpiritus, quamvis propter organi inſufficientiā non omnia in omni parte præſtare poſſit. Res, quam in theſi hac per ſimilitudinē declaravi, exemplo non caret. Ecquis credat ideam integræ plantæ non tantum in ſemine ſed & radice omnibusque ramulis latitare, niſi quotidie obſervemus eandem v. g. mentham, idem pulegium &c. tam per germina vel radices ſi transplantentur, quam per ſemina multiplicari. Nec vero deſunt, qui etiam in regno animali, inſecta potiſſimum & imperfectiora naſci volunt per generationem æquivocam, hoc eſt, alio modo, quam qui ex ſemine ordinarius eſt. Qua ratione cancri fluviatiles ex incineratis regenerentur multitudine innumera, memoravit Petr. Borellus Hiſt. Medico-Phyſ. Cent. III. obſ. 34. Idem artificium clarius detexit Joh. Tackius Phaſ. III. p. 40. ubi quoque ſimile experimentum adjecit de anguillis, aſſerens, has cum aqua in pultem coctas effuſasque in lacum intra octiduum vix credibilem copiam minorum anguillarum proferre. Poſſem hic plura magis curioſa adducere, ſcilicet in canis ſaliva ſuam latere ideam, ita ut à rabido demorſa veſtis animalcula canino capite conſpicua exhibuerit, teſte Salmuth. Cent. II. obſ. 83. Similia hydrophobos cum urina excreviſſe, jam olim Avicenna Lib. 3. fen. 6. tract. 4. cap. 7. notavit. In digito, quem piſcis Gallis Rascaſſe vocatus vulneraverat, piſciculum ejusdem generis genitum refert Borellus l. c. Cent. I, obſ. 28. Sed hæc quid aliud monſtrant, quam ideam ſpirituum eſſe homogeneam ſibique per omnia ſimilem.

§. 11. Similis eſt ratio ſpirituum ſeminalium, adeo ut nec dubitem aſſerere ideam (h.) ſexus in ſpiritu hoc diſtinctam eſſe, atque in maris ſemine latitare ideam ſexus virilis per omnia, in mulieris ſemine ſexus ſequioris ideam.

h) Sequor in hac opinione Marc. Marci de Id. cap. 6. Sunt autem multa, quæ ſimilitudinem aliquam filii cum patre, vel quod idem eſt filiæ cum matre indicant. Prima deſumi poteſt ab animo, quando ſcil. matri laſcivæ ſimilis pu-

ella, patri erudito ingeniosus, stupido non degener filius nascitur. Altera corpus respicit, ejusdemque non modo colorem, sed & staturam ac reliquas notas. Mirum igitur non est, si æthiops æthiopem, gigas gigantem, pumilio pygmæum, luscioſus pætum, balbus blæſum, naſutus naſutulum, robuſtus fortem generet; ut taceam podagræ ſimilumque affectuum hæreditatem filiis minus gratam. Denique ſimilitudinem ſexus quod attinet, perinde mihi eſt, ſive ſeorſim conſideretur, ſive referatur ad corpus; hoc ſaltem urgeo, ſimlitudinem omnem ab idea ſeminali deducendam eſſe: nam & ea in corpore conformitas non eſſet, niſi ſpiritus plaſticus particulas ſeminis corporeas in talem figuram diſponeret.

§. 12. Coit poſtmodum, jubente DEO, in (i.) conceptu utraque hæc idea, ut vis ſpirituum unita fortior ſit in formatione fœtus; nec quicquam obſtare poteſt, cum ejusdem (k.) ſpeciei ſint, niſi ſexus diverſitas.

i) Circa conceptum plura explicationem merentur: quoniam vero prolixum nimis foret ea hic attingere, quæ de loco, tempore ac modo conceptionis controvertuntur, ſatis erit illorum tractationem commodiori reſervaſſe occaſioni.

k) Difficilius creditu eſt, ideas ſpecie diverſas in unam coaleſcere; nihil ominus uti inter bruta commixtio ſpecierum non raro notatur e. g. quando ex aſino & equa mulus ex lœna & pardo leopardus, ex gallo & pavone gallopavus gignitur; ita quoque ex Hiſtoricorum relatione conſtat per hominis congreſſum cum beſtiis varia monſtra fœtusque anomalos ortos fuiſſe. Nolo rei nefandæ immorari; adeat, diutius cui placet, ex Ælíano, Peucero, Eraſmo Roterodamo & Volaterrano collecta in Marci de Id. cap. 8. item Th. Barthol. Cent I. Hiſt. 86. & C. V. hiſt. 87. Quod ſi vero adeo diverſarum ſpecierum ideæ in fœtu communi commiſcentur, quanto magis probabile eſt, ideas ejusdem ſpeciei in homine juxta divinum inſtitutum naſcendo uniri lubentius.

§. 13. Facile tamen & hoc dubium ſolvit, qui novit (l.) ideam debiliorem deſtrui à fortiori. Cumque raro utriusque parentis ſpiritus æquali robore concurrat, ſæpius inæquali, inde haud difficulter intelligi poteſt, prævalente ſpiritu virili, naſci (m.) filium, prævalente idea ſpiritus fœminei naſci filiam, concurrente æqualibus viribus idea virili & muliebri naſci (n.) Hermaphroditum.

l) Quem-

l) Quemadmodum aquam ſtagnantem aliter quidem auræ mitior afflatus, aliter injectus lapis aut cymbæ remus commovet; ſed quæ unda viribus eminet, ea reliquas imbecilliores quaſi abſorbet ac ſuffocat; pari ratione ſtatus ſive idea ſpirituum multis modis alteratur, nunc ab ira, nunc per terrorem, amorem, dolorem &c. Hos autem inter motus qui potentior exiſtit, debiliorem ſemper ſupprimit. Si quod triſte nuncium ad nos defertur, nonne animum etiam inter pocula hilarem ſubito proſternit? Aſt fortior iræ vel terroris idea radicalem ipſam quandoque disjicit. Adeoque non ſolum in naturali ſtatu, ſed & præternaturali obſervamus ideam minus fortem à validiore deſtrui, ſicuti figuram ceræ leviter impreſſam ſuperveniens profundior delet. Perplacet autem mihi ſimile à cera deſumtum, cum ipſe Carthes Epiſt. P. I. p. 396. ideas cum figuris, animam cum cera comparet.

m) Quamobrem nunc mas, nunc vero fœmella generetur, dubitatum eſt omni tempore; alii cum Hippocrate rationem in patre, alii in matre quærunt; ii ex libro de ſuperfœtatione p. 657. modum urgent, quem divus ſenex tradit obſervandum, ſi quis filium generare velit, ut ſiniſtrum teſticulum, ſin filiam, dextrum ſibi deliget; credunt enim ſemen maris in dextro, fœminæ in ſiniſtro elaborari. Qui vero à matre diverſitatem ſexus ad fœtum derivant, adducunt §. 49. Sect. V. perſvaſi puellas in ſiniſtro uteri latere, in dextro mares formari. Fundamentum utriusque opinionis non aliud eſt, quam quod latus dextrum eſſe calidius, ſiniſtrum minus calidum crediderint. Quanquam vero Marcus Marci filiam ex matris, filiumque è patris ſemine deducat, à calore tamen rem omnem deducit, ita ut ſi calidius fuerit ſemen viri mas, ſi mulieris, fœmella oriatur. Plauſibile eſt, prout à frigore brumali ſpiritus in medium glaciati vini recedit, ita etiam à frigidiore ſemine calidius compelli in centrum, unde ſuam evolvat ideam. Verum enim vero niſi frigus notabile fuerit, nil valet; tale autem nec in ſemine, nec in utero ſecundum naturam exiſtit, & quamvis remiſſiorem caloris gradum, frigus tamen admittere nequeo. Interim conciliare quodammodo Marci opinionem cum mea poſſem, ſi dicerem, calorem vitalem à ſpiritibus dependere, ideoque calidum hic idem eſſe ac ſpirituoſum; non enim inepte dixeris, ſemen quod magis ſpirituoſum eſt, prævalere, alterumque in ſuam ideam cogere. Haberem plura exempla, quibus illuſtretur hoc aſſertum ac probetur. Videant alii, annon è muliere minus ſalaci, maritoque vegeto mares, contra ex matre laſciva debilique

sene puellæ generentur. Sed de hac virium inæqualitate nemo æque ac ipsi parentes judicare possunt. Quibus autem modis succurramus debiliori parti, tradere jam non vacat; miror attamen temeritatem Helmontii, qui pag. 101. 35. expresse asserit, esse in patrantis manu generare marem vel puellam, quasi vero inter artes mechanicas locum haberet illud artificium.

n) Marci de id. cap. 7. putat, Hermaphroditos inde nasci, quando æqualiter se habeat ratione temperamenti semen utriusque parentis, unde modo hujus, modo illius genitura centro insistat, prout impetus hanc illamve eo impulerit. Sed pugnam talem nullo modo admittere possum, quin potius, uti in omnis fœtus formatione, ita quoque hermaphroditi, credo amicabili unione sese complecti ideas secundum singulas partes. Cum vero fortior idea semper operetur, materiamque seminalem juxta suam imaginem disponat, spiritus autem raro æqualibus sint viribus, hinc plerumque idea prævalens suum efformat sexum, altera tanquam impotenti quiescente. Quod si tamen utraque pari gaudeat robore, tunc sane quævis sibi organon format; uniuntur enim spiritus quantum possunt, in partibus attamen genitalibus cum maxima sit diversitas, igitur in unum coire nequeunt earum ideæ, conjungi nil vetat, ita ut hæc superiorem locum vel latus dextrum, illa sedem inferiorem siniſtrumve latus occupet. Dixi uniri ideas quantum possibile est, ut intelligas non gemellos ideo, vel in uno fœtu duplicem nasum, digitosque decem in manu nasci: Fingamus enim ideam patris naso gaudere brevi, matris longo & eminenti, agit ergo idea minor quantum potest, ubi vero hæc cessat ulterius pergit idea fœminea, quemadmodum maternam ideam in muli generatione virilis quoad aures excedit.

§. 14. Facto autem conceptu, h. e. unione spermatis atque spirituum, ulterius notandum est, rem quidem à parte patris jam satis bene actam esse, à parte tamen matris plura adhuc requiri ad fovendum augendumque genitalem spiritum.

§. 15. Non enim sufficit à materno spiritu excitari tantum virtutem seminis plasticam seu spiritum concluſum, prout à calore (o.) incubantis gallinæ ova ad perfectionem usq; pulli deduci cernimus; sed & præterea pro spirituum non minus quam corporis augmento materiam sufficientem atque idoneam affundere mater debet.

o) Quan-

o) Quanquam recentiores omnia animalia ovipara nunc dicant, ideo quod cuncta in ovulo quodam concipiant fœtumque forment; nondum tamen tollunt veterum in ovipara & vivipara divisionem, quæ à partu desumta est. Nimirum in hoc ipso discrimen positum est, quod alia animalia, volucres præsertim & aquatilia, ova solummodo pariant, alia vero fœtum jam viventem; adeoque hujus conformatio absolvitur in utero matris plenarie, cum illa, postquam facta conceptione è matrice egressa fuerint, per fotum perfici & excludi debeant. Gallina itaque ovis incubans ad pullorum formationem concurrit non tam materialiter quam virtualiter, excitando scilicet genitalem ovi spiritum; vivipara vero nutrimentum reale adducere usque ad partus horam non desinunt. Huic usui inserviunt arteriæ per uteri fundum distributæ, ac propterea tempore gestationis magis amplæ sunt atque conspicuæ.

§. 16. **Evincunt hoc sane præter alia (p.) ideæ spiritui matris tempore gestationis impressæ, quæ, si fortis fuerit impressio, in fœtum ordinarie transeunt, ut, quæ per terrorem, mœrorem &c. spiritum maternum affecerint, non in hac, sed fœtu notam relinquant: indicio, spiritum istum magis circa conservationem speciei & sobolis, quam individui seu matris occupatum esse.**

p) Quotidiana id docent exempla, motum animi seu spirituum in matre embryonem signare; terror ex incendio faciem ejus rubore quasi igneo tingit, desiderium cerasi, pomi &c. fructum in eo depingit; videatur Marci Id. cap. 5. & Helmont. p. 432. & 858. Res ipsa certa est, in modo tamen, juxta quem talis impressio contingat, difficultas non una latet. Eandem nihilominus prompte enodare potest, qui mecum statuit primo phantasiam seu imaginationem uti & animi affectus non esse distinctos à spiritu nostro vitali, adeoque secundo phantasiæ sedem certo loco non esse alligatam, tertio spiritus ab adventitiis ideis signatos easdem diu servare ac firmiter, si fortius impressæ fuerint. His suppositis (quæ verissima esse alibi demonstrabo) clarum est, quo pacto idea cerasi v. g. deferri possit in fœtum, quandocunque scil. ad hunc maternus spiritus influit. Observamus enim, non facile paganas, & quæ generosioris sunt animi, matres embryoni aliquam imprimere notam, prout delicatiores atque timidæ solent, quæ omnem omnino curam atque cogitationem in prolem convertunt. Deinde nec idea quævis visa vel audita &c. fœtum signat, sed ea demum quæ cum insigni animi commotione recipitur ac postmodum retinetur ita, ac si res ea oculis per-

petuo obversetur. Aſt non inepte quæras, quamobrem talis idea firmius impressa non æq; matrem quam sobolem attingat, cum spiritus maternus primario, embryonis vero tantum secundario ab ea afficiatur. In corpore igitur discrimen quærendum est. Ut cerasum vel pomum formetur, materia requiritur apta; jam vero tenellas embryonis partes quis dubitet esse magis flexiles & idoneas ad quamvis recipiendam ideam, quam adultorum dura ac firmiora corpora. Uti enim ex argilla recenti varia formare licet, quæ ex olla veteri nunquam parabis: ita quoque in fœtus formatione spiritus juxta ideam suam (sive ea radicalis sit, sive accidentalis & adventitia perinde est) in mirabilem sæpe figuram cogit, præsertim primis mensibus, flexibile semen, quando nondum perfecte formata ac confirmata sunt partium stamina,

§. 17. Videmus etenim sæpius gravidas (d.) imbecilles fieri, ob fœtum robustiorem, uti & contra si prægnans vires & spiritus disjiciat. (r.) fœtum imbecilliorem; tanta in his est sympathia & connexio, ut non errare putem, qui statuat matrem & embryonem sano sensu (s.) communi vita frui.

q) Experiuntur hoc eæ cumprimis, quæ gemellos gestant; ne dicam quotannis parturientem matrem multum de suis amittere viribus atque vix unquam adultos cernere liberos.

r) Observavi, inquit Helmont. p. 178, 64. prægnantes insigni mœrore dudum afflictas, fœtum dedisse minorem. Quam notabiliter autem spiritus in mœrore consumantur, nemo nescit. Par est ratio inediæ, curæ, vigiliarum &c.

s) Sicuti pomum videmus ad maturitatem usque succo alibili arboris nutriri, quo postea decerptum non amplius indiget; ita quoque fœtus, qvamdiu imperfectus est, à matre suum postulat nutrimentum, post partum vero, etiamsi mater deficiat aut moriatur, salvus esse ac vitalis omnino potest.

§. 18. Nec enim alia mihi videtur ratio, ob quam fœtus inclusus utero carere (t.) possit respiratione, quæ post partum ad vitam adeo necessaria est, nisi quod credam spiritum embryonis continuo à spiritu matris augeri sufficienter, ut ne quidem spiritu aëreo opus habeat.

t) Respirationis usum primarium consistere in vita per spiritum aeris recepti conservanda ex sequenti capite præsuppono, sed quoniam aeri accessus

ad

ad fœtum utero inclusum non patet, spirituum autem augmentum embryoni non secus ac adultis necessarium sit, idcirco probabile mihi videtur, defectum spiritus aerei restitui materno spiritu. Non igitur possum non ridere illos, qui, cum tantam in nobis necessitatem aeris ad vitam sustentandam videant, multum soliciti sunt de respiratione, utrum fœtui denegari, vel quo pacto ei concedi possit. Meam hypothesin nulla urget difficultas.

CAP. IV.

De Conservatione Spirituum.

§. 1.

HActenus ortum spiritus in generatione & primum incrementum in utero vidimus, sed nunc porro considerandum est, qua ratione idem à partu conservetur & restituatur pro rei exigentia.

§. 2. Cum enim spiritus non secus, quam sangvis cæterique humores in continuo fluxu sint, discedantque omni momento è corpore, uti in Cap. ultimo demonstrabo, sapienter sane natura egit, quando discessum istum novo accessu compensat.

§. 3. Necvero prætereundum est, (a.) somnum ideo animalibus concessum esse, ut dissipatas in vigilia vires recuperare possint. Nempe somnus respectu vigiliæ revera est quies (b.) spirituum, à continuo motu ac negotio circa sensus delassatorum.

a) Notum est præter somnum naturalem, alium adhuc esse medicinalem, alium morbosum, alium diabolicum, ac denique alium divinum. Hujus exempla suppeditat Sacra Scriptura, de Adamo. Genes. II. 21. & militibus Saulis, 1. Samuel. XXVI, 12. A dæmone somnum induci lamiæ probant atque venefici, quos si summis torturæ cruciatibus exponantur, sæpe obdormiviſse cum stertore notissimum est. Quid somnolentia, cataphora, lethargus, summusque soporosorum affectuum gradus carus sit, ex morborum historia liquet; uti ex rei medicæ cognitione, quid opiata & cetera hypnotica, valeant. Verum de his omnibus jam non loquor, quando somni usum in reparandis animalium viribus consistere statuo, sed de naturali tantum; atque in hoc quoque usum & abusum distingvo. Neminem enim latet, somnum naturalem debito no-

ctiss

ctis tempore captum egregie recreare; aſt ſi à paſtu ſtatim, meridiano cum primis dormitemus, experimur primum artus indies delaſſari magis ac quaſi pondere graviori deprimi, paulo poſt, ſi malam hanc conſvetudinem continuemus, facies redditur tumida, & verbo cachexia ſequitur univerſalis.

b) Longum foret omnia examinare, quæ alii circa ſomni naturam atque cauſam diſſerunt, ſaltim ex mea hypotheſi breviter moneo 1. ſubjectum ſomni eſſe primario quidem ſpiritus, reliquum corpus non niſi ſecundario. 2. formale ejus conſiſtere in quiete. 3. cauſam eſſe defectum ſpirituum; de uſu in theſibus ſatis egi. Primum quod attinet, repeto ex ſupra dictis corpus organicum pure paſſivum eſſe, nec ſentire, nec agere, niſi ope ſpiritus, in hoc igitur ratio quærenda eſt, ob quam ferietur à ſuis functionibus; nempe corpus quiete non indiget prout ſpiritus, hic igitur ubi quieſcit, corpus per accidens eadem requie fruitur. Ut autem apertum fiat, quid per quietem intelligi velim, ſciendum eſt, me hoc loco non totalem & abſolutam, ſed aliqualem & reſpectivam velle. Eſt enim contra naturam ſpirituum ab omni motu ceſſare; deinde nec utile foret corpori, ſi quando omnis eorum motus deficeret; cordis ſane motus atque thoracis uti & inteſtinorum periſtalticus, quoniam eorum ad vitam tuendam neceſſitas ſumma eſt, nec à ſomno interrumpi debent. Aſt ſicuti aerem ventis non commotum vocamus tranquillum, quamvis nunquam perfecte quieſcat, ita quoque reſpectu vigiliæ ſpiritus in ſomno quieſcere. i. e. blandius moveri dicimus. Docet hoc inter alia chylificatio, quæ ob tardiorem & parciorem influxum ſpiritus ad plures horas prolongatur; quis ignorat interdiu concoctionem intra ſex horas abſolvi, quæ noctu duodecim & ultra poſtulat, ut mirer Williſium, quod in an. brut. p. 129. contra manifeſtam experientiam affirmet viſcera coctioni dicata in ſomno munia ſua plus ac melius quam in vigilia obire. Vulgus id ſatis novit, quando ſtatim à cœna, præſertim ſi duriora aſſumta fuerint, ſomnum nocivum prædicat. Quod ſupereſt, cauſam ſomni eſſe ſpirituum defectum, exiſtimo omnibus conſtare, quam ſuavis defatigato ſit ſomnus. Hunc optamus poſt V. Sm. balnea, & quicquid vires noſtras quodammodo deprædatur. Si quis igitur quærat, quamobrem dormiens non ſentiat, videat, audiat &c. reſpondeo, id ob ſpirituum in ſenſoriis inſufficientiam contingere. Quandocunque enim fibræ à ſpiritibus non ſatis tenſæ ſunt, tunc nec ſentiunt, niſi obſcure: eadem de cauſa nec palpebræ ſuſtineri poſſunt, & quamvis aperiantur oculi, quoniam à ſpiritibus non ſufficienter animantur, recipiunt quidem ſpeciem viſibilem,

lem, ſed absque cognitione inſtar ſpeculi, Aurium tympana, relaxatis oſſiculorum muſculis expanſivis, ſonum irruentem nec ſatis excipiunt, nec animæ reddunt, deficiente ſub iis ſpiritu. Idem judicium eſto de reliquis.

§. 4. Hujus tanta eſt neceſſitas, ut quantumvis optimo quis victu utatur, omnibusque modis augere ſpiritus ac vires conetur, vix tamen ad aliquot dies continuare (c.) vigiliam poſſit, quin ſenſoria hebetudo notabilis & laſſitudo membra corripiat. Itaque cum non ſit minor virtus, quam quærere parta tueri, nec ego determinare auſim, num in (d.) conſervatione an reparatione ſpirituum majorem induſtriam ponat natura.

c) Multum hoc in paſſu conſuetudini tribuendum eſt, amant enim ſpiritus quam maxime ordinem, & quemadmodum audita duodecima meridiana vel ſeptima vespertina famem ordinarie ſentimus, ita ſequente hora decima plerique ſomno urgemur. Aliud tempus de ſomno monet excubitores, quibus nocturnæ vigiliæ demandatæ ſunt.

d) Cum reparatio virium præſupponat eam ſpirituum præſentiam, quæ ſufficiens ſit ad ſpiritus peregrinos noſtra idea imbuendos, hinc omnino liquet, iſtam locum non habere, niſi conſervatio præceſſerit. Tanta proinde ſomni eſt neceſſitas, ut ſine eo vita ſuſtineri nequeat, quandoquidem in vigilia plures perdimus vires, quam ullo modo acquirere in ea licet.

§. 5. Somni ergo utilitas ſingularis eſt ad vitam coſervandam. Conſulit autem ipſe ſibi ſpiritus, & quandocunque deficit, ceſſat ab ulteriori aut ſaltim copioſiori affluxu, interim in cerebro quietus expectat acceſſorios ſeu adductos cum ſanguine ſpiritus, donec compenſata jactura majori cum robore ad partes iterum diffundatur, ſomnumque discutiat.

§. 6. Sed ne ſic quidem ſatis videbatur, reſtitantes in corpore vires per ſomnum ſervaſſe, niſi & eorum, qui antea diſceſſerant, defectus aliunde reſarciretur. Atque hic duplicem natura viam monſtravit nempe victum & reſpirationem.

§. 7. Primo quod victum concernit, exiſtimo ab omnibus jam conceſſum eſſe, hominem integrum quatenus materialis eſt, cibo potuque conſervari, adeoque non humores tantum atque par-

tes ſolidas, ſed & vires totius h. e. ſpiritus nutriri; ſaltem modus adhuc obſcurus eſt, juxta quem ea ſpirituum reſtitutio contingat.

§. 8. Obſervamus enim alia quidem in momento fere, alia poſt longiorem in corpore moram corroborare languentes ſpiritus, alia nullius ferme valoris eſſe: videndum igitur eſt, quænam ſit aſſumtorum differentia.

§. 9. Reperio autem ea omnia vel ex regno vegetabili, vel ex animali deſumta eſſe; è minerali nihil occurrit præter condituram ciborum, ſal eſculentum. Ex vegetabilibus præter panem plura ſunt, ſemina, radices, folia, flores, fructus horæi, ac tandem aromata.

§. 10. Quæ ab animalibus deſumuntur alimenta, ſunt ova, lac, butyrum atque caſeus, tandemque viſcera & carnes omnis generis piſcium, avium, quadrupedumque.

§. 11. Jam vero (e.) ſupra dixi, in plantis æque ac in animalibus ſpiritum habitare motorem, qui, ſive vegetabilem, ſive animalem ſpiritum ſpectes, maximam habet (f.) convenientiam cum ſpiritu noſtro, ita ut & in vita omnes functiones cuivis ſubjecto proprias expleat, & in morte ſeu interitu diſcedat, corpusque relinquat immobile.

e) Ad §. 1. Cap. III.

f) Conveniunt nempe in materia, ſed differunt in forma; idea enim unice ſpiritum rorismarini à ſpiritu ſalicis, liliorum &c. equi à ſpiritu canis atq; felis, & hos omnes ab anima hominis ſenſitiva diſtinguit. Quapropter ſi qui è vegetabilibus vel animalibus ſpiritus noſtras reſtituere vires debent, neceſſe eſt, ut ante omnia ſuam deſerant ideam, inque ſtatum ſeu ideam noſtrorum ſpirituum recipiantur.

§. 12. His præmiſſis facile judicare poſſumus de viribus alimentorum in conſervandis ſpiritibus. Nempe ex (g.) animalibus laudabile quidem nutrimemtum partium ſolidarum & fluidarum haberi poteſt, ſpirituum non æque, cum in morte illorum ſpiritus maximam partem exhalet.

g) Si verum eſt, ſimilia ſimilibus nutriri, crediderim nec adeo contemnen-

mnendum esse illud vulgi; Fleisch giebt wieder Fleisch/Fett macht fett. Cum enim sæpius obesa corpora minus sint robusta, & plura macilenta satis valida, apparet, corporis & spiritus diversam esse nutritionem.

§. 13. Sunt tamen, quæ ipsum animalem spiritum in nobis nutriunt, antequam ignem experiuntur. Ova sane (h.) recentia mirum est, quantum faciant ad robur spirituum augendum, si ante coctionem assumantur. Par est ratio (i.) lactis, quod tanquam unicum analepticum è nutricum mammis tabidi sugunt. Ostrea testis exempta integraque non attingam, cum nostrates addito pipere vires illorum adulterare videantur. Certus tamen sum recentia, etiam non aromatisata, longe potiora esse coctis atque elixatis.

h) Solent mulierculæ ad præcavendum abortum fœtumque cum matre roborandum aliquoties propinare gravidis germen ovorum seu partem illam albuminis candidiorem, quam vocant das Häutchen im Ey. Majoris autem efficaciæ videtur illud experimentum, quod ad robur veneris augendum nonnulli adhibent, nempe ovorum vitella in vino malvatico hausta.

i) Lac calens non tantum nutrimentum corpori laudabile, sed & spiritibus præbere, satis equidem probant inde oriundæ vires; evidentissime tamen liquet ex nutricum vitiis in lactantes translatis. Quis dubitat, meliorem parentum liberos lacte meretricum educatos degenerare? adeo rarum non est, horum connatam indolem egregiam lascivia, audacia, iracundia, malitia nutricum adulterari atque corrumpi.

§. 14. Idem sentio de vegetabilibus. Cruda equidem omnia nec probo, nec respuo: nec erat tamen qui seligere velit radicem fœniculi ac sileri recentis inter acetaria, pro obsoniis autem amygdalas dulces, pistacia, pineas, atque nuces, imo & horæos fructus. Per coctionem vero spiritus pene omnis eorum perit, cum pauca resinosa sint, quæ istam ferre possint, ut jurare ausim plus virium è cyatho vini unico vel generosioris cerevisiæ, quam libra coctarum raparum, brassicæ &c. haberi posse.

§. 15. Eccur enim in (k.) bulimia non carnes æque vel olera quam bolus panis vino imbuti convenit, nisi quod in his exaltatus per (l) fermentationem spiritus promptior existat ad vires restaurandas.

k) Confer Th. Bartholin. de usu nivis pag. 190.

l) Quid fermentatio sit & quibus ex causis oriatur, cum fusius tradere jam non vacet, saltim hoc notatum velim, in fermentatione spiritum vi propria seà particulis terreis & feculentis, quibus mediante oleo connectitur, liberare, &, si liber exitus pateat, in auram secedere. Quanta vero ante & post fermentationem, si conferantur, rerum sit diversitas, neminem latere potest, qui mustum vinumque dijudicare novit; quem enim tartarus impediebat, is postmodum, facta illius secretione, longe potentior est spiritus. Equidem nonnulli in ea sunt opinione, spiritus per fermentationem non tam educi quam produci: nec diffiteor spiritum è planta post fermentationem destillatum, adeo simplicem atque purum non esse, quin ab igne particulæ heterogeneæ simul eleventur, eique jungantur: quod enim in spiritu sic parato ardet, oleum est; quod lingvam ferit, sal; quod fluit & humectat, aquæ debetur admixtæ: solum illud latens analepticum verus est plantæ spiritus. Proinde monendum est aliam esse rationem fermentationis, aliam destillationis, quæ istam sequitur: in fermentatione spiritum solitarie discedere nil impedit, remanentibus particulis corporeis, salinis, oleosis, terreis & aqueis: ast in destillatione, quicquid vi caloris evehitur, isti sese associat. Hæc ideo explicanda erant, ne quis existimet sic dictos spiritus per fermentationem paratos esse plantæ genuinos, verumque nostrorum spirituum alimentum; veruntamen quod per artem chymicam non licet, id certe ventriculi digestioni haud est difficile, quando vitalis noster spiritus sibi similem, ubi reperit, amat & amplectitur.

§. 16. Videlicet spirituum nostrorum ex assumtis restitutio (m.) inchoatur jamjam in (n.) ventriculo, quamprimum scilicet vitalis reperit assumtorum spiritum, sibique associat; id quod tum maxime contingit, quando hi ipsi liberi sunt, nec adeo firmiter in carceribus particularum ignobiliorum detinentur. Si vero latitent spiritus alibiles, necesse est, ut excitentur & eruantur; atque ideo præmissa digestione prima chylus cum sanguine ulterius circumgyratur in corpore, ut spiritu vitali sufficienter imprægnetur.

m) Si rigoro siores esse velimus, dicendum est, laudabiliora alimenta etiam, priusquam assumantur, nos reficere posse. v. g. vinum naribus admotum, vel in ore aliquamdiu retentum: quemadmodum videmus lipothymia correptos excitari aquis antapoplecticis.

n) Mirum est profecto, vires totius corporis adeo celeriter è ventriculo repeti,

repeti, quando duriori labore delassatus, atque sub canicularium æstu fame sitique pene consumtus, ilico levamen gratissimum ex unico haustu sentit. Quæ enim Hippocr. Aph. 11. sect. 2. asserit, facilius nos recreari potu, quam cibo; quotidiana comprobat experientia. Quæritur tamen quo pacto fieri possit, ut assumtorum virtus ad singulas partes in momento distribuatur? Moneo igitur rationem à spirituum statu sive idea seminali petendam esse. Hi ipsi scilicet cum singulos membrorum poros repleant fluxu non interrupto, fieri aliter non potest, quin conspirent ac consentiant ita, ut quæ afficiunt spiritum in hac parte, eadem quoque commoveant reliquos quasi per corradiationem aut undulationem quandam. Quis nescit per odores restitui animi deliquia, & ægrotorum membra motu sensuque carent, quasi revivisscere, quamprimum aquæ apoplecticæ admoveantur naribus, multo magis, si ori infundantur. Pari ratione prompte reficiuntur diuturniorem inediam perpessi, quandocunque vinum vel similis generosior potus ipsis offeratur. Dicis: non raro egenos recreari similiter è cyatho aquæ frigidæ, quæ, cum spiritibus non abundet, videtur aliam causam refectionis è stomacho ostendere. Proinde scias, pro diversitate casuum diversa quoq; requiri remedia. Qui præ siti æstuque languet, ei sane aqua frigida, quæ spirituum humorumque fervorem temperet, sufficit, famelico non æque, quippe cui non opus est refrigerio, sed vero analeptico.

§ 17. Nam & inspiratus (o.) aeris spiritus, qui in (p.) pulmonibus accedit, quamvis indeterminatus sit, adeoque suam deponere ideam non debeat, prout cibi potusque spiritus, circulandi tamen omnes sunt cum spiritu nostro, donec (q.) idea hujus sufficienter signati ac perfecte cum eo uniti fuerit.

o) Quanquam omnes norint sine respiratione nos ne horam quidem vivere posse, nemo tamen sufficienter tradit, cur aeris ad vitam sustentandam tanta sit necessitas. Fuligines, quas è lampade cordis effumare quidam volunt, nondum sunt demonstratæ; refrigerium, ex aere pro temperando cordis æstu petendum, si quis hyberno tempore credat, hæreo an syrio fervente experiatur; & quid tandem per occultum vitæ cibum aeri inhabitantem sublimiores philosophi intelligant, æque non constat apud omnes. Adhæc vani auræ captatores exosum adeo reddidere mundi spiritum, ut à non paucis tanquam figmentum irrideatur. Verum, qui paulo penitius rem intuetur, deprehendet clare, aeri spiritum quendam catholicum non posse denegari, his potissimum ex causis; 1. Verum est corporibus naturalibus singulis inesse spiri-

tum quendam vitalem, uti supra innui, eumque non tantum per transpirationem è corporibus exhalare paulatim, sed & in morte penitus exspirare. Jam vero tales spiritus annihilari per naturam impossibile est, adeoque brutorum animæ ratione essentiæ sive materiæ interire nequeunt, ratione ideæ omnino possunt, ut quamvis desinant esse formæ, non tamen desinant esse spirituosæ. Quæritur ergo quo in loco commodius quam aere asserventur? 2. Nec illud reticendum est, vicissim spiritus mineralium, plantarum & animalium conservari & augeri ex aere, unde manifestum est spiritum catholicum in eo contineri. Vulgatissimum est, animalia, si aere interdicantur, emori, non secus ac plantas, quibus liberioris auræ accessus denegatur; ut necessum non sit, ad machinas curiosiores vel spiracula vegetabilium à recentioribus observata, contradicentes ablegare: In regno minerali non dicam regenerari nitrum, vitriolum, plumbum, argentum & aurum &c. si modo horum scoriæ & capita mortua liberiori auræ exponantur. Videatur Excell. Bohnius in Medit. Physico-Chym. de aeris in sublun. influxu. Ast qui magnete philosophorum attrahi verum aeris spiritum, atque per hunc moribundos excitari, plantas jam emortuas resuscitari, imo & ipsa metalla perfici & nobilitari novit, ei obscurum esse non potest, latere in aere verum vitæ cibum; quod tamen fusius hic deducere non necessum arbitror, cum sapienti plus satis jam dictum sit ab aliis.

p) Via non una est, qua in corpus nostrum aer ingreditur; elegans est locus Hippocratis in lib. de morb. sacr. p. m. 333, VIII. cum homo accipit per os & nares spiritum, primum quidem ad cerebrum venit, deinde vero in ventriculum magna ex parte, pars etiam ad pulmonem &c. Videlicet, quem inspiramus, aer partim per tubulos narium olfactorios intrat ventriculos cerebri, partim per œsophagum una cum assumtis in cavitatem stomachi, partim præ asperæ arteriæ ramificationes in cellulas pulmonum; atque in hos copiosius per cæteris recipitur aer, ut & ideo potiorem locum seu pulmones nominare voluerim in hac thesi, reliquis tamen non exclusis. Notatu interim dignum est, chylo, sangvine ac tandem ipsis spiritibus se admiscere aerem, & quidem tribus distinctis in locis, ut vel exinde clarum sit insignem esse aeris usum in conservatione vitæ. Aerem generationi spirituum animalium præbere materiam crediderunt omni tempore non pauci; vide Diemerbroeck. Anat. L. 3. c. 11. Idem de spiritibus vitalibus se invenisse primum, gaudet Reald. Columbus in Lib. 11. de re anat. p. m. 411. eodem quoque jure de spiritibus naturalibus id asserere potuissent: adeoque mihi certum est, in genere spiritus ex aere augeri plurimum

q) Quemadmodum corpus nostrum nutriri per particulas cibi potusque ali-

alibiles videmus; ita quoque ſpiritum è particulis ſpirituoſis alimentorum & aeris reſtitui palam eſt. Simile ſimile nutrit: eſtque ſecundum materiam non minor convenientia inter ſpiritum & ſpiritum, quam inter corpus & corpus. Ne quis vero exiſtimet me favere Pythagoricæ metempſychoſi, moneo, ſpiritum integrum non transmigrare è corpore in corpus, multominus animam è meretrice in philoſophum aut brutum. Aſt quid obſtat vires noſtras vino, ſpiritum humanum ſpiritu vegetabili vel ſimili reparari. Nec enim obſtare poteſt idearum diſcrepantia, quoniam ideæ radicali non eſt difficile ſubigere adventitias debiliores.

§. 18. Sed hactenus in maſſa ſanguinea latitat ſpiritus, ac parum operatur, quamdiu ab illius particulis ſulphureis impeditus eſt. Quæritur ergo quo in loco & (r) quo pacto ab his compedibus liberetur, ſuamque puritatem acquirat? In cerebro autem annexaque cum cerebello medullâ ſpinali ſpirituum ſecretionem abſolvi nemo forte ambigit, modus interim ſequens mihi placet.

r) Quanquam in pneumatoſi plerique conveniant circa materiam & locum natalem ſpirituum, exiſtimentque hos è ſanguinis parte nobiliſſima naſci in cerebro; diſſentiunt tamen non pauci circa modum, juxta quem ultimam perfectionem in nobis acquirant ſpiritus. Olim creditum eſt, ſubtiliſſimum ſanguinem ſpirituque vitali turgidum ſua ſponte à ſanguine magis craſſo ſecedere atque per arterias carotides & vertebrales ad cerebrum adſcendere, atque in hujus ventriculis, accedente aere per nares inſpirato transmutari in animales. Quam opinionem adhuc defendit Williſius in tr. de ferment. cap. 5. p. m. 18. & 19. & cerebr. anat. c. 9. p. m. 44. utque rem omnem clarius explicet, addit plexus vaſorum ſanguiferorum ſe habere inſtar ductuum ſerpentinorum, meninges cum cranio, inſtar alembici, nervos inſtar roſtri alembici, cerebri autem ſubſtantiam glanduloſam inſtar ſpongiæ abſorbere atque excipere ſeroſitatem ſanguinis, ſuoque fermento volatili ſalino acuere ac magis ſubtiliſare ſpiritus, craſſiore atque inutili cruore per venas relegato. Verum qui circulationem ſanguinis callet, facile deprehendit, ſpontaneum aſcenſum ſanguinis ſubtilioris ad ſuperiores partes atque caput, neutiquam concedendum, adeoque Williſii lapſum longe graviorem eſſe præveterum errore: Deinde, ſi vel maxime ſtatuam cum Malpighio cerebrum, præſertim qua partem corticalem, eſſe glanduloſiſſim ac inſuper pingue, nondum tamen cum ſpongia oleo imbuta, qua in rectificatione ſpiritus vini quidam utuntur, comparari poteſt commode, quoniam per

per omnem ſubſtantiam cerebri vaſa ſanguifera diſtribuuntur; ut adeo, nec ſerum, nec craſſiores particulas ſanguinis ſeceſſiſſe, nec ſpiritum puriorem tantum admiſſum eſſe in cerebri interiora, eluceſcat. Fermentum cerebri, quod ad ſpirituum exaltationem requirit Wilhſius, jam non attingam; Sunt enim hi ipſi ſua natura longe ſubtiliores, quam ut à ſale volatili penetrantiores reddi debeant.

§. 19. Notum eſt arterias ſimulac cranium atque vertebras ingrediuntur, multum tenuiores reddi, exterioremque, ut loquuntur, & craſſiorem deponere tunicam. Jam vero omnes (s.) arteriis firmiorem ſubſtantiam eſſe exiſtimant, ut concluſum in ſanguine ſpiritum valeant detinere, propterea nec mihi adeo abſonum videtur arterias carotides & vertebrales circa ingreſſum (t.) attenuari, ut per tenerrimam earum tunicam egredi ſpiritus libere poſſit.

s) Sic antiquitus Herophilum, Patrem Anatomicorum ſenſiſſe conſtat ex Barthol. Anat. reform. p. m. 650. quem poſtea ſecuti ſunt reliqui.

t) Docet id autopſia, arterias has longe tenuiores eſſe ipſis etiam venis, prout in aliis partibus occurrunt. Exinde autem prodire ſpiritus, ſi nihil aliud, hoc ſane evincit, quod contra nervorum ſubſtantia ſit firmiſſima, eum in finem, ne ſpiritus ad partes diſtribuendi exhalent.

§. 20. Neceſſum autem non eſt, ut præciſe colligatur in cavitate notabili, ſeu ventriculis cerebri, unde diſtribui poſſit; ſufficit namque hujus, uti & cerebelli ac medullæ ſpinalis ſubſtantiam ita eſſe conformatam, ut tranſitum ex arteriis in tubulos nervoſos facile concedat ſpiritui. Atque hac ratione in univerſum corpus influit ſpiritus, & ne (u.) inſitus deficiat aliqua in parte, præcavet tanquam genuinum ideæ radicalis nutrimentum.

u) Vulgo nota eſt diſtinctio inter ſpiritum inſitum & influum, quam quidem eatenus admitto, quatenus naturæ curſum ac conſervationem ideæ radicalis explicat; nolim tamen quenquam credere, hos ſpiritus à me pro diſtinctis vel natura vel officio haberi. Eſt enim ſpirituum perpetua quaſi circulatio, in qua, quicquid per tranſpirationem vel aliam ob cauſam deperditur, alimenta nec non aer inſpiratus reſarciunt. Hæc autem ſucceſſio verum diſcrimen non importat, ſicuti v. g. aqua roſarum in recipiente jam collecta reipſa non differt ab ea, quæ ſucceſſive per alembici roſtrum ſubſequitur.

CAP.

CAP. V.
De Spirituum functionibus.

§. 1.

Quæ alias animæ vegetativæ & ſenſitivæ adſcribuntur (a.) functiones, eæ ſane ſpiritui noſtro debentur meliori jure. Prima formatio fœtus in utero, nutritio ante & poſt partum, ad vitæ usque terminum continuata, chylificatio, ſanguificatio, facultas generandi: viſus, auditus, tactus, guſtus, olfactus, memoria, phantaſia, fames, ſitis, libido, ira, timor, mœror ſimilesque animi affectus: robur motusque partium, reſpiratio, loquela, verbo; ipſa vita præſidem agnoſcit ſpiritum.

a) Solent communiter animæ vegetativæ tres aſſignare facultates, nempe nutritivam, augmentativam & generativam; animæ ſentienti itidem tres, cognoſcitivam ſeu ſtricte loquendo ſenſitivam, appetentem & locomotivam. Quanquam vero animæ vegetativæ, ſenſitivæ & rationalis diſcrimen non rejiciam, quatenus in diverſis ſubjectis, planta, bruto & homine conſideratur, malo tamen in homine rationalis quidem animæ operationes à reliquis diſtingui, aſt vegetativam à ſenſitiva diſcerni ſupervacaneum eſt; omnes enim in univerſum, quæ ab his deducuntur functiones, felicius longe ab unico expediuntur ſpiritu humano. Hic ipſe vero cum mediator ſit inter mentem & corpus, alia quidem officia præſtat menti, alia corpori, ac deinde non ſemper active ſed & paſſive ſe habet, prout non difficulter liquet ex ſequentibus, quæ cum integrum vitæ noſtræ curſum depingant, undique declarabunt, quid & quomodo Spiritus operetur Archeus.

§. 2. Sic enim in ipſis vitæ primordiis ſeſe manifeſtat ſub (b.) ſaliente puncto, atque domicilium ſibi è liquore ſeminali ipſe fabricat, non modo ſangvinem cæterosque humores, ſed & ſolidas partes omnes inde (c.) formando, juxta connatam ſibi ideam, donec perfectam hominis figuram referant.

b) Non jam prolixus ero in examinandis aliorum de puncto ſaliente controverſiis, quando vel de eo diſputant, num ipſius cordis, an vero auriculæ ſaltim, primordia id ipſum referat; vel de tempore, quo appareat. Videri hac de re poteſt Blaſius in Anatome animal. ubi de ovo & pullo agens, plura ex

Aristotelis, Volcheri Coiter, Fabricii ab Aquapendente, Harvei, Malpighii, &c. ac propria observatione adduxit huc spectantia. Hoc exinde saltim elucescit, impetum facientes spiritus primis quoque diebus sese ostendere atque operari prius, quam reliquæ partes perfectæ sunt.

c) Qui fœtus formationem paulo accuratius intuetur, non potest non admirari & ordinem & elegantiam & conformitatem membrorum nascendorum ad similitudinem parentum. Nec enim casu aut fortuito liquor seminalis in hujusmodi formam coalescere potest; neque locus in quo concrescit, uterus ita dispositus est, ut suam effigiem exprimat in embryone, sicuti videmus ex plumbo aliove metallo fuso varios efformari globulos, nummos &c. Adhæc maris conatum in fœtus conformatione irritum docent ova calore furni vel radiorum solarium exclusa. Igitur extra dubium est, dari quoddam intrinsecum movens in semine, cujus dispositioni materia seminalis prompte obediat.

§. 3. Interim nec (d.) nutritionem embryonis negligit, sucum alibilem à matre adductum uniendo cum semiperfecto corpore, quousque maturum (e.) partu excludatur: Tum vero maternam, ut sic loquar, domum egressus infans, propriam sibi œconomiam parat, remque suam non modo tueri, sed & augere ac multiplicare conatur quotidie.

d) Non est difficile creditu, spiritum, qui virtutem plasticam seu formatricem possidet, itidem gaudere facultate nutritiva & auctrice. Qui enim particulas componere convenienti methodo valet, quidni valeat plures quoque apponere & assimilare, si res exigat. Ac videtur pene eadem opera id posse fieri, quemadmodum conclusus in semine vegetabilium spiritus, dum se expandit, eo ipso insimul cymas protrudit, ad justam proceritatem successive deducendas.

e) Cum viæ angustia non admittat, ut ex utero sponte fœtus elabatur, idcirco partus labores sæpe difficiles accedunt. Incumbunt autem hi ipsi matri pariter ac embryoni; nam & fœtum mortuum à puerpera vivente exclusum, atque vicissim ex hac defuncta post aliquot horas egressum esse fœtum sanum variæ testantur historiæ. Vid. Salmuth. C. 2. hist. 36. Barthol. l. 2. hist. 99. Interim sive parturientem fœminam, sive nascendam prolem spectes, in utroque tamen subjecto solus est spiritus, qui robur ac vires ad promovendos conatus largitur. Hisce viribus in fœtu deficientibus vel per mortem extinctis, partus fit periculosior, quandoquidem embryo nec ad egressum sese componere nec matrem juvare potest; è contrario, enervata matre, licet in situ maxime

naturali

naturali constitutus sit fœtus, protrahitur itidem non sine ingenti difficultate partus. Aſt viribus integris meliora semper speramus omnes.

§. 4. Officio igitur suo strenue fungitur spiritus, & ne victus unquam deficiat, sedulo præcavet. Id primum quidem in negotio chylificationis apparet, & si ea consideramus, quæ hoc ipsum vel antecedunt vel sequuntur. Nam & in (f.) suctione, qua maternum lac exhaurit infans, labia convenienter disponit & applicat papillis: in adultioribus, ubi (g.) masticatio ad conterendos cibos solidiores requiritur, maxillam inferiorem commovet ope musculorum satis validorum: quicquid autem (h.) deglutiendum est, id omne basi linguæ firmius ad palatum compressa per œsophagi canalem propellit in ventriculum.

f) Possem hic occasione suctionis doctrinam de tractione attingere, quæ neotericis quibusdam adeo exosa est, ut & nomen tractionis horreant, atque omnia, quæ hactenus trahi visa sunt, solo pulsu moveri statuant. Quemadmodum autem veteres in eo peccarunt, quod facultatem attractivam nimium extenderent, atque in animalibus e. g. à renibus urinam, à splene succum melancholicum, ab omnibus membris nutrimentum attrahi crederent: ita nec modernis condonandum est, quando nullam omnino in rerum natura tractionem admittunt. Vide Th. Cornel. in progymn. phys. de circumpulsione Platonica; Pechlinum Exerc. de purgant. cap. I. & II. Swammerdam. Tr. de respirat. cap. 5. & 6. Id quam maxime omnes urgent, tractionis naturam ita esse obscuram, ut ne quidem concipere, multo minus intelligere possint eandem. Mihi autem sic videtur commode distingvi posse tractionem atque pulsum, ut motum à posteriori corporum vel corpusculorum dicamus pulsum, aſt motum à priori tractionem; hæc inter particulas incurvatas utrinque reduncas aut etiam glutinosas contingit, quarum priores si moveantur, reliquas sibi adhærentes secum trahunt; qualis materiæ apitudo non requiritur in pulsu, quippe qui satis feliciter absolvitur, si modo corpora sese attingant, ut commotum posterius anteriora vi sua propellat. Hæc obiter. Jam enim non vacat istam controversiam è fundamento dirimere; optarim tamen explicari, quid pulsui simile occurrat, si e. g. è lana, gossipio vel stuppa filum ducatur, aut si digitus visco mellive inspissato intinctus non parum post se trahit, si eximatur; item qua ratione inter lactandum ab aere ambiente vel simili causa è mammis propel-

latur lac. Sed ut dixi, occasione fuctionis, quæ illustre exemplum tractioni suggerit, hujus saltim meminisse incidenter volui; nunc potius notari velim, spiritum prout reliquarum actionum, sic & fuctionis esse autorem, dum huic destinata organa, labia atque lingvam debito modo adhibet, qualis ad evocandum lac requiritur.

g) Masticationis materia non quævis sunt assumta, sed tantum solidiora; organa potiora & primaria sunt dentes, maxillæ harumque musculi; secundaria, labia, buccæ, fauces atque lingva; finis proximus est ciborum comminutio & humectatio ab affusa saliva, ut facilius deglutiri ac digeri possint. Aſt causæ efficientis vices gerit spiritus animalis, qui pro re nata diversimode influens, nunc quidem ope musculorum os aperit, maxillas cum labiis distendens, nunc iterum arctius occludit, nunc lingvam movet, quæ cibos si exciderint dentibus iterum subjiciat. &c.

h) Nec in deglutitione otiosos esse spiritus constat. Observamus etenim imbecilliores ægros aut propinquos morti, item paralysi lingvæ affectos, neque cibum neque potum posse assumere; quare hoc? quia spiritus vitalis vel interpellatur, vel deficit, vel invalidus est, ad legitimum usum organorum deglutitioni consecratorum.

§. 5. Hic igitur (i.) primæ digestioni locus est; nec mora, quin escam dentibus confectam, ac humidam saliva, potumque assumtum spiritus concoquat, atque in chylum convertat laudabilem. Affluens enim copiose per nervos majores stomachi, pervadit hujus contenta ac discontinuat, atque hoc pacto ignis vitalis plus præstat quam ullus alius, quacunque arte modificatus.

i) Quid spiritus valeat in chylificatione, alibi demonstratum est in Dissert. mea de Acido Ferm. ventric. cap. 2.

§. 6. Egreditur vero chylus, hoc pacto per resolutionem assumtorum factus, è ventriculo successive in intestina; quæ dum (k) peristaltice movet spiritus è plexu mesenterico influens, eodem actu & feces excrementitias per alvum educit, & receptum in villosum peristoma ulterius per vasa lactea promovet (l.) chymum, donec una cum affusa lympha, accedente diaphragmatis motu, propellatur per ductum thoracicum, massæque sangvineæ commisceatur in vena subclavia.

k) Mihi

k) Mihi sane perjucundum visu semper fuit, quotiescunque intestina, aperto abdomine adhuc viventis bruti, se adeo mirabiliter movere conspexi, dum alia intestinorum pars per vices contrahitur, alia elongatur, alia intumescit, atque alia subsidet. Fibræ, huic motui ministrantes, rectæ atque circulares notæ sunt; ast nemo satis miratur nervorum mesentericorum structuram, & quo pacto per hos influat spiritus, ad ejusmodi motū periſtalticū producendum. Videlicet similis omnino est distributio nervorum, qualis vasorum sangviferorū in mesenterio, nam & nervus è plexu egressus varias in intestinis radices agit, ac juxta earum ductum primo brevi, deinde longiore ramo inseritur; ita ut ex inspectione hujus ramificationis appareat, spiritus per viam breviorem citius, per longiorem tardius affluere. Atque ex hoc spirituum influxu inæquali & successivo, nascitur quoque similis motus: dum enim hæc pars ilei v. g. fibras suas contrahit, necessum est partem vicinam in quam chylus propellitur, attolli atque extendi. Consulatur autopsia, quæ rem omnem verbis vix explicandam facillime atque perspicue docebit.

l) Olim quidem veteres crediderunt, chymum à venis mesaraicis affugi ex intestinis; verum postquam vasa lactea innotuerunt, de alio cogitare chyli motu necessum fuit: atque ideo Asellius primum in Dissert. de lactibus & postmodum Pecquetus in dissertatione anat. c. XI. hanc materiam clarius explicarunt. Res expedita est, si duplex statuamus organon motus, nempe fibras intestinorum carneas, & diaphragma: illæ quidem chymum à spongioso peristomate absorbtum exprimunt in vasa lactea, ita ut ex minoribus in majora ac tandem ipsum commune receptaculum effundatur. Ast ut ex hoc assurgat per ductum thoracicum, major vis requiritur: proinde cum inter respirandum diaphragmatis processus, quibus cisterna illa lumbaris subjacet, fortius adducuntur, tum quoque hæc ipsa, quotiescunque comprimitur, contentum chymum versus superiora propellit. Inchoatur ergo chyli motus ab intestinis, à diaphragmate consummatur, sed organice; principaliter enim omnis motus à spirituum influxu dependet, ut infra demonstrabitur.

§. 7. Sequitur nunc digestio secunda, sive chymi in (m) sangvinem conversio. Illius namque particulæ nobiliores, quando diutius in corpore nostro circulantur, non possunt non ex longiori digestione colorem (proprium maturo sulphuri) rubicundum assumere; sub qua specie cum reliquo sangvine ad (n.) sustentandas totius partes per arterias è corde distribuitur.

m) Confer. Dissert. meam de sangvificatione, ubi cap. II. spirituum facultatem hic requisitam clarius detexi.

n) Similiter & in Dissert. de nutritione probatum dedi, sangvinem esse genuinum nutrimentum à spiritibus nostris corpori assimilandum.

§. 8. Et quanta utilitas ac necessitas est pulsus, tanta quoque spiritus in (o.) corde movendo cura est, ut ne quidem per momentum cessare rhythmum systoles ac diastoles patiatur, etiamsi reliquæ partes somno sepultæ quiescant à suis functionibus.

o) Quid alii sentiant de motu cordis, jam non adducam; ad stabiliendam autem meam hypothesin pauca adjicere lubet. Primo certum est cor piscibus exemptum diu moveri, quantumvis nulla sit amplius connexio vel cum nervis vel vasis sangviferis: secundo si ligatura in cane vivente applicetur nervis octavi paris, quod ramos cum corde communicat, tum statim cordis motus intercipitur. Horum prius argumentum pugnat pro spiritu insito, posterius pro spiritu influo; aut utrumque simul clarissime demonstrant, nec sangvinem quocunque modo rare factum atque accensum, nec quicquam aliud cor movere, quam latens quoddam principium huic visceri quidem congenitum, aut occulto per nervorum tubulos affluxu restaurandum.

§. 9. Habet enim sangvinis circulatio multiplicem usum, adeoque ea rite peracta plura simul præstare potest spiritus. Nimirum sangvis in toto quidem corpore nutrimentum, seorsim autem in epate (p.) pilem, in renibus (q.) uriam, in glandulis (r.) serum, succum pancreaticum, salivam, lachrymas & sudorem, in testiculis (s.) semen, in mammis lac, in cerebro (t.) spiritus deponit.

p) Vide Dissert. meam de bile cap. II.

q) Modus juxta quem è massa sanguinea separetur urina, non est obscurus. Affluit enim per arterias emulgentes sanguis in renes, quorum substantia ex meris tubulis conflata instar filtri particulas quidem aqueas & salinas transire sinit, cruore per venas recedente. Sola igitur renum structura sufficit ad hanc transcolationem, adeoque nec de fermento urinario, nec de præcipitatione peculiari cogitandum est: præsertim cum experimento constet, injectam per arteriam renalem aquam (nisi sanguis congrumatus renum canaliculos obstruat) lubentissime in ureterem destillare.

r) Par est fere ratio seri ex eodem sanguine per glandulas secreti; quem-

admo-

admodum autem harum structura multum diversa est, ita nec omnis lympha unius ejusdemque naturæ deprehenditur. Ad naturam urinæ ferme accedunt lachrymæ atque sudor; aſt saliva minus salsa, sed potius est viscida.

s) Præ omnibus humoribus viscidissimum est semen, ad melius retinendum spiritum, ut jam supra ad cap. III. §. 9. annotavi. Videtur autem hoc ipsum talem visciditatem acquirere sub longiore per testium ac parastatarum ductus circulatione, ac retentione in vesiculis seminalibus. Verum liquorem hunc spermaticum ne quidem admiratione dignum putarem, nisi spiritum absconderet insignitum idea seminali; est enim nil aliud quam hujus vehiculum atque rudis materia, ulteriorem sui elaborationem expectans.

t) Sub cerebro intelligo simul cerebellum atque medullam spinalem, tanquam illius appendices: qua vero ratione spirituum è sanguine secretio contingat, in antecedenti capite dictum reperies.

§. 10. Verum hæ sunt spiritus functiones fere viliores, restant nobiliores adhuc. Quis non miretur objecta longe dissita, horumque magnitudinem, colorem, vel lumen atque similes conditiones à nobis percipi. Adeo singularis est oculi fabrica, ut species visorias per tunicam corneam atque pupillam recipiat, sistatque in humoribus hunc in finem à retina juveaque contectis. Ecquid vero à speculo vel camera obscura, quæ irradiantes ideas citra sensum recipiunt, distaret oculus, si non spiritus in eo habitaret. Videlicet objecti externi, quod obversatur oculis, species, dum in horum humores penetrat, sive luminosa sive colorata fuerit, non potest non inhabitantes spiritus eadem idea insignire; atque hæc perceptio repræsentatæ visibilis speciei (u.) visus dicitur.

u) Elegantissima hic occurreret disserendi materia de spirituum facultate sensitiva; aſt quoniam doctrinam de sensibus externis atque internis, si vivo, seorsim tradere propositum est, nolo tum fusius tractanda jam præripere.

§. 11. Nec ineleganter afficitur in auditu spiritus. Etenim sonus, sicuti per aerem, quousque licet, fluctuat, eumque plus minusve pro ratione vehementiæ suæ commovet; ita quoque si in aurium tympana incidat, simili modo agitat spiritum sub iis conclusum, ut non dubitandum sit, quin à sono graviore fortius, suaviore blandius, aliter ab explosione bombardæ, aliter à chordarum concentu

centu affectus ſpiritus, discernere diverſitatem ſonorum valeat.

§. 12. Si quæ vero reali contactu noſtrum attingant corpus, clarum eſt per omnia diffuſum ſpiritum neceſſario omnes objectorum qualitates tangibiles ſentire, frigus, calorem, duritiem, mollitiem, aſperitatem, lævitatem, fluiditatem &c. Prout partium flexiles fibræ moventur, ſimiliter movetur ſpiritus poros earum occupans; ſi leviter ac mollius fibræ tangantur, ſentiunt ſpiritus motum quendam voluptuoſum ſeu titillationem, ſi contra durius fibræ vellicentur, perceptio eſt doloroſa.

§. 13. Similis pene ratio eſt guſtus, niſi quod ob linguæ conformationem altius penetrare conceſſum ſit ſpiculis ſalinis; hunc enim in finem ſubſtantia illius mollis & poroſa eſt, innumerisque nervoſis papillulis exornata, ut profundiorem vellicationem ſapidorum prompte admittere ac dijudicare queat. Sentit profecto inhabitans ſpiritus papillularum iſtarum paſſiones, easque nunc ab acrioribus, pipere, zingibere &c. acute pungi, nunc ab acerbis auſteriſque conſtringi, atque ſic porro.

§. 14. Paulo aliter in olfactu evenit; ſcilicet effluvia rerum odorata, quando cum aere inſpirantur, impingunt non modo *in* tunicam narium pituitariam hinc inde, modo gravius, modo ſvavius, atque hoc ipſo naturam ac diverſitatem ſuam clare teſtantur: ſed & quæ ſubtiliora ſunt penetrant altius per tubulos nervoſos in cerebri ventriculos. Adeoque vel mediate, vel immediate afficiunt ſpiritus, & vel recreant, uti roſarum atque florum tunicæ nec non vini fragrantia, vel ſuavi ſomno demulcent, uti croci & opiatorum odor, vel excitant languentes, uti aromatum & volatilium urinoſorum acidorumque &c.

§. 15. Ita ſe habent ſpiritus in ſenſibus externis; & certe multum eſt, qualitates objectorum adeo diverſas, odores, ſapores, duritiem, ſonum, colores &c. obſervari ac diſtincte concipi ab unico Archeo. Sed adhuc magis mirandum puto, rerum non amplius præ-

præſentium, verum longe à ſenſoriis remotarum, ſpecies beneficio memoriæ rurſus repræſentari. Nempe ideæ tales ſi fortius impreſſæ atque apprehenſæ fuerint, ſæpe diu in ſpiritu noſtro foventur, atque non per horas tantum, ſed plures annos conſervantur, non ſecus ac ſi continuo noſtris obverſarentur ſenſibus.

§. 16. Præterea nec ſpiritui vitali difficile eſt, conceptas ideas combinare atque pro lubitu viſa, audita, odorata &c. componere; adeo enim in ſpecierum commixtione occupata eſt phantaſia, ut ne ſomnus quidem huic negotio quietem concedat, quin ex connexione ſæpe incongruarum rerum inſomnia naſcantur fere ridicula.

§. 17. Neque vero diſſimilandum eſt, ab ideis illis ſenſu quodam externo conceptis multifarie moveri atque (x.) alterari noſtros ſpiritus. Alliciuntur ſane in amore perſonæ formoſioris, in appetitu vini delicatioris atque cupediarum; ſed repelluntur ab objecto exoſo, formidabili atque triſti: appetunt & inclinant ad ea quæ placent, abhorrent ac fugiunt quæ displicent.

x) Qui ſic dicta animi pathemata [illegible]bis eſſe cum brutis communia conſiderat, is certe animam potius ſenſitivam, quam mentem ab iis affici deprehendet; præſertim ſi attendatur ſimul pugna non raro inter ſpiritus animales & rectam rationem oborta, vel etiam negligentia mentis, cœcos iræ, amoris &c. impetus non corrigentis. Cum autem mens in ipſo habitet ſpiritu, ideo nec dubium eſt, quin hujus affectiones illam ſimul attingant; ac propterea de paſſionibus animi hac vice accuratius diſſerere non eſt animus.

§. 18. De cætero omnem corporis noſtri (y.) motum ſpiritus hic vitalis unice præſtat; ab hoc per nervos influente dependet motus inferioris maxillæ in maſticatione motus inteſtinorum periſtalticus ad chyli fecumque propulſionem requiſitus: motus cordis ad circulationem ſanguinis reliquorumque humorum: motus veſicæ in urina excernenda: uteri in partu, oculorum in viſu: & qui maximum requirunt robur, artuum in ambulando, ſaltando, apprehendendo &c.

y) Dari aliquod in corporibus naturalibus principium movens vitale,

quod à cadaveribus illa distingvat, id jamjam capite I. hujus Dissert. probatum dedi; nunc quo pacto id fiat, porro dicendum est. Videlicet cum in finem musculi cæteræque fibrarum expansiones movendis partibus affiguntur à natura, ut iis instar organorum motoriorum uti queat. Non est necessum ut notabiles in omni musculo cavitates, aut etiam spirituum cum arterioso sangvine concurrentium accensionem atque explosionem fingamus; sufficit enim spiritum se propria vi elastica expandere, quo ipso sic dictus venter, cujus poros occupat, ac consequenter abbreviato musculo terminus ejus mobilis versus principium firmius necessario contrahitur, prout hanc fibræ motricis vim ex fundamentis mathematicis mechanice præ cæteris Croon atque Steno demonstrarunt.

§. 19. His adde motum (z.) thoracis atque diaphragmatis in attrahendo & exspirando aere nunquam otiosum; item motum labiorum, linguæ atque laryngis, à cujus varietate (aa.) non modo vox sed & cantus atque loquela, nobis præ cæteris animantibus peculiaris, proficiscitur.

z) Est sane apparatus instrumentorum, quibus natura in respiratione utitur, non levis; inter alia considerari merentur nervi non modo intercostales ac reliqui thoracis musculis implantati, sed & diaphragmatis insigniores nervi. Horum omnium si copiam & magnitudinem contemplamur, nil aliud inde licet colligere, quam spiritus curam respirationis habere maximam.

aa) Duplex est in loquela spirituum usus, nam & efficienter operantur, quando lingvam cæteraque loquelæ destinata organa pro lubitu movent, ac præterea concurrunt materialiter, dum ipsam differendi materiam suppeditant, ut rem visam, auditam &c. cum aliis communicare, ejusque ideam quasi repræsentare queamus.

§. 20. Verbo: spiritus (bb.) vitam nobis largitur, atque dum mentem cum corpore unit, nunquam desinit omnes explere functiones, quæ vel necessariæ vel utiles vel etiam jucundæ quocunque modo esse poterunt.

bb) Cum vita nil aliud sit quam animæ atque corporis unio, spiritus autem mediæ naturæ inter crassum corpus & mentem immaterialem; ad hæc duo combinanda existat aptus, hinc facile liquet, quantum ad vitam conservandam faciat. Atque in hoc potissimum spiritus noster vitalis superat reliquos animalium spiritus, quamvis de cætero iisdem polleant facultatibus.

CAP.

CAP. VI.
De Interitu Spirituum.

§. 1.

RElíquum eſt, ut nunc quoqe videamus, quisnam ſpirituum noſtrorum ſit interitus. Non loquar jam de (a.) morboſo & præternaturali ſtatu, quando v. g. in hæmorrhagia inſigniore, alvi fluxu vel vomitu crebriore, item in febribus aliisque morbis ſpiritus pereunt. Nec temeritatem (b.) Empyricorum nunc attingam, qui ſanorum pariter ac ægrotantium vires per inepte propinata purgantia, nec non per ſanguinis ſudorisque profuſionem immodicam dilapidare, quaſi rebene geſta, quotidie gaudent. Saltim, quæ communiter in ordinario naturæ noſtræ curſu accidunt, nunc lubet adducere.

a) Non rarum eſt, cum ſangvine è naribus, utero vel etiam vulnere profundi vitam, atque in cholera vel vomitu vel ſeceſſu animam ejici. Ac in genere quidem omnes morbi, tanquam mortis prodromi, vires vitales deſtruunt; alii tamen citius, alii tardius, plus minusve, pro diverſitate ſubjectorum atque cauſæ morbificæ. Verum hæc ipſa cum peculiarem mereantur tractationem, & ad Pathologiam proprie ſpectent, idcirco lubens ea nunc prætereo.

b) Indignus Medici nomine mihi videtur, qui panacea vomitoria, purgante vel ſubdorifera, nec non phlebotomo cunctis morbis mederi promiſcue audet. Videant alii, quo pacto excuſentur, qui v. g. in morbis malignis, febre purpurata atque petechiali, univerſalia illa præſidia, una cum clyſmatibus reiterant, ſe officio ſuo ſatisfeciſſe rati, ſi modo nihil eorum intermiſerint, quæ non tam cogitari, quam ab anicula forte adſtante ſomniari poterant.

§. 2. Videlicet ſola mens in nobis immortalis eſt, Deo ſic volente; reliquum cum ſpiritu corpus corruptionem non ſecus ac bruta plantæque patitur; Nam & omni die vires noſtras debilitari atque iterum reſtitui, imo tandem ex toto deficere in morte, experimur.

§. 3. Eſt enim ſpiritus per univerſum corpus ita diffuſus, ut

non modo solidarum partium poros sed & sanguinem ac lympham, imo ipsa excrementa pervadat & occupet. Quicquid igitur è nostro (c.) egreditur corpore, id necessario de spiritu vitali simul aliquid deprædatur. Quis crederet per (d.) insensibilem transpirationem quoque spiritus dissipari, nisi debilitatem manifestam sentiremus exinedia unius diei. Quorsum vero abiere vires? unde lassitudo, cum nullus labor exantlatus est?

c) Si quod fundamentum est curarum magneticarum, hoc sane unicum erit, quod & sangvis & urina atque alvi feces & similia ab ægro desumta de spiritu vitali participent, uti non male docet Gvil. Maxvellus in Medicin. Magnet. Ast imprudenti vulgo hæc persvadere velle, ineptum est. Novi sartoris uxorem, quæ frequentius sputare solebat, admonitam à juniori Practico, ne sibi stomachum debilitaret, his verbis: so offt sie Speichel auswürffe/ so offt würffe sie auch einige Lebensgeister mit aus; paulo post cum ad invisendam eam vocarer, ipsa mihi narrat hoc inauditum paradoxum, vel ut putabat absurdum, additque der Kerl wäre doch nicht klug/wenn wahr wäre/ müst ich schon lange todt seyn. Ego vero, quanquam salivam esse spirituosam, eamque ad chylificationem multum conferre statuam, non potui tamen objectum imprudentiæ crimen excusare in eo, qui eruditionem suam intempestive ostentaverat.

d) Quamvis transpiratio maxime subtilis videatur, copiosam tamen esse satis liquet ex Sanctorii Medicina Statica, qui videri potest.

§. 4. Major adhuc est jactura virium, si subtiliora illa cutis effluvia in sudorem solvantur. Talem languorem quivis deprehendit ex balneo per aliquot horas continuato, item ex fervente Syrii æstu; maxime si durus accesserit labor, aut alia vehemens corporis (e.) commotio, qualis in cursu, saltu, equitatione, pilæ lusu, digladiatione &c. observatur.

e) Sicuti moderata corporis motio alias torpentes spiritus alacriores reddit, ita quoque nimia commotio eos dissipat.

§. 5. Quid dicam de abusu (f.) veneris, cujus tanta est vis in enervando corpore, ut mares pariter ac fœminas inde multum debilitari, animi deliquia atque apoplexiam, tabem dorsalem ac interdum ipsam mortem pati videamus. Et quemadmodum arbor à copiosioribus fructibus in terram deprimitur fracta; ita quoque paren-

parentum vires non raro in numerosam sobolem diffusæ deficiunt citius, quam par erat.

f) Vulgo notum est, caballum, imprimis si junior admissus fuerit, ita ex coitu infirmari, ut quamvis postea optimo enutriatur pabulo, atque omnem laborem deserat, vix unquam tamen pristinum robur acquirere. Tantum ex profusione seminis damnum sequitur, ut non semel, qui pollutiones nocturnas crebrius patiebantur, apud me conquesti sint, se ad omnia corporis exercitia, ac potissimum studia excolenda, ob memoriæ judiciique defectum, esse oppido ineptos.

§. 6. Verum hanc spirituum jacturam nemo mirari potest, qui novit eandem quoque fieri citra excretionem aliquam manifestam. Vix credibile est, quantum defatigetur corpus, si modo per aliquot horas (g.) verba facienda sint. Nec unquam mercenarium summi labores æque infirmare possunt, quam studia literarum, qui paulo avidius ea sectatur.

g) Viel predigen macht den Leib müde / quandoquidem inter concionandum & meditari profundius, & fortiter eloqui, atque insimul multum sudare solent, qui creditum sibi munus naviter tueri satagunt.

§. 7. Nil tamen, ut mihi videtur, superat animi pathemata, (h.) mœrorem præsertim atque curas; quippe qui his nimium indulgent, solent non modo cibum potumque, sed & somnum respuere, unde spiritus restitui queant: interea hi ipsi continua vexantur ac dissipantur inquietudine.

h) Vitam à curis similibusque animi affectibus alienam, esse saluberrimam atque longævam, satis testantur moniales præ cæteris, quippe quæ utplurimum ad senectutem ultimam perveniunt, quam attigisse, si curam rei familiaris ac educandæ sobolis instar aliarum gesserint, non est probabile.

§. 8. Dolendum est profecto vires humani generis indies imminui. Patriarcharum ante diluvium natorum ætas millenarium fere attigit; postmodum vix seculum superavit unum, ac verendum est, nisi mundi finem fecerit extremum judicium, (i.) vitam mortalium tandem lustro terminari. Quodsi enim fortes creantur fortibus, quid fiet, si à parentibus minus validis deterior semper proles nascetur?

i) Quod de nequitia hominum Horatius cecinit, id paucis immutatis

ad infirmitatem noſtram accommodarem: Majores noſtros brevior ætas tulit, nos debiliores, mox daturi progeniem imbecilliorem.

§. 9. Eo igitur deventum eſt, ut nec melior naturæ noſtræ ſtatus infirmitatem, nec ſanitas omnem morbum perfecte excludat. Parum abeſt, quin fatear, quotidie nos ægrotare, quotidie nos mori. Nempe omni momento (k.) interit aliqua ſpirituum pars & exhalat usque, donec reliquias moribundus expiret.

k) Scilicet interitus noſtrorum ſpirituum partialis & inchoatus in hac vita, totalis & ultimus in morte accidit. Hipp. Epid. VI. Sect. 5. 9.

§. 10. Sic enim olim credebant humidum radicale ſucceſſive abſumi; ſic tandem extingui (l.) vitalem flammulam adhuc dum moderni quidam defendunt. Mihi autem (m.) mors, quacunque illam ex parte ſpectem, nil aliud videtur quam ſpirituum è corpore diſceſſus atque interitus totalis. Hoc ipſo deſerit mens immortalis fragile corpus putredinique proximum, ac tædioſo carcere egreditur laxatis vinculis. Tantum.

l) Conferatur Fr. de le Boe Sylvius in orat. de Homin. cognit. p. m. 898. Williſius de anim. brut. p. 10. & Joh. Marcus Marci in Phil. reſtit. p. 472.

m) Quotiescunque ægrum placide obire vidi, toties me puduit eorum, qui mortem neſcio ſub qua monſtroſa ſpectri larva concipiunt ac timent. Non dicam mortem theologice conſideratam potius optari à Chriſtiano quam metui, ſaltim phyſice ſpectata nil minus quam formidabilis eſt. Nec enim intelligo, quantus ex diſceſſu animæ dolor oriri poſſit. Qui lipothymiam patiuntur, nil mali ſentiunt, multo minus dolent, qui moriuntur. Equidem dolent, qui æternam damnationem metuunt; dolent avari, quando divitiæ deſerendæ ſunt; dolent alii ob deſertam familiam; aſt nunquam dolent, qui Salvatoris merito confiſi mortem patienter ac libenter ſuſtinent. Nempe antecedentes quidem morbi dolores, & qui morti quandoque adjuncti ſunt per accidens, mortem non raro difficilem reddunt, quæ tamen abſolute ſpectata omnium ægritudinum atque dolorum eſt finis.

DISPU-

DISPUTATIO IX.
DE
IMAGINATIONIS VIRIBUS MEDICIS.
PRÆFATIO.

VIres imaginationis haud esse vanas, uti quotidianæ docent observationes; ita nec desunt, qui examinandis his sedulam navarunt operam. Sunt inter eos, qui cum *Avicenna, Paracelso atq; similibus* plus justo ipsi tribuunt, potestatem scilicet cœlum & astra cogendi, hisque pro libidine abutendi ad res nequissimas. Etenim animam nostram statuunt virtute imaginationis sic extolli posse, ut non in proprium corpus solum, verum etiam in quodlibet aliud sine medio aut instrumento agere possit: sic nobilitatas animas Camelum in Caldarium, hominem in puteum dejicere, sanare, debilitare quos velint: permutare elementa, ut nec ignis urat, nec aqua humectet: vaticinari, miracula edere, denique imperium in omnem habere materiam; de quibus legi meretur *Th. Erastus Part. Prim. disput. de Med. Parac. pag. 54. & seqq.* Plures magis solliciti de gravidarum phantasia, mirantur potius nævos maternos, monstrorumque artus. *Marcus Marci de ideis operatric. Digbæus in Theat. Sympath. Marcellus Donatus in Hist. Med. Mir.*

ad infirmitatem noſtram accommodarem: Majores noſtros brevior ætas tulit, nos debiliores, mox daturi progeniem imbecilliorem.

§. 9. Eo igitur deventum eſt, ut nec melior naturæ noſtræ ſtatus infirmitatem, nec ſanitas omnem morbum perfecte excludat. Parum abeſt, quin fatear, quotidie nos ægrotare, quotidie nos mori. Nempe omni momento (k.) interit aliqua ſpirituum pars & exhalat usque, donec reliquias moribundus expiret.

k) Scilicet interitus noſtrorum ſpirituum partialis & inchoatus in hac vita, totalis & ultimus in morte accidit. Hipp. Epid. VI. Sect. 5. 9.

§. 10. Sic enim olim credebant humidum radicale ſucceſſive abſumi; ſic tandem extingui (l.) vitalem flammulam adhuc dum moderni quidam defendunt. Mihi autem (m.) mors, quacunque illam ex parte ſpectem, nil aliud videtur quam ſpirituum è corpore diſceſſus atque interitus totalis. Hoc ipſo deſerit mens immortalis fragile corpus putredinique proximum, ac tædioſo carcere egreditur laxatis vinculis. Tantum.

l) Conferatur Fr. de le Boe Sylvius in orat. de Homin. cognit. p. m. 898. Williſius de anim. brut. p. 10. & Joh. Marcus Marci in Phil. reſtit. p. 472.

m) Quotiescunque ægrum placide obire vidi, toties me puduit eorum, qui mortem neſcio ſub qua monſtroſa ſpectri larva concipiunt ac timent. Non dicam mortem theologice conſideratam potius optari à Chriſtiano quam metui, ſaltim phyſice ſpectata nil minus quam formidabilis eſt. Nec enim intelligo, quantus ex diſceſſu animæ dolor oriri poſſit. Qui lipothymiam patiuntur, nil mali ſentiunt, multo minus dolent, qui moriuntur. Equidem dolent, qui æternam damnationem metuunt; dolent avari, quando divitiæ deſerendæ ſunt; dolent alii ob deſertam familiam; aſt nunquam dolent, qui Salvatoris merito confiſi mortem patienter ac libenter ſuſtinent. Nempe antecedentes quidem morbi dolores, & qui morti quandoque adjuncti ſunt per accidens, mortem non raro difficilem reddunt, quæ tamen abſolute ſpectata omnium ægritudinum atque dolorum eſt finis.

DISPU-

DISPUTATIO IX.
DE
IMAGINATIONIS VIRIBUS MEDICIS.

PRÆFATIO.

VIres imaginationis haud esse vanas, uti quotidianæ docent observationes; ita nec desunt, qui examinandis his sedulam navarunt operam. Sunt inter eos, qui cum *Avicenna, Paracelso atq; similibus* plus justo ipsi tribuunt, potestatem scilicet cœlum & astra cogendi, hisque pro libidine abutendi ad res nequissimas. Etenim animam nostram statuunt virtute imaginationis sic extolli posse, ut non in proprium corpus solum, verum etiam in quodlibet aliud sine medio aut instrumento agere possit: sic nobilitatas animas Camelum in Caldarium, hominem in puteum dejicere, sanare, debilitare quos velint: permutare elementa, ut nec ignis urat, nec aqua humectet: vaticinari, miracula edere, denique imperium in omnem habere materiam; de quibus legi meretur *Th. Erastus Part. Prim. disput. de Med. Parac. pag. 54. & seqq.* Plures magis solliciti de gravidarum phantasia, mirantur potius nævos maternos, monstrorumque artus. *Marcus Marci de ideis operatric. Digbæus in Theat. Sympath. Marcellus Donatus in Hist. Med. Mir.*

ad infirmitatem noſtram accommodarem: Majores noſtros brevior ætas tulit, nos debiliores, mox daturi progeniem imbecilliorem.

§. 9. Eo igitur deventum eſt, ut nec melior naturæ noſtræ ſtatus infirmitatem, nec ſanitas omnem morbum perfecte excludat. Parum abeſt, quin fatear, quotidie nos ægrotare, quotidie nos mori. Nempe omni momento (k.) interit aliqua ſpirituum pars & exhalat usque, donec reliquias moribundus expiret.

k) Scilicet interitus noſtrorum ſpirituum partialis & inchoatus in hac vita, totalis & ultimus in morte accidit. Hipp. Epid. VI. Sect. 5. 9.

§. 10. Sic enim olim credebant humidum radicale ſucceſſive abſumi; ſic tandem extingui (l.) vitalem flammulam adhuc dum moderni quidam defendunt. Mihi autem (m.) mors, quacunque illam ex parte ſpectem, nil aliud videtur quam ſpirituum è corpore diſceſſus atque interitus totalis. Hoc ipſo deſerit mens immortalis fragile corpus putredinique proximum, ac tædioſo carcere egreditur laxatis vinculis. Tantum.

l) Conferatur Fr. de le Boe Sylvius in orat. de Homin. cognit. p. m. 898. Williſius de anim. brut. p. 10. & Joh. Marcus Marci in Phil. reſtit. p. 472.

m) Quotiescunque ægrum placide obire vidi, toties me puduit eorum, qui mortem neſcio ſub qua monſtroſa ſpectri larva concipiunt ac timent. Non dicam mortem theologice conſideratam potius optari à Chriſtiano quam metui, ſaltim phyſice ſpectata nil minus quam formidabilis eſt. Nec enim intelligo, quantus ex diſceſſu animæ dolor oriri poſſit. Qui lipothymiam patiuntur, nil mali ſentiunt, multo minus dolent, qui moriuntur. Equidem dolent, qui æternam damnationem metuunt; dolent avari, quando divitiæ deſerendæ ſunt; dolent alii ob deſertam familiam; aſt nunquam dolent, qui Salvatoris merito confiſi mortem patienter ac libenter ſuſtinent. Nempe antecedentes quidem morbi dolores, & qui morti quandoque adjuncti ſunt per accidens, mortem non raro difficilem reddunt, quæ tamen abſolute ſpectata omnium ægritudinum atque dolorum eſt finis.

DISPU-

DISPUTATIO IX.
DE
IMAGINATIONIS VIRIBUS MEDICIS.
PRÆFATIO.

VIres imaginationis haud esse vanas, uti quotidianæ docent observationes; ita nec desunt, qui examinandis his sedulam navarunt operam. Sunt inter eos, qui cum *Avicenna, Paracelso atq; similibus* plus justo ipsi tribuunt, potestatem scilicet cœlum & astra cogendi, hisque pro libidine abutendi ad res nequissimas. Etenim animam nostram statuunt virtute imaginationis sic extolli posse, ut non in proprium corpus solum, verum etiam in quodlibet aliud sine medio aut instrumento agere possit: sic nobilitatas animas Camelum in Caldarium, hominem in puteum dejicere, sanare, debilitare quos velint: permutare elementa, ut nec ignis urat, nec aqua humectet: vaticinari, miracula edere, denique imperium in omnem habere materiam; de quibus legi meretur *Th. Erastus Part. Prim. disput. de Med. Parac. pag. 54. & seqq.* Plures magis solliciti de gravidarum phantasia, mirantur potius nævos maternos, monstrorumque artus. *Marcus Marci de ideis operatric. Digbæus in Theat. Sympath. Marcellus Donatus in Hist. Med. Mir.*

ad infirmitatem noſtram accommodarem: Majores noſtros brevior ætas tulit, nos debiliores, mox daturi progeniem imbecilliorem.

§. 9. Eo igitur deventum eſt, ut nec melior naturæ noſtræ ſtatus infirmitatem, nec ſanitas omnem morbum perfecte excludat. Parum abeſt, quin fatear, quotidie nos ægrotare, quotidie nos mori. Nempe omni momento (k.) interit aliqua ſpirituum pars & exhalat usque, donec reliquias moribundus expiret.

k) Scilicet interitus noſtrorum ſpirituum partialis & inchoatus in hac vita, totalis & ultimus in morte accidit. Hipp. Epid. VI. Sect. 5. 9.

§. 10. Sic enim olim credebant humidum radicale ſucceſſive abſumi; ſic tandem extingui (l.) vitalem flammulam adhuc dum moderni quidam defendunt. Mihi autem (m.) mors, quacunque illam ex parte ſpectem, nil aliud videtur quam ſpirituum è corpore diſceſſus atque interitus totalis. Hoc ipſo deſerit mens immortalis fragile corpus putredinique proximum, ac tædioſo carcere egreditur laxatis vinculis. Tantum.

l) Conferatur Fr. de le Boe Sylvius in orat. de Homin. cognit. p. m. 898. Williſius de anim. brut. p. 10. & Joh. Marcus Marci in Phil. reſtit. p. 472.

m) Quotiescunque ægrum placide obire vidi, toties me puduit eorum, qui mortem neſcio ſub qua monſtroſa ſpectri larva concipiunt ac timent. Non dicam mortem theologice conſideratam potius optari à Chriſtiano quam metui, ſaltim phyſice ſpectata nil minus quam formidabilis eſt. Nec enim intelligo, quantus ex diſceſſu animæ dolor oriri poſſit. Qui lipothymiam patiuntur, nil mali ſentiunt, multo minus dolent, qui moriuntur. Equidem dolent, qui æternam damnationem metuunt; dolent avari, quando divitiæ deſerendæ ſunt; dolent alii ob deſertam familiam; aſt nunquam dolent, qui Salvatoris merito confiſi mortem patienter ac libenter ſuſtinent. Nempe antecedentes quidem morbi dolores, & qui morti quandoque adjuncti ſunt per accidens, mortem non raro difficilem reddunt, quæ tamen abſolute ſpectata omnium ægritudinum atque dolorum eſt finis.

DISPU-

DISPUTATIO IX.
DE
IMAGINATIONIS VIRIBUS MEDICIS.
PRÆFATIO.

VIres imaginationis haud esse vanas, uti quotidianæ docent observationes; ita nec desunt, qui examinandis his sedulam navarunt operam. Sunt inter eos, qui cum *Avicenna, Paracelso atq; similibus* plus justo ipsi tribuunt, potestatem scilicet cœlum & astra cogendi, hisque pro libidine abutendi ad res nequissimas. Etenim animam nostram statuunt virtute imaginationis sic extolli posse, ut non in proprium corpus solum, verum etiam in quodlibet aliud sine medio aut instrumento agere possit: sic nobilitatas animas Camelum in Caldarium, hominem in puteum dejicere, sanare, debilitare quos velint: permutare elementa, ut nec ignis urat, nec aqua humectet: vaticinari, miracula edere, denique imperium in omnem habere materiam; de quibus legi meretur *Th. Erastus Part. Prim. disput. de Med. Parac. pag. 54. & seqq.* Plures magis solliciti de gravidarum phantasia, mirantur potius nævos maternos, monstrorumque artus. *Marcus Marci de ideis operatric. Digbæus in Theat. Sympath. Marcellus Donatus in Hist. Med. Mir.*

ad infirmitatem noſtram accommodarem: Majores noſtros brevior ætas tulit, nos debiliores, mox daturi progeniem imbecilliorem.

§. 9. Eo igitur deventum eſt, ut nec melior naturæ noſtræ ſtatus infirmitatem, nec ſanitas omnem morbum perfecte excludat. Parum abeſt, quin fatear, quotidie nos ægrotare, quotidie nos mori. Nempe omni momento (k.) interit aliqua ſpirituum pars & exhalat usque, donec reliquias moribundus expiret.

k) Scilicet interitus noſtrorum ſpirituum partialis & inchoatus in hac vita, totalis & ultimus in morte accidit. Hipp. Epid. VI. Sect. 5. 9.

§. 10. Sic enim olim credebant humidum radicale ſucceſſive abſumi; ſic tandem extingui (l.) vitalem flammulam adhuc dum moderni quidam defendunt. Mihi autem (m.) mors, quacunque illam ex parte ſpectem, nil aliud videtur quam ſpirituum è corpore diſceſſus atque interitus totalis. Hoc ipſo deſerit mens immortalis fragile corpus putredinique proximum, ac tædioſo carcere egreditur laxatis vinculis. Tantum.

l) Conferatur Fr. de le Boe Sylvius in orat. de Homin. cognit. p. m. 898. Williſius de anim. brut. p. 10. & Joh. Marcus Marci in Phil. reſtit. p. 472.

m) Quotiescunque ægrum placide obire vidi, toties me puduit eorum, qui mortem neſcio ſub qua monſtroſa ſpectri larva concipiunt ac timent. Non dicam mortem theologice conſideratam potius optari à Chriſtiano quam metui, ſaltim phyſice ſpectata nil minus quam formidabilis eſt. Nec enim intelligo, quantus ex diſceſſu animæ dolor oriri poſſit. Qui lipothymiam patiuntur, nil mali ſentiunt, multo minus dolent, qui moriuntur. Equidem dolent, qui æternam damnationem metuunt; dolent avari, quando divitiæ deſerendæ ſunt; dolent alii ob deſertam familiam; aſt nunquam dolent, qui Salvatoris merito confiſi mortem patienter ac libenter ſuſtinent. Nempe antecedentes quidem morbi dolores, & qui morti quando que adjuncti ſunt per accidens, mortem non raro difficilem reddunt, quæ tamen abſolute ſpectata omnium ægritudinum atque dolorum eſt finis.

DISPU-

DISPUTATIO IX.
DE
IMAGINATIONIS VIRIBUS MEDICIS.
PRÆFATIO.

VIres imaginationis haud esse vanas, uti quotidianæ docent observationes; ita nec desunt, qui examinandis his sedulam navarunt operam. Sunt inter eos, qui cum *Avicenna, Paracelso atq; similibus* plus justo ipsi tribuunt, potestatem scilicet cœlum & astra cogendi, hisque pro libidine abutendi ad res nequissimas. Etenim animam nostram statuunt virtute imaginationis sic extolli posse, ut non in proprium corpus solum, verum etiam in quodlibet aliud sine medio aut instrumento agere possit: sic nobilitatas animas Camelum in Caldarium, hominem in puteum dejicere, sanare, debilitare quos velint: permutare elementa, ut nec ignis urat, nec aqua humectet: vaticinari, miracula edere, denique imperium in omnem habere materiam; de quibus legi meretur *Th. Erastus Part. Prim. disput. de Med. Parac. pag. 54. & seqq.* Plures magis solliciti de gravidarum phantasia, mirantur potius nævos maternos, monstrorumque artus. *Marcus Marci de ideis operatric. Digbæus in Theat. Sympath. Marcellus Donatus in Hist. Med. Mir.*

Mir. Schottus in Phyſ. Curioſ. Deuſingius in Conſ. Fœtus Muſſipont. Rejes in Campo Elyſ. & paſſim Zodiacus Medico-Gall. ut & Ephem. Germ. De vi imaginationis & tum in aliis morbis tum ſeorſim in peſtilentia producenda non in elegantem Diſſertationem ſcripſit *Val. Henr. Voglerus.* Sed præ cæteris erudite atque copioſe *Thomas Fienus* egit peculiari tractatu *de viribus Imaginationis*, & ex eo *(judice Joh. Rodio Introd. ad Medicinam) Daniel Sennertus Tr. de Conſenſ. & Diſſenſ. Galen. & Peripat. cum Chym. cap. 14.* Liceat mihi hac vice, aliis tantisper ſepoſitis, hoc unicum perpendere, **numquid Imaginatio ad ſanandum conferat.** Ita enim ſpero, me non male operam collocaturum, ſi de hac materia omnino jucunda **Diſſertationis hujus inauguralis** argumentum petam. Faxit CLEMENTISSIMUM NUMEN ut omnia ſuccedant proſpere.

§. 1.

ANte omnia videndum quid ſit imagitio cui ejusmodi vires tribuantur. Nimirum Imaginatio hoc loco eſt actus animæ, certam ideam ſeu imaginem fortiter impreſſam continuo meditantis. Ideo Græcis dicitur φαντασία, quod in ea repræſententur, & quaſi appareant rerum imagines, non aliter ac ſi oculis obverſarentur indeſinenter.

§. 2. Vulgo tanquam ſpecies ſenſus interni refertur ad animam ſenſitivam, quam cum brutis communem habemus: ſentimus enim

enim revera per imaginationem rerum etiam falsarum ita sæpe nos affici, non modo inter dormiendum, sed & vigilandum, ut inviti quoque ira exardescamus, aut in terrores incidamus, aliisve modis alteremur, ut, quanquam velimus dispellere hujusmodi apparitiones, vix ac ne vix quidem valeamus, qualemcunque adhibeamus industriam.

§. 3. Enimvero *Joh. Bapt. van Helmont. in Tumul. Pest. p. m. 819.* dum ostendere conatur, quomodo terror à peste fabricet ideam pestis, eousque digreditur, ut tam in animalibus quam in plantis, imo & in ipsis mineralibus suam cujusque imaginationem asserat. Ast confundit eo in loco ideas seminales congenitas cum aliunde illatis seu imaginibus phantasticis. Esse in seminibus fœcundis plantarum v. g. ideam totius arboris, fruticis, vel herbæ non diffitemur, at arborem fruticem vel herbam postmodum hinc natam gaudere phantasia, h. e. percipere ac meditari rerum imagines, seu ideas adventitias, negamus constanter; quoniam sensus internus locum non habet, ubi externi ad objectorum imagines excipiendas destinati desiderantur.

§. 4. De brutis ita sentiendum arbitror: esse illorum phantasiam quandoque operosam ad minimum dum utero gerunt, ostendunt satis fœtus monstrosi. Quis dubitet? gallinam intuitu cometæ, qui 1680. horridus aspectu cernebatur, motam signasse ovum tum temporis excusum Romæ, delineatum in *Zodiaco Medico Gall. Ann. III. obs. 8.* Nihilominus humanam phantasiam magis efficacem quam brutorum esse, inde arguo, quod qui periculum hinc imminens nescit, facilius dispellere impressam imaginem valet, quam qui damnum inde oriundum constanter metuit. Verbo in brutis citius transit phantasma, quod in homine diu permanet tanquam frequentius repetitum: Stylo *Fieni* imaginatio simplex saltem in bruta cadit, reflexa in hominem.

§. 5. Verba ejus ex *Quæst. XVI. pag. m. 303.* hæc sunt: *Imaginationem simplicem posse quidem signare, & sæpissime per simplicem imagina-*

tionem debuisse contingere signationes, priusquam mulieres haberent scientiam virtutis ejus, & priusquam inciperent sic reflecti super ea, & timere eam: tamen postquam jam experientia didicerunt eam signare: inceperunt suam imaginationem metuere, & metu illo causato per reflexionem signant magis, & dico posse eas quidem signare per simplicem imaginationem, sed magis signare si accidat reflexio. Et hæc est ratio cur frequentius signent homines quam bruta: quia homines propter conjunctionem intellectus habent illam reflexionem, bruta vero propter defectum illius carent ea.

§. 6. Quanquam vero hæc aliena quodammodo videantur ab instituto meo, utpote qui non vires imaginationis in genere aut gravidarum in specie, sed potius in medendo efficaces pertractare constituí; ad rem tamen præsentem eatenus omnino faciunt, quatenus non obscure innuunt, robur phantasiæ suo modo intendi à mentis præsidio. Videlicet à mente ipsa observari attendi atque ponderari quas anima sensitiva concipit ideas indubium est; unde nec mirum cuiquam videri debet si *Epicurus & ipse Aristoteles notante Gassendo in Lib. X. Diogen. Laert. p. m. 73.* phantasiam tam menti quam sensui tribuat.

§. 7. Interim firmum est, primario in imaginatione occupatam esse animam sensitivam, secundario mentem. *Videamus igitur numquid ad sanitatem conservandam, vel restituendam valeat illa.* Et ita omnino sentiendum esse manifesta urget ratio. Si enim verum est, quod jam suppono tanquam verissimum, animam primum formare domicilium suum, seu corpus, illudque per omnem vitam conservare ac tueri; sequitur sane non minus in morbis producendis quam sanandis rationem habendam esse animæ.

§. 8. Quis nescit? infirmos ad omne morborum genus esse admodum proclives, imo & vires in corpore alioqui robusto quasi evanescere subito, quando animus defecerit in Syncope v. g. Ita imaginatio animam à suis deterrens muniis non modo ægritudines gignit varias, sed & mortem ipsam interdum accelerat, quoniam anima suorum laborum quasi pertæsa curam corporis negligit.

Vid.

Vid. Henr. ab Heer. obſ. med. 6. Kerckringii ſpicileg. anat. obſ. 41. & Ephem. Germ. Ann. 11. obſ. 187.

§. 9. E contrario ſi nulla ratione ſpiritus vitalis ſeu anima in vigore ſuo ſervari, aut ſi defecerit reſtitui priſtinum in ſtatum poteſt, neceſſe eſt maximum inde momentum accedere ad vitæ ſanitatisque integritatem. Quod enim cordialia & analeptica, potus vini generoſioris atque ſimilia naturaliter præſtant, augendo vires ac nutriendo largiter: id ſuo modo, idealiter nempe, præſtant alia, quæ vel ſecuritatem promittunt, aut certam ſpem ſalutis faciunt. Quemadmodum haud raro apud exercitum præſentia boni ducis, ad arma excitantis militem, victoriam prædamque paratam promittentis, plus valet quam longe major numerus auxiliarium copiarum.

§. 10. Ut cuncta quodammodo planiora evadant, lubet ſeorſim conſiderare quinque puncta: nempe (1) *Conditionem hominum, quos imaginatio juvat:* (2) *Affectus, in quibus prodeſſe ſolet:* (3) *Remedia phantaſtica, quorum ope imaginatio excitatur:* (4) *Vires imaginationis in præſervando &* (5) *Vires in medendo.*

§. 11. *Primum* quod concernit: Arbitror extra controverſiam quosdam homines præ cæteris pollere phantaſia. *Magnum quippe (ut Vogleri verbis utar) intercedit etiam phantaſiæ ratione inter homines diſcrimen. In aliis enim magis eſt expedita, & raro otiatur, in aliis contra plus feriatur, & quieſcit, nec æque cito movetur. Quod vel à dormientibus licet discere, quorum nonnulli tantum non ſemper inſomniis iisque vanis afficiuntur, aliis ex adverſo vel parum vel nihil ejus modi patientibus.* Qui conſtantis atque immoti ſunt animi, illos hic loci non attendimus; quippe qui ſicuti vix alterantur, quicquid etiam obvenerit boni malive; ita nec ullam ex imaginatione capiunt utilitatem, quod nullam remediis phantaſticis fidem habeant.

§. 12. Verum pueri præ cæteris ad ſuſtinendas imaginationis vires diſpoſiti, non recens nati, quibus pleraque pene indifferentia ſunt: ſed paulo provectiores poſtquam non modo judicare de ob-

viis didicerunt, sed & meminisse præterita, ac metuere futura. Embryonum alia ratio est, quamdiu in utero hærent materno; etenim si quævires imaginationis sese in iis exerunt, non culpa propria, sed aliena patiuntur ob intimum cum matre commercium, ita Calvidius Letus in Callipædia lib. III. pag. m. 34.

Nec stupeas inclusum utero, matre ocius ipsa
Mutari facilem varia ad signacula fœtum.
Nimirum ut mollis qui pendet ab arbore fructus,
Grandinibus diris & sævi flatibus Euri
Obsistit levius, gravioraque damna capessit,
Quam qui lignoso durescit robore caudex:
Sic uteri appendix fœtus, liquentia membra
Sortitus, minimis etiam magis obvia noxis, &c.

§. 13. Alias sexum sequiorem, tanquam pluribus obnoxium calamitatibus atque periculis, infirmiorem ut plurimum, adeoque magis expositum injuriis, quas vel phantasia, vel animi pathemata inferre solent, nemo fortassis inficias ibit. Sunt nimirum fœminæ communiter timidiores quam Viri, quos natura cordatiores esse decet; atque ideo qui ab imaginatione frequentius patiuntur alio tempore vicissim servantur per eam.

§. 14. Requiritur autem credulitas in iis qui phantasiæ fructibus frui optant: sed implicat ea simplicitatem quandam, seu infirmitatem judicii. Equidem vulgus imperitum non difficulter patitur omnia sibi persuaderi à Cingaris, fortunam propitiam & amorem omnium eum radice ignobili spondentibus; quis vero si tantisper sapit pollicitationibus vanis credat ejusmodi hominum, qui ipsi nil minus quam felices sunt, exosi undique terrarum.

§. 15. Nil aliud agunt, qui remediis phantasticis confidunt, suamq; vitam ac sanitatem horum ope servare amant quanquam fortasse meliori cum successu. Fieri namque potest, ut res in se prorsus inutilis nihilominus conducat plurimum imo ad miraculum usque, tantum ideo quod habeatur pro efficaci admodum, atque ita imaginatio id præstat, quod nunquam valeret remedium sua natura penitus in firmum.

§. 16.

§. 16. *Secundo* si morbos consideremus *in quibus aliquando profuisse imaginationem compertum est*, apparet satis in morbis spirituum eam præcipue locum habere: imo vero in morbis humorum atq; solidarum si vel maxime conducat, non alia tamen ratione id fieri, quam quod principium vitale seu animam afficiat, eamque admoneat sui officii. *Directe igitur atq; primario corrigit imaginatio vitia spiritum, secundario & consequenter reliqui corporis mentisque ipsius*, uti ex modo dicendis constabit.

§. 17. De gravidis res nota est, si Pica vexantur vel malacia, metusque sit ne abortum faciant, aut embryonem signent, impune illis permitti omnia etiam inepta maxime atque ita satisfaciendo desiderio matris, nihil mali accidere fœtui. Quod si vero, in mulieris utero gerentis faciem collumve mora cerasa vel fraga ceciderint, aut mus fortasse insilierit, membrum contactum statim abstergendum est manu; atque sic nævi ex imaginatione imminentes fœtui, tolluntur remedio satis phantastico. Conferatur *Lemnius de occul. natur. mirac. lib. 1. c. 4. & Kircher. Arsi. Mag. Luc. & umbr. lib. X. Part. II. cap. 2. p. 804.*

§. 18. Similiter hypochondriacos, lienosos & in genere proclives in melancholiam imaginatione plurimum tentari, quis nescit? ast ubi nil valent optima medicamenta, sæpissime consilia phantastica eosdem ægros restituunt. Qui se cornua gestare putabat, liberatus ab insania fuit, postquam capiti ejus alligata cervi cornua serra resecarentur. Mulier, quæ se devorasse serpentem arbitrabatur, sanata est, postquam invenerit anguem mortuum in iis, quæ post vomitorii usum rejecerat, clam scilicet injectum nesciens. Alia se incantatam putans sumto purgante, cum forte clavos, plumas acusque deprehenderet fecibus alvi admixta, nempe de industria, ut fallant ægram, ingesta, ilico melius habuit. *Plura vid. Donat. Hist. Med. Mir. lib. II. cap. I.*

§. 19. Febres intermittentes interdum nasci ab impressione phantastica, sed frequentius continuari, ut quanquam corpus exi-

ſtat ſatis ſanum, horis tamen conſuetis paroxysmus redeat, quaſi neceſſitate quadam tolerandus; id quidem quotidianæ teſtantur obſervationes. Ecquid vero vulgatius eſt, quam febres hujusmodi per amuleta vel transplantationem ſimiliter tolli? Narrat *Th. Bartholinus in Eph. Germ. Ann.* II. *obſ.* 165. mulierem quandam Hafnienſem, cum diu quartana laboraſſet, conſilium cepiſſe de febre, in ſaxum quoddam, medio inter Hafniam & Congium itinere eminens, transferendi. Scriptis igitur literis officioſis, incluſo vinculo coccineo, favoris indicio, mittit hominem, qui ſalute præmiſſa ſaxum rogaret, ut febrem ad ſe reciperet. Servus mandata exequitur, vinculoque eleganti ſaxum exornat, & literis prælectis discedit; unde ſtatim ægra melius habere cœpit, à febre immunis. Alia Nobilis Matronæ febri citantis ancilla vel joco vel ſerio ſe offert redempturam febrem duobus ſolidis & ecce ſtatim febricitare cœpit ſalva Domina.

§. 20. Quomodo febres malignæ ac peſtis ipſa per fortem imaginationem, ac metum lethalis contagii, ubi etiam nullum exiſtit, in plures graſſentur, hiſtoriæ non raræ apud autores docent abunde. Quæ vero remedia non decantantur undique tam pro ſcopo præſervandi quam curandi, phantaſtica prorſus, i. e. ſaltem ei ſalutaria, qui his confiſus omnimodam ſecuritatem aut ſanitatem ſibi pollicetur. Unicum ſufficiat allegaſſe Zenexton è bufonibus, quod ad imitationem Buttleri *ab Helmontio* paratum, tanquam excellentiſſimum remedium laudatur, ſeu geſtetur ad mammam ſiniſtram ut arceat contagium, ſeu loco infecto alligetur, ut ſtatim vires extrahat. Attamen minus fidele idem jamjam *in diſſertat. de Lipſ. Peſte. pag. 60.* demonſtratum eſt, quod conſtet, Helmontii ancillam peſte correptam, & filios eadem ſublatos fuiſſe.

§. 21. Cumque inter cæteros animi affectus terror potiſſimum varia producat morborum genera, epilepſiam, eryſipelas, abortum in prægnantibus &c. non male agunt qui pronum ad ejus-

ejusmodi ægritudines amuletis muniunt. Quamvis enim impedire non valent, quo minus data occasione sufficienti quis cohorrescat; id tamen efficiunt, ut quidā modo securior terrorē vel contemnat vel deponat facilius. Hac occasione non possū non quin addam hic casum unum & alterū satis notatu dignū & nuperrime mihi communicatum à CLARISS. atq; EXPERIENTISS. Dn. Professore DR. DECKERO, Facult. Med. h. t. Decano, Patrono meo atque Præceptore nunquam satis æstimando: Ante duos circiter menses virgo quædam, puero à variolis jamjam libero assidens, ita contremuit, ut domum reversa, variolis laborare vel brevi laboraturam dixerit, imo intra viginti horas easdem graviores pluresq; non modo passa fuit, sed illum puerum continuo adhuc veluti videre, toto variolarum corpore arbitrabatur. Alter casus non minus curiosus est. Mulier quadraginta quatuor pene nata annos, duobus abhinc annis, præ infantis motibus manuum convulsivis epilepticis tanto afficiebatur horrore, ut intra paucas horas motu digitorum utriusque manus convulsivo non absque dolore fuerit correpta, & ab illo tempore sæpius imo indies recidivam cum levi angina & cephalalgia afficitur, quæ mox quidem evanescunt sed eodem ipso momento, digitorum omnium motus convulsivos observat.

§. 22. Videamus autem *tertio remedia, quorum ope Imaginationis Vires augeri solent ac fortificari.* Sunt ea vel *interna* vel *externa*. *Interna*, quæ assumuntur per os, referri possunt partim ad alimenta, partim ad medicamenta. *Externa* cum corpore humano vel communicant vel existunt prorsus aliena, ut ne quidem illud attingant. De singulis seorsim, sed breviter.

§. 23. *Docet experientia multos in febribus habentes summum cibi alicujus desiderium & fortissimam imaginationem, quod talis cibus esset eos sanaturus, concedendo cum sæpissime fuisse sanatos, etiamsi ipsi cibi secundum regulas medicinæ illi morbo noxii & contrarii haberentur. Sic multi aquam crudam ingurgitando, comedendo haleces ad satietatem, aquam*

quam vitæ bibendo; quæ omniæ in febribus à medicis vetantur; subito sanitatem recuperaverunt, quam acceptis aliis plurimis remediis recuperare non potuerunt. Quod cum non fiat virtute naturali ipsorum ciborum, reliquum est, ut non fiat nisi virtute firmæ ægrorum confidentiæ & intensæ imaginationis. Hæc Fienus Quæst. XI. pag. 192.

§. 24. Negant Medici arcana sua prodesse si sciantur; sicuti magi plus virium tribuunt ignotis characteribus quam notis. Ita Panacea cum nesciretur quid esset, multos juvat: cum cognitum esset, omnis ejus gloria evanuit, monente *Cammerario in Sylleg. Memorabil. Cent. VIII. 47.* Hæreo an non tincturæ auri, liquores perlarum, & in genere pretiosa interdum apud plebejos mira præstent, saltem ideo, quod præsumantur efficaciſſima quæ cariora.

§. 25. Veniebat Hypochondriacus quidam *ad Dn. Paulinum* omnibusque modis petebat pilulas Francofurtenses, sed genuinas. Medicus eas fideliter se confecturum promittit, & ut vires imaginationis experiretur, format è mica panis cum Saliva pilulas 18. Has in auratas in aurora omnes devorat æger, & paulo post vomit egregie deponitque alvum quinquies cum euphoria, ita ut circa vesperam rediret lætus sanusque, ac pilulas super astra extollens. *Vid. Ephem. Germ. Ann. II. obs. 238.* Magis mirandum est quod narrat *Joh. Faber in Not. Histor. Mexican. p. 497.* Medicum quendam Neapolitanum, nomine Joh. Baptistam Portam, sollicitatum aliquando, ut remedium parturienti Principi præscriberet, formulæ in qua aqua Capill. Vener. scripta erat, pulverem & quisquilias involvisse, ne à vento deportaretur: hæc vero cum fœmina pro remedio assumsisset avide, filium animose ac feliciter enixa est. Et *Solanander Sect. V. Consil. 15. §. 17. item Joh. Helvvig. in obs. Med. 86. & Schroeckius in adjecto Scholio* refert, se observasse, quasdam chartulas in quibus medicamentorum formulæ (receptæ dictæ) conscriptæ fuerant, devorasse atque sic sanitati restitutas fuisse.

§. 26. Inter *externa* phantasiæ subsidia eminent amuleta, quorum myriades collegit in peculiari tract. *Jul. Reicheltus, & post eum*

tum Jac. Wolfius in Scrutin. Amulet. Med. Distinguit ea *Joh. Conrad. Dieterici in Jatreo Hipp. pag. 977.* in naturalia & mere artificialia. Quæ naturalia sunt, si vires habeant insitas, uti ex. gr. Crocus in melancholia fuganda, vel Castoreum in passione Hysterica, huc non spectant; sed præsupponuntur hic loci talia, quorum virtus ab imaginatione potius dependet. Si ergo naturalia, lapides v. g. radices aut animalium partes facultatem medicam haud possident, erunt ejusdem farinæ cum mere artificialibus, characteribus, verbis sigillisque scilicet eum in finem inventa, ut animositatem persuadeant, fidem nempe, spem, aut aliqualem confidentiam, juxta *Helmont. Tumul. Pest. pag. m. 880.*

§. 27. Non dissimiles sunt morborum transplantationes, cæteræque curæ magneticæ ac sympatheticæ, ut appellantur; de quibus videri possunt *Th. Bartholin. Hermann. Grube, Guillielm. Maxuellus, Joh. Andr. Tentzelius, aliique plures in Theatro Sympathet. collecti.* Aut enim ungues resectos recondunt in salicem similemve arborem facto per terebram foramine, iterum per cuneum claudendo: aut alligant gammaris vel piscibus, quas postmodum in flumen rursus dimittunt. Quidam lotium ægri aut sanguinem ovi testæ inclusum infumo suspendunt, aut in fimum defodiunt, usque dum desiccetur, aut putrescat. Alii affricant e. g. radicem bryoniæ loco dolenti, radicem telephii herniis &c. terræque committunt, ut denuo crescat; & si quæ sint similia. *Vid. Ephem. Germ. Ann. III. obs. 89. Dec. II. Ann. IX, obs. 33. Ann. X, obs. 13. & alios passim.*

§. 28. Quanquam vero me haud fugit dari etiam inter politores, qui ejusmodi curas, aniles revera & plusquam phantasticas ac superstitiosas omnibus modis probant; nihilominus tamen si eas paulo penitius examinare velimus, videntur profecto sapere magiam; quæ à plurimis licita æstimatur ideo, quod neminem lædat, sed potius auxilium præstet ab ægris unice desideratum. Aliter sentiendum optime monet *Joh. Birsfeld. in Dissertat. de superstitione*, quæ legi omnino meretur.

§. 29. Tempus est ut *quarto* examinemus *Vires Imaginationis, & speciatim quidem quales revera ipsi competant in præservando corpore.* Adhibentur autem hanc in gratiam Amuleta potissimum, quæ ut *Galeno ἄλογα dicantur 2. de Med. Loc. & L. 6. de S. Fac. in Proem,* meum tamen erit ostendere, sano sensu non penitus inania illa existere, sed cum ratione adhiberi posse, si certæ circumstantiæ illa postulent.

§. 30. Superius dixi esse quosdam homines natura timidiores præ cæteris; si ergo tales fortassis de Peste grassante, de infectionis virulentia, & periculo contagii ex conversatione cum ægris audiant, quis dubitet eos jamjam contremiscere cordisque palpitationes sentire, quamvis nil vere occurrat, quod merito metuant, si quid igitur ad suscipiendum contagium valet illa meticulositas, optime agit, qui hujusmodi hominibus ad timorem depellendum & animositatem conciliandam media subministrat sufficientia.

§. 31. Talia vero existere in rerum natura, excogitata quondam à sagacioribus credunt simpliciores. Qui proinde non vulgaria & ubivis obvia, sed rariora his commendat, aut sub certis conditionibus atque circumstantiis colligenda, vel applicanda habet jam in promptu, quibus desiderio miserorum satisfacere, i. e. animum præstare securum potest. Exempli loco sit frustum succini lucidum ad septem pulsus principales seu planetarios affrictum, nempe ad tempora, carpos manuum, malleolos pedum & mammam sinistram, quod ut *Helmontii verbis utar, mutata familia nomen prius amittit & ξενεκτον appellatur,* tanquam certissimum contra pestem amuletum, alioqui plane inefficax, si pulsuum confrictio non præcesserit. Id Guardiolæ Chirurgi Hispani, qui Xenodochii infectorum in obsidione Ostendana præfectus erat, unicum per tres annos præsidium fuit. *Vid. Tumul. Peſtis pag. 887. & Magn. Vuln. Cur. pag. 601.*

§. 32. Quorsum ambages hæ, inquis? Scilicet posset cuidam in mentem venire cor fortasse tutum esse à contagio, si de collo suspen-

ſpendatur ejusmodi periaptum veneno fortiter reſiſtens; quid ſi vero caput interim, manus aut pes inficiantur? Itaque hunc in finem omnes extremitates tanguntur ſuccino, ut totum corpus ſervetur incolume: Vel potius ut homo fortiter ac conſtanter credat, ſe nullibi occaſionem relinquere irruenti contagio.

§. 33. Affirmat idem *Helmont* trochiſcos de bufonibus fuiſſe validiores ac promptiores, ſi aliquoties in uſum fuiſſent vocati, recentiores non æque. Quæ ratio? Nimirum dubitare quis de hoc amuleti genere poſſet, an recte præparatum ſit, an bufo ſatis magnus fuerit, an menſe Junio, an poſt meridiem, captus, an lege artis ſuspenſus &c. quid ſi omnes circumſtantiæ non ſatis obſervatæ ſint? Tale quid non metuit qui remedium jam ſæpius expertum adipiſcitur; adeoque magis ſecurus eſt, quod ſe poſſidere certum credat præſervativum.

§. 34. Qui contra terrorem appendi ſolent lapilli, Germanis Schreckſteingen/ varii ſunt generis. Recipiunt promiscue fragmenta elegantiora corallii rubri, lazuli, malachitis, jaspidis, achatis, ophitis, aſtroitis &c. Uſum iſtorum ſatis frequentem apud pueros & prægnantes reperire licet. Impoſſibile autem eſt, ut hominem prorſus imperterritum reddat, ſi ſeſe occaſio obtulerit: non ſunt tamen contemnendi penitus. Nam & qui eos geſtant, perſuaſi ſunt, terrorem nocere minus poſſe; atque ideo ſi quid obvenerit, non facile terrentur, aut ſi quando expaveſcunt, diſſipare illico terrorem ſolent intuitu hujus egregii remedii. Ad minimum pueri, dum elegantiam colorum macularum ſtellarumque in periaptis mirantur, tanquam non ubivis obvia, hoc ipſo interim oblivisciuntur ejus, quod formidine tenerum percuſſerat animum.

§. 35. Nec enim damnum inſigne infert ſi & fortis ſit & conſtans. Utrique intentioni quodammodo ſatis faciunt amuleta. Qui tutum ſe à periculo credit, vix ac ne vix quidem perterretur vehementius: ſi vero metus aut terror aliquis ingruat, alteratio ſaltem eſt momentanea, quoniam fiducia in periapta non difficul-

ter extinguit metum imminentis mali, abortus epilepsiæ, atque sic porro.

§. 36. Reliquum est ut etiam declarem *ultimo loco, quid imaginatio valeat in ipsa morborum jam actu præsentium cura.* Sunt autem duo præcipue capita in hoc statu considerandа, scilicet fiducia vel in remedium, vel in medicum ipsum. Possunt autem hæc duo & seorsim sufficere ad sanitatis restitutionem, & multo magis ægrum juvare, si forte concurrant. Videamus singula distincte, sed breviter.

§. 37. Si quis ægrorum magnopere confidat remedio, duplicem hinc sperare poterit utilitatem, videlicet si mediocrium sit virium, augebuntur illæ: Si nullarum, conciliabit ipsa imaginatio vires. Purgantur nonnulli solo aspectu medicamenti, pilularum v. g. quales historias recenset *Nicolaus Florentinus Sec. 3. Tract. 1. Sum. l. c. 11. item Olaus Borrichius Act. Hafn. Vol. V. obs. 49. pag. 136.* Virum novi in patria, qui à vomitu se cohibere nequit, quotiescunque radices betæ rubræ (rothe Rüben) nominantur. Id ipsum vero phantasiæ unicum esse opus, quis dubitet? Movetur nimirum nausea & irritatur natura idealiter æque ac materialiter; atque adeo idem nonnunquam valet conceptus quam res ipsa.

§. 38. Hoc si applicemus ad medicamenta licebit eodem jure de iis concludere, quæ prorsus contranitentibus ægris propinantur, etsi fuerint optima, nullius esse usus: vicissim quæ cum desiderio & firma confidentia sumuntur, quamvis etiam inania sint atque invalida, miraculi instar tamen fugare morbos. Pretiosa profecto si nullam prærogativam haberent præ aliis medicamentis vulgaribus, hanc tamen iis dubiam reddere nolim, quod ad ea pauperes tanquam ad sacram anchoram confugiunt in extremis necessitatibus non sine successu.

§. 39. Quoties vidimus panaceas famosiores febrifuga secreta, etsi quæ alia fuerunt arcana majora, deseruisse suos inventores vel possessores, utpote sibi conscios quæ nihilominus innume-

ris

ris aliis ſpe firma fretis e[illegible]nie proſunt. Memini Lipſiæ fuiſſe molitorem, qui febres intermittentes promiscue ſchedula quadam appenſa tollebat, in qua patientis nomen in baptismate acceptum lævi artificio conſcribebatur linea prima integrum, in ſequentibus priorem literam ſemper abjiciendo e. g.

JOHANNES
OHANNES
HANNES
ANNES
NNES
NES
ES
S:

Complicatam hanc ſchedulam, ne legi poſſet cuſtodiebat ſancte trajecto filo ſericeo, cujus ope de collo pendebat, donec deſineret febris; tum vero in flumen ſtatim projicere imperabat, ne ſcilicet arcanum aliquando propalaretur. Hoc pacto vix numerandi reſtituebantur: cum vero ipſe aliquando febricitaret, Medici opem implorabat, faſſus ſe hujusmodi vanitati nullam fidem habere atque ideo nec tentare id in ſe ipſo velle, quod magis credulis vel centies profuerat.

§. 40. Confidentiam ægri de Medico plus valere ad ſalutem recuperandam, quam omnia Medici inſtrumenta, affirmat *Avicenna 4. Natur. 6. Et Galenus 1. Progr.* Scribit id in ſe ipſo expertum, ac propterea illum Medicum eo feliciorem in curandis morbis futurum, quo melius poterit perſuadere. Duplici autem pacto proficuam eſſe illam fiduciam, docet *Fienus Quæſt. XI. p. 197.* nempe quatenus in animo ægrotantis lætitiam excitat, quæ naturam languentem iterum excitat: Secundo, quia ægrum præceptis medici obedientem præſtat; cum è contrario ſi æger de ſalute ſua deſperet, nec medicamenta ſumere, nec cæteris diætæ regulis parere velit, cum manifeſto vitæ atque ſalutis periculo id fiat ſæpiſſime.

ter extinguit metum imminentis mali, abortus epilepsiæ, atque sic porro.

§. 36. Reliquum est ut etiam declarem *ultimo loco, quid imaginatio valeat in ipsa morborum jam actu præsentium cura.* Sunt autem duo præcipue capita in hoc statu considerandа, scilicet fiducia vel in remedium, vel in medicum ipsum. Possunt autem hæc duo & seorsim sufficere ad sanitatis restitutionem, & multo magis ægrum juvare, si forte concurrant. Videamus singula distincte, sed breviter.

§. 37. Si quis ægrorum magnopere confidat remedio, duplicem hinc sperare poterit utilitatem, videlicet si mediocrium sit virium, augebuntur illæ: Si nullarum, conciliabit ipsa imaginatio vires. Purgantur nonnulli solo aspectu medicamenti, pilularum v. g. quales historias recenset *Nicolaus Florentinus Sec. 3. Tract. 1. Sum. l. c. 11. item Olaus Borrichius Act. Hafn. Vol. V. obs. 49. pag. 136.* Virum novi in patria, qui à vomitu se cohibere nequit, quotiescunque radices betæ rubræ (rothe Rüben) nominantur. Id ipsum vero phantasiæ unicum esse opus, quis dubitet? Movetur nimirum nausea & irritatur natura idealiter æque ac materialiter; atque adeo idem nonnunquam valet conceptus quam res ipsa.

§. 38. Hoc si applicemus ad medicamenta licebit eodem jure de iis concludere, quæ prorsus contranitentibus ægris propinantur, etsi fuerint optima, nullius esse usus: viciſſim quæ cum desiderio & firma confidentia sumuntur, quamvis etiam inania sint atque invalida, miraculi instar tamen fugare morbos. Pretiosa profecto si nullam prærogativam haberent præ aliis medicamentis vulgaribus, hanc tamen iis dubiam reddere nolim, quod ad ea pauperes tanquam ad sacram anchoram confugiunt in extremis necessitatibus non sine successu.

§. 39. Quoties vidimus panaceas famosiores febrifuga secreta, etsi quæ alia fuerunt arcana majora, deseruisse suos inventores vel possessores, utpote sibi conscios quæ nihilominus innume-

ris

ris aliis ſpe firma fretis [illegible]nie proſunt. Memini Lipſiæ fuiſſe molitorem, qui febres intermittentes promiscue ſchedula quadam appenſa tollebat, in qua patientis nomen in baptismate acceptum lævi artificio conſcribebatur linea prima integrum, in ſequentibus priorem literam ſemper abjiciendo e. g.

JOHANNES
OHANNES
HANNES
ANNES
NNES
NES
ES
S:

Complicatam hanc ſchedulam, ne legi poſſet cuſtodiebat ſancte trajecto filo ſericeo, cujus ope de collo pendebat, donec deſineret febris; tum vero in flumen ſtatim projicere imperabat, ne ſcilicet arcanum aliquando propalaretur. Hoc pacto vix numerandi reſtituebantur: cum vero ipſe aliquando febricitaret, Medici opem implorabat, faſſus ſe hujusmodi vanitati nullam fidem habere atque ideo nec tentare id in ſe ipſo velle, quod magis credulis vel centies profuerat.

§. 40. Confidentiam ægri de Medico plus valere ad ſalutem recuperandam, quam omnia Medici inſtrumenta, affirmat *Avicenna 4. Natur. 6. Et Galenus 1. Progr.* Scribit id in ſe ipſo expertum, ac propterea illum Medicum eo feliciorem in curandis morbis futurum, quo melius poterit perſuadere. Duplici autem pacto proficuam eſſe illam fiduciam, docet *Fienus Quæſt. XI. p. 197.* nempe quatenus in animo ægrotantis lætitiam excitat, quæ naturam languentem iterum excitat: Secundo, quia ægrum præceptis medici obedientem præſtat; cum è contrario ſi æger de ſalute ſua deſperet, nec medicamenta ſumere, nec cæteris diætæ regulis parere velit, cum manifeſto vitæ atque ſalutis periculo id fiat ſæpiſſime.

§. 41. Igitur nec absre fuerit notante *Roderico à Castro in Med. Polit. lib. III. cap. 12.* Si Medicus se ipsum coram ægrotis prudenter ac modeste commendaverit, aliusque recensuerit, qui ejusdem opera liberati sunt à similibus morbis. Et quemadmodum inter omnes practicos infelicissimi sunt, qui de cunctis dubitant, & diffidentes arti suæ vix quicquam audent, aut ægris promittunt: ita cernimus ostentatores, atque aretalogos, & quoscunque idiotas, si modo famosi existunt, longe feliciores; non modo quod audaces aliquando fortuna juvet, sed quod etiam præconcepta de horum hominum felicitate in curandis morbis opinio meliora semper sperare jubeat.

§. 42. Nisi me omnia fallant, crediderim nec aliam esse rationem miraculose illius curæ, quam solo contactu seu manus impositione absolvunt Reges Galliæ Angliæ atque Hispaniæ. Videatur *Casp. à Rejes Camp. Elys. jucund. quæst. XXIV. p. 31. & seqq.* Sunt nimirum strumæ ex illo tumorum genere, qui more gangliorum à natura sæpius discutiuntur in totum. Quotusquisque vero est, qui non pie credat, regis reginæque manum plus posse quam plebeji? Si proinde alia non intervenerit causa, vel sola hæc fiducia naturam juvans sufficere poterit.

§. 43. Verum in determinandis Imaginationis viribus cautos nos esse oportet ne per fallaciam ei tribuamus, quod fortasse rectius alteri debetur causæ. Desino hic ne nauseam creem Lectori Benevolo, qui mihi potius exorandus est, ut hos qualescunque conatus meos æqui bonique consulat. DEO autem IMMORTALI gratias pro concessis viribus persolvo agoque debitas, venerorque idem SUPREMUM NUMEN supplici corde, ut præ esse porro studiis meis atque pro sua immensa bonitate iisdem benedicere velit ex alto.

DISPU-

DISPUTATIO X.

DE VISU.

C. D.

QUanquam Divinum Numen à prima mundi creatione homini præ cæteris creaturis prærogativam concesserit insignem, qua omne mineralium, vegetabilium & animalium genus superet; dolendum tamen post lapsum protoplastorum maximam partem ea nos iterum fuisse privatos, postquam deperdita imagine divina potiores animæ atque corporis dotes evanuerunt. Itaque nec dissimulandum est hanc jacturam à nobis, uti in reliquis, ita & in sensoriis deprehendi manifeste, atque ideo nos vinci à Lynce visu, à vulture odoratu, ab aliis gustu, tactu vel auditu. Nihilominus quem in sensitiva anima atque organico corpore defectum notamus, satis feliciter restituit mentis regimen, quippe cujus beneficio longe aliter ac bruta solent, de objectis externis judicamus. Non jam vacat examinare singula, saltem hac vice quod visum concernit, propositum est ejus naturam paulo penitius intueri: & quidem juxta ductum Physiologiæ, prout scilicet secundum naturam, & in statu sanitatis sese visus habet. Dabit autem L. B. veniam si non omnia à nobis proferenda ipsi ad palatum sint; neque enim quidi

ab-

ab aliis credi velimus, sed potius quid nobis videatur verosimilius, sumus allaturi, tanquam materiam exercitio disputatorio non indignam. DEUS annuat cœptis!

§. 1.

EQuidem certum est, visum sese ad omnia non extendere, & quæ immaterialia sunt oculis cerni non posse, uti sunt DEUS, Angeli, atque mens humana. Ad hæc, quæ subtilissima gaudent materia, itidem transcendere oculorum vires quis dubitat? cum brutorum anima & effluvia corporum subtiliora visum subterfugiant quotidie. Itaque corpora, quo magis crassa sunt, hoc felicius à nobis percipiuntur.

§. 2. Mirum autem est, quomodo & ea quæ manibus palpantur, atque materia gaudent satis crassa, nihilominus invisibilia esse queant, nempe quando in tenebris lumen omne deficiat. Hinc enim nata est nonnullorum opinio, qua defendunt objectum visus nihil esse aliud, quam unice lumen, quoniam sine hoc nil quicquam oculis unquam apprehendatur.

§. 3. Itaque ut constet, quid lumen ad visum conferat, monendum est, alia objecta conspici ut luminosa, alia ut illuminata; vel quod perinde est, lumen aut connatum est & irradicatum quibusdam subjectis, aut communicatum & translatum vel adventitium. Sol atque reliqua sidera (Luna hic aliquantisper sepositа, utpote cujus lumen non immerito à sole petunt,) luce gaudent omnino connata. Eodem modo igni culinari lumen connatum est, ac parum refert, sive sustentetur ligno, sive pice, sulphure, oleo, sevo similibusque flammam concipientibus.

§. 4. Emanantes autem ex his subjectis luminosis radii incidunt vel in objectum pellucidum, atque sic transmittuntur vix impediti, uti hoc tota die observamus in vitreis fenestrarum orbibus, vel incidunt in corpus opacum atque inde iterum reflectuntur.

Hujus

Hujus si superficies sit polita colorque non adeo notabilis, tum lumen minus alteratum inde reflectitur, quale quid notamus in radiis solaribus repercussis à speculo, vel quæ simili superficie exacta plana gaudet, atqua stagnante.

§. 5. Quemadmodum vero lumen per vitrum quoddam rubrum, viride, cœruleum aliove colore imbutum transiens, tincturam ruboris &c. secum rapit, ita, ut etiam eandem repræsentet eo in loco, ubi radii luminosi tandem terminantur; similiter & reflexi à subjectis coloratis, eandem coloris speciem secum portant, atque tum demum exactius repræsentant, quando sistuntur. Illustrat utrumque horum mechanica: monstrat enim laterna magica, quam vocant, quid radii valeant transeuntes per corpus pellucidum & coloratum; camera obscura vires radiorum reflexorum potius ostendit, & quomodo radii solares illuminantes obvia quævis colores atque ideas rerum secum reportent, aliisque in locis iterum repræsentent.

§. 6. Hinc vero colorum distinctio inter reales & apparentes oritur. Nimirum prout reliquæ qualitates & conditiones corporum, ita & colores nonnullis subjectis connati sunt, e. g. cretæ albedo, rubricæ rubor, gramini viriditas, aliis alius color, ut & ab his arte facta suos quoque colores mutuari possint. At vero qui cum radiis luminosis ab his subjectis reflectitur color, intentionalis est & saltim apparens.

§. 7. Non ignoramus à multis realitatem colorum etiam in subjectis vocari in dubium, dum juxta *Digbæum in tract. de nat. corp. c. 29.* existimant, colorem corporis nihil esse aliud, quam potentiam reflectendi lucem ad oculum, certo quodam modo, & in certa positione; h.e. esse superficiem cum asperitate sua vel lævitate, cum poris vel eminentiis, cum duritie vel mollitie &c. verum hallucinantur insigniter; falsum enim est, nigredinem esse dispositionem corporis mollissimi porisque laxissimis perforati, uti nemini obscurum esse potest, qui lignum ebenum exactissime politum omnino nigerrimum videt: contra, gossypium revera molle ac tale est,

quod ob defectum duritiei ac densitatis lumen reflectere à superficie nequit, candidissimum tamen sua natura observatur.

§. 8. Alii videant, quomodo sese expediant in definiendis diversorum colorum particulis. Nobis certe non explicare sed implicare videntur, qui rem cuivis obviam intempestiva subtilitate obscuriorem reddunt. Ecquis ignorat, quid acre vel amarum vel salsum, vel acidum aut adstringens sit, si linguæ judicio piper, absynthium & similia offerantur. Quid vero particulæ illæ teretes & aculeatæ, furcatæ, angulatæ, hamosæ sibi velint, nec ipsis earum patronis satis perspectum est. Eundem nodum in scripo quærunt, qui à particulis sic aliterve configuratis colorum discrimen deducere conantur. Itaque nobis insigniter arridet effatum B. Scherzeri *in nucl phil quæst. 182.* sensitiva melio sentiri quam definiri.

§. 9. Sufficit nobis colores rerum nonnullarum congenitos, lumini autem à Creatore collatam facultatem, qua ab ejusmodi objectis recipere colores ac repræsentare valeat Neque enim credendum est, à radiis luminosis fieri colores; illuminari & conspicuos reddi, nullus dubitat. Certe nemo sanæ mentis sapphiro, smaragdo, rubino, amethysto cæterisque gemmis suum denegabit colorem, quanquam in montium tenebris delitescant ab omni lumine remotissima. Quod enim tales sint, naturæ beneficium ipsis tribuit statim in generationis puncto; quod vero tales appareant & à nobis cognoscantur, lumini debemus non illubentes.

§. 10. Progredimur potius ad organi visorii examen, ut constet, quonam apparatu natura ad visum nos instruxerit. Si interiora primum spectemus, humores statim occurrunt tres, Aqueus, Crystallinus, & vitreus. Aqueus peculiari membranula non includitur, sed inter crystallinum & pupillam residet. Et quanquam *Riolanus* & *Verle* hunc humorem circumfluere quoque vitreum, adeoque universum oculum ambire statuant, testatur tamen autopsia, si cautius tractetur oculus, vitreum denudari posse absque profusione humoris aquei, atque hunc salvum servari circa oculi anteriora,

riora, quousq; uvea qua parte sclerotidi & humoris crystallini margini adnascitur læsa fuerit. Si quid ergo effluit, dissectis in parte posteriore tunicis, ad humorem vitreum potius, quam aqueum referendum erit.

§. 11. Elegantior est crystallinus, qui sub forma lenticulari tenuissima includitur membranula, quam araneam vocant; illius pars anterior quæ pupillæ objicitur quodammodo depressa, pars posterior magis convexa observatur. Et quanquam substantia humoris crystallini sic satis firma & integra appareat, præsertim in adultis, curiosum tamen est, eundem non raro in partes varias sua sponte dehiscere, videlicet, si tunica illa crystallina detracta fuerit subtili manu; tum enim eleganter trifidus ut plurimum juxta Fig. 1. nonnunquam quadrifidus deprehenditur, rarissime bifidus, observante *Drelincurtio in prælud. anat.* Inter cæteros autem, quos examinavimus, maxime curiosus erat crystallinus humor ex cervi oculo, quippe cujus exteriora trifolium quasi repræsentabant, in cujus medio globulus residebat, prout in adjecta figura 2. videre est.

§. 12. Sicuti vero aqueus anteriorem, crystallinus medium, ita vitreus posteriorem locum simul & latera occupat oculi; sphæricus enim est à tergo, atque hac figura excurrit usque dum circa anteriora concavus in sinu suo excipiat crystallinum. Communiter ei adscribitur tunica peculiaris vitrea, fatemur tamen eandem nobis nondum satis perspectam, quantumvis sæpius in eam inquisiverimus; quicquid enim membranæ simile atque ex tenuibus filamentis conflatum deprehendebatur, superficiem vitrei non exacte claudit, sed & interiorem ejus substantiam pervagatur ita, ut separatam felicius in figuris æneis à chalcographo, quam ab anatomico cernere liceat.

§. 13. Includuntur autem humores triplici tunica; retina immediate ambit vitreum, desinitque circa pupillam: supra hanc extenditur uvea, seu choroides, quæ circa marginem humoris crystallini adnata firmius, iridem oculi constituit, atque tunc supra crystalli-

stallinum pergens, in medio perforata pupillæ foramen efformat. Sclirotica denique includit omnia, atque ne impediat radiorum visivorum ingressum, pellucida est circa anteriora, ubi cornea audit, & juxta humoris crystallini figuram in minorem elevata sphæram, ut eo facilius plures excipiat radios. His annumerant adnatam seu album oculi, quo ipso cum palpebris unitur oculus, ut in sua situ felicius servetur.

§. 14. Hæc sunt quæ bulbum oculi constituunt; attamen nec reliquas partes præterire licet; musculos ad motum oculi factos sex numeramus, quatuor rectos, attollentem, deprimentem, adducentem, abducentem, obliquos item binos, nempe superiorem & inferiorem; qui his inseruntur nervi, partim motorii, partim pathetici, partim timidi oculorum dicuntur, juxta *Willisii* computum, par tertium quartum & sextum eorum, qui intra cranium exoriuntur. Par secundum autem opticum est, quod inter medios musculos oculi bulbo inseritur, nec ut reliqui ad motum, sed potius sensum visus facit.

§. 15. Vasa præter nervos jam recensitos ad oculum abeunt sanguifera, arteriæ scilicet è carotidibus, venæ è jugularibus. His nuperrime *Anthonius Nuck* annumerat lymphatica à se inventa, quæ cum nervo optico prodeuntes, & circa hujus ingressum assurgentes, facta ramificatione, irradicantur in ipsum oculi bulbum. Vid. *ejusd. autoris tract. de ductu salivali novo, saliva, ductibus aquosis & humore aqueo oculorum*, hoc ipso anno editum *Lugd. Batav.*

§. 16. Restant externa illa, quæ vel ad defensionem oculi, vel motum commodiorem natura ordinavit. Huic scopo inserviunt glandulæ lachrymales, & major, quæ supra canthum externum oculi conspicitur, & minor, quam in cantho interno deprehendimus, quæ in hoc conspirant, ut effusa per vias à *Stenone* monstratas lympha humectent oculos ad feliciorem circumgyrationem; cum quibus etiam faciunt minimæ illæ palpebrarum glandulæ, quarum vasa in *Epist. ad Langellott.* delineavit *Henric. Meibom.* Ad defensionem

nem autem natæ videntur palpebræ cum ciliis & supercilliis, utpote quæ accessum variarum rerum nocivarum quodammodo arcent; quod si vero quid forte in oculos inciderit, aut ipsa affusa lachrymarum copia oculo molesta sit, excipiatur via ad nares patula, per puncta lachrymalia, ut per hunc narium ductum emungatur.

§. 17. Adeo artificioso natura hominem instruxit organo ad ea dijudicanda, quæ ipsi obviam veniunt. Igitur cum oculus maxime sit dissimilaris, hinc oboritur non levis disceptatio inter autores, quænam inter partes oculum constituentes primaria sit, & quo in loco simulacra rerum visarum figantur. Nobis videtur missis aliis opinionibus, duo imprimis notatu digniora, nempe pelluciditas à parte ante, & opacitas à tergo. Imitatur enim in hoc naturam fabrica speculi, cujus vitrum transmitteret p › more pellucidorum lumen omne atque incidentes imagines, nisi in parte postica applicetur, quod sua opacitate renititur.

§. 18. Ridebis, artificiosam oculi structuram nos comparare speculo; scias autem nos multo magis ridere eos, qui nescio quas refractiones radiorum in oculo sibi concipiunt, nulla urgente necessitate. Certe si varia examinamus animantium genera, deprehendimus ea nihilo infirmiora visu, quanquam oculi adeo non conveniant cum humanis. Nihil interest, utrum humor Crystallinus minus aut magis convexus sit ut in lepore, aut plane Sphæricus, uti in piscibus avibusque: item, an proportio adsit inter crystallinum & vitreum, ejusque figura humano similis, siquidem diversitas insignis & in jamjam nominatis subjectis manifesta est. Ut taceam aqueum humorem duplicem una cum cornea duplici deprehendi in anguilla: præterquam enim quod oculus instar reliquorum piscium perfecte formatus sit, adest adhuc tunica quædam perspicua, quæ cum cute continua oculum ex toto præcludit. Unde omnino argumentari licet, diversitatē & numerum humorum præcise ad visum non requiri, sed potius, quæ pellucida sunt, non aliter esse consideranda, ac si unum quod sit, quemadmodum alias vide-

videmus, duo vitra exacte polita idem agere, cum componantur, quam simplex, uti id facile tentare licet duobus plano convexis à parte plana sibi invicem impositis.

§. 19. Nemo tamen credat ideo, à nobis pro inutilibus haberi & supervacaneis, quæ præcise ad visum non requiruntur; nam ex hoc ipso liberalitatem potius creatoris agnoscimus, quam ut cogitemus de prodigalitate, quod absit! Anne putas nos esse deterioris conditionis ideo, quod natura asellis variisque insectis plures concesserit pedes, & bovi aliisque quadruplicem ventriculum? Imo vero hoc magis eluceſcit omnipotentia divina, quo major varietas in creaturis occurrit. Itaque structura corporum nullis adstringitur regulis, neque hunc illumve in usum pars aliqua fabrefacta est, ac si aliter esse nequeat, sed potius, quia DEO ita placuit.

§. 20. Quandocunque igitur oculorum consideramus fabricam, arbitramur humores in universum ideo natos, ut species visibiles transmittant pelluciditate, uveam tunicam, ut easdem figat sua opacitate, sclirotidem, ut sua duritie humores complectatur ac defendat, retinam, ut colorum uveæ commixtionem cum humoribus præcaveat, ac tandem excipiat ideas per pupillam advenientes. Et quemadmodum sclirotis à parte anteriore cornea & pellucida est, ad transmittendos radios visorios, ita uvea circa pupillam perforata est eadem de causa & mobilis, ut dilatari promte & coarctari, juxta exigentiam rei valeat; itaque & humor aqueus pupillæ affunditur, ut humectando corneam simul & pupillam, motum hujus reddat expeditiorem.

§. 21. Quod si igitur porro modus visionis explicari debet, ante omnia à præjudiciis liberandus est animus. Nimirum jam à cunctis pro concesso habetur, radios specierum visibilium coire in oculi puncto, sive id statuatur in pupilla sive in humore crystallino, sive in centro oculi; atque coëuntes hic radii creduntur sese mutuo intersecare ita, ut duplex emergat conus, alius quidem externus,

cujus

cujus basis objecto videndo innititur, apex in pupilla concipitur: huic alter internus opponitur conus, cujus basis in retina figitur. Itaque nec aliter fieri potest ex eorum mente, quin superiora depingantur in oculi parte inferiore, quæ inferiora sunt, in oculi parte superna, quæ in dextro habentur latere, figantur in sinistro, quæ in sinistro, è contra in dextro. Hoc ut probent, adducunt imprimis cameræ obscuræ similitudinem, & quod adhuc magis plausibile est, recipiunt oculum, remotisque musculis, pinguedine, aliisque impedimentis, opponunt pupillæ accensam candelam, unde flamma in sclirotide inversa apparet, ac multo clarius si hæc ipsa cum uvea atque retina resecetur, humorque vitreus denudetur, vel juxta *Cartheſium Dioptr. cap. 5.* loco lentis vitreæ foramini cameræ obscuræ applicetur.

§. 22. Enimvero res nondum decisa est, siquidem primo, quam sibi concipiunt radiorum in uno puncto collectionē quod attinet, notandum luminis quidem radios, sive sint pure tales, sive colorati, interdum quidem conum referre exacte talem, si scilicet in uno puncto colligantur; at vero ubique id necessum non est, siquidem planum, convexum, concavum, polyedrum & cujuscunque figuræ sive regularis sive irregularis sit corpus pellucidum aut speculare, semper tamen tot recipit radios, quot potest. Si enim verum est, uti revera est, à quovis puncto objecti radios quaquaversum dispergi, quod actinobolismum vocant, sequitur inter eos alios quidem esse parallelos, alios uniri in conos varios propiores & remotiores, alios à se invicem recedere plus minusve, præsertim si in distantiam remotiorem diffundantur.

§. 23. Atqui pupilla oculi adeo exigua non est, ut punctum tale, quod credunt, cono visorio constituat: nec semper ejusdem amplitudinis, unde incertum foret punctum: nec semper regularis, nam & feles, quorum pupilla longitudinalis est ita, ut ab utroq; oculi cantho conniveat, & boves, quorum pupilla per transversum elongata est, tale punctum non monstrant absque visus detrimento.

to. Dein convexitas corneæ ita à natura fabrefacta est, ut plures simul & anteriores, & laterales excipiat radios; itaque mente quidem concipi potest punctum quoddam, ad quod radii omnes incidentes tendant, id ipsum tamen non attingunt, quod sic demonstrabo: certe in superficie ultimum illud punctum non existit, nam & in ipsa cornea ideæ rerum externarum depinguntur, quod tamen in ejusmodi puncto fieri non posset; quemadmodum enim in fig. 3. lens vitrea A. non colligit radios intra se, sed in puncto ustionis B. seu centro circuli, juxta quem confecta est: nihil invertit, nisi postquam à puncto ustionis à se invicem iterum recedunt radii C. uno verbo; radios non alterat intra se, sed quando eandem penetrarunt, ita & oculus intra se nec radios concentrat, nec invertit, nec alterat ulla ratione.

§. 24. Ne mireris, nos similitudinem lentis adducere, cum tamen oculus ex toto si spectetur sphæricus sit magis, quam lenticularis; utimur scilicet eodem jure, quo alii in camera obscura cum oculo comparata lentem recipiunt similem. Ne vero credas figuram sphæricam nobis esse minus faventem, en ea, quæ hac ipsa tentavimus. Nimirum convenit plane cum lente in hoc, quod oculo applicata rem in situ suo erectam monstret: si in certa distantia detineatur inter oculum & objectum externum, inversa monstrat omnia: proxime admota rei videndæ iterum erecta sistit.

§. 25. Nobis autem hoc unicum sufficit, quod intra lentem aut sphæram radii non concentrentur, nec sese intersecando species visibiles invertant, ita, ut frustra utrumque horum ab oculo etiam expectetur. Dicis: contrarium observari in ipso oculo, utpote in cujus parte postica sclerotidis, flamma accensæ candelæ, quam pupillæ opponimus, manifeste inversa sistitur. Respondeo; sistitur vere, nempe in certa ab oculo distantia; hanc si non observes lumen apparet confusum, si proxime oculo applices erecta iterum sunt omnia, eadem ratione uti in lente aut sphæra vitrea.

§. 26. Equidem jamjam intelligimus, duplicem in pila vitrea

te

te cernere ideam, si oculo opponatur ea facie, qua lumen recipit, aliam scilicet à parte ante minorem & erectam, prout in cornea oculorum deprehenditur, aliam autem majorem simul, quæ à parte postica in concavo vitri repræsentatur. Ne vero credas erectam anteriorem inverti circa posteriora, scias quæ à parte anteriore conspicitur figura plane distinctam esse ab ea, quæ à tergo apparet; etsi enim prior omnino obumbretur, posterior tamen remanet illæsa; si vero à latere, apposita manu, impediatur accessus luminis, hoc ipso insimul tollitur idea illa posterior, quæ à latere accedebat. Tale autem quid in oculo metuendum non est, ubi unica pupilla lumen, atque rerum figuras admittit, reliquum vero satis opacum radiorum ingressum omnino prohibet.

§. 27. Restat proinde, ut videamus, annon etiam intra oculum majores pingantur ideæ, quoniã figura & lenticularis & sphærica tale quid præstet, speciesque repræsentet ampliores. Atque ita quidem videtur, siquidem & humor crystallinus, aut pupilla oculi integri, denudato saltem circa nervum opticum humore vitreo, si imponantur e. gr. scripturæ, literas omnes referunt aliquanto ampliores. Nihilominus, qui ea, quæ à nobis dicta sunt §. 23. considerat, videbit insimul alterationem idearum, quas lente aut pila vitrea præstamus, non tam intra vitrum contingere, quam in eo apparere, atque talia ab oculo exterius adveniente judicari.

§. 28. Quid dicamus de refractione quæ ordinarie contingit, quando è medio rariore conspiciamus ea, quæ in densiore medio hærent, vel contra. Profecto, regula Mathematicorum communis est; radium oblique incidentem è medio tenuiore in crassius in ingressu refringi, & refractum intra medium densius accedere versus perpendicularem; contra, è medio crassiore in tenuius, refringi ita, ut in medio rariore recedat à perpendiculari, unde notabilis alteratio in situ, quantitate & figura oboritur. Verum ut fateamur quod res est, nulla nobis unquam refractio apparuit in aqua A. figuræ 4. si baculus B. oblique immittatur, quam à perpendiculo C. ita,

ut declinato ad superficiem aquæ oculo, baculus pene in ipsa superficie apparuerit. Interim non negamus, quæ aquæ immerguntur, majora quodammodo apparere ad extra, adeoque simili ratione, quæ per impositum humorem crystallinum aspiciuntur, majora itidem deprehendi.

§. 29. Quemadmodum autem refractio ipsa non est realis, sed saltim apparens, ita & augmentum figuræ quod inde nascitur non est vere tale in oculo, sed in superficie ejus apparens tantum. Itaque insigniter fallunt & falluntur, qui veram refractionem in oculo nostro statuunt. Certe eadem est ratio radii luminosi in hoc negotio, qualis est v. g. baculi; jam vero nemo adeo ineptus est, ut credat baculum revera fractum in aqua, quanquam talis intuenti appareat: simili modo alia mihi videtur ratio radii luminosi incidentis in oculum, alia ratio observandi eundem in peripheria corneæ, vel humorum convexa. Sit ita, radios incidentes in oculum refractos circa pupillam videri, sicuti acicula ei oblique intrusa in humore crystallino aut vitreo refringitur, nulla tamen refractio vera aut immutatio hic locum habet, prout à plerisque supponitur.

§. 30. Quandocunque igitur radii visorii corneam attingunt, &, uti alias in speculo solent, recta eo usque penetrant, donec figantur ab opacitate sive colore uveæ, juxta Fig. 5. non diffitemur speciem præse ferre refractionis; hæremus tamen nomine refractionis uti, quoniam nec eandem cum refractione causam & conditionem agnoscit. Ad hæc quivis facilius intelligit, receptam in superficie ideam, non immutatam, lineis parallelis per humores penetrare ad retinam, quam radium perpendiculariter incidentem per pupillæ centrum recta linea abire, ambientes omnes versus hanc perpendicularem plus minusve refractas colligi, ita ut propiores perpendiculari minus, remotiores magis refringantur.

§. 31. Interea cum certum sit, radios eo plane ordine, quo excipiuntur à cornea transire quousq; pelluciditas humorū admittit, manifestum quoque est, omnia in situ suo conspici, adeoq; superius

in

in parte superiori, inferiq in inferiore, dextrum in dextro, sinistrum in sinistro latere, uti quodammodo delineatum dedimus exemplo clavis. De eo autem monendus es, nos paucissimos saltem delineasse radios, ad evitandam confusionem, quanquam innumeri fuissent depingendi si possibile foret, nempe è quovis puncto clavis exeuntes & versus corneam retinamque proxime concurrentes. Præterea, ad melius exprimendam figuram, clavi universum pupillæ concessimus foramen, etsi ultro fateamur, non clavem unice spectari, sed eodem actu plura oculis comprehendi posse: superat enim revera artificis manum.

§. 32. Ut vero defectum picturæ aliquantisper suppleamus, sciendum juxta §. 22. lumen undique reflecti, ac imprimis diurnum, ea præsertim de causa, quod sol ipsum globum terraqueum longe superet, uti vulgo existimatur; gradus tamen luminis hoc ipso quivis cognoscit, quando considerat, alia quidem immediate recipere radios à sole directos fortiores, alia reflexos & debiliores: quæ sol ipse intuetur, illuminantur maxime, quæ soli exposita non sunt, plus minusve illuminantur, prout plus minusve lumen reflectitur. Posito autem innumera illuminari à sole, oculumque nostrum in distans intueri quævis obvia, quæritur non immerito, qui fiat, ut una vice observentur adeo diversa eaque distincta magnitudine, distantia vel colore?

§. 33. Equidem dicis, singula distincto cerni sub angulo: quæro autem porro: quidnam in talem angulum radios cogat, ut præcise coni apicem ad oculum dirigat? En igitur quid nobis hac de re videatur. Videlicet, si verum est ab omni singulorum objectorum puncto quaquaversum dispergi radios, certum quoque est, concursum radiorum è singulis objectis contingere in quovis puncto objectis visibilibus opposito. Et quandoquidem in Fig. 5. idem est robur radiorum reflexorum ab objecto B quale est ab A. & C. aliter fieri non potest, quin radii è diversis locis tendentes ad certum terminum, eo ipso conicam assumant figuram, quanquam ultimum anguli punctum præcise non attingant.

§. 34. Hic terminus autem cum modo amplius, modo angustius spatium concedat radiis incidentibus, hinc fit, ut vel majores, vel minores colliganturideæ. Scilicet notissimum est in speculo plano ejusdem fere magnitudinis repræsentari objecta paulo propius admota; quo magis autem à planitie declinat convexum aut concavum, hoc minora apparent objecta, i.e. è majori circulo confecta specula figuras reddunt adhuc majores, è circulo minore facta, longe minores; loquimur autem de speculis, alia enim est ratio microscopii, vel tubi optici, utpote in quibus non figuntur species, uti in corpore speculari, sed transmittuntur.

§. 35. Elegans proinde oculi structura est sphærica non tantum ad motum commodiorem, sed imprimis ad objectorum visibilium feliciorem apprehensionem fabrefacta. Quæcunque enim figura speculi minores concipit ideas, illa eo copiosiores quoque admittit, sed convexa minoris circuli, qualis in oculo occurrit talis est, itaque nec mirum, si non ea modo attendat, quæ directe opponuntur, sed & ea simul, quæ à latere quoque accedunt.

§. 36. Sed jam satis dictum est, quænam oculi structura sit organica, & quomodo per modum corporis specularis recipiat species visibiles. Videamus porro, quid anima sensitiva aut rationalis conferat ad melius dijudicanda objecta externa. Non enim satis est recepisse per modum speculi ideas rerum externarum, nisi & in nobis Judex adsit, qui easdem apprehendat & examinet. Menti autem soli officium hoc tribui nequit, siquidem & bruta ea carentia idem vident quod homines. At nec sola sensitiva sufficit, quoniam non raro judicio opus est, quale quid à spiritibus animalibus frustra expectamus.

§. 37. Bruta certe non raro falluntur picturis & umbra ita, ut aves uvas sequantur Apellis, passeres à milio abigantur expositis è stramine laceratoque panno confectis monstris; alaudæ decipiantur falcone picto, parus figura ululæ, &c. Non negamus, interdum oculos quoque decipi hominis, præsertim simplicissimi, attamen non æque facile. Canis enim suam imaginem observans in speculo,

culo, dum peregrinum credit canem, latratu eum prosequitur unguibusque dentibusque. Ecquis vero hominum adeo ineptit, postquam natura speculi ei perspecta est.

§. 38. Quapropter bruta, cum destituantur mente, difficilius fallacias dijudicant, nihilominq anima eorum sensitiva tantum agit, quantum potest. Nec aliter in nobis Spiritus animalis apprehendit species visibiles, in hoc saltem felicior, quod mens ipsa insimul animadvertat omnia, & sicubi anima hæreat sensitiva, defectum suppleat. Res in exemplo clara est: ponamus Abbatem eruditum eundem hymnum latino conscriptum idiomate ex eodem libro cantare, quem Monialis minus erudita legit. Abbas non verba tantum, sed insimul sensum spectat, Monacha nil nisi verba attendit ideo, quia oculi easdem quidem concipiunt literarum ideas, quas tamen mens non satis informata minus intelligit.

§. 39. Videndum est igitur, quomodo vel spiritus, vel ipsa mens in visu se gerat. Nempe cum certum sit animam esse & in toto & in quavis parte; rationalis autem sensitivæ animæ alligata sit unione naturali, necessum est sicuti in reliquis partibus ita & in oculo mentem unitam cum spiritu habitare. Ita enim & in prima creatione, & postmodum in generatione hominis Creatori placuit omnipotenti. Hoc tantum interest, quod immaterialis & immortalis mens, cum nullum patiatur decrementum, nullo quoq; opus habeat incremento: spiritus autem, quoniam continuo consumitur ex parte ac dissipatur, ita & conservationem sui omnino postulat. Insitus proinde sustentatur per nervos influo, uti in universo corpore, ita & in oculo; adeoque insignis nervus opticus peculiarem in usum eo tendit, cum ad motum oculi à natura alii adhuc nervi jamjam destinati sint.

§. 40. Spiritus proinde copiosius inhabitantes oculorum humores, quidni attendat adventitias ideas? Notum est à radiis solaribus lædi visum ita, ut postmodum quæcunque obvia minus commode dijudicentur. Quam vero putas noxam induci oculo?

siquidem tale quid speculo aut tubo optico non contingit, ut post admissos radios solis fortiores alia objecta non excipiant. Spiritus ergo est, qui à nimio radiorum solarium splendore vehementius exagitatur, uti alias excitatur, si torpidus fuerit, exemplo quotidiano. Si cui enim post V. Sm, scarificationem, aliave de causa immineat Lipothymia, & jamjam tenebræ offundantur oculis, tum profecto non parum juvat ad eam declinandam, si oculi attollantur in sublime radiisque luminosis exponantur liberius.

§. 41. Ex improviso autem admissum lumen uti ægre toleratur ab oculis, ut, e. gr. candela accensa in tenebris sedentium oculos terrefaciat instar fulminis, ita moderate & quasi temperatum accedens, visui gratissimum existit, rerumque umbram & colores non minore elegantia secum affert. Diximus jam supra, oculum esse conformem speculo; atqui figuræ objectorum non tam sistuntur in superficie, quam in fundo speculi, uti facile apparet, si quis aciculam imponat speculi plano; Itaque & eadem ratione ideæ cum suis coloribus partes oculi pellucidas penetrantes, tandem terminantur in oculi fundo. Adeoque triplici ratione considerari potest ab anima ideas percipi, videlicet in fundo, in transitu per humores, ac denique in ipsa cornea.

§. 42. Dicis contra naturam speculi esse, ut in transitu per vitrum ideas sistat, quippe quæ levi quasi umbra tantum superficiē tingunt, ac demum in fundo sese sistunt. Scias ergo, oculum plura posse tanquam animatum speculum, etenim quæ à nobis observantur in speculo certis redire debent radiis, ita ut præcise eodē angulo reflexionis repræsententur, qualis fuit incidentiæ angulus: jam vero radii penetrant vitrum pellucidum donec à mixtura illa mercuriali, similive pacto facta opacitate sistantur, igitur necessariò quoque reflexio fieri debet à fundo ejusmodi speculi, cum tamen eadem contingat in superficie speculi è chalybe confecti. Quandoquidem vero spiritus in oculo residens ejusmodi reflexionis angulo non indigeat, idcirco quem ab omni parte intuetur radium con-

continuo tractu à retina ad corneam usque obſervat. Videtur enim huic negotio inſigniter favere nigredo illa uveæ, quæ undique humorem vitreum involvit; quemadmodum enim radii ſolares non æque obſervantur in aëre libero, quam ſi per anguſtum foramen in cameram immittantur obſcuram, ita & in umbra quam color uveæ præſtat, longe conſpectiores ſunt radii ab oculo ſuscepti.

§. 43. Quam ergo figuram ſpiritus in oculo obſervat, eam non poteſt non intueri quoque ab extra, quatenus radiorum ingreſſum ab objecto externo perſentiſcit; nam & hac ratione magnitudo & diſtantia, & ſi quid præterea notatu dignum occurrit, inſimul apprehendit. Non neceſſum eſt, ut ſpiritus egrediatur ex oculis, radiorumq; ſuorum emiſſione cognoſcat externa, juxta nonnullorum opinionem; eſt enim longe probabilius lumen, quod interdiu totum illuſtrat hemiſphærium, oculis noſtris etiam remotiſſima repræſentare poſſe facta reflexione, quam ſpiritū noſtri corporis ad aliquot milliaria diffundi, ad menſuranda ac obſervāda objecta illa.

§. 44. Diſtantiam igitur rei dijudicat ita oculus, quando non objectum ipſum tantum, ſed & interjacentia attendit varia, nunc in planitie, nunc circa latera, nunc circa ſuperiora. Facit huc quoq; objectorum obſcuritas vel claritas, item magnitudo & parvitas. Etenim quotidianum eſt, ea etiam quæ nobis notiſſima ſunt è loco remotiore minus commode cognosci, ideo, quod radii è longinquo redeuntes tanquam debiliores ideam ſuam qua ſingula puncta æque accurate referre nequeant. Si quis ergo in luce meridiana non agnoſcat alias ſibi notiſſimum, eo ipſo quoque intelligit obviam ſibi venientem adhuc longius diſtare. Accedit objecti parvitas: dum enim excelſa alioquin turris apparet exigua, aut è turri quos conſpicimus homines inſtar pumilionum humi repunt, tum nemo noſtrum dubitat talia à nobis eſſe remotiſſima.

§. 45. Eluceſcit in hoc imprimis mentis cooperatio non ſecus ac in magnitudine objectorum dijudicanda. Quanquam enim juxta *Fig. 6.* ex angulo A, erectus palus B. ejusdem altitudinis videatur

tur quam longius distans statua C, nemo tamen est, qui credat columnam non esse altiorem palo; sicut enim ex magnitudine nonnunquam distantiam; ita & vice versa ex distantia judicamus magnitudinem, sc. sic edocti per experientiam, qua sæpius observamus, quæ nobis remotiora sunt videri minora, cum tamen, si propius accedamus, ingentis interdum molis sint. Profecto quæ in oculo ex nostra hypothesi repræsentatur idea, aut qui ex mente aliorū concipitur visionis angulus, magnitudinem rerum è locis longius inter se distantibus conspectarum non docet, uti exemplo Fig. 6. jamjam allegatæ satis liquet. Quanquam enim quæ iisdem gradibus distant ab oculo dijudicentur, juxta alios ex minore vel majore angulo, vel potius ex idea minore vel majore, quam in oculo formant, fallit tamē regula, si accommodetur iis, quæ æqualiter à nobis non distant. Itaque non dubitamus, quam usu didicimus normam in dijudicanda objectorum magnitudine menti ascribere, utpote cujus muneris est per ratiocinia demum ea elicere, quæ sensibus adeo manifesta non sunt.

§. 46. Unicum restat examinandum, quomodo res eadem utroque oculo visa non appareat duplex, cum tamen binis distinctis in locis suam deponat ideam? Nihil agunt, qui ad concursum nervorum opticorum intra cranium provocant; quam enim sibi concipiunt idearum traductionem per nervos opticos impossibilis est plane, si examinetur juxta fundamenta optices. Nihil agunt, qui existimant in glandula pineali duplicem per oculos susceptam ideam demum uniri, atque sic ab anima tanquam simplicem dijudicari. Neque enim credendum est à brutis omnia geminata cerni, quanquam judex ille cujus sedem in conario statuunt, non adsit.

§. 47. Verosimilius autem est ex eo cognosci identitatem objecti, quod uterque oculus in eundem inclinet terminum, atque hac ratione ubi spiritus deprehendit eandem figuram & distantiam atque magnitudinem, tunc amplius non dubitat se rem unam spectare, prout alias pila detenta unica cognoscitur, quanquam diver-

sis digitis apprehendatur. Sicut enim globulus duobus digitis decussatis contrectatus instar duorum sentitur, ita & intortus è sede ordinaria oculus aliam concipit ideam ita, ut diversa credatur res ab ea, quæ aliter ab oculo rite constituto cernitur. Mirum autem est, quomodo natura adeo stricte in id allaboret, ut utraque pupilla rei videndæ directe opponatur; si quis enim quid propius admoveat oculis, attentiusque contempletur, videbis oculos ejus versus nares adeo interqueri, ut ob utramque pupillam in idem objecti propioris punctum directam, hominem credas strabismo corripi. Sed hæc sufficiant.

DISPUTATIO XI.

DE

APOPLEXIA.

§. 1.

QUandoquidem antiquissimi, quos quos possidemus in Medicina scriptores, Græci existunt, ipsamque medendi artem, sicuti cæteras disciplinas, ab iis didicerunt Romani, nemini mirum videri potest, quod terminos technicos, quibus Anatomici, Botanici, & in genere Medici utuntur, plerosque habeamus Græcos. Talia sunt pene omnia morborum genera, uti vox Apoplexia, quam hac vice tractare sustineo, satis evincit. Dicitur enim Apoplexia ἀπὸ τῦ ἀποπλήσσειν vel ἀποπλήττειν, quod idem est, atque percutere; procul dubio, quoniam Apoplexia correpti non secus, atque victimæ, ante aram cæsæ, corruunt, veluti graviori quodam ictu percussi.

§. 2. Apposite id Germani exprimunt per vocem der Schlag/ & Latini per ictum sanguinis, quod illius culpa morbum contingere crediderint. Qui vero siderationem vocarunt, nihil aliud volunt, quam infausto sidere tactos tam repente quasi exanimari:

eumque fulmine icti, aut saltem à tonitru vehementius perterriti, tale quid patiantur, attonitos appellarunt, quotquot instar eorum sine sensu motuque jacent. Alia, utpote brevitatis amans, Apoplexiæ synonyma studiose prætereo. Qui plura cupit, adeat inter alios Conr. Vict. Schneideri Librum de nov. graviss. trium morb. curat. Apopl. Lypopsych. & Paral.

§. 3. Mihi arridet potius vulgatissima & usitatissima vox Apoplexia: circa quam non alia occurrit ambiguitas aut difficultas, quam quod interdum in latiore significatu, nonnunquam strictiore sensu adhibeatur. Ampliato termino prædicatur non modo de iis, quibus totum corpus afficitur; verum etiam de his, quibus saltem aliquod membrum male habet: quemadmodum ipse Hippocrates variis in locis Apoplexiam linguæ, & brachii, & cruris, & lateris dextri sinistrique dixit, notante Foësio in Oec. Hipp. pag. 79. & Dieterichio in Iatreo Hipp. pag. 201. Sed stricte loquendo Apoplexia totius est, Hemiplegia unius lateris; Paralysis hujus vel illius partis tantum.

§. 4. Scilicet non differunt à se invicem modo nominati morbi, nisi gradu tantum atque sede; itaque facillime inter se transmutantur etiam. Nam & Apoplexia non raro transit in Hemiplegiam vel Paralysin, aut sequitur hos affectus, uti abunde patet ex Lotichii obs. lib. 2. pag. 163. & 169. Forest. lib. 10. obs. 75. & 82. Trincav. cons. 32. & 33. Pison. obs. 22. &c. Quapropter nec incongruum erit in sequentibus, ubi de Apoplexia Universali sermonem instituero, particularis meminisse; præsertim cum id eadem opera fieri queat, eademque remedia, quæ majori malo tollendo sufficiunt, minus malum hoc facilius eradicare valeant.

§. 5. Si ergo Apoplexiam Universalem definire velimus, nihil aliud erit, quam *subitanea vocis omnisq; motus voluntarii ac sensuum defectio, ab impedito spirituum influxu orta.* Si Particularum, v. g. Hemiplegiam, erit *similis defectio, sed in alterutro saltem latere; aut in certo membro tantum*, si Paralysin, e. g. linguæ, describas: in reliquarum.

rum enim partium Paralysi, quamdiu organa loquelæ illæsa erunt, vox integra permanet, adeoque tunc sufficit *sensus motusque defectio*. Paraplegiam autem, non obstante Autorum usu, appellabimus *defectionem sensus motusque in universo corpore, salvo tamen capite*; quod ad imitationem Plateri eo magis licebit, quo minus occurrit aliud vocabulum, huic morbo, rarissimo sane, accommodatum.

§. 6. Atqui ex jam datis definitionibus haud erit arduum eruere cunctam Apoplexiæ historiam cum potioribus signis, ad eam cognoscendam aptissimis, si modo eas resolvamus debite. Occurrunt namque tria potissimum in præsenti negotio perpendenda probe; videlicet primo *Formale* Apoplexiæ, quod per *defectionem subitaneam* innuitur. Secundo *Subjectum*, quod afficitur varium, *partes* nimirum *inservientes loquelæ, ut & quæ ad motum voluntarium destinatæ sunt, nec non sensoria*. Tertio *Causa morbi*, nempe *impeditus spirituum influxus*.

§. 7. Quod ad primum. Duo sunt summa morborum genera; unum positivorum, in quibus revera quid præternaturale adest, ut calculus, vermes, tumores, plethora, &c. alterum privativorum, quando, quod secundum naturam adesse debebat, p. n. deficit. Deficiunt autem modo partes solidæ, ut in monoculis, mutilatis, &c. modo humores, ut lac, sperma, serum, &c. modo spiritus atque vires, vel in totum, vel in parte saltem aliqua; unde necessario facultates aut omnes simul, aut quædam tantum abolentur, aut certe minuuntur.

§. 8. Ad classem itaque morborum defectivorum pertinet Apoplexia, utpote in qua, si gravior fuerit, loquela omnino cessat cum omnibus sensibus omnique motu voluntario, ita ut mortuo simillimus videatur æger, nisi pulsus & respiratio supereesset, pro morbi vehementia plus minus à statu naturali recedens. Si levius fuerit malum ac saltem unicum latus prehenderit, vox equidem haud tollitur penitus; deprayatur tamen insigniter, ut infantum instar balbutiente lingua vix ac ne vix quidē se satis explicare valeat.

§. 9. Consistit ergo *Formale* Apoplexiæ in *privatione facultatum animalium, sensitivæ potissimum, atque locomotivæ.* Nec quicquam concludunt, quæ in contrarium format argumenta, Helmont, ut probet nullatenus esse morbum privativum, de lithiaſ. cap. 9. 80. Multo minus me morantur, qui Apoplexiam aliam privativam, aliam positivam appellant. Est enim illis privativa, quæ citra directam activitatem in spiritus animales, aut citra peculiarem iis inductam alterationem saltem impedimenta quædam infert, propter quæ legitime iidem aut generari, aut distribui nequeunt; v. g in iis, qui ex suspendio, aut casu ab alto, aut sanguinis intra cranium effusione, aut meatuum cerebri obstructione qualicunque Apoplexiam patiuntur: Positiva vero Apoplexia est, quæ à tali fit causa, quæ spirituum animalium crasin & constitutionem vitiare, eosdem ad motum & inde dependentes functiones plane ineptos reddere, & ita narcosi & stupore quodam ipsos afficere, aut instar liquorum fermentescentium has eos quasi extinguere & suffocare valet, qualis in opiatis, carbonum fumo, fulmine similibusque, notissima est. Verum si distinguamus inter morbum ipsum, causamque morbificam, facile apparet, morbum privativum esse, quamvis causa ejus interdum positiva existat, præsertim remota.

§. 10. Dicitur autem in definitione *defectio subitanea*, ut modus invasionis insimul exprimatur. Nec enim eadem est omnium morborum accessio, utpote quorum alii, ab initio mitiores, pedetentim augentur, ac ingravescunt indies, quemadmodum e. g. in marasmo senili paulatim vires decrescunt: alii statim irruunt cum impetu. Id nempe commune habet Apoplexia cum Syncope similibusque celerrimis passionibus, quod ex improviso prehendat hominem, alias satis valentem ac robustum. Nam & hilarem quandoque compotatorem è medio sustulisse Apoplexiam rarum non est. Vide hujusmodi historias in Jasone de Morb. Cerebri cap. 27. & Zvvingeri Theatr. Vit. Hum. Vol. lib. VII p. 527. & 528.

§. 11. Quod secundo *Subjectum* sive *partem affectam* concernit, facile

facile apparet in Apoplexia Universali totum corpus affici, aut rectius hominem totum. Nec enim facultates eæ tantum, quas cum brutis communes habemus, læduntur, sed ipsius quoque mentis operationes; nam & mentis alienatio interdum præcedit, nonnunquam sequitur; ubique vero concomitatur Apoplexiam graviorem ac universalem, ita ut non modo deficiat usus rationis, cessante sensoriorum officio, sed & turbetur atque confundatur, sicubi spiritus, inordinate moti, ideas menti repræsentandas miscent ac pessime corrumpunt.

§. 12. In Particulari non est necesse mentem insimul pati, quamdiu sensoria totumque caput illæsa permanent. Sufficit in parte aliqua deficere motum, quod Apoplexia cum paralysi commune habet, & sensum omnem, quod Apoplexiæ proprium ac singulare præ Paralysi existit. Patitur itaque modo manus aut pes, modo lingua vel oculus, modo latus dextrum sinistrumve, modo partes universæ, excepto duntaxat capite.

§. 13. Enimvero sedes morbi non coincidit semper cum sede causæ morbificæ sed & frequentius aliam partem occupet morbus, aliam ejusdem causa; quemadmodum e. g. Vertigo accidit vitio ventriculi & è contrario vomitus in læsionibus capitis. Quæritur proinde haud immerito, cum de *Subjecto* Apoplexiæ *proximo* & *adæquato* jamjam constet, quodnā sit *Subjectum remotius seu sedes causæ morbificæ*. In hac autem determinanda quantus non occurrit dissensus Autorum? Plerique intra calvariam quærunt mali originem, sed diversis in locis: quidam enim in vasis sanguiferis eandem collocant, & modo rete mirabile cum Fernelio, modo plexum choroidem cum Vidio, modo arterias carotides cum Steeghio, modo sinus duræ matris cum Cratone, modo Herophili turcular cum Nymanno: alii aut cerebri ventriculos cum Galeno, aut poros etiam cum Petræo, aut corpus callosum cum Bellonio ac Willisio accusant.

§. 14. Dissentit ab omnibus Helmont de Lithiasi cap. IX. 52. Apoplexiæ limen in præcordiis statuens, in cerebro autem non nisi

per deuteropathiam, qua cerebrum viciſſim auſcultet inferiorum regimini, & in Tr. à ſede animæ ad Morb. 10. clarius exponit mentem ſuam: *Apoplexia*, inquit, *ſuboritur, dum alieno plane motu ac hoſpitio à cavo ſtomachi in venas ejus intrat mucilago inſipida circa orificium, ſervatque lateris ſui rectitudinem, magnamque à minore diſtinguit carentia vel præſentia virulentiæ.*

§. 15. Videtur tamen præ cunctis rem acu tetigiſſe ipſe Hippocrates, quando in Tr. de gland. IX. 4. Apoplexiam fieri aſſerit, cum ὁ ἐγκέφαλος σπᾶται, i. e. cerebrum convellitur. Intelligit nempe ſub nomine cerebri principium generis nervoſi univerſum, h. e. cerebrum cum appendice, cerebello atque medulla ſpinali. Quis vero credat cerebrum in Apoplexia convelli? cum partes omnes potius reſolutæ videantur, & nil minus, quam rigidæ. Itaque ſciendum eſt, ſpasmum vulgo dictum eſſe muſculorum vitium, utpote quorum fibræ, ſi firmiter contrahantur, membrum, cui inſeruntur, reddunt immotum ac rigidum. Verum ponamus ipſos convelli nervos, adeoque tranſitum ſpiritibus non concedere, quid inde ſequitur aliud, quam atonia & impotentia?

§. 16. Errat proinde non parum Celſus de Re Med. lib. 3. c. 27. quando in Apoplexia reſolutionem nervorum fingit, quaſi vero atonia nervorum impedire ſpirituum influxum poſſit. Quid enim impedit, quo minus, relaxatis fibris, libere per poros trajiciant ſpiritus? Magis probabile videtur, nervorum convulſorum potius culpa, quam reſolutorum, contingere Paralyſin & Apoplexiam; quod nullum eſſe muſculorum robur queat, nec ullus ſenſorii uſus, ubi ſpiritus debite ac ſufficienter haud influunt.

§. 17. Quandoquidem vero non dubitamus aſſerere, impeditum ſpirituum influxum per nervos eſſe genuinam & proximam Apoplexiæ cauſam; ita facillimo negotio arbitramur ad hanc reliquas omnes remotiores & occaſionales reduci poſſe, ſi modo cum Hippocrate Spasmum nervoſi generis admittamus. Fingere obſtructiones, à ſero, vel pituita, vel ſanguine congrumato aliisve humori-

moribus crudis pravisque factas, non est necesse; sunt enim hæc omnia spiritibus pervia. Si quid tamen valent in Apoplexia producenda, operantur eodem modo, quo reliqua, scil. dolorem excitando convulsivum. Etenim in genere, quicquid nervos convellit facit, id ad Apoplexiam inferendam sufficit omnino.

§. 18. Nimirum accidit Apoplexia vel partium solidarum vitio, vel humorum, vel denique spirituum. Partium solidarum vitia incurrunt utplurimum in sensus notabiliter. Talia sunt percussiones capitis vehementiores in casu ab alto, ex ictu, lapidis jactu, &c. præsertim si calvaria deprimatur, aut fragmenta ejus graviter meninges pungant ac lacerent. Non refert, quo in loco fiat læsio: in vertice aut fronte, in syncipite aut occipite; perinde id est. Confer Historias Paræi lib. 9. c. 8. Heer obs. 19. & 21. Scult. Armam. Chir. obs. 21. Wepf. de Apopl. pag. 313. & 361. Forest. lib. 10. obs. 79.

§. 19. Idem metuendum, si tumor aliquis intra cranium concrescat cerebrumque premat. Talem Apoplexiam observavit a Steatomate Drelincurtius, teste Boneto in Sepulchret. pag. 78. Potissimum inflammatio id agit; unde non pauci, quanquam a vulnere capitis prima vel altera die nihil mali experiantur, nihilominus post decursum aliquot dierum attoniti redduntur ob auctos cum inflammatione dolores. Ita Hemiplegiam sinistri lateris lethalem post vulnus cranii male curatum vidit Segerus in Ephem. Germ. Ann. III. obs. 199. Ac hæreo, an non Apoplexia mulieris, cujus Bartholinus meminit Cent. IV. hist. 86. post ablatum capitis tumorem quarta demum die superveniens, vel ab adstringentibus ac desiccantibus, aut quomodocunque materiam peccantem repellentibus, applicatis, vel ab inflammatione aut dolore, aliis ex causis nato, contigerit; siquidem recordor, quendam vulneratum in occipite, cum jamjam melius haberet, sed ab anicula morosa, ejus curam gerente, circa vesperam diei nonæ ad iram incitaretur, omnem sensum motumque ac mentis usum eadem nocte amisisse: cum itaque mane illum hora consveta visitarem, faciem insolite rubram miratus oculosque apertos ac immotos;

motos; ex tumore autem ſplendente vulneris Eryſipelas apparuit præſens; atque ideo, appropriatis externe ac interne ſimul adhibitis, reliquit inflammatio læſam partem, factaque converſione verſus anteriora, faciem occupavit totam. Interim ægro ad ſe redeunte, minus conſultum videbatur applicare quicquam exterius, quapropter ſolo uſu diaphoreticorum continuato, per ſudorem diſcuſſum eſt malum, ſervatusque præter omnium ſpem atque opinionem qui morti judicabatur proximus.

§. 20. Humorum vitio naſcitur Apoplexia, quando vel quantitas eorum peccat, vel qualitas, vel motus locusve. Quantitas peccat frequentius, ſi abundet ſanguis vel ſerum; rarius, ſi deficiat. Deficit autem ſanguis poſt hœmorrhagiam nimiam; hinc vero quosdam Apoplexia correptos vel ſtatim interiiſſe, vel annis aliquot miſeram inde vitam protraxiſſe, teſtatur Schenkius obſ. Med. lib. 1. de Apopl. obſ. 5.

§. 21. Abundat autem ſanguis in ſubjectis plethoricis, ubi tantisper exagitatus, adeo in vaſis porisque partium turgeſcit, ut propter dolorem pulſantem ac diſtendentem quandoque graviſſimum, quem excitat, ſufficere ad generandam Apoplexiam poſſit, quotiescunque cerebrum cum meningibus urget. Exemplum ejus vide in Rhodio Cent. 1. obſ. 67. Hildano Cent. 3. obſ. 11. ac Platero lib. 1. obſ. pag. 14.

§. 22. Multo magis moleſtus eſt ſanguis, ſi, ruptis vaſis, in ventriculos cerebri, aut etiam intra meninges craniumve copioſius effundatur, cujus rei teſtimonia plurima ſuppeditant Bartholinus hiſt. An. Cent. 2. obſ. 60. Rhodius l. c. Borellus Cent. 2. obſ. 34. aliique, ſiquidem id in percuſſionibus capitis vehementioribus pene ſolenne ac ordinarium eſt. Enimvero a colapho etiam natam Apoplexiam notavit Benivenius de Abd. rer. cauſ. c. 110. Hild. Cent. 5. obſ. 85. & Cent. 6. obſ. 11. Augenius lib. 9. epiſt. 2. ubi tamen monendum, ab ejusmodi concuſſione capitis venas, in ſinus meningis duræ tendentes, rumpi communiter, at non ſemper; imo vero ſufficere nonnunquam

quam ſolam cerebri commotionem, unde nervorum principia ob attentatam rupturam Spaſmo corripiuntur doloroſo.

§. 23. Ad ſanguinis vitia pertinet quoque coagulum ejus, vel huic oppoſita nimia reſolutio potius ſeu æſtuatio. Talem ab immodico aëris æſtivi calore Apoplexiam obſervavit Vidius lib. 2. c. 15. de Cur. Membr. & Piſo de Colluv. ſer. Quod ipſum nemini mirum videbitur, cum agitatus hoc pacto ſanguis, potiſſimum in ſubjectis plethoricis ſcorbuticisve vaſa perrumpere valeat, obſervante Dureto Annot. in Hollerii lib. 1. cap. 7. de Apopl. pag. 50.

§. 24. Similem à ſanguine ſtagnante ſtuporem experiuntur alii, præſertim ſi frigus ſanguinem quodammodo coagulet. Adeo infenſum eſt naturæ noſtræ frigus, ut, præterquam quod ſanguinem coagulet ac tranſpirationem impediat, nervis pariter inimicum merito dicatur, ac ipſum robur vitale deſtruat inſigniter. Sic obſervatum eſt crebrius, Apoplexiæ anſam dediſſe auſtrinam & humidam aëris conſtitutionem, vel iter per loca nivoſa & frigida. Vide Foreſt. l. x. obſ. 70. & 80. Dieterichium in Tr. Hipp. p. 201. Nam & capitis, poſt lotionem, refrigerium produxiſſe Apoplexiam in puella, teſtis eſt Amatus Cent. 1. Cur. 36. & pedibus nimium perfrigeratis in viro annorum 24 alias robuſto, idem annotavit Binninger. Cent. 2. obſ. 31.

§. 25. Nocet autem tum maxime frigus, ſi forte quædam Exanthemata in cute appareant, aut à natura vitium quoddam ad extremitates vel ambitum corporis fuerit propulſum: ſolent enim retrocedentes ejusmodi morbi nonnunquam caput petere ac principia generis nervoſi, unde longè gravius periculum incurrunt ægri. Sic puella 15. annorum poſt Variolas expulſas aëri pluvioſo expoſita & ad foſſam aqueam decumbens, Apoplexiam patiebatur & moriebatur intra triduum, teſte Foreſto lib. X. obſ. 70. Virum quendam ex Scabie retropulſa correptum Apoplexia quarta circiter ab inunctione hora, pauloque poſt mortuum, narrat Cumenius in Ephem. Germ. Ann. 1. obſ. 58. Alium poſt uſum repellentium atque diſcutientium in Podagra Hemiplegia correptum vidit Hagendorn Cent. 1. hiſt. 28.

§. 26. A ſero, cerebrum occupante, plus minus glutinoſo, Apoplexiam vidit natam Columbus lib. 15. Anat. & Marc. Donatus hiſt. Med. Mir. l. 2. c. 6. Fernelius autem l. 2. cap. 15. de Abd. rer. cauſ. cum alium Apoplexia mortuum ſecaret, infra cerebrum circa retiformem arteriam contextum humorum craſſum & viſcoſum invenit: & Greiſelius in Ephem. Germ. An. 1. obſ. 74. affirmat ſe in omnibus, quotquot Apoplexia aut Catarrho Suffocativo mortuos aperuit, polypos ſeu corpora calloſa viscida & glutinoſa, de quibus Wepferus in Tr. de obſ. ex cadav. Apopl. extinctis, aut in corde, aut in cerebro, aut utrimque reperiſſe.

§. 27. Referri ad humorum vitia quoque poſſunt illa, quæ vel per os aſſumuntur, vel per nares inſpirantur, quatenus acrimoniam ſuam vel virulentiam admiscent ſero, chylo, ſanguini. Talis ab eſu fungorum in cœna comeſtorum circa mediam noctem Apoplexia cuidam viro accidit, referente Kollichen in Act. Hafn. Med. Vol. 2. obſ. 116. pag. 294. Puellæ autem decenni ab avidius ingeſtis pomis, atque hinc inſigni circa ſtomachum dolore, lethalis fuit, annotante Binningero Cent. 1. obſ. 58.

§. 28. Equidem veroſimile videtur fructus hujusmodi ab inſectis forte venenatis infectos fuiſſe; at non neceſſum eſt ut eo confugiamus, cum vel ſolus dolor hinc obortus in ſubjecto diſpoſito ſufficere queat, ſi ſcilicet totum ſyſtema nervoſum à dolore vehementi convulſum fuiſſe ſtatuamus. Quanquam frequentius fieri ſoleat, ut è primis viis pravi humores ad maſſam ſanguineam abeant caputque petant. Ita enim poſt crebriores dolores Colicos natam Apoplexiam memorat Hagendorn Cent. 1. Hiſt. 29. & poſt acidularum, alias ſalubrium, potum vel nimium, vel intempeſtivum, accidiſſe idem malum, legere licet apud Henricum ab Heer, it. in Hildesheimii Spicilegio pag. 526. & Rolfinkii Meth. Spec. p. 144. Imo & poſt vini hauſtum & ab ebrietate natam Apoplexiam vidit Fonſeca l. 2. Conſ. 59. Foreſt. l. 10. obſ. 69. Heer l. 1. obſ. 21.

§. 29. Magis mirandum eſt, quod narrat Zacutus Med. Pr. Hiſt.

l. 1.

l. 1. obſ. 10. Aulicum quendam, forte in cellam vinariam ingreſſum, ab odore vini ſic perculſum fuiſſe, ut intra tres horas vitam cum morte mutarit. Alios attonitos concidiſſe, ac ſtatim expiraſſe, cum in ſimilem cellam, muſto tum effervescente, intraſſent, teſtatur Platerus obſ. l. 1. pag. 18. De fumo carbonum res nota eſt. Videantur exempla in Valerii Maximi l. 9. c. 11. Panaroli Pent. 1. obſ. 19. Paræus de Renunciat. m. 656. Marcell. Donati Hiſt. Mir. l. 2. c. 6. Grembs Arb. Vit. & Rur. in. Hom. l. 3. c. 1. §. 37. Gas mineralium in ſe ipſo expertus eſt Helmont de Lith. cap. 9. 73. Ex immodico tabaci fumo duo fratres ſimul interierunt. vid. Helvvig obſ. 45. §. 30.

§. 30. Denique ſpirituum vitio contingit Apoplexia, quando iidem in animi pathematibus exagitantur turbantur, atque à ſuis muniis avocantur, à terrore v. g. ſubitaneo, vel ira enormi, vel mœrore anxio. Ita nonnunquam attoniti, etſi à fulmine haud tangantur, corruunt cœlo tonante; quale quid patri ſimul atque filio acciditſſe vidit Benivenius de Abd. Rer. Cauſ. cap. 13. Ab ictu bombardæ audito Hemiplegiam lethalem paſſus eſt infans, de quo Amatus Cent. III. Cur. 22. Alius puer duodecennis, cum cerneret ſenem menſæ aſſidentem Apoplexia corripi, terrefactus ilico in Hemiplegiam lateris dextri lapſus, tunc equidem reſtitutus fuit, aſt data quacunque occaſione, recidivam paſſus ad ſenectutem usque. Vid. Eph. Germ. Dec. II. An. IV. obſ. 29. Plures per terrorem Apoplecticos narrat Camerarius Syll. Men. C. 13. part. 44. Fontanus lib. 1. Cur. 49.

§. 31. Quanta iræ vis ſit in commovendis ſpiritibus humoribusque, neminem fugit, adeoque crebriorem hinc Apoplexiam notare, haud foret difficile. Nihilominus attendi meretur peculiaris Drelincurtii obſervatio, quam Bonetus in Sepulchr. pag. 86. allegat, ſcilicet medium ab ira crepuiſſe plexum choroidem, eo nempe in loco, ubi, ex duplici ramo coaleſcens, in ſinum quartum deſinit, & quidem in matrona quadam octoginta annorum, ſed valde plethorica.

§. 32. Alia matrona, alioqui satis robusta, cum ex literis oblatis inopinatam mortem filii sui, quem unicè amabat, intelligeret, tantam passa est animi commotionem, ut, vix perlectis iis, præmœrore in Apoplexiam incideret, ac sequenti statim die vitæ finem faceret, referente Fabricio Hildano Cent. VI. obs. 12. Tanta vis est affectuum, præsertim in pusillanimis; unde mulieres, pueri, senes majus exinde damnum sentiunt præ cæteris, qui non nomine, sed animo viri sunt.

§. 33. Conveniunt scilicet in eo, quotquot occurrunt Apoplexiæ causæ, quod, irritatis spiritibus, convulsiones cerebri excitent; & quidem totius in Universali Apoplexia; partis tantum seu unius lateris in Hemiplegia. Neque absonum erit duplicem hoc in passu concipere convulsionem; aliam per transversum, circa origines nervorum; aliam per longitudinem, juxta nervorum distributionem. Quemadmodum enim dolor profundus brachii vel cruris non male deduci potest à nervorum contractione dolorosa versus principium suum: ita facilius intelligimus viam impeditam spiritibus transitum haud concedere, si modo principium ipsum transverse convellatur; id quod parem habebit effectum ac si filo injecto constringeretur nervus.

§. 34. Satis de causis: propero ad signa. Sunt autem alia imminentis, alia jamjam præsentis signa. Imminentis plura sunt, ex recensione Foresti l. X. obs. 71. (1) dolor capitis acutus ac subitaneus. (2) tumor venarum jugularium. (3) vertigo. (4) palpitatio quædam seu tremor in corpore. (5) extremorum frigus. (6) torpor totius. (7) stridor dentium inter dormiendum. (8) urina velut æruginosa, atra, modica, in qua veluti farina quædam subsidet. (9) incubus frequens & insomnia terribilia. (10) hebetudo sensuum atque memoriæ.

§. 35. Quo igitur plura concurrunt signa, eo certiores esse possumus de instante Apoplexia; præsertim si quis è similibus parentibus sit natus; cujus in fidem lubet allegare Beati Etmulleri con-

consummatissimi Medici verba, quæ cap. de Apopl. habet. *Parenti meo certo imminet Apoplexia. Plures sunt anni, quod Vertigine per consensum stomachi laborat & hæreditario vitio ad Apoplexiam inclinat; unde certus sum, quod hæc Vertigo certo prædicat Apoplexiam, cum omnes ejus ex materna linea parentes Apoplexia tacti fuerint, & avia materna hoc affectu interierit, & mater eo correpta fuerit.* Quod præsagium non vanum fuisse, ostendit eventus; siquidem e lapso proximo anno, cum Lipsiæ studiorum causa degerem, virum optimum obiisse Apoplecticum probe memini.

§. 36. Neque obscura sunt præsentis Apoplexiæ signa. Corruit namque, alias etiam robustus, subito, & obmutescit: sensus motusque nullus observatur in partibus affectis. Oculi atque os aperiuntur constanter, ægerque simillimus foret mortuo, nisi color faciei ac labiorum consuetus supereesset cum respiratione pulsuque plus minus impeditis.

§. 37. Potissimum ex difficultate spirandi colligimus morbi vehementiam. Si Galenum sequamur Comment. II. Aphor. 43. quatuor ejusdem gradus sunt: (1) Fortissima nimirum Apoplexia est, in qua protinus respiratio cum omni sensu ac motu cessat. (2) Fortis satisque vehemens est, quando æger magno cum conatu atque stertore respirat, apparente circa os spuma. (3) Remissior est, ubi respiratio inordinata & quandoque intermittens notatur. (4) Denique levissima Apoplexia est, quotiescunque respiratio adhuc libera & ordinata existit.

§. 38. Prognosis igitur in hoc affectu talis erit ad mentem Hippocratis Sect. II. Aph. 42. *Fortem solvere Apoplexiam est impossibile, debilem non facile.* Quamdiu scilicet respiratio adhuc libera & pulsus ordinatus est, tamdiu spes aliqua restitutionis superesse videtur: ubi vero spuma circa os apparet, aut stertor auditur, aut arteriarum atque thoracis motus vix observatur, tales annumerare deploratis omnino licebit.

§. 39. Remedia interim non desunt, appropriata etiam, quibus

bus fortaſſe plures ſervarentur, ſi modo æger occaſionem morbi ſedemque illius indicare poſſet. Accedit, quod malum celerrime vires cunctas dejiciat, ut hominem ſæpe prius jugulet, quam auxilium habeatur, i. e. antequam remedium inveniatur aptum, & præparetur, & applicetur, & operetur. Quid? quod utplurimum nihil per os aſſumere Apoplectici valent ob linguam immobilem: hiante ano, nec clyſma retinetur: veſicatoria, ſi ſenſus abſit, applicantur fruſtra.

§. 40. Quapropter, ne forſan Empiricorum more, qui quod uni profuit cunctos juvare arbitrantur, periculoſa inſtituamus tentamina, per feſtinationem haud ſatis excuſanda; lubet ſingulorum remediorum, in hoc affectu uſitatorum, vires ſeorſim ponderare, atque ita decernere, quid hoc vel illo in caſu conveniat, ne aliquando egregium remedii genus, ſi forte intempeſtive adhibeatur, vel fruſtraneum ſit, vel nocivum etiam.

§. 41. Vulgatiſſimum eſt aquas fragrantes ac ſpirituoſas, uti nomine Antapoplect. veniunt, ita primo loco adhiberi, quamprimum Apoplexia hominem corripiat; monuit tamen Crato conſil. 5. easdem ſæpe mortiferas exiſtere: & Sennertus non dubitavit peculiarem inſtituere quæſtionem, quartam ſcilicet lib. 1. Pract. Part. II. cap. 33. videlicet an aquæ Apoplecticæ ſtatim in principio conveniant? Enimvero virtus illarum procul dubio inſignis eſt ad reſtaurandos ſpiritus deficientes, & excitandos torpidos; adeoque non videntur inutiles adverſus hoc morbi genus, ſeu naribus objiciantur, ſeu temporibꝰ illinantur, ſeu ori infundantur: penetrãt enim, tanquam ſpirituoſæ, ſubtilitate ſua non difficulter, & vellicando fibras acrimonia, qua gaudent, aromatica, ſollicitant ad motum ſenſumque ſpiritus.

§. 42. Utiliſſimæ ſunt igitur exanimatis frigore vel terrore, vel fulmine tactis. Vid. Ephem. Germ. Ann. III. obſ. 182. item ſenibus & infirmis, ac in genere, ubi ſpiritus vel revera deficiunt, aut ſaltem torpent, ſi modo circumſtantiæ non contrarium jubeant. Quis enim

enim poſt crapulam Apoplectico, aut poſt iram vehementem, ubi ſanguis & cæteri humores effervescunt, eas propinare auſit? Neque autor cuiquã eſſem, ut illas præſcriberet, ſi quando caput inflammatum ſit à radiis ſolaribus, aut quovis modo vulneratum; ſi Eryſipelas id occupet; ſi quis è cella vinaria exportaretur, muſti fermentantis odore ſuffocatus atque ſic porro.

§. 43. De Venæſectione, ad quam tanquam ſacram anchoram hoc in paſſu plerique confugiunt, ita ſentit Celſus lib. III. cap. 27. *Si omnia membra vehementer reſoluta ſint, ſanguinis detractio vel occidit, vel liberat.* Imperanda eſt, & quidem largior, ſi Avicennam lib. I. Fen. 4. Doctr. 5. cap. 20. imitari quis velit, ad animi deliquium in robuſtis, plethoricis maxime, ſi pulſus deprehendatur magnus & vehemens, ſi facies intenſe rubeat, ſi hœmorrhagia narium conſueta, vel hœmorrhoidum, aut menſtruorum lochiorumque fluxus fuerit ſuppreſſus: imo vero ſi quæ ſanguinis fluxio etiam concurrat, vel ſpuma cruenta circa os appareat; poſt nimium vini potum; ſi quæ inflammatio capitis metuenda; ſi ab ira ſanguis ebulliat, &c. Exempla ſi deſideres, adi Tulpium lib. 1. obſ. Med. cap. 7. Zacutum Pr. Med. Adm. lib. 1. obſ. 20. & Med. Princip. Hiſt. lib. 1. obſ. 31. & Hiſt. 33. Platerum lib. 1. obſ. pag. 14. Duretum Annot. in Enarrat. ad Hollerii lib. 1. cap. 7. pag. 50. Paullinum in Ephem. Germ. Dec. III. An. v. App. obſ. 115. &c. Quis vero ſecabit venam, quando hœmorrhagia nimia præceſſerit, aut aliis ex cauſis vires penitus defecerint.

§. 44. Loco Venæſectionis commendant alii Cucurbitulas ſcarificatas vel Hirudines. Ac narrat Valeſcus Philon lib. 1. cap. 19. ſe vidiſſe comiti admodum obeſo, cum vena non appareret, plurimas ſanguiſugas hinc inde appoſitas optimo cum ſucceſſu. Nec male retro aures applicarentur ex conſilio Sorbait Med. Pract. Part. 1. c. 3. Nam & cucurbitulas bis in occipite ſcarificatas egregie profuiſſe teſtatur Zacutus Med. Pr. Hiſt lib. 1. obſ. 32. Differt nimirum in eo Hirudinum & Cucurbitularum uſus à Venæſectione, quod in hac major quantitas ſanguinis, & quidem ilico, educi queat, ideoque ma-

magis conducit, ubi Plethora nimium urget ac periculum in mora eſt: Cucurbitulæ autem atque Hirudines minus evacuant ac paulatim, ſed excitant aliquem dolorem præ Venæſectione. In ſubjectis debilioribus minusque Plethoricis locum invenire poſſunt.

§. 45. Quid enim aliud ſibi volunt ligaturæ artuum vehementes ac frictiones, item ſinapismi, veſicatoria, inuſtiones atque ſimilia, quam ut, oborto novo dolore, illoque acuto, priſtinus dolor Spasmodicus, nervos infeſtans, deſinat, i. e. à natura non advertatur amplius? Et quanquam veſicatoria præcipue in convulſionibus tollendis optima ſunt, experientia teſte: arridet nihilo ſecius conſilium Henrici ab Heer lib. 1. obſ. 21. qui ope ventoſæ vitreæ, quam cum multa flamma & ardente ſtupa firmiter adhærere facit nuchæ, ſpatio unius horæ veſicam excitare docet; cum alias à Cantharidibus aliisque uſitatis veſicatoriis vix intra 8. aut 12. horas attollatur. Optimum & præmiſſa ſcarificatione in utroque brachio applicare veſicatoria, id enim inſigniter profuiſſe aliquoties expertus ſum.

§. 46. Quid de Vomitoriis dicam? quæ à plerisque mirum in modum laudantur, ab aliis nihilo minus, v. g. Platero in Prax. Hercule Sax. ob metum ſuffocationis rejiciuntur. Commendat eam in gratiam mercurium vitæ, vel aquam benedictam in dupla doſi Hartmannus in Pr. Chym. & Riverius Prax. Med. lib. 1. cap. 2. teſtatur ſe vidiſſe virum nobilem ter intra biennium ſolo infuſo croci metallorum fuiſſe liberatum ab Apoplexia. Vitriolum album ad drachmam dimidiam ſolutum in aqua ſalviæ vel florum tiliæ tanquam expertiſſimum deprædicat Langius in Miſcell. Curioſ. p. 9. vel ut felicius operetur, in jusculo pingui aut cereviſia cum butyro ſumi poteſt ſuaſu Senn. Circumſtantiæ, vomitorium poſtulantes, ſunt: (1) ſi ſtatim poſt prandium cœnamque morbus ingruat, quod P. J. Fabri Curatio 40. ſatis confirmat, repetito intra quatriduum ſingulis diebus emetico: præſertim ſi (2) plus juſto potarit, aut (3) cibos inſalubres ingeſſerit: item (4) ſi alias indulgere gulæ conſueverit: (5) ſi corpus cacochymicum fuerit: (6) ſi ventriculi

triculi dolor aut ventris tormina præcesserint, quippe quæ non obscure monstrant pravos humores in primis viis nidulari: (7) si narcoticum deglutitum constet.

§. 47. Loco Vomitorii, si minus tutum judicabitur, exhiberi quoque Purgantia possunt, ac denique Clysmata, præsertim quando deglutitio deficit. Sennam, rhabarbarum, aloën similiaque mitiora non semel vidimus egregium præstitisse usum in senibus ac debilioribus. Fortiora tamen, & in specie colocynthis, hanc præ aliis prærogativam habent, quod ordinarie tormina moveant. Atqui hoc in morbo sæpe servantur crudelitate, quos commiseratio intempestiva perderet. Firmiter enim persuasus sum, excitatos hac ratione dolores omnino pares esse Vesicatorio; & quanquam in primis viis nihil etiam reperitur, quod evacuari oporteat: remedium tamen non contemnendum erit, si modo fibras stimules interiores adhuc sensu præditas, quando tactus exteriora deseruit.

§. 48. Patet hinc non obscure, quid Clysteres promittere valeant in hoc casu. De præmittendo emolliente ad feces educendas juxta Horstium Prob. Dec. II. quæst. 7. nihil dicam, nisi quod cavendum putem, ne interea malum altiores agat radices, adeoque ad acriora potius properandum, quoniam occasio præceps. Acriora vel ex purgantibus solum, aut nervinis, vel ex purgantibus atque nervinis insimul mixtis, quod consultissimum, parari possunt. Mirum est quod de colocynthide notavit Dodonæus, eam in Enemate drachmæ unius pondere decoctam, aliquot horis post mortem sanguinis profluvium ex ano concitasse; hoc tamen non obstante jubet Walæus in M. M. eam adjicere liberaliter, cum satius sit ægrotum servare, quam sanguinis portionem.

§. 49. Enimvero in Apoplexia vehementiore, si sphincter ani resolvatur, frustra injicitur Clysma, quid consilii? tum sane Suppositorium acre appositè quadrat, duplici scilicet nomine laudandum, nempe partim quod in promptu semper habeatur in offici-

nis, adeoque tantum temporis non requirat, quantum Clysmatis præparatio: partim quod etiam hiante podice applicari possit, quando liquidiora detineri nequeunt. Et quemadmodum non infrequenter deglutitio atque loquela restituitur per aquas antapoplecticas, theriacam, mithridatium aliaque acriora medicamenta, si aliquamdiu in ore detineantur: ita nec dubitandum est, quin acrior glans ex colocynthide, helleboro, scammonio, pyrethro similibusque, adurendo quasi tunicas intestini, sensum motumque deficientem suscitare quadantenus valeat. Vide Plateri Prax. lib. I. cap. 2. pag. 47.

§. 50. Similis virtus est Masticatorium vel etiam Errhinorum, ac fortasse potior ideo, quod propius ad nervorum origines accedant, cum reliqua, excitandis Apoplecticis destinata, plus minus remotum a capite locum occupent. Et Apophlegmatismi quidem hoc in casu maxime appropriata videntur, ubi totum corpus serosum atque catarrhis obnoxium est. Ita perhibet Dolæus Encyclop. lib. I cap. 10. se vidisse fœminam Apoplecticam, quæ per annum & ultra singulis diebus plus quam dimidiam libram salivæ more infantum dentientium excernebat, eamque, fluxu hoc cessante, statim obiisse. Barbette autem in Praxi Med. cap. 2. & Decker in Notis ad eam p. m. 31. varias adducunt historias eorum, qui, salivantes vel motu naturæ critico, vel masticata radice imperatoriæ similiumque, non modo levamen senserunt egregium, sed & perfectam sanitatem adepti sunt.

§. 51. Id pari cum successu tentare licebit per Errhina in hujusmodi subjectis admodum serosis. Et pulveres quidem sternutatorii vehementius commovent, atque ideo majorem vim possident excitandi Apoplecticos. Verum non secure administrari hos posse omnibus, recte notavit Ballonius Lib. 1. Epid. p. 6. & Rondeletius Lib. I. Pr. cap. 12. Quis enim sternutationem moveret in iis, quibus vas sanguiferum ruptum & intra calvariam vel ipsum caput ab externa causa læsum foret?

§. 52.

§. 52. Solent igitur nonnulli Balſama hic præferre, parata ex oleo ſuccini, lavendulæ, rutæ, majoranæ, roriſmarini, caryophillorum, &c. utiliter inungenda naribus, linguæ, nuchæ, temporibusque. Aliis magis probantur ſalia volatilia cornu cervi, urinæ, fuliginis, camphoræ, ac præcipue ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viva naribus admovenda, ut inter inſpirandum ſimul cum aëre ſeſe inſinuent penetrentque altius; atque optima hæc erunt, ſi fortaſſe odor aquæ fortis aut regiæ, ſpiritus nitri ſimiliaque acida fuerint inſpirata; ſi coagulum ſanguinis metuatur e. g. a frigore vel terrore. Quæ vero acidum ſpirant, ut acetum liliorum convallium & rutaceum, ſpiritus æruginis & vitrioli volatilis tum potius recipere mallem, quando narcotica vel inſpirata, vel aſſumpta fuerint, cum ſanguis æſtuat ab ira, calore aëris ambientis, vini potu, &c.

§. 53. Quoniam vero ſummum in mora periculum eſt, ſuaderem primo loco ut filum ſulphuratum, quod omnes coquæ ad manus habent, ſed triplicatum quadruplicatumque accendatur, aut ſuccini fruſtum, fumusque in naſum ægri ſuffletur; hanc etenim ſuffumigandi rationem tanquam præſtantiſſimam, experientiaque crebriori confirmatam, maximopere commendat non modo in Apoplexia, ſed & Hyſterica Paſſione, Syncope, aliisque ſubitaneis morbis Riverius Pr. Med. lib. 1. c. 2. p. m. 203. Köllichen in Act. Med. Hafn. Vol. 11. obſ. 116. & alii paſſim.

§. 54. Hucusque vidimus ea, quæ ab initio ſtatim fieri debent ad excitandum quodammodo ægrum: quid in morbi progreſſu agendum ſit, & præſertim quæ interna conveniant alterantia, quando ad ſe rediit æger ac deglutire medicamenta poteſt, porro diſpiciendum, ſed breviter. Conſtat nimirum per experientiam omnia antepileptica ſeu antiſpaſmodica potius, itidem antapoplectica eſſe optima, ſcilicet caſtoreum, ſuccinum, cinnabarim, unicornu marinum, dentem hippopotami, lapidem

carpionum, ungulam alce, cornu rhinocerotis, ſulphur lycopodii, &c. ſuntque hujusmodi mitiora ubique tutiſſima.

§. 55. Pro varietate circumſtantiarum antecedentium & concomitantium, his alia poſſunt admiſceri; temperantia, ſi humorum acrimonia peccat in corpore; abſorbentia, mercurialia, lapidoſa, terræ pingues, &c. ſi acidum dominatur; ſudorifera omnis generis, quando expellendum aut reſolvendum eſt; anodyna etiam, ad minimum crocata, ſi dolor urget: verbo: ſi modo certi de occaſione Apoplexiæ fuerimus, & cujus culpa contigerit; non erit arduum invenire vel ſpiritibus, vel humoribus, vel etiam partibus ſolidis aptum remedium.

§. 56. Etenim ſublata cauſa continente, tollitur effectus. Cauſarum autem nomine veniunt quamplurima, tamque diverſa inter ſe, ut impoſſibile ſit, ea exponere digne. Sufficiat ergo ſaltem indicaſſe generaliora & ſumme neceſſaria. Sicuti vero jam non vacat allegare v. g. curam ſcorbuti, Catarrhorum, Podagræ, Variolarum atque Scabiei, quanquam ſuperius inter cauſas occaſionales a me commemorata fuerunt: ita nec opus eſt, ut pluribus demonſtrem, quid in læſionibus capitis faciendum, quomodo v. g. calvaria depreſſa ſit elevanda, fragmenta ejus eximenda mature, ſanguis extravaſatus per inciſionem cutis aut trepanationem, ſi opus, educendus, atque ſic porro; hæc enim ex alio capite, nempe de vulneratorum cura, huc referenda forent; quod ſane fieri non poſſet, niſi limites Diſputationis transgredi velim temere.

DISPU-

DISPUTATIO XII.
DE
REMEDIIS ANTEPILEPTICIS.

PRÆFATIO.

QUæ medicamenta ſint adverſus Epilepſiam, morbum adeo atrocem, utilia, id quidem neque aniculas, neque Medicaſtros latet; quippe quibus allegare vix numeranda contra hoc malum experimenta non admodum erit difficile. Quoniam vero hominum plerique vix ſatis ponderant virtutes medicamentorum, ſed, quod huic illive profuit, ilico tanquam ſpecificum, aut etiam arcanum ſecretumve omnibus promiscue obtrudunt; hinc mirum non eſt, ſi optima quævis ſine judicio, atque ideo ſine ſucceſſu exhibita, parvi æſtimentur, & quod maxime laudatur ab hoc, culpetur ab illo. Scilicet id per naturam eſt impoſſibile, ut unicum remedii genus ſemper & ubique juvare, cunctisque indicationibus, ſæpe adeo diverſis, ſatisfacere poſſit; ſatius hinc erit, origines ac circumſtantias morbi probe discernere, atque tunc ſecundum earum varietatem applicare medicamina ſelectiora, magisque appropriata. Quandoquidem vero nimis prolixum foret uni-

versam epilepsiæ historiam, differentiam, sedem causasque fusius deducere; satis erit, si hac vice exercitii præsentis duo saltem constituantur capita, quorum prius recensеat medicamenta antepileptica, prout eadem ab experientia Veterum pariter atque Recentiorum probata sunt: alterum doceat rationem applicandi hæc ipsa secundum rei exigentiam. Quibus meis conatibus ut Summum Numen ex alto benedicere velit, piis contendo precibus!

CAP. I.

Remedia antepileptica recensens.

§. 1.

PRæsidia, contra comitialem morbum celebriora, partim chirurgica, partim pharmaceutica commendantur ab Autoribus. Ex fonte chirurgico depromuntur Venæ sectio, scarificatio, ac hirudinum applicatio, vid. *Rhod. Obs. Med. Cent I. Obs. 64. & Christoph. a Vega lib. 3. cap. 12. de art. med.*

§. 2. Laudantur præterea à non paucis vesicatoria, setacea, fonticuli, atque cauteria, de quibus vid. *Hollerius in schol. ad cap. 15. lib. 1. de morb. intern. Savanarol. tract. 6. de agritud. cap. 2. Pareus lib. 9. cap. 24. & Montanus cons. 42. & 50.*

§. 3. Quibusdam nec cranii per trepanum apertio displicet, postquam urgente necessitate eandem in juvene, insultibus epilepticis sæpius correpto, post casum ab alto felicem expertus est *Hieron. Fabric. ab Aquapendente, ut refert Rhodius Cent. I. obs. 66.* Nam & effractio calvariæ cum insigni ossis deperditione in fronte Nobilem Gallum à morbo caduco prorsus vindicavit, de quo *M. Donatus hist. mirab. lib. 2. c. 4.*

§. 4.

§. 4. Ex fonte pharmaceutico prodeunt vel evacuantia, vel alterantia tantum. Inter evacuantia laudem præcipue merentur vomitoria & purgantia. Ita enim vino antimoniato atque decocto nicotianæ ſiccæ epilepſiam habitualem penitus exſtirpavit *Zacutus Prax. adm. lib. 1. obſ. 24. & 30.* veratro nigro feliciter uſus eſt *Tulpius obſ. lib. 1. cap. 9.* bryoniæ ſuccum, à pluribus expertum, commemorat *Pancovius herbar. pag. 77.* agaricum quoque, præeunte potiſſimum Dioſcoride, Galeno atque Donato laudat *Foreſtus lib. 10. obſ. 43. in ſchol.* pro pueris ſyrupum de cichorio cum rhabarbaro commendat valdopere *J. C. Baricellus hort. gen. pag. 199.*

§. 5. Alterantia reliqua non incongrue ad duas reduci poſſunt claſſes, quarum prima continet inſipida, altera magis ſapida omnis generis. Ad inſipida referuntur Aquea, Terrea, Sulphurea, Mercurialia & Martialia: ex ſapidorum vero claſſe ſunt ſalia volatilia, acida, amara, acria Aromatica, & ſi quæ mixta exinde occurrunt alia.

§. 6. Aqueus eſt præ cæteris ſuccus è tilia vulnerata, menſe Februar. more ſucci betulæ, collectus, quem adeo deprædicat Cnöffelius, indies doſi unciarum trium vel quatuor tribus vicibus aſſumendum vid. *append. ad Ann. 6. & 7. M. N. C. pag. 50.* & *Tilemann. de mat. med.* Pertinet huc aqua ſquammariæ, galegæ, violæ tricoloris, florum tiliæ, ceraſor. nigror. pœoniæ, betonic. &c. quotidie mulierculis uſitatæ, item aqua panis recentis deſtillata juxta *Craton. lib. 4. fol. 410.*

§. 7. Terrea longe plurima ſunt, uti terra ſigillata *juxta Schröder. Pharmac. lib. 3. cap. 2. p. m. 310.* corallia, cryſtallus montana *ſecundum Etmüll. Prax. part. 2. c. 7. p. 286.* Unicornu foſſile atque marinum, margaritæ, mater perlarum, dens Hippopot. truttarumq; ac ſpina muſtelæ piscis *juxta Frid. Hoffmann. M. M. pag. 283. & 284.* ebur ad mentem *Scribon. Largi de compoſit. med. 16.* lapides cancrorum, tali leporis, à Bartholino laudati, *juxta Bonet. Med. Septentr. p. 121.* Ungula cornuque alcis ac cervi, cranium humanum, aut curioſius

osius etiam collectum os triangulare, secundum *Paracelf. tom. 1. de caduc.* cui non cedit asini cranium ustum, magni quondam in Hispania usus, referente *Alexandro Tralliano lib. 1. c. 15.* aut in genere ossa quæcunque usta, *Galeno lib. 11. de simpl. med. fac.* hoc in casu probata.

§. 8. Inter sulphurea præprimis eminent lycopodii, seu musci clavati pulvis farinaceus, subluteus, ac inflammabilis Julio colligendus, usitatus *Rolfincio tr. de affect. cap. pag. 51. Keilingio, ut refert Frid. Hoffmann. in clav. Schröd. pag. 508.* & *Clarissimo Wedelio M. N. C. Anno 3. obs. 15.* item sulphur julorum coryli mense Martio dum sese leviter aperiunt nucamenta, excipiendum, quod sulphuri lycopodii hoc in passu nullatenus cedit. vide *Ettmüll. Schröd. dilucidat. pag. 144. & Valet. infant. Cap. 3. §. 15.*

§. 9. Ex sulphure atque mercurio composita sunt cinnabaris nativa & antimonii. Crato nativam inter alia extollit sub nomine magnetis epilepsiæ, quam postmodum innumeri salutarem experti sunt, præcipue per sublimationem liberatam ab impuritatibus peregrinis. Imprimis usitatissimum est Specificum cephalicum D. Michaelis, Professoris quondam Lipsiensis atque Practici famigeratissimi, cujus potiorem partem constituit cinnabaris nativa vel antimonii, prout describitur *in Polychrestis secretioribus pag. 639.*

§. 10. Martialia equidem adversus caducum non adeo usitata sunt, narrat tamen *Tulpius obs. lib. 1. cap. 9.* se vino chalybeato egregiam opem tulisse juveni, cui epilepsia vitio lienis contigerat, ita ut ne quidem digito regionem splenis comprimere ausus fuerit sine subitaneo vehementissimoque morbi comitialis insultu.

§. 11. Hactenus de insipidis: sequuntur jam magis sapida, inter quæ potissimum eminent salia volatilia vel spiritus urinosi, uti sunt spiritus & sal vol. cornu cervi, ungul. alcis, eboris, fuliginis, urinæ, salis ammoniaci quem *Decker. in not. ad prax. Barbetti* omnibus præfert, item sanguinis ex *J. B. van Helmont. tr. spiritus vitæ §. 16.* secundinæ atque cranii humani, præsertim ad mentem Paracelsi

celsi paratus ex relatione *Cardilucii in offic. sanitat. pag. 112. & Hartmann. in Osvvald. Croll. Basil. Chym. p. m. 231.*

§. 12. His affinia sunt, quæ cum Spiritibus volatilibus parantur, liquor cornu cervi succinat. essentia castorei cum spiritu salis ammoniaci facta, tinctura coralliorum cum spiritu cordis cervi, Spiritus salis ammoniaci anisat. & quæ camphoram recipiunt tinctura bezoardica & mixtura simplex, cui stupendas in expugnando comitiali morbo facultates tribuit *Matthias Unzerus de epilepsi. lib. 2.*

§. 13. Neque desunt acida, quibus antepileptica virtus tribuitur. Præ cæteris vitrioli spiritus hanc in gratiam commendatur à plerisque Spagyricis. Quem enim *Theophrastus Paracelsus part. 1. ad morb. ament. tr. 2.* commendat spiritum vitrioli volatilem, hunc postea variis tentare modis non dubitarunt ejus sectatores; hinc alia præparatio est Helmontii, alia Crollii, alia Hartmanni, alia Glauberi, alia aliorum. Eodem modo à non paucis æstimatur spiritus viridis æris, quem *Basilius Valentinus part. 2. oper. Chymic. pag. 326.* destillare docet; eum enim sub titulo spiritus antepileptici Basilii spiritibus vitrioli adjecit *Schröd. Pharmac. lib. 3. cap. 26. & Zvvelferus in Append. ad Pharm. Aug. p. 52.* specioso titulo spiritus veneris donatum, epilepticis egregie opitulari asserit.

§. 14. Amara plus minus existunt chamædris, chamæpitys, betonica, hypericum, succisa, saponaria, cujus semen *Borellus Cent. I. obs. 18.* mirifice profuisse refert, chamomilla, carduus benedictus, de cujus succo *J. C. Claudinus Empir. rat. lib. 3. sect. 1. cap. 16.* semen zedoariæ seu cinæ *juxta Forest. observ. lib. 10. obs. 65.* Spectat huc quoque succinum, cujus tincturæ laudes *Grülingius cap. 7. Florileg. Hipp. Hermet.* singulariter deprædicat: item fel catuli in Anglia quondam pro singulari secreto habitum, teste *Rolfincio M. M. lib. 2. conf. 12. pag. 201.* nec non hepar ranarum cum felle desiccatum *juxta Sennert. Prax. lib. 1. p. 2. cap. 31.*

§. 15. Magis acria sunt, & insimul odore aromatico prædita Rosmarinus, Majorana, Melissa, Thymus Creticus, Lavendula,

Stœchas Arabica, Hyſſopus, Ruta, Flores liliorum convallium, Lauri folia, Radix Fraxinellæ, Galangæ, Zedoariæ, & quæ primo loco à quibusdam nominatur Valerianæ. vid. *Panarol. Pent. I. obſ. 33. & Cruger. M. N. C. Decur. 2. Ann. 7. pag. 141. & 142.*

§. 16. Mixta ex his recenſere inſtituti præſentis ratio non permittit; nec enim liber caperet omnia ſecreta antepileptica. Saltem pulverum antepilepticorum, præter uſitatiſſimum Marchionis numerus pene infinitus eſt, ſcilicet è cinnabari, & terreis variis, è ſuccino atque Caſtoreo, varia proportione combinatorum, ut metuendum ſit, ne illorum recenſio nauſeam Lectori creet. Videat qui cupit obſervationes Practicorum, & quas inde collegit ſupra citatus *Bonet. Med. Sept. lib. 1. Sect. 14. cap. 39. & 40.*

CAP. II.

Antepilepticorum uſum genuinum docens.

§. 1.

QUæritur jam, utrum ex modo recenſitis unum præ cæteris eligi poſſit, quod inſtar omnium ubique præſcribi queat commode? aut, ubi hoc non licet, annon potius compoſitum quoddam è ſelectioribus parari debeat? ad quod, tanquam ad ſacram anchoram, confugere poſſint miſeri.

§. 2. Verum negatur utrumque, ſiquidem tanta varietas eſt cauſarum, ut neceſſum ſit aliquando etiam nocivum aut ad minimum inutile fore, quod multis aliis egregie profuit. Quid enim magis inepte fieri poſſet? quam ſi quis aquas ſpirituoſas & aromaticas Antepilepticam Langii, Mynſichti, Hartmanni, Quercetani, Cephalicam F. F. Anhaltinam, Carbunculi &c. exhiberet in Epilepſia ex crapula, qualem ex *Alex. Benedicto atque Gabelchovero annotavit Schenckius lib. I. obſ. Med. p. 108.* aut etiam, ſi quis poſt aſſumptum venenum, cicutam, v. g. opiata cum radice tormentillæ ſimilibusque adſtringentibus: vel in hypercatharſi ſyr. de nicotiana emeticum præſcriberet.

§. 3.

§. 3. Quoniam igitur casus occurrunt varii, non diversa modo, sed & plane contraria postulantes medicamenta, clarum est nec unicum ubique sufficere simplex, nec mixtum etiam fingi posse conveniens omnibus, cum necessum foret, ut commisceantur ea quæ sibi adversa sint, atque ideo se invicem destruant, unde operatio medicamenti procul dubio evanesceret.

§. 4. Rectius illi agunt, ut turpe nomen imperitorum Empiricorum declinent, suæque conscientiæ melius consulant, qui non acquiescunt simpliciter in qualicunque morbi cognitione, sed & causarum rationem habent; siquidem certissimum est *eum*, ut cum Celso loquar, *recte curaturum, quem prima origo causæ non fefellerit.*

§. 5. Scilicet id commune omnibus est Epilepticis, quod corpus concutiatur motibus involuntariis, cum deperditione sensuum. Id ipsum cum in sensus incurrat, nemini non obvium est, quid per Epilepsiam intelligatur. Sed major in eruendis causis difficultas occurrit, quarum tamen signa enarrare prolixius jam non vacat.

§. 6. Potius nunc præsuppono tanquam ab omnibus concessum, Epilepsiam oriri ex ira, terrore, dolore &c. præsuppono item causam morbificam hærere modo in primis viis, modo in Massa sanguinea, partibusque remotioribus, modo in ipsis Spiritibus, aut, ut clarius loquar, causam aliam esse materialem ac magis evidentem in humoribus partibusque solidis, aliam idealem atque occultam in spiritibus, prout id suo tempore plenius demonstrabimus.

§. 7. Nimirum ubique spiritus affici manifestum quidem est, cum nullus partium musculorumque motus absque iisdem contingat; unde non repugnabo, si quis motum spirituum admodum irregularem pro causa insultuum epilepticorum proxima velit allegare. Tum vero causa remotior dicenda erit alia materialis atque alia idealis, uti jam innui.

§. 8. Prima idcirco cura erit, ut removeamus causas materiales si quæ adsint, ne ab iis ad motum convulsivum irritentur porro spiritus. Ponamus ergo vitium hærere in primis viis, danda erit

opera, ut corrigatur vel educatur quantocyus. Ventriculum quidem felicius exonerat vomitus: inteſtina purgans aſſumtum.

§. 9. Si à veneno hauſto v. g. Arſenico vel Mercurio ſublimato, aut etiam cicuta deglutita caducus, ut fieri ſolet, naſcatur, vomitus copioſo lactis potu provocandus; Ita enim *Wepferus tr. de cicuta Aquat. p. 319.* annotavit ſex inſimul puellas, quæ uno eodemque tempore cicutam devoraverant, atque inde vehementibus & diuturnis paroxyſmis epilepticis prehendebantur, vomitum protinus vindicaſſe: dum pueri duo, qui eam quoque ingeſſerant, quibus vomitus, quamvis ad illum ſtimulabantur, non promotus fuit, ob vehementiam & diuturnitatem paroxysmorum epilepticorum extincti fuerunt, qui procul dubio liberari potuiſſent à morte, ſi radicum cicutæ excretio, quam natura moliebatur, facilitata ab Artis Medicæ perito tempeſtive fuiſſet.

§. 10. Fortiora quidem emetica locum non habent in veneni præſentia, admitti tamen poſſunt de cætero, quando pravis humoribus refertus eſt ſtomachus, *prout cap. I. §. 4. ex Zacuto* demonſtratum eſt; videlicet in ſubjectis robuſtioribus & malo habituali. Qui hæc reformidant, in eorum locum ſurrogare purgantia omnis generis poterunt, præter ſuperius commemorata. Monet enim rectiſſime Riverius purgantia uſualia in frequenti uſu habenda, imo & ad fortiora transeundum nonnunquam eſſe, juxta præceptum Maſſariæ, qui Epilepſiam ideo rarius curari dicit, quod Medici ſemper in levioribus hæreant.

§. 11. Experimur id tota die in recens natis, qui huic malo facile obnoxii fiunt, niſi à partu ſtatim meconium ejiciatur. Liberantur autem non difficulter ab iisdem, ſi modo feces nigricantes viridesque per alvum educantur. Non enim præciſe opus eſt, ut ſulphure aurato, curioſius præparato, vel auro fulminante irritemus naturam, cum idem præſtent quævis etiam leviſſima, uti ſunt oleum amygd. dulc. cum tantillo ſacchari, ſyrupus Cichor. cum rhabarb. pulvis rad. ireos flor. aut etiam pinguius jusculum per modum clyſmatis injectum.

§. 12.

§. 12. Quodſi humorum acrimonia inſimul corrigenda eſt, quæ fere communiter acida deprehenditur, præſcribenda ſunt, quæ diluunt, aquea, quo nomine non diſplicet aqua antepileptica puerorum *à Zvvelfero Animad. in Pharm. Aug. pag. 296.* deſcripta; ſed omiſſo ſaccharo perlato, cum dulcia ejusmodi minus conveniant, & aquæ inſipidæ ne quidem exigant eorum adjectionem.

§. 13. Terrea &, ubi opus eſt, Martialia humores acidos potentius deſtruunt; corallia tamen, matrem perlarum, cryſtallum & ſimilia duriora debilioribus præprimis infantibus non æque propinare auſim, cum per experientiam conſtet, eadem hæc paulo largiore in doſi, aut crebrius aſſumpta, non parum gravare ſtomachum. Facilius emolliuntur animalium partes minus duræ, ut alæ ungula, tali leporis atque ebur.

§. 14. Præ cæteris laudem hic meretur Pœoniæ radix, non quidem ſuperſtitioſe collecta; ſiquidem parum refert qua hora effodiatur, modo ſuavi gaudeat ſapore. Nam & feculas ejus, non minus quam Ireos Florentinæ atque bryoniæ, vidimus egregio cum ſucceſſu exhibitas in infantibus; ubi enim reliquæ virtutes cum ſapore periere, ibi certe abſorbendi facultas non deſinit, prout alias in Cornu cervi uſto experimur.

§. 15. Quid ſi vero à vermibus, inteſtina occupantibus, epilepſia originem ducat? quales hiſtorias *Thom. Bartholinus Cent. 4. hiſt. 7. & Cent. 6. hiſt. 20.* recenſet; tum profecto alia ineunda via, & potius anthelmintica in auxilium vocanda ſunt. Eum in finem amara omnis generis cum aloë porrigi frequentius poſſunt, de quibus in §. 14. Cap. præcedent.

§. 16. Potentiora ſunt acida, inprimis vitrioli ſpiritus. Memini enim puellam, ab infantia epilepticam, uſu largiore tincturæ papav. rhead. cum ſpiritu vitrioli paratæ, in febre ardente, vermem grandiorem egregie rubentem, per alvum dejeciſſe, quæ poſtmodum per plures annos immunis ab inſultibus epilepticis ad hæc usque tempora vivit.

§. 17. Acidis tamen non cedunt Mercurialia, unde procul dubio virtus egregia cinnabaris nativæ atque Antimonii deducenda. Convenit quoque reiterata Mercurii dulcis exhibitio, quippe qui debite præparatus longe commodius operatur, quam aloëtica atque amara, nec facile turbas excitat, quales post assumpta, vermibus adversa, succinum, myrrham castoreumque observavimus non semel. Conf. *modo allegatam Bartholini historiam 7. Cent. 4.* ubi, quid Clarissimus Langelot præstiterit pilulis Mercurialibus in simili casu, fusius narratur.

§. 18. Hucusque de primis viis: progrediorjam ad vitia sanguinis. Constat autem hujus abundantiam quoque occasionem dedisse morbo comitiali, suppresso inprimis hæmorrhoidum, mensium, lochiorumque fluxu. Quid vero aliud hic requiritur quam Venæ sectio, scarificatio vel hirudinum applicatio præeuntibus *Zacuto Lusitano Prax. Med. admir. lib. 1. obs. 21. 26. 27. 28. 29. & 30. Rhodio Cent. 1. obs. 64. Platero obs. pag. 19. Montano aliisque.*

§. 19. Neque dubium est, quin etiam à cacochymia seu impuritatibus sanguinis interdum Epilepsia nascatur. Et frequentius quidem ante variolarum vel morbillorum eruptionem tale quid accidit, quod tamen paulo post, ubi excretio facta fuerit, sponte iterum cessat. Magis periculosum est si à retrocessione talium exanthematum motus superveniant convulsivi, quod de purpura atque petechiis pariter intelligendum. Quid? quod & à scabie retropulsa obortum idem malum observavit *Vict. Trincavelius lib. 2. de rat. curand. part. c. 6.* ab herpete intempestive curato *Rhodius Cent. 1. obs. 62.*

§. 20. Proinde si certi simus de instantibus vel retroactis exanthematibus, optimum erit adhibere expellentia & sudorifera. Nolim tamen quenquam ad acriora se convertere, ubi malignitas æstusque morbum concomitatur, cum hoc in passu mitiora longe tutissima sint, ex cinnabari, Unicornu, Terra sigillata, similibusque alexipharmacis parata. Pro potu præscribi poterit decoctum Cornu

nu Cervi vel Eboris cum Scorzonera, cujus radicem apprime conducibilem Epilepsiæ existimat *Simon Pauli Quadripart. Botanic. p. 480.*

§. 21. Porro nec rarum est, læsiones partium solidarum, ac dolores quoscunque acerbiores, præsertim in corpore tenero, Epilepsiam producere. Plura non adducam, quibus libri Practicorum scatent; exempli loco sit dentitio infantum dolorosa, capitisque percussio, quibus gravissimum hoc symptoma frequentissime supervenire solet.

§. 22. Ecquid vero hic aliud magis prodesse poterit, quam anodynum, non neglectis tamen iis, quæ causam doloris removere queant. Ita enim novi Celeberrimum quendam Medicum mira præstitisse sua Essentia antepileptica, quam ex opio cydoniato cum spiritu quodam Cephalico parare solitus erat; in cujus locum pro infantibus substitui poterunt syrupus papav. alb. Tinctura flor. papav. rh. Crocus & similia mitiora, quorsum & sulphur lycopodii & julorum Coryli non immerito refertur.

§. 23. Qua ratione causæ doloris, ac vitia humorum corrigenda sint, ex antecedentibus constat, saltem capitis contusiones peculiare quid postulant, scilicet si sanguis copiosior intra calvariam effusus, vel fragmenta cranii meninges pungant, ut eximantur etiam trepano adhibito, cum aliter non licet.

§. 24. Superest, ut tandem expediam quid agendum sit, quando Epilepsia immediate à spirituum commotione accidat, à terrore videlicet, vel ira. Sciendum ergo est spiritus aliter moveri in hoc, aliter in illo affectu. In ira certe furibundi quasi spiritus cum impetu in vindictam ruunt, atque ideo excandescit corpus plerumque, fulgent oculi, pulsus acceleratur cum vehementia, & robur corporis intenditur notabiliter, Spiritibus scilicet ad exteriora vergentibus.

§. 25. Quid ergo consilii si tum ob commotionem & inquietudinem, denegata præsertim vindicta, spirituum nimiam caducus superveniat? Danda himirum opera est, ut furor eorundem sedetur,

tur, quod per opiata ſive hypnotica facillime impetramus. Abſit autem ut acria hoc in caſu adhibeamus, quæ in ſequenti optima ſunt.

§. 26. Etenim diverſa ratio terroris eſt, utpote in quo ſpiritus potius ad interiora recedunt, confuſi tamen ac tremuli, quod artus potiſſimum teſtantur, hinc facies pallet, frigent extrema non ſine manifeſto virium defectu. Tum vero reluctante natura, motus ſequitur maxime inordinatus uti ſpirituum, ita fibrarum partiumque quas impellunt.

§. 27. Itaque à terrore epilepticos juvamus adhibendo excitantia, ſalia præcipue volatilia (alias ad corrigendū acidum, vel ad expellendum ſangvinis vitium ſuo modo perquam utilia) nec non Cephalica ſuperius enarrata. Proderunt in hoc caſu cauteria quoque ſetacea & veſicatoria brachiis aut nuchæ applicanda, præſertim cum idem hoc remedii genus ſpiritus non modo excitet, ſed & divertat, atque ideo in malignis aliisque non contemnendum.

§. 28. Fortaſſe Amuleta, ut mentio eorum quoque fiat, ſi quid valent, id præſtant hoc in paſſu, quatenus hisce confiſi, magis tranquillo ſecurove animo ſunt; Quas enim facultates affingunt Smaragdo, Lapidi pullorum hirundinum, oſſiculo verticis Cypriani, Lupi corio, Pilis canis perfecte albi, fruſtulo ſambuci è ſalice creſcentis &c. haud ſatis voto reſpondent. Plura jam addere non vacat, cum propoſitum mihi fuerit non integrum Tractatum de materia ſubſtrata conſcribere, ſed exercitii gratia vires Remediorum Antepilepticorum examinare pro meo ingenii modulo.

DISPU-

DISPUTATIO XIII.

DE ANGINA.

PRÆFATIO.

CUm thema quoddam pro Disputationis Inauguralis materia eligendum esset, in mentem venit ANGINA, morbus profecto hactenus non infrequens solet enim id morbi genus non parum grassari, quandocunque inclementia & Asperitas Aëris dominatur; atque ideo ab Hippocrate non modo vernalibus & autumnalibus annumeratur morbis, prout ex *Sect. 3. Aphor. 20. & 22.* videre licet, sed & Hyemalibus *lib. de victu Acut. 39.* ita ut Æstas sola serena scilicet hic eximatur: nisi alia fortassis causa præter Aërem interveniat, uti suo loco demonstrabitur in sequentibus,

Dum vero morbi hujus tractationem sustineo, veniam à Lectore Benevolo mihi polliceor, si quæ minus accurate dicta erunt: DEUM autem Ter Optimum Ter Maximum supplici veneror pectore, ut & hunc qualemcunque conatum & reliqua mea studia gratiosè dirigere velit, ad sui Divini Nominis GLORIAM Proximique SALUTEM.

§. 1.

ANginæ vox procul dubio ab ango, quod cum Græco ἄγχω coincidit, deducta est; commoda certe ad exprimendam anxie-

tatem illam ſummam, quam ſuffocationis metus hoc morbo decumbentibus incutit, utpote quibus reſpiratio non aliter intercipitur, ac ſi fune conſtringeretur collum.

§. 2. Ita enim Græcis quoq; non diſſimiles uſitatæ fuerunt appellationes. Hippocrati communiter κύναγχος dicitur, σύναγχος ſaltem in *lib. de victu Acut. 35.* ſed παραπύναγχη levior Angina *lib. 3. de morb. 11.* Poſteri tamen plures ejusdem nominarunt differentias, ita, ut alia ſit κυνάγχη, alia συνάγχη, alia παρακυνάγχη, atque alia παρασυνάγχη, uti ex Galeno, Paulo Æginera, Tralliano, aliisque conſtat.

§. 3. Quandoquidem vero hæc ipſa diſtinctio non omnibus eſt eadem, nec utilis adeo aut neceſſaria, ſed minus ſignificans & ſupervacanea potius ἀκριβολογία judice Clariſſ. Jac. Pancr. Brunone in Lex. Med. itaque nec mihi à quoquam velim vitio verti, quod explicationi ejus non immorari diu velim.

§. 4. Quid obſtat? ſub uno eodemque titulo Anginæ omnes comprehendi ejusdem differentias, cum revera idem morbus ſit, ſaltem ſede diverſus. Definiri autem ad hunc modum commode poteſt, quod *ſit dolor faucium deglutitionem ac reſpirationem plus minus lædens.*

§. 5. In qua definitione dolor generis locum occupat, cum Angina doloris genuina ſit ſpecies. Cumque inflammatio non ſemper in hoc affectu accidat, nec tumor ubique manifeſtus occurrat, convenientius mihi viſum eſt, definire illum non per inflammationem, ut vulgo ſolet, aut etiam tumorem, ſed per dolorem nunquam non præſentem.

§. 6. Hoc pacto utramque Anginam ſub eodem genere complector, ſcilicet exquiſitam æque ac ſpuriam. Etenim ſive dolor adſit inflammatorius, ardens pulſansque, qualem in vera ſupponunt, ſeu minus ardens, quam notham vocant, dolor tamen nullibi abeſt, præcipue ſi quis tentare deglutitionem velit.

§. 7. Differentia vero in definitione deſumpta eſt partim à ſub-

ſubjecto, partim à functionibus manifeſte læſis; ita enim, qui congeneres ſunt morbi ab Angina diſcerni poſſunt nullo negotio.

§. 8. Nempe ſubjectum ſeu pars affecta dicuntur fauces, quo nomine intelliguntur œſophagi atque aſperæ Arteriæ principium cum partibus vicinis, linguæ baſi, uvula, tonſillis atque palato; ubi plerumque tumor notabilis deprehenditur, ruborve, aut etiam obſcurus nigricansque color, unde Germanis audit die Bräune.

§. 9. Nonnunquam tamen in ore nihil eorum omnium appareret, tumque in collo magis hærere vitium videtur, quod proprie dicitur ein böſer Halß. Accuſantur autem in hac Angina latente muſculi tam Laryngis quam Pharyngis; fortaſſis tamen glandulæ thyroideæ frequentius afficiuntur primario, uti non male certis obſervationibus inductus colligo.

§. 10. Functiones læſæ in hoc affectu ſunt deglutitio atque reſpiratio; Et deglutitio quidem impeditur plerumque adeo, ut per gulam vix liquida molliaque deſcendant: interdum vero & ipſe potus, ob viam penitus denegatam clauſo œſophagi ſphinctere per nares regurgitat.

§. 11. Reſpiratio autem difficilis eſt ob anguſtiam quaſi laryngis, procul dubio guttalibus cartilaginibus ex tumore ac dolore vicino nimium coarctatis; reliquus enim Tracheæ canalis, propter annulares, quibus conſtat, cartilagines, non facile comprimitur, niſi externa, eaque enormis accedat violentia.

§. 12. Atque ita manifeſte liquet, quibus ſignis Angina innoteſcat. Videlicet non ſufficit faucium dolor, non deglutitio ſolum aut reſpiratio læſa; ſed ut hæc tria concurrant neceſſum eſt. Alioquin faucium quoque dolor accidit, illæſa tamen reſpiratione in tumore uvulæ tonſillarumq;, vel eroſionibus palati ex lue Venerea. Viciſſim ſalva deglutitione nonnunquam reſpirationis opus turbatur in catharro ſuffocativo, Aſthmate Peripneumonia & ſimilibus.

§. 13. Hinc Prognoſis etiam non difficulter fluit: morbum ſcilicet admodum periculoſum eſſe, in quo reſpiratio atque deglutitio

tanquam ad vitæ ſuſtentationem ſummæ neceſſariæ functiones, ſufflaminantur. Quapropter etiam meo judicio recte acutis communiter accenſetur morbis, cum experientia conſtet, paucos intra dies ac fere horas jugulaſſe hominem.

§. 14. Eſt tamen quædam præ cæteris periculoſior, nempe exquiſita præ ſpuria, latens præ manifeſta. Quo enim major eſt reſpirationis difficultas, quo major inflammatio dolorque, hoc magis periculoſum eſt malum. Et quo minus licet attingere medicamentis partem affectam, hoc minor etiam ſpes reſtituendæ ſalutis ſupereſt.

§. 15. Conſiſtit autem præcipuum curationis punctum in cognitione cauſarum, ſine qua incerto ſemper fluctuamus animo, etiamſi de morbo certiores ſimus; ſed perſpecta hujus origine non amplius erit difficile reperire auxilium adæquatum atque ſufficiens.

§. 16. Nimirum quicquid in faucibus circa laryngem atque pharyngem excitat dolorem, id quidem omne Anginam valet producere, & quidem eo facilius, quo magis impurum fuerit corpus, pituitoſum ſcilicet bilioſum ſcorbuticum atque cacochymicum. Hinc enim eſt, quod nonnulli præ cæteris ad Anginam ſint magis proclives, ita ut interdum malum quaſi habituale tam crebro redeat, quale exemplum ſuggerit P. Borell. *Cent. 4. obſ. 60.* & alii plures.

§. 17. Enim vero in recenſendis cauſis primus Aëri debetur locus, à cujus intemperie non unum oritur morborum genus, ſpeciatim, ſi Aër fuerit nebuloſus, turbidus frigidusque, tunc Anginæ obſervantur longe frequentiores. Hinc non mirum, ſi in hiſce regionibus frequentiores fuerint anginoſi, cum Aër toties obſervetur depravatus atque corruptus. Dum enim inſpirantur ejusmodi particulæ aſperiores, quemadmodum vellicando in naribus Coryzam in pectore Pleuritidem ac etiam Peripneumoniam, ita circa laryngem tuſſim, raucedinem aut Anginam ipſam pariunt.

§. 18. Si ſubjectum fuerit ſcorbuticum, ſequuntur ſtatim defluxi-

fluxiones acriores lymphæ, unde facilis erosio, dolor tumorque ac tandem inflammatio. Si pituitosum aut bile viscida refertum, stagnatio humorum in parte dolente adhuc facilior est, à qua malum notabiliter augetur.

§. 19. Nec parum valent vociferationes clamoresque immoderati, ad generandam Anginam, item screatus tussisque vehementior. Ast omnium pessimum est, si tussis non modo præcedat, sed & concomitetur inflammationem faucium: id quod in morbillis ac variolis maxime plurimi experiuntur, non sine præsentaneo suffocationis metu.

§. 20. Quid victus inordinatus hic conferat, notorium est. Vinum certe acrius, crudum, igneum, vel etiam adulteratum aut aromatisatum, liberaliusque haustum impune haud multi ferunt; ac dubio procul morbus Ungaricus Angina perquam maligna comitatus originem suam huic errori debet.

§. 21. Nihilo meliores sunt cibi crudi, nimium saliti, fumo indurati & aromatibus excessive conditi, si avidius ingurgitentur. Nec enim chylus hinc producitur laudabilis, sed pravi humores plus minus viscidi acres ac nidorosi, qui è ventriculo eructantes instar sodæ adurunt fauces, ipsamque sanguineam massam inficiunt sordibus suis.

§. 22. Afficiuntur autem corpora cacochymica tum maxime, cum forte ab ira, terrore, frigore vel æstu intensiore alterentur tantisper. Præsertim ubi evacuatio quædam consueta supprimitur, v. gr. hæmorrhoidum, mensium aut lochiorum fluxus. Videatur Zacutus *Med. Pr. Hist. lib. 1. hist. 77. p. 134. & obs. 17. p. 139.*

§. 23. Scilicet stagnantibus in corpore vitiosis humoribus jamjam dispositio adest ad omne tumorum, dolorumque genus. Data igitur occasione morbus modo in hac, modo in illa parte prorumpit, & quidem nunc sub specie Podagræ vel Erysipelatis, vel etiam Anginæ; Hinc enim & à Dysenteria intempestive curata obortam Anginam vidit Hildanus *Cent. 3. obs. 27. fol. 390.*

§. 24. Hæ ſunt fere postiores cauſæ. Adde luxationem vertebrarum colli, cujus Hippocr. ipſe *lib. 2. Epidem. ſect. 2.* meminit, quam tamen in dubium vocat Clariſſ. Mich. Ettmüller. *in Praxi cap. de Angina:* item ſi quæ per errorem deglutita faucibusque ac gulæ infixa hærent, ſpinæ, aciculæ, officula & ſimilia.

§. 25. Ut taceam vulnera externa & contuſiones, unde dolor, tumor ac inflammatio colli oriri ſolet. Saltem nemo non perſpicit, quam varia ſit Anginæ cauſa, & conſequenter quam vario incedendum ſit methodo, ut ægrum reſtituamus ex arte, cum neceſſario aliter tractari debeat, quando vitium in ventriculo, aliter quando in ſanguine, atque aliter quando in Larynge vel Pharynge reſideat quaſi privata & peculiaris cauſa, uti mox demonſtrabo.

§. 26. Cura igitur è triplici fonte petenda erit, ſcilicet Pharmaceutico Chyrurgico & Diætetico. Pharmaceuticus ſuggerit evacuantia & alterantia. Evacuantia vel fortiora ſunt, vel mitiora: alterantia vero vel refrigerantia, vel præter anodyna aperientia, vel humorum acrimoniam corrigentia.

§. 27. Fortius evacuant vomitoria & purgantia vehementiora. Ita enim Laz. Riverius *cap. 2. obſ. 10. & 24. cap. 4. obſ. 60.* vires Aquæ ſuæ benedictæ h. e. infuſionis Croc. metallor. plurimum extollit. Extractum Scammonii jam olim exhibere non dubitavit Alexand. Trallianus, uti *lib. cap. 1.* teſtatur.

§. 28. Pilulas, quibus optimo ſemper cum ſucceſſu eſt uſus Jul. Cæſ. Baricellus deſcribit *Hort. Genial. p. 180.* è trochiſc. alhandal. aloë ac Diagridio paratas c. ſyrup. de liquiritia. Fortaſſis ad imitationem Aſclepiadis, qui Pharmacum ex aloë & colocynthide imperavit, ut refert Jac. Hollerius *l. 1. de morb. internis c. 23. p. 114.* cui tamen non immerito ſuſpectum eſt, tum quod fortius ſit, tum quod in forma pilularum exhibeantur, quas Anginoſi non æque commode deglutire poſſent, quam quidem liquida.

§. 29. Enimvero quod purgantia fortiora vel vomitoria concernit, ſumma opus eſt cautione, ne medicamento ægrum ſuffo-

caſſe

cassé Medicus videatur. Sane Vict. Trincavellius *l. 1. cap. 7. p. 112. de Cur. partic. affect.* refert, Venetiis fœminam vomitu excitato à bolis Cassiæ assumptis strangulatam interiisse. Quis ergo in Angina vera vomitorium aut vehementius purgans, quod itidem non raro per superiora evacuat, secure propinabit?

§. 30. Solent equidem hujusm. pharmaca tum demum ab Autoribus commendari, quando præmissa venæsectione cucurbitulis aut vesicatorio ægri quodammodo allevati fuerunt. Verum crediderim potius tum convenire, quando circa principium morbi & respiratio atque deglutitio adhuc liberior est. Potissimum in Angina spuria, ubi scilicet non concurrit inflammatio, per vomitum aut acrius medicamentum exacerbanda facile.

§. 31. Optimum profecto foret, si modo liceret tuto, fomitem hujus mali, frequentiq in stomacho nidulantem quantocyus subduci evacuando; Nam aliquoties observavi in febr. ard. post haustum paulo largiorem aquæ puræ, julepi refrigerantis aut cerevisiæ secundariæ, oborto vomitu, rejectaq; materiæ acris & biliosæ insigni copia non modo æstum ilico sedatum fuisse, sed & imprimis ardorem faucium cum insatiabili siti cessasse ilico.

§. 32. Itaque ubi de pravis humoribus in ventriculo constat, non differendum puto evacuans, mitius tamen suadeo, pro lubitu etiam reiterandum, ad hunc modum potionem ex Agarico, Senna, Syr. rosar. solutiv. & Electuar. de succ. rosar. feliciter exhibuit Petr. Poterius *Cent. 11. obs. 18.* & Petr. Foreſt. *lib. 15. obs. 13.* Electuar. Diacatholic. similiter mitissimum cum Agarico Cassiaque dedit egregio cum fructu.

§. 33. Quid quod & clysmata; imo & suppositoria hunc in finem non parum conferunt. Cumque interdum nihil quicquam per os assumere queant ægri, ac nihilominus abundantia humorum vitiosorum purgans indicet, postuletque tum vero illa evacuandi ratio & optima erit & summe necessaria. Vid. Foreſt. *lib. c.* & Franc. Valeriolan. *lib. 2. obs. 10.* De diaphoreticis hic quoque quæri possit,

possit, num & eorum usus in Angina sit æstimandus, cum non tantum evacuando serum per sudorem, sed & resolvendo & discutiendo tumorem prodesse videantur; quemadmodū alias in Pleuritide, Erysipelate, tumoribusq; œdematosis exhiberi cum fructu solent.

§. 34. Verum & hic opus esse judicio arbitror, ne indiscriminatim cuncta præscribantur, præsertim acriora; cum nonnunquam observatum sit suffocationis periculum inter sudandum augeri, quandocunque tumor interiora occupans accrescit ab exagitato sanguine, uti hoc pacto Erysipelas expelli atque augeri manifeste per sudorem solet.

§. 35. Propterea primis diebus in principio vel augmento Anginæ sudorifera non ausim præbere; præmissa potius venæsectione ac etiam purgantibus, ad discutiendas mali reliquias commendarem illa in declinatione, sc. antimon. diaphor. simpl. & martiale, bezoard. minerale, antihect. Poter. cum C. C. Ebore, dente Apri, Unicornu marino & similibus.

§. 36. Rectius agunt, qui ab initio etiam ad alterantia & quidem anodyna statim confugiunt, cum dolor urget, nec non ad refrigerantia, cum æstus ægrum affligat. Anodyna sunt præter Crocum Opiata varii generis, Opium fermentatum, aut ad mentem Sydenham in vin. malvatic. l. Hispanico præparatum, sem. papav. alb. ad emulsionem commodum, vel syrupus inde confectus, diacodium montani ac præ cæteris fl. papav. erratici.

§. 37. Convenient autem tum maxime anodyna, quando vel à dolore nascitur aut saltem fovetur malum; it. quando à defluxionibus acrioris lymphæ, vel etiam à tussi pars affecta irritatur, quid enim opiata valeant in sedandis ejusmodi defluxionibus ac etiam tussi exinde oriundo in vulgus quoque notum est, cumque Angina nunquam sine dolore accidat, anodyna nullibi sunt omittenda.

§. 38. Refrigerandi certe facultate non minus pollent eadem, quatenus impetum fervoremque spirituum sedant, unde febrilis æstus ac inflammatio primario nascitur. Non negligenda tamen

sunt

ſunt nitrata & reliqua refrigerantia, virtute aperiendi præcipue vel abſtergendi aut ſaltem humectandi vel temperandi ſimul inſtructa.

§. 39. Nitrum etiam crudum non contemnendum eſt, vel magis depuratum per cryſtalliſationem, aut per fuſionem cum ſulphure quod lapid. prunellæ communiter dicunt, it. nitrum antimoniatum nitr. vitriolatum alias titulo ſpecioſiore Arcani duplicati Mynſichti, vel Panaceæ Holſaticæ ſuperbiens, ſed hæc ſalſa ſunt; ubi acidum magis arridet ſp. nitri quoq; adjiciendus eſt refrigerantibus julepis, aut qui mitiores, ſucci portulacæ ac ſempervivi majoris.

§. 40. Habent autem hæc ipſa egregiam utilitatem in ſubjectis pituitoſis ac bilioſis; unde nec abſonum videtur pulverem pyrium cum aceto ſumere, quod gregariis militibus eſt familiare, quando à prava victus ratione morbus graſſatur Hungaricus, inflammationibus faucium ordinarie comitatus.

§. 41. Si vero inflammatio non adſit, tumorque magis videatur pituitoſus, poſthabitis refrigerantibus requiruntur potius aperientia cum laxantibus miſcenda, qualia ſunt in hoc affectu pluries experta, flores ſambuci fungusque quem vocant auriculam Judæ, flor. periclymini atque bellidis, lignum hederæ atque ſimilia c. fol. ſ. ſ. ſ. rad. rhabarb. agarici vel polypodii decocta.

§. 42. Ubi acrimonia humorum prædominatur ſ. acida, ſive bilioſa aut ſalſa vel mixta omnis generis, ex inordinata victus ratione potiſſimum oriunda, tum cogitandum eſt magis de abſorbentibus, diluentibus & temperantibus acrimoniam: præmiſſis tamen vel admixtis iisdem evacuantibus.

§. 43. Ad deſtruendum acidum convenientiſſima ſunt lap. cancr: C. C. uſtum, mater perl. corall. cryſtall. montan. alabaſtr. & ſimilia largius, crebriusque cum hauſtu aquæ puræ ſumpta it. Bolus Armena vel alba vel terra ſigillata cum limatur. martis.

§. 44. Subjectis bilioſis imperandus eſt acidularum potus, usque dum alvus copioſe fluat: in quarum defectu julepi acidulati non male ſubſtituuntur, ex ſyrup. de moris berber. ribium rub. id.

& fl. violar. rosar. atque borragin. c. succ. sempervivi M. & portulacæ, vel spir. nitr. atque vitrioli philosophico.

§. 45. Scorbuticis & quibus nimium salsa vel acris est lympha conducunt lactis potus, ptisana s. hordeatum, vel quod nihilo ignobilius avenæ decorticatæ jusculum: Emulsiones it. seminum frigidorum c. papavere, amygdalis dulcibus pineisque recentibus, insigne Anginosis solamen.

§. 46. Sufficere hæc possunt è fonte pharmaceutico: transeo jam ad fontem Chyrurgicum, ubi varia se offerunt præsidiorum genera, scilicet gargarismata aut exterius applicanda collo, sangvinis missio, incisio tumoris, vel denique laryngotomia, quibus omnibus pro diversitate circumstantiarum uti licet.

§. 47. Nimirum Gargarisma parari solet ex herba prunell. plantagin. fragariæ, hyssop. betonic. arbrotan. & fl. rosar. ligustri, periclymeni, aquileg. papav. rhead. c. Croco, sem. anisi, rad. altheæ, glycyrrhiz. vel extract. Cassiæ, aut nitro vel sal armon. plus minus adstringens, resolvens, abstergens, humectans, refrigerans, vel anodynum pro lubitu, secundum rei exigentiam.

§. 48. Locum id habet, quando tumor in ore conspicuus est aut saltem in faucibus mucus hæret viscidior: atque tum vel per syringam à Chirurgo injicitur repetitis vicibus, aut potius in ore tantum retinetur, donec incalescat, siquidem agitatio illa liquoris vehementior, screatusque inter gargarisandum concurrens, ubi ex inflammatione fauces dolent, nullatenus permittenda sunt, ne malum irritetur.

§. 49. Quod si profundius resideat tumor, applicentur potius collo Emplastr. d. melilot. miniol. cerussæ a. sperm. ranarum vel sperm. ceti c. camphora it. Empl. de cumino cum sperm. ceti, quod frequentissime applicatum c. fructu ab Excell. Dno. HERMANNO memini. It. spir. vini camphoratus lithargyrium in aceto coctum, farina fabarum C. fl. chamomill. atque sambuc. vel in forma sacculi vel cataplasmat. adjecto lacte, ol. lil. alb. Herb. Parid. Croco aliisque anodynis.

§. 50.

§. 50. Spectat huc etiam butyrum, non quidem superstitiosius collectum, sed recens non salitum. Quod enim Jac. Hollerius *lib. 1. de morb. internis, cap. 23.* in scholiis narrat, mulierem mense Majo, & quidem tribus diebus rogationum paraſſe butyrum pro viro è lacte vaccæ, quæ marem peperisset, quæ fœminam pro mulieribus eoque ipso remedio collum largiter inungendo plures restituisse, id quidem non contemnendum est, si medicamentum absolute spectes; anilem tamen devotionem sapit, si modū parandi servare velis.

§. 51. De nido hirundinum plura sibi promittunt non pauci ac pleriq; nescio quam virtutem specificam in stercore quærunt, quia olim hirundines atque adeo cineres eorum adversus anginam commendati fuerint. Verum quis nescit terræ, lutique vires? cum tota die limus bolus & argilla pro scopo refrigerandi à vulgo adhibeantur. Nec enim quisquam est, qui excrementis illis tuto confidat. Ubi vero alia commiscentur magis efficacia, ut sem. lini, anethi vel fœnu græci, ol. lil. alb. chamomillæ, tum fortasse major virtus tribuitur nido, quæ potiori jure debetur adjectis.

§. 52. Sed sanguinis missio variis tentatur modis, nempe vel per venæsectionem quam non solum in brachio, vel pede suadent sed & jugulares & sublinguales aggrediuntur, ut propius ad partem affectam accedant. Mittunt autem sanguinem copiosum vel una vice, Autore Avicenna usque ad animi deliquium, aut repetitis vicibus ad libr. j. vel alteram de quo videri potest Laz. River. in Praxi.

§. 53. Aliis magis probantur cucurbitulæ scarificatæ scapulis, nuchæ, aut etiam sub mento applicandæ. Confer. Plater. *lib. 2. obs. p. 385.* Amat. Lusitan. *Cent. 3. Cur. 28.* it. Zacut. Lusit. *Hist. l. 1. qu. 57.* & *Prax. admir. obs. 94.*

§. 54. Quibusdam nec sanguisugæ displicent, quarum tres urgente necessitate sub ipsa etiam lingua utiliter apponere jussit idem Zacutus *Prax. Hist. lib. 2. p. 289.* Hollerius autem *l. 1. p. 155.* loco scarificationis affigit hirudines cervici, sed his detractis applicat cucurbitulas, ad eliciendam sanguinis majorem quantitatem, si ægri vires id tolerent.

& fl. violar. roſar. atque borragin. c. ſucc. ſempervivi M. & portulacæ, vel ſpir. nitr. atque vitrioli philoſophico.

§. 45. Scorbuticis & quibus nimium ſalſa vel acris eſt lympha conducunt lactis potus, ptiſana ſ. hordeatum, vel quod nihilo ignobilius avenæ decorticatæ jusculum: Emulſiones it. ſeminum frigidorum c. papavere, amygdalis dulcibus pineisque recentibus, inſigne Anginoſis ſolamen.

§. 46. Sufficere hæc poſſunt è fonte pharmaceutico: tranſeo jam ad fontem Chyrurgicum, ubi varia ſe offerunt præſidiorum genera, ſcilicet gargarismata aut exterius applicanda collo, ſangvinis miſſio, inciſio tumoris, vel denique laryngotomia, quibus omnibus pro diverſitate circumſtantiarum uti licet.

§. 47. Nimirum Gargarisma parari ſolet ex herba prunell. plantagin. fragariæ, hyſſop. betonic. arbrotan. & fl. roſar. liguſtri, periclymeni, aquileg. papav. rhead. c. Croco, ſem. aniſi, rad. altheæ, glycyrrhiz. vel extract. Caſſiæ, aut nitro vel ſal armon. plus minus adſtringens, reſolvens, abſtergens, humectans, refrigerans, vel anodynum pro lubitu, ſecundum rei exigentiam.

§. 48. Locum id habet, quando tumor in ore conſpicuus eſt aut ſaltem in faucibus mucus hæret viscidior: atque tum vel per ſyringam à Chirurgo injicitur repetitis vicibus, aut potius in ore tantum retinetur, donec incaleſcat, ſiquidem agitatio illa liquoris vehementior, ſcreatusque inter gargariſandum concurrens, ubi ex inflammatione fauces dolent, nullatenus permittenda ſunt, ne malum irritetur.

§. 49. Quod ſi profundius reſideat tumor, applicentur potius collo Emplaſtr. d. melilot. miniol. ceruſſ. a. ſperm. ranarum vel ſperm. ceti c. camphora it. Empl. de cumino cum ſperm. ceti, quod frequentiſſime applicatum c. fructu ab Excell. Dno. HERMANNO memini. It. ſpir. vini camphoratus lithargyrium in aceto coctum, farina fabarum C. fl. chamomill. atque ſambuc. vel in forma ſacculi vel cataplasmat. adjecto lacte, ol. lil. alb. Herb. Parid. Croco aliisque anodynis.

§. 50.

§. 50. Spectat huc etiam butyrum, non quidem ſuperſtitioſius collectum, ſed recens non ſalitum. Quod enim Jac. Hollerius *lib. 1. de morb. internis, cap. 23.* in ſcholiis narrat, mulierem menſe Majo, & quidem tribus diebus rogationum paraſſe butyrum pro viro è lacte vaccæ, quæ marem peperiſſet, quæ fœminam pro mulieribus eoque ipſo remedio collum largiter inungendo plures reſtituiſſe, id quidem non contemnendum eſt, ſi medicamentum abſolute ſpectes; anilem tamen devotionem ſapit, ſi modū parandi ſervare velis.

§. 51. De nido hirundinum plura ſibi promittunt non pauci ac pleriq; neſcio quam virtutem ſpecificam in ſtercore quærunt, quia olim hirundines atque adeo cineres eorum adverſus anginam commendati fuerint. Verum quis neſcit terræ, lutique vires? cum tota die limus bolus & argilla pro ſcopo refrigerandi à vulgo adhibeantur. Nec enim quisquam eſt, qui excrementis illis tuto confidat. Ubi vero alia commiſcentur magis efficacia, ut ſem. lini, anethi vel fœnu græci, ol. lil. alb. chamomillæ, tum fortaſſe major virtus tribuitur nido, quæ potiori jure debetur adjectis.

§. 52. Sed ſangvinis miſſio variis tentatur modis, nempe vel per venæſectionem quam non ſolum in brachio, vel pede ſuadent ſed & jugulares & ſublinguales aggrediuntur, ut propius ad partem affectam accedant. Mittunt autem ſangvinem copioſum vel una vice, Autore Avicenna usque ad animi deliquium, aut repetitis vicibus ad libr. j. vel alteram de quo videri poteſt Laz. River. in Praxi.

§. 53. Aliis magis probantur cucurbitulæ ſcarificatæ ſcapulis, nuchæ, aut etiam ſub mento applicandæ. Confer. Plater. *lib. 2. obſ. p. 385.* Amat. Luſitan. *Cent. 3. Cur. 28.* it. Zacut. Luſit. *Hiſt. l. 1. qu. 57. & Prax. admir. obſ. 94.*

§. 54. Quibusdam nec ſanguiſugæ displicent, quarum tres urgente neceſſitate ſub ipſa etiam lingua utiliter apponere juſſit idem Zacutus *Prax. Hiſt. lib. 2. p. 289.* Hollerius autem *l. 1. p. 155.* loco ſcarificationis affigit hirudines cervici, ſed his detractis applicat cucurbitulas, ad eliciendam ſanguinis majorem quantitatem, ſi ægri vires id tolerent.

& fl. violar. rosar. atque borragin, c. succ. sempervivi M. & portulacæ, vel spir. nitr. atque vitrioli philosophico.

§. 45. Scorbuticis & quibus nimium salsa vel acris est lympha conducunt lactis potus, ptisana s. hordeatum, vel quod nihilo ignobilius avenæ decorticatæ jusculum: Emulsiones it. seminum frigidorum c. papavere, amygdalis dulcibus pineisque recentibus, insigne Anginosis solamen.

§. 46. Sufficere hæc possunt è fonte pharmaceutico: transeo jam ad fontem Chyrurgicum, ubi varia se offerunt præsidiorum genera, scilicet gargarismata aut exterius applicanda collo, sangvinis missio, incisio tumoris, vel denique laryngotomia, quibus omnibus pro diversitate circumstantiarum uti licet.

§. 47. Nimirum Gargarisma parari solet ex herba prunell. plantagin. fragariæ, hyssop. betonic. arbrotan. & fl. rosar. ligustri, periclymeni, aquileg. papav. rhead. c. Croco, sem. anisi, rad. altheæ, glycyrrhiz. vel extract. Cassiæ, aut nitro vel sal armon. plus minus adstringens, resolvens, abstergens, humectans, refrigerans, vel anodynum pro lubitu, secundum rei exigentiam.

§. 48. Locum id habet, quando tumor in ore conspicuus est aut saltem in faucibus mucus hæret viscidior: atque tum vel per syringam à Chirurgo injicitur repetitis vicibus, aut potius in ore tantum retinetur, donec incalescat, siquidem agitatio illa liquoris vehementior, screatusque inter gargarisandum concurrens, ubi ex inflammatione fauces dolent, nullatenus permittenda sunt, ne malum irritetur.

§. 49. Quod si profundius resideat tumor, applicentur potius collo Emplastr. d. melilot. miniol. cerussæ a. sperm. ranarum vel sperm. ceti c. camphora it. Empl. de cumino cum sperm. ceti, quod frequentissime applicatum c. fructu ab Excell. Dno. HERMANNO memini. It. spir. vini camphoratus lithargyrium in aceto coctum, farina fabarum C. fl. chamomill. atque sambuc. vel in forma sacculi vel cataplasmat. adjecto lacte, ol. lil. alb. Herb. Parid. Croco aliisque anodynis.

§. 50.

§. 50. Spectat huc etiam butyrum, non quidem ſuperſtitioſius collectum, ſed recens non ſalitum. Quod enim Jac. Hollerius *lib. 1. de morb. internis, cap. 23.* in ſcholiis narrat, mulierem menſe Majo, & quidem tribus diebus rogationum paraſſe butyrum pro viro è lacte vaccæ, quæ marem peperiſſet, quæ fœminam pro mulieribus eoque ipſo remedio collum largiter inungendo plures reſtituiſſe, id quidem non contemnendum eſt, ſi medicamentum abſolute ſpectes; anilem tamen devotionem ſapit, ſi modū parandi ſervare velis.

§. 51. De nido hirundinum plura ſibi promittunt non pauci ac pleriq; neſcio quam virtutem ſpecificam in ſtercore quærunt, quia olim hirundines atque adeo cineres eorum adverſus anginam commendati fuerint. Verum quis neſcit terræ, lutique vires? cum tota die limus bolus & argilla pro ſcopo refrigerandi à vulgo adhibeantur. Nec enim quisquam eſt, qui excrementis illis tuto confidat. Ubi vero alia commiſcentur magis efficacia, ut ſem. lini, anethi vel fœnu græci, ol. lil. alb. chamomillæ, tum fortaſſe major virtus tribuitur nido, quæ potiori jure debetur adjectis.

§. 52. Sed ſangvinis miſſio variis tentatur modis, nempe vel per venæſectionem quam non ſolum in brachio, vel pede ſuadent ſed & jugulares & ſublinguales aggrediuntur, ut propius ad partem affectam accedant. Mittunt autem ſangvinem copioſum vel una vice, Autore Avicenna usque ad animi deliquium, aut repetitis vicibus ad libr. j. vel alteram de quo videri poteſt Laz. River. in Praxi.

§. 53. Aliis magis probantur cucurbitulæ ſcarificatæ ſcapulis, nuchæ, aut etiam ſub mento applicandæ. Confer. Plater. *lib. 2. obſ. p. 385.* Amat. Luſitan. *Cent. 3. Cur. 28.* it. Zacut. Luſit. *Hiſt. l. 1. qu. 57. & Prax. admir. obſ. 94.*

§. 54. Quibusdam nec ſanguiſugæ displicent, quarum tres urgente neceſſitate ſub ipſa etiam lingua utiliter apponere juſſit idem Zacutus *Prax. Hiſt. lib. 2. p. 289.* Hollerius autem *l. 1. p. 155.* loco ſcarificationis affigit hirudines cervici, ſed his detractis applicat cucurbitulas, ad eliciendam ſanguinis majorem quantitatem, ſi ægri vires id tolerent.

& fl. violar. rosar. atque borragin. c. succ. sempervivi M. & portulacæ, vel spir. nitr. atque vitrioli philosophico.

§. 45. Scorbuticis & quibus nimium salsa vel acris est lympha conducunt lactis potus, ptisana s. hordeatum, vel quod nihilo ignobilius avenæ decorticatæ jusculum: Emulsiones it. seminum frigidorum c. papavere, amygdalis dulcibus pineisque recentibus, insigne Anginosis solamen.

§. 46. Sufficere hæc possunt è fonte pharmaceutico: transeo jam ad fontem Chyrurgicum, ubi varia se offerunt præsidiorum genera, scilicet gargarismata aut exterius applicanda collo, sangvinis missio, incisio tumoris, vel denique laryngotomia, quibus omnibus pro diversitate circumstantiarum uti licet.

§. 47. Nimirum Gargarisma parari solet ex herba prunell. plantagin. fragariæ, hyssop. betonic. arbrotan. & fl. rosar. ligustri, periclymeni, aquileg. papav. rhead. c. Croco, sem. anisi, rad. altheæ, glycyrrhiz. vel extract. Cassiæ, aut nitro vel sal armon. plus minus adstringens, resolvens, abstergens, humectans, refrigerans, vel anodynum pro lubitu, secundum rei exigentiam.

§. 48. Locum id habet, quando tumor in ore conspicuus est aut saltem in faucibus mucus hæret viscidior: atque tum vel per syringam à Chirurgo injicitur repetitis vicibus, aut potius in ore tantum retinetur, donec incalescat, siquidem agitatio illa liquoris vehementior, screatusque inter gargarisandum concurrens, ubi ex inflammatione fauces dolent, nullatenus permittenda sunt, ne malum irritetur.

§. 49. Quod si profundius resideat tumor, applicentur potius collo Emplastr. d. melilot. miniol. cerussæ a. sperm. ranarum vel sperm. ceti c. camphora it. Empl. de cumino cum sperm. ceti, quod frequentissime applicatum c. fructu ab Excell. Dno. HERMANNO memini. It. spir. vini camphoratus lithargyrium in aceto coctum, farina fabarum C. fl. chamomill. atque sambuc. vel in forma sacculi vel cataplasmat. adjecto lacte, ol. lil. alb. Herb. Parid. Croco aliisque anodynis.

§. 50.

§. 50. Spectat huc etiam butyrum, non quidem ſuperſtitioſius collectum, ſed recens non ſalitum. Quod enim Jac. Hollerius *lib. 1. de morb. internis, cap. 23.* in ſcholiis narrat, mulierem menſe Majo, & quidem tribus diebus rogationum paraſſe butyrum pro viro è lacte vaccæ, quæ marem peperiſſet, quæ fœminam pro mulieribus eoque ipſo remedio collum largiter inungendo plures reſtituiſſe, id quidem non contemnendum eſt, ſi medicamentum abſolute ſpectes; anilem tamen devotionem ſapit, ſi modū parandi ſervare velis.

§. 51. De nido hirundinum plura ſibi promittunt non pauci ac pleriq; neſcio quam virtutem ſpecificam in ſtercore quærunt, quia olim hirundines atque adeo cineres eorum adverſus anginam commendati fuerint. Verum quis neſcit terræ, lutique vires? cum tota die limus bolus & argilla pro ſcopo refrigerandi à vulgo adhibeantur. Nec enim quisquam eſt, qui excrementis illis tuto confidat. Ubi vero alia commiſcentur magis efficacia, ut ſem. lini, anethi vel fœnu græci, ol. lil. alb. chamomillæ, tum fortaſſe major virtus tribuitur nido, quæ potiori jure debetur adjectis.

§. 52. Sed ſangvinis miſſio variis tentatur modis, nempe vel per venæſectionem quam non ſolum in brachio, vel pede ſuadent ſed & jugulares & ſublinguales aggrediuntur, ut propius ad partem affectam accedant. Mittunt autem ſangvinem copioſum vel una vice, Autore Avicenna usque ad animi deliquium, aut repetitis vicibus ad libr. j. vel alteram de quo videri poteſt Laz. River. in Praxi.

§. 53. Aliis magis probantur cucurbitulæ ſcarificatæ ſcapulis, nuchæ, aut etiam ſub mento applicandæ. Confer. Plater. *lib. 2. obſ. p. 385.* Amat. Luſitan. *Cent. 3. Cur. 28.* it. Zacut. Luſit. *Hiſt. l. 1. qu. 57. & Prax. admir. obſ. 94.*

§. 54. Quibusdam nec ſanguiſugæ displicent, quarum tres urgente neceſſitate ſub ipſa etiam lingua utiliter apponere juſſit idem Zacutus *Prax. Hiſt. lib. 2. p. 289.* Hollerius autem *l. 1. p. 155.* loco ſcarificationis affigit hirudines cervici, ſed his detractis applicat cucurbitulas, ad eliciendam ſanguinis majorem quantitatem, ſi ægri vires id tolerent.

& fl. violar. rosar. atque borragin. c. succ. sempervivi M. & portulacæ, vel spir. nitr. atque vitrioli philosophico.

§. 45. Scorbuticis & quibus nimium salsa vel acris est lympha conducunt lactis potus, ptisana s. hordeatum, vel quod nihilo ignobilius avenæ decorticatæ jusculum: Emulsiones it. seminum frigidorum c. papavere, amygdalis dulcibus pineisque recentibus, insigne Anginosis solamen.

§. 46. Sufficere hæc possunt è fonte pharmaceutico: transeo jam ad fontem Chyrurgicum, ubi varia se offerunt præsidiorum genera, scilicet gargarismata aut exterius applicanda collo, sanguinis missio, incisio tumoris, vel denique laryngotomia, quibus omnibus pro diversitate circumstantiarum uti licet.

§. 47. Nimirum Gargarisma parari solet ex herba prunell. plantagin. fragariæ, hyssop. betonic. arbrotan. & fl. rosar. ligustri, periclymeni, aquileg. papav. rhead. c. Croco, sem. anisi, rad. altheæ, glycyrrhiz. vel extract. Cassiæ, aut nitro vel sal armon. plus minus adstringens, resolvens, abstergens, humectans, refrigerans, vel anodynum pro lubitu, secundum rei exigentiam.

§. 48. Locum id habet, quando tumor in ore conspicuus est aut saltem in faucibus mucus hæret viscidior: atque tum vel per syringam à Chirurgo injicitur repetitis vicibus, aut potius in ore tantum retinetur, donec incalescat, liquidem agitatio illa liquoris vehementior, screatusque inter gargarisandum concurrens, ubi ex inflammatione fauces dolent, nullatenus permittenda sunt, ne malum irritetur.

§. 49. Quod si profundius residet tumor, applicentur potius collo Emplastr. d. melilot. miniol. cerussa. sperm. ranarum vel sperm. ceti c. camphora it. Empl. de cumino cum sperm. ceti, quod frequentissime applicatum c. fructu ab Excell. Dno. HERMANNO memini. It. spir. vini camphoratus lithargyrium in aceto coctum, farina fabarum C. fl. chamomill. atque sambuc. vel in forma sacculi vel cataplasmat. adjecto lacte, ol. lil. alb. Herb. Parid. Croco aliisque anodynis.

§. 50.

§. 50. Spectat huc etiam butyrum, non quidem ſuperſtitioſius collectum, ſed recens non ſalitum. Quod enim Jac. Hollerius *lib. 1. de morb. internis, cap. 23.* in ſcholiis narrat, mulierem menſe Majo, & quidem tribus diebus rogationum paraſſe butyrum pro viro è lacte vaccæ, quæ marem peperiſſet, quæ fœminam pro mulieribus eoque ipſo remedio collum largiter inungendo plures reſtituiſſe, id quidem non contemnendum eſt, ſi medicamentum abſolute ſpectes; anilem tamen devotionem ſapit, ſi modū parandi ſervare velis.

§. 51. De nido hirundinum plura ſibi promittunt non pauci ac pleriq; neſcio quam virtutem ſpecificam in ſtercore quærunt, quia olim hirundines atque adeo cineres eorum adverſus anginam commendati fuerint. Verum quis neſcit terræ, lutique vires? cum tota die limus bolus & argilla pro ſcopo refrigerandi à vulgo adhibeantur. Nec enim quisquam eſt, qui excrementis illis tuto confidat. Ubi vero alia commiſcentur magis efficacia, ut ſem. lini, anethi vel fœnu græci, ol. lil. alb. chamomillæ, tum fortaſſe major virtus tribuitur nido, quæ potiori jure debetur adjectis.

§. 52. Sed ſangvinis miſſio variis tentatur modis, nempe vel per venæſectionem quam non ſolum in brachio, vel pede ſuadent ſed & jugulares & ſublinguales aggrediuntur, ut propius ad partem affectam accedant. Mittunt autem ſangvinem copioſum vel una vice, Autore Avicenna usque ad animi deliquium, aut repetitis vicibus ad libr. j. vel alteram de quo videri poteſt Laz. River. in Praxi.

§. 53. Aliis magis probantur cucurbitulæ ſcarificatæ ſcapulis, nuchæ, aut etiam ſub mento applicandæ. Confer. Plater. *lib. 2. obſ. p. 385.* Amat. Luſitan. *Cent. 3. Cur. 28.* it. Zacut. Luſit. *Hiſt. l. 1. qu. 57. & Prax. admir. obſ. 94.*

§. 54. Quibusdam nec ſanguiſugæ displicent, quarum tres urgente neceſſitate ſub ipſa etiam lingua utiliter apponere juſſit idem Zacutus *Prax. Hiſt. lib. 2. p. 289.* Hollerius autem *l. 1. p. 155.* loco ſcarificationis affigit hirudines cervici, ſed his detractis applicat cucurbitulas, ad eliciendam ſanguinis majorem quantitatem, ſi ægri vires id tolerent.

§. 55. Sicuti vero in ſubjectis plethoricis, præſertim ſuppreſſo menſium, lochiorum aut hæmorrhoidum fluxu omnis miſſio ſanguinis & larga maxime convenit, ita fortaſſe vitio hærente in ventriculo, vana erit ejusmodi evacuandi ratio, quemadmodum exBraſavola Jo. Schenckius *lib. 2. obſ. p. 220.* refert, Viro cuidam ultra tres libras, ſanguinis eductas fuiſſe, reiterata venæſectione, additis cucurbitulis, omnibusque diverſionem generibus, ac nihilominus intra horas octo eundem interiiſſe.

§. 56. Quidſi tumor interea verſus exteriora quodammodo & ad ſuppurationem vergat, metusque ſuffocationis porro inſtet? annon tunc licebit aperire apoſtema, etiam cultelli ope, ubi periculum in mora eſt? Ita ſane puto; ſatius enim erit anceps tentaſſe remedium quam ægrum deſeruiſſe agonizantem. Hoc pacto à ſe reſtitutam mulierem 55. annorum memorat Lanfrancus *Chyrurg. maj. doctr. 2. cap. 5.* ſutorem adoleſcentem ſimiliter ſanatum tradit Th. Brunett. *in Theſaur. med. pr. lib. 1. p. 68.* ubi etiam parem ex Benivenio recenſet hiſtoriam.

§. 57. Cavendum vero eſt, ne vaſa ſanguifera, nervi aut etiam tendines muſculorum per inciſionem lædantur. Atque ideo non niſi verſatus in Anatomia Chyrurgus, qui partium ſitum circa laryngem linguæque baſin exacte callet, ſecure ad illam ſectionem admitti poteſt.

§. 58. Idem de laryngotomia aut ſi mavis Tracheotomia ſentiendum arbitror, quam in extremo mortis periculo jam olim fuiſſe uſitatam ex Cælio Aureliano, Paulo Ægineta, Raſi, Avicenna, aliisque ſatis apparet. Modum inſtituendi hanc ſectionem inter recentiores deſcribit Thom. Fien. *tract. 4. c. 5.* & Paul. Barbette *in Chyrurg. Part. 3. lib. 3. cap. 2.*

§. 59. Ad hanc operationem ut confugiamus non alia erit cauſa, quam ſi Angina deliteſcat, ac imprimis laryngem occupet, quo minus reſpirare queat æger. Via igitur per laryngem negata, alia ineunda eſt, arte quærenda, donec Angina perſanata illa non amplius opus ſit.

§. 60.

§. 60. Cæterum si de luxatione vertebrarum colli constet, reponantur ante omnia illæ in sedem naturalem. Si quid erronee deglutitum in faucibus hæreat, eximatur, si licet, aut detrudatur, aut denique relinquatur, ut per suppurationem secedat, cujus exemplũ notabile reperies in Platero *obs. lib. 2. p. 181.*

§. 61. Sed ut educantur, quæ infixa sunt œsophago, deglutiantur spongiæ madefactæ portio, filo appensa, ut ejus beneficio rursus eximi cum spina queat, ex Consil. Foresti. *lib. 15. obs. 27.* Ut detrudantur, eadem spongia summitati lineæ ferreæ quodammodo flexilis, firmius alligata immittatur, usq; dum ad partem affectam deveniat.

§. 62. Superest, ut è Fonte Diætetico tandem levamen hauriamus pro Anginosis, nam & in hoc affectu plurimum refert quo utamur victu, & quomodo se gerant ægri. A vino abstinendum est jussu Hippocratis *lib. de morb. 3. sect. 15.* magis enim convenit potus tenuissimus, imo & aqua pura ne augeatur inflammatio.

§. 63. Cibus itidem parcus sit, siquidem & ipse morbus ob impeditam deglutitionem plura non admittit, & per inediam solam restitutum vidit Alex. Benedict. *de cur. morb. lib. 7. cap. 19.* saltem ægroto quicquid offertur, nec sale nimium aut aromatibus conditum aut acre, sed temperatum omnino esse debet.

§. 64. Aërem similiter temperatum aut certe magis frigidum quam calidum admittere convenit. Ab æstu enim desiccantur fauces, sitisque intenditur, sed frigidus aër ex consensu omnium inflammationem quasi demulcet nec vires æque dejicit.

§. 65. Neque vero necessum est, ut in lecto detineatur æger, si modo infirmitas ejus id non requirat. Satius tamen est, si erigat corpus, atque adeo in lecto etiam sedeat ubi difficiliorem longe respirationem ex decubitu observamus.

§. 66. Plura jam allegare supervacaneum arbitror, quoniam nemo est, qui damnum ex animi pathematibus ac imprimis ira nesciat, & si quæ alia ægro vitanda sunt. Desino hic potius, Lectorem benevolum iterum iterumque obtestatus, ut omnia æqui bonique

consulere velit. DEO vero TRIUNO pro concessis viribus, sit LAUS HONOR & GLORIA.

DISPUTATIO XIV.

DE RAUCEDINE.

J. D

EXimia profecto ac plane singularis est prærogativa, quam homini præ cæteris animalibus brutis concedit loquela; utpote cujus beneficio non modo corporis necessitatibus prospicere, sed & mentis cogitationes sublimiores exponere licet. Læditur autem illa etiam multis modis, siquidem instrumentis variis, alterationi non uni obnoxiis, opus habet. Frequentissima inter omnes affectus loquelæ RAUCITAS, quæ utut levius videatur malum, vitæque periculum nunquam intentans, nihilominus & satis molestum est, & interdum adeo contumax, ut Medicorum, præstantissimorum quoque eludat consilia. Sunt igitur, qui per plures annos ravim tolerant tanquam insanabilem; sunt vicissim, quibus eandem ad horam vel diem pati summa miseria est. Quid, si publice declamandum, concionandum vel disputandum sit? quid, si cantandum? unde justæ ac satis crebræ audiuntur querelæ, tempore brumali potissimũ, quotiescunque acris asperitas dominatur. Eapropter haud displicuit materia hæc, vel ideo mihi dignior visa

fuit

fuit in Disputatione Inaugurali jam discutienda, quod morborum sæpius occurrentium tractatio majorem habere utilitatem videatur, quam rarissimorum; imo gravius peccari, si res arduas minusque perspectas aggredi temere, vulgares & quotidie obvias turpiter negligere velimus. DEUS omnium rerum supremus Arbiter ac Moderator adsit hisce conatibus meis sua ineffabili gratia, ita nec labor, quem suscipio, irritus omnino erit.

§. 1.

RAucitas vel raucedo, aut ravis etiam appellatur, vitium vocis vulgo notissimum, quandocunque naturalis illius sonus inter loquendum ita mutatur, ut neque clarus, neque purus reddi queat, sed obtusus & asper plus minus, unde sermo ægrotanti non minus ipsi difficultatem creat, quam audientibus molestiam ac tædium, siquidem prolata verba partim ob sibilum stridoremve admodum ingrata, partim obscura propter nimiam submissionem vocis, atque vix satis intelligibilia sunt.

§. 2. Equidem si communem Autorum opinionem sequi velim, sufficere ad Raucitatem sola vocis asperitas posset; quemadmodum Veteres quoque video, nimirum *Scribonium Largum*, *Oribasium*, *Actuarium*, *Myrepsum* atque alios, raucedinem à vocis abscissione, ut loquuntur, quodammodo separasse. Quoniam vero utrumque vitium plerumque concurrit, certe raucitas cum vocis deperditione aliqua semper habetur; lubet potius ea junctim spectare, quo felicius postmodum progredi queam in tradenda cura & applicatione remediorum debita.

§. 3. Malo nimirum hoc in passu sequi *Galenum 6. de sanit. tuenda*, gradusque tres raucedinis constituere, utpote quæ ab initio vocem saltem asperam reddit, progressu temporis parvam; sin vero

vero longius procedat malum, adimit totam. Moneo tamen nil obstare, quo minus etiam recens ilico summum attingat gradum, si modo sufficiens ejus adfuerit causa: quemadmodum legimus apud *Riverium Cent. 2. Obs. 80.* puellam, cum se aëri exposuisset frigido, statim in tam gravem incidisse raucedinem, ut nullam fere vocem edere posset, frustra quam plurimis per sex menses adhibitis remediis.

§. 4. Ut igitur causas hujus ægritudinis melius perspiciamus, inquirendum ante omnia erit in subjectum seu sedem illius. Præsuppono autem ex Physiologicis organa loquelæ destinata triplicis esse generis. Sunt enim, quæ aërem excipiunt redduntque instar follium, pulmones nempe cum thorace atque diaphragmate; sunt porro alia, quæ in transitu pro lubitu aërem reddunt sonabilem, ut vox audiatur gravis vel acuta, plus minus clara lenisve, id quod larynx præstat beneficio musculorum, epiglottidi præcipue atque guttalibus cartilaginibus dicatorum: denique sunt, quæ loquelam proprie dictam formant, literasque in verba significantia cogunt connectuntque, lingva puta, labia cum dentibus ac palato.

§. 5. Si proinde organa primi generis fuerint læsa, vitiatur ipsa quidem respiratio primum, sed consequenter vox & loquela; si secundi generis, afficitur vox potissimum & loquela ex parte, salva respiratione: si tertii, corrumpitur loquela, sed illæsa & voce atque respiratione. Unde non obscure liquet, partes in raucedine affectas nominandas esse tam primi, quam secundi generis organa, sed ita, ut laryngem pro subjecto proximo, pulmones atque universum pectus cum diaphragmate pro aliquatenus remoto habeamus.

§. 6. Quod ad laryngem, genuinum, ex *Hieron. Fabricii ab Aquapendente* sententia, instrumentum vocis: dubium nullum est, quin ab ejus clausura diversa varium sonum vox sortiatur, nempe hoc magis acutum, quo arctius claudatur, ut per angustiam summam egredi aërem sinat; sed magis gravem, quo minus claudatur.

tur. Si vero aperiatur omnino, quod in ſolenni reſpiratione contingit, trajicitur aër absque ullo notabili ſono. Nam & ſummo cum impetu poſſumus expellere aërem, vehementius concutiendo diaphragma, ſine clamore tamen, ſi modo laryngem aperiamus.

§. 7. Clauditur autem & aperitur viciſſim larynx duplici modo, videlicet partim ab epiglottide, ſive operculo, hunc in finem muſculis ſuis & clauſoribus & aperientibus inſtructo: Partim cartilaginibus, ipſam rimam conſtituentibus, arytænoideis ſeu guttalibus, ope certorum muſculorum vel arctius coëuntibus inter ſe, vel à ſe invicem recedentibus. Et harum quidem cartilaginum ſummam in voce formanda utilitatem eſſe oſtendit non modo major apparatus muſculorum, ſiquidem alii ſunt transverſi arytænoidei ſimpliciter dicti, alii cricoarytænoidei poſtici, alii cricoarytænoidei laterales: alii thyroarytænoidei: Quid? quod in pennatis, etiam deficiente operculo, ſolæ ſufficiunt guttales ad cantum longe ſvaviſſimum.

§. 8. His præmiſſis, non amplius arduum eſt explicare, qua ratione fiat, ut in raucedine vox aſpera & obtuſa, nec ſine difficultate reddatur. Aſpera nempe illa neceſſario erit, quotiescunque ſuperficies membranæ guttales cartilagines atque operculum tegentis, à ſuo, quem ſecundum naturam habere debet, lævore desciverit; ubi enim inæqualis ac minus polita via eſt, per quam aëri exitus datur, ibi ſonus quoque aſperior ac inæqualis formatur, prout exemplo inſtrumentorum, quæ inflari ſolent, ſpeciatim tibiæ (noſtratibus Schallmey) cujus ſummitas labiis excipienda cannulam ex arundine fabrefactam excipit, egregie apparet.

§. 9. Verum obtuſus producitur ſonus, quando laryngis rima plus juſto hiat, ut liberius egredi queat aër. Id procul dubio accidit muſculorum culpa, ſi nimirum relaxentur nimium vel clauſores epiglottidis, vel qui guttales coarctant cartilagines. Ita enim explicari optime poteſt *Aëtius Tetrab. 2. Serm. 4. cap. 51.* Quando raucedinem à vociferatione deducens aſſerit, laryngem idem tunc pati, quod reliqua membra, ſi fuerint fatigata & labore attrita:

musculos nempe vocem operantes non solum ab erumpente spiritu perculsos lædi, verum etiam extensos ultra modum maximam pati lassitudinem.

§. 10. Propter eandem quoque causam si loquela in primis concitatior vel cantio in raucis difficultatem, aliquando majorem etiam conjunctam habeat, mirum nemini videbitur. Quamvis enim vires suas intendant omnes ut clariorem edant vocem, irritus tamen conatus est, etsi maximus: quoniam exiens per portam patentiorem spiritus ad sonum formandum nullo modo adigitur, sed quasi efflatur aut exhalat per rimam ob relaxatos non debite claustram. Accedit interdum, quod dolor, inflammationis vel erosionis perpetuus comes, exacerbetur in motu laryngis male sic affecti, & quidem hoc magis, quo clarius eloqui laborant ægri.

§. 11. Quandoquidem vero raucitatis causam non semper in larynge, sed & interdum partibus remotioribus, pulmonibus atque pectore quærendam superius monui, opportunum erit hoc in loco declarare, quod vocis submissio potius atque infirmitas nascatur ex læsione instrumentorum respirationis, quam asperitas. Duplici namque pacto peccare solent hæc ipsa, videlicet quando aërem vel non excipiunt reddunt que sufficientem, quod fere vitium pulmonum est: vel non impellunt decenter propter imbecillitatem, spasmum, aliove modo impeditum motum, quod diaphragmati atque thoraci magis adscribendum videtur.

§. 12. Clariora erunt omnia, si experientiam ipsam Medicorumque observationes cum hac theoria nostra conferre atque aliquantisper examinare velimus. Vulgatissimum est, ab aëris inclementia, præsertim frigore ac nebulis, tussim raucedinemque produci, maxime in iis, qui alias catarrhis obnoxii existunt. Unde nonnulli Autorum *Paulum Æginetam L. 3. c. 28.* imitantes, ut *Schneiderius*, *Riverius*, *Sorbait* aliique non alium, quam inter catarrhos locum assignarunt raucitati. Quanquam vero alias plures causas habeat hoc malum, fatendum tamen communissimam esse acri-

acrimoniam ſeri, non tam contractam ex aëris inſpirati vitio, quam occaſione hujus irritatam, ſiquidem ſubjecta ſcorbutica & ⊖ibus acrioribus referta præ cæteris vexantur uti coryza, ita raucedine ſimilibusque affectibus catarrhalibus vulgo nominatis.

§. 13. Interim opus haud eſt, ut catarrho ſeu defluxionibus ſeroſis occultas aut ſingulares excogitemus vias. Tunica ſane pituitaria tegit non modo interiora narium, ſed & vicina loca, extenditque ſe ad fauces usque. Deſtillat exinde ſerum ad laryngem, præſertim dum ſitum corporis ſervamus ſupinum. Imo ipſa membrana, inveſtiens laryngis operculum atque cartilagines guttales, obſita eſt copioſis glandulis, ut indeſinenter hæ partes humectentur. Si ergo acrior vel tranſſudet vel affluat lympha, tuſſi raucedinique præbetur anſa, quatenus irritando naturam ad tuſſiendum ſtimulat, vel eandem membranam arrodendo exulcerat; quale quid in Coryza fieri haud raro aſſolet, quando à ſimili ſero & frequens ſternutatio & narium labiique ſuperioris eroſio contingit.

§. 14. Accedit, quod glandulæ interdum iſtæ tumentes neceſſariam laryngis lævitatem tollant, & quaſi ſparſæ in ſuperficie parum emineant; quotiescunque dolori, tumori vel etiam inflammationi cauſam ſuppeditat vociferatio, tuſis vehemens, angina &c. Non dicam à frigore inſpirato immediate ſubitaneam oriri poſſe raucedinem, criſpatis membranæ illius glanduloſæ fibris, quemadmodum cernimus brumali tempore cutem in reliquo corpore, ſi aëri liberiori exponatur, ilicò exaſperari, quod vulgus à qualicunque ſimilitudine appellat, **eine Gänſehaut bekommen.**

§. 15. Ecquid prohibet, quo minus credamus, ab eodem quoque frigore, ſi diutius toleretur, paralyſin muſculorum laryngis accidere poſſe? Quam inimicum enim frigus ſit nervoſo generi, nemo eſt qui neſciat. Exinde vero contumaciſſimam ac inſanabilem prorſus contrahi raucedinem, teſtis eſt *Johann. de Muralto in Eph. Germ. Dec. II. Ann. VIII. Obſ. 14.* ubi duplicem recenſet hiſtoriam, aliam juvenis, ex obfirmata raucedine in phthiſin lethalem

lem incidentis, aliam viri à superveniente catarrhali febre similiter extincti.

§. 16. Quærit *Sorbait Med. Pract. Part. I. c. 38. p. 313.* cur contracti & paralytici sint rauci, additque rationem, quod nervi recurrentes in ejusmodi affectibus simul afficiantur: Siquidem & curatis hisce vox restituï sponte soleat. Nimirum sunt, quæ assertum hoc egregie confirmant, observationes hinc inde obviæ. Ipse profecto *Galenus* scribit *lib. de dissect. nerv. item de præcogn. ad Posthum. cap. 6.* se Romæ coram Philosophis Medicisque demonstrasse in hœdis ac porcis semimutum reddi animal, si alteruter nervorum à pari vago recurrentium, quos ideo vocales nominamus, ligetur aut præscindatur; si uterque resecetur, plane obmutescere. Deficiente scilicet spirituum influxu necesse est, musculos paralysin pati: tum vero hiante larynge vox perit, aut certe obtunditur, uti §. 9. à me ostensum fuit.

§. 17. Idem illustrat *Amati Lusitani Cent. 2. Curatio 70.* quæ narrat, mulierem Illyricam, struma in collo laborantem, cum à Monacho medicinam faciente, ut eradicaretur malum ex Gallica scabie ortum, *Mercurius* imponeretur *sublimatus*, paulatim raucam factam, vocemque in totum pene amisisse, quod nervus illius lateris recurrens ex pectore arrosus esset. Dubium non est, quin etiam vulnera colli & multo magis laryngis ipsius tam ratione musculorum quam nervorum læsorum inferre ravim queant. Exemplum vide in *Schneidero lib. 5. de Catarrh. c. 3. p. 207.*

§. 18. Nec enim credendum est, raucedinem in lepra & venerea lue aliter nasci, quam larynge male affecto. Tumores namque faucium & ulcera, qualia *Platerus Prax. l. 1. p. 472. & 492.* notavit; erosio palati, quam *Forestus lib. 32. Obs. 22.* & uvulæ jactura, quam *Capivaccius Consil. 27. p. 970.* descripsit, corrumpere quidem vocem quadantenus valent, veram tamen raucedinem gignere illæso laryngе haud videntur. Verosimilius est idem insimul pati vicinas & in-

& inter se cohærentes partes, ac fortasse vitia suprema rum observari facilius, quam inferiorum, tanquam minus conspicuarum.

§. 19. Ne quid dissimulem, arbitror quoque vitia remotiorum partium, pulmonum atque thoracis, manifesta plerumque aliquod occultum laryngis vitium habere conjunctum. Quis inficias ibit, vomicam pulmonũ per se raucedinem producere? Exemplum suggerit *Th. Bartholinus Act. Hafn. Med. Vol. 2. Obs. 117.* Quid si tussis concurrat, tunc sane immunis nec larynx erit? Siquidem vel sola hæc ad raucedinem inferendam sufficit, vid. *Gabelchoveri Cent. 3. Curat. 83.* Multo magis generabitur & continuabitur id malum, si materia purulenta vel quæcunque heterogenea cum tussi ejicienda fuerit. Hinc frequentissima est phthisicorum ravis; confer *Claudiani Consil. 13. Zechii Consil. 93.* & alios passim.

§. 20. Notissimum est canes aurigarum atque opilionum veteranos communiter fieri raucos à pulvere, quem copiosum inspirant, dum equos gregesve ovium sequuntur per æstatem torridam. Idem hominibus aliquando accidit, undecunque materia coüligatur tophacea. Hæc raucedinem gignit, non solum impacta laryngi, (qualem in Podagrico quodam deprehendit *Garmannus Eph. German. Dec. II. Ann. VIII. Obs. 181.*) sed etiam arteriæ asperæ ramificationibus aut ipsis pulmonibus inhærens. Sic refert *Helmont. Asth. & Tuss. 42. 43.* Presbyterum quendam repente in raucedinem incidisse sensimque amisisse sonum vocemque, ut verba non nisi per anhelitum exprimere potuerit: hinc totum anhelosum elapso anno interiisse. Dissecto pectore inventus est lobus pulmonum in sinistro latere posterior durus veluti è pumice lapidescens, intusque quasi grumus occalluisset. Ubi autem trachea in quatuor ramos dispescitur, grumi aderant caseofi fere inter cartilaginem & pumicem medii, pluresque similes lapilli per pulmones hinc inde dispersi.

§. 21. Quod alias humores acres acidi atque bilioſi, hærentes in primis viis, raucedinem inducant, certissimum est. Testatur

Borellus Cent. 1. Obſ. 54. aurifabrum quendam, cum plures annos transegiſſet raucus, doloremque circa ſtomachi regionem cum tuſſi ac febre lenta expertus, tandem eſſe mortuum; in cujus ventriculo repertus fuit abſceſſus cum inſigni copia materiæ nigræ ac lutulentæ. Alium poſt colicam diuturnam omnino raucum fuiſſe factum memorat *Caſp. Bartholinus Inſtitut. Anatom. l. 3. cap. 2.* item *Bonetus in Sepulchr. l. 1. Sect. 22. Obſ. 18. in Schol.* Ratio in promptu eſt; nam & acrimonia humorum è ſtomacho eructatur ſub ſpecie ſodæ, nonnunquam fauces quaſi adurens, præſertim poſt vini Ungarici, Gallici vel aduſti potum; & cum chylo ad ſangvinem delata lympham omnem inficit, & conſequenter eam quoque, quam circa laryngem effundi cernimus.

§. 22. Sed jam ſatis de raucedinis ſubjecto cauſisque dictum. Parcior ero in ſignis recenſendis. Diagnoſtica quippe non ſunt obſcura, ſiquidem beneficio auditus abunde percipimus mutationem vocis in ægro; quæ vero de cauſa morbifica nos certiores reddunt, non difficulter erui ex hactenus dictis poſſunt. Revera enim intereſt plurimum, noſſe quæ ſit conditio laryngis ipſius, quæ pulmonum, quæ ſtomachi, quæ ſeri ac totius maſſæ ſangvineæ; itaque ſedulo inquirendum in partes illas, ſi felices in medendo eſſe velimus.

§. 23. Prognoſtica pariter ſigna ſponte hinc fluunt. Raucitas, quæ ſymptomatice cum levibus ac brevioribus morbis concurrit, e. g. *coryza*, *variolis*, *morbillis*, deſinit curato affectu primario: cum gravioribus autem ac chronicis, *Phthiſi*, *Aſthmate* atque ſimilibus, diuturna non minus eſt ob cauſam communem. Quod ſi larynx exulceratus fuerit in morbo Gallico, eoque curato cicatricoſus, nulla ſpes reſtitutionis in integrum ſupereſt. Verbo, quo contumacior eſt illius cauſa, eo magis dubitare licet de perfecta ſanatione.

§. 24. Propero ad curam, & eam quidem ex triplici fonte petendam. Pharmaceuticus præbet vel evacuantia vel alterantia. Ex evacuantibus tam vomitoria, quam purgantia tum maxime proſunt,

ſunt, quando in primis viis coacervati fuerint humores acres. Nec facilius catarrhi, caput pectusve infeſtantes, eradicantur, quam ſi nutrimentum illorum ſtatim è ſtomacho vel inteſtinis ſubducamus. Ita legimus *Verzaſcham Cent. 1. Obſ. 77.* virum quadragenarium per aliquot annos moleſta raucedine laborantem, adverſus ſeroſos falſosque humores ad fauces & pulmones defluentes fruſtra exhibitis aliis, uſu purgantium aliquoties iterato reſtituiſſe.

§. 25. Alterant, & quidem humores acres plus minus viſcidos, quæ diluunt, aquea omnis generis. Hoc nomine potus excellit *Thermarum*, præſertim cum eodem humores inſimul partim per alvum, partim cum ſudore, partim cum lotio evacuare valeat. Quid fons *Bollenſis* præſtiterit in quodam Paſtore Eccleſiæ Nicrohuſanæ raucedine ac diſpnœa diu afflicto, item in aliis, videri poteſt in *Joh. Bauhin hiſtor. nov. & admir. fontis Bollenſis L. 1. pag. 82. & L. 3. cap. 27. p. 209.*

§. 26. Si vero tenues ac ſeroſi potius humores acrimonia ſua moleſtiam creent, conveniunt magis incraſſantia, fereque inſipida ut *tragacanthum, gummi Arabicum.* Radix, flores ac ſemina *malvæ atque altheæ, oleum commune olivarum, lini, & amygdalarum dulcium, ſperma ceti recens, bolus Armenia, terra Goldbergenſis.* Atque hæc non modo aſſumuntur utiliter, ſed & aliquandiu retinentur in ore ſub ſpecie trochiſcorum ſublingvalium, ut laryngem ab acri deſtillatione defendant.

§. 27. His commode admiſcentur dulcia, quorum virtus eſt, partim temperare humores acriores, partim abſtergere viſcidos: Talia ſunt *ſaccharum, mel, mulſum, ſapa* ſeu muſtum, ad caſum tertiæ partis coctum ex ſententia *Aëtii Tetr. II. ſerm. 4. cap. 51. paſſulæ, ficus, dactyli, jujubæ, glycyrrhiza, ſemen aniſi, atque feniculi.* De quibus tamen in genere notandum, ea non nimis liberali manu exhibenda eſſe, ſi acidum in ſtomacho prædominetur, quoniam ipſa facillime acescunt experientia teſte.

§. 28. Fortiora Bechica ſeu arteriaca ſunt *Eryſimum*, unde ſiru-

pus (prædicatorum vulgo) componitur à *Lobelio in stirp. hist. p. 105.* quo ipso se juvenculam per decennium raucam percurasse testatur: item *hyssopus* nulli cedens, præsertim in raucedine à vomica pulmonum; habet enim facultatem simul alvum subducendi, atque ideo præferendus est ingratiori *Radici squillæ, gummi Ammoniaco, Galbano, Sarcocollæ, terebinthinæ*, non parum laudatis à *Dioscoride, Avicenna, Sennerto, Sorbait, aliisque.*

§. 29. Scilicet prosunt hujusmodi remedia paulo acriora, ubi tussim excitare, materiamque in pectore collectam evacuare cupimus. Ita enim similia etiam in ore detineri solent, ut lingvam faucesque vellicando serum alliciant juventque screatum. Quo nomine *myrrha* excellit, à *Platero L. 2. c. 5. p. 492.* non parum laudata, si lubet, temperanda *Styrace atque Benzoë*, item *thure, tragacantho atque glycyrrhiza*, quod *Scribonio Largo* placuit *c. 18.* Nec contemnendus erit usus *piperis* sub lingva detenti, quod plurimum raucis prodesse affirmat *Marcellus lib. de Medicam. cap. 14.* item *radicis ari* cum æquali pondere sacchari violarumque sirupo mixtæ, quam deprædicat *Horst. Operum tom. 2. p. 148.* Nec minorem laudem meretur *semen sinapi*, in pulverem redactum & cum sirupo quodam pectorali mixtum, secundum observationem Excell. Dn. *Præsidis.* Ita enim in Paralysi musculorum laryngis non minus proficua erunt enumerata, quam nervina vel aromatica quæcunque alia.

§. 30. Quemadmodum vero in eodem hoc affectu pro diversitate causarum præscribimus utiliter, modo acrimoniam temperantia, modo acriora irritantia magis, ita nec mirum cuiquam videbitur, si & anodyna, modo recensitis acrioribus prorsus contraria, nunc quoque commendem certo in casu, nempe quotiescunque cum dolore, inflammatione, vel exulceratione, aut tussi vehementiori conjuncta est raucitas. Egregium proinde *diacodion* est *Galeni, Actuarii, Montani've*, propter capita papaveris albi cum semine. Neque crocus ignobilior est, quem optimo consilio *Gordonius* admi-

admiſcet *Lohoch de caulibus*, & noſtrates Pharmacopœi *Glycyrrhizæ coctæ* ſeu bacillis pectoralibus contra tuſſim & raucedinē utiliſſimis.

§. 31. Simillima & maxime genuina his alterantibus, ſi non potiora ſunt, quæ fons diæticus ſubminiſtrat remedia, alimenta nimirum omnino medicamentoſa. Humores tenues acresque incraſſantibus annumerari ex merito debent *ova ſorbilia*, pulmentum *ex amylo vel oryza, milio, fago pyrove* cum lacte, avenacea polenta, ptiſana ex hordeo decorticato. Item amygdalæ dulces, piſtacia, pineæ, avellanæ. Dulciora temperantia ſunt rapæ paſſæ cum butyro non ſalito coctæ: pruna, pyra dulcia, condituræ omnis generis cum ſaccharo vel melle, in ſpecie juglandium immaturarum & mori fructuum.

§. 32. Humectant & excretionem cum tuſſi ſcreatuque juvant braſſica, ſpinachia & atriplex, nec non portulaca culinis non ignota. Nec fluviatilium cancrorum eſus erit inutilis, cum lapides eorum in tanto ſint pretio, utpote acidum potenter deſtruentes. Hinc enatam fuiſſe raucedinem cenſeo, quam pluribus aliis tentatis fruſtra, ſolo pulvere *lapidum cancrorum* per tres dies ad drachmam veſperi ſumto, curatam vidit *Lanzonus in Eph. Germ. Dec. II. Ann. IX. obſ. 43.*

§. 33. Balneum quoque aquarum dulcium ſvadendum eſt; juvat enim omnes magnopere phonaſcos, qui vocis exercitio magno utuntur, citharœdos, præcones, tragœdos, quum contendendo læſerint vocem, teſtimonio *Aëtij l. c.* Magis ergo efficax erit thermarum aliquandiu continuatus uſus; de *Zellenſibus* proſtant experimenta in *Eph. Germ. anno jam allegato Obſ. 34.* pertinaciſſimam raucitatem in quibusdam pareticis brevi tempore fuiſſe correctam. De potu fontis *Bollenſis* ſuperius quædam ex *Bauhino* retuli. Quid non ſperandum de *Carolinis* atque ſimilibus aquis medicatis, quibus & in potu & in balneo uti licet.

§. 34. Ex adverſo igitur vitandum frigus eſt, item inſalubrius vinum, præcipue ſulphuratum: vociferatio diuturna, eſus juglandi-

um ſiccarum raucidarumque, caſei veteris, carnium fumo ſaleque copioſo confectarum, acetariorum acriorumque omnium; nempe ſi humores acres mali originem dederint. Contra iram atque terrorem quoq; obfirmandus eſt animus; quid enim in hoc paſſu valeant, didici exemplo viri domeſtici, quippe qui vocem extemplo amittit, quam primum affectus animi experitur: nam & à terrore, muſculorum laryngis impotentiam inferente, illam raucitatem deducendam puto, quæ ab adſpectu lupi accidit ex relatione *Plinii Hiſtor. Nat. lib. 8. c. 22.*

§. 35. Suppeditat denique Chirurgicorum fons præſidia quædam non omnino contemnenda. Etenim ad laryngem humectandum, ſi opus, aut quomodocunque conſolandum, convenientiſſima ſunt gargariſmata ex *fl. malvæ, betonica, ſalvia &c.* ut catarrhi fluxus divertatur, fonticulus in poplite vel brachio, vel ſetaceum in nucha, vel cauterium in occipite tanquam experta laudantur ab *Hildano centur. 4. obſ. 24. Scholtzio lib. 7. Conſ. 80. Borello Cent. 4. obſ. 29.* Venæſectio autem diſſvadenda omnibus modis; de qua videri poteſt *Sorbait Med. Prax. part. 1. cap. 38. pag. 313. & Schmidius in Eph. Germ. Ann. IX. obſ. 17.* Tantum.

DISPUTATIO XV.
DE
ASTHMATE.

Proœmium.

QUanta reſpirationis utilitas neceſſitasque ſit ad conſervandam vitam, vix quenquam latere arbitror; ſiquidem ab eo ſtatim temporis momento, quo à matre partu excluſi primam captamus auram,

auram, nunquam amplius ea carere poſſumus ſine manifeſto mortis periculo. Et quanquam alias cibi potusque debita noſtri corporis alimenta exiſtant, videtur tamen in Aëre occultari vitæ ipſius cibus, cujus defectum longe majore cum diſcrimine toleramus. Ecquis enim non per unũ alterumve diem (cogente neceſſitate) famem ſitimque patiatur? at vero inſpirationem ne ad horam quidem ſufflaminare licet; Proinde nec leves morbi aut floccifaciendi ſunt, à quibus reſpiratio interturbatur. Quandoquidem vero ingens eſt horum affectuum numerus, ita ut omnes ſimul pertractare nedum attingere auſim, talemque prolixitatem vix ac ne vix quidem admittat inſtituti mei ratio; ex iis igitur Aſthma ſelegi pro materia hujus diſſertationis, ut mihi videtur non indigna. Huic an ſatisfecerim, Tute, Lector Benevole, animo judicabis æquo, tenuitatemque meorum ſtudiorum exoptatiſſima Favoris Tui aura ſublevabis. Deus vero T. O. M. inceptum jam curſum ex alto ſecundet.

§. 1.

ASthma equidem latiſſima vocis acceptione omnem reſpirationis difficultatem nonnullis ſignificat, adeoque cum dyſpnœa interdum confunditur; proprie tamen ſumtum idem eſt ac anhelatio das Keichen/hoc eſt frequens & cum ſono facta reſpiratio, qualis fere eorum eſſe ſolet, qui à curſu celeriore aut commotione corporis valida ſubſiſtunt.

§. 2. Sunt autem variæ Aſthmatis Species nempe ratione

temporis aliud Asthma continuum est, aliud periodicum, quod per intervalla modo certa modo incerta redit. Ratione vehementiæ si consideretur Asthma, manifestum erit varios dari gradus, siquidem aliud mitius est & ægro saltem molestum, aliud gravius magisque dolorosum atque periculosum, ita ut suffocari videatur æger, nisi (quod orthopnœam vocant) in lecto sese erigat, aut etiam os attollendo collum extendat inter inspirandum, prout plerique moribundi solent.

§. 3. Distinguitur etiam ratione subjecti in Asthma per Essentiam & per consensum tale. Nim: causa morbifica vel hæret in thorace ac pulmonibus ipsis (vero Asthmatis subjecto) ibidemque respirationem interturbat, aut residet alia in parte, quam primario lædit, pulmones autem per consequens simul in consensum rapit, quemadmodum v. g. Hypochondriaci, Splenetici & qui scirrho Epatis laborant, nonnunquam Asthmatici fiunt.

§. 4. Ratione causæ vero Asthma aliud dicunt humidum, aliud siccum: Humorosum tum vocatur, quando cellulæ pulmonum membranaceæ ac Asperæ arteriæ ramificationes à pituitæ copia in tantum replentur, ut vix aërem inspirandum admittant, unde in pectore sonus observatur simillimus Aquæ ferventi, gleich als obs auf der Brust koche und rassele; Sicuti e contra siccum nominant, quando ejusmodi mucus aut viscidus humor non adest, nihilominus tamen æger summa cum difficultate respirat, ut de omnimodo strangulatu non infrequenter metuendum sit; atque in his subjectis sonus magis acutus est, als wanns pfiffe.

§. 5. Itaque ratione imminentis suffocationis quodammodo convenit cum Angina vehementiore, cum Catarrho suffocativo, aut suffocatione hysterica; at quis non videt discrimen horum affectuum satis manifestum, siquidem 1. Angina non pectus sed collum occupat 2. Catarrhus suffocativus subitaneum est malum, quod & intra horam hominem interimere valet; Asthma vero plerumque lento incedit gressu, eoque diutius postea perdurat ut non ra-

ro

ro inter chronicos morbos optimo jure numerari mereatur 3. in suffocatione hysterica præter alia signa maxime notabilis est motus convulsivus & quasi tremulus ex infimo ventre versus cor & pulmones assurgens, quale quid in Asthmate proprie dicto & per essentiam tali non observamus.

§. 6. Præter hæc videtur paulo propius ad Asthma accedere Cardiaca, infantibus familiaris, item phthisis consummata, vomica pulmonum, empyema Thoracis ejusve inundatio ex hydrope; attamen qui vel sedem doloris vel excreta per tussim aut screatum & circumstantias reliquas vel antecedentes vel adhuc præsentes considerat, ei non obscurum esse potest, quo pacto recensitos morbos ab Asthmate distingvat.

§. 7. Et quanquam adeo absurdum non foret, si quis in hujusmodi casibus asthma diceret v. g. ex hydrope, ab empyemate thoracis, à vomica pulmonum &c. Satius tamen est ad evitandam confusionem quævis suo metiri modulo, præsertim ubi ægri plusquam asthmatici sunt, i. e. morbo adhuc pejore detinentur.

§. 8. Quandoquidem vero hæc atque similia, nisi probe attendantur, occasiones in cura aberrandi modis innumeris præbere possunt; igitur nec abs re fore arbitror, si causas, à quibus respiratio lædi & asthma generari solet, adducam atque examinem, ut eo facilius postmodum remedia cuivis statui accommodata seligi methodusque medendi legitima instituí queat.

§. 9. Nimirum asthma seu anhelosa respiratio nunc quidem oritur à vitio sangvinis, nunc vitio pulmonum, nunc cordis, thoracis, diaphragmatis, ventriculi, hepatis, lienis, cæterorumque contentorum abdominis; nunc vero his omnibus fere integris saltem vitio nervorum accidit.

§. 10. Vitio sangvinis contingit asthma, quando is vel quantitate vel qualitate peccat. Solent namque plethorica subjecta in genere, potissimum si in fœminis mensium aut in viris consvetus hœmorrhoidum fluxus supprimatur, difficultatem respirandi non

levem pati, imprimis si corpus commoveant. Cujus rei non alia est ratio, quam quod major sangvinis æstuantis copia, cellulas pulmonum replens, aëri inspirando locum non relinquat.

§. 11. Qualitate peccat quando nimium pituitosus ac viscidus est sangvis. Observamus enim non modo corpora phlegmatica & quibus bilis est glutinosior, sed & quorum sangvis ob seri defectum spissior existit, anhelosa esse non aliam ob causam, quam quod sangvis debito modo non rarefiat, sed membranosam pulmonum substantiã quasi conglutinando tardiorem progressum faciat; quamobrem & ii qui propter casum ab alto aut contusionem vehementiorem sangvine congrumato laborant, difficili respiratione torquentur usq; dum cruor grumosus vel rejectus vel resolutus fuerit.

§. 12. Nec vero illa visciditas sanguinis, quam accusavi tantum in cellulis pulmonum hæsitat, sed etiam ipsas interdum occupat tracheæ ramificationes. Sciendum enim est, quem inter screandum aut tussiendum rejicimus mucum, non ut vulgo credunt, immediate è pulmonum cavernis excerni posse, siquidem via ejusmodi amplior ac muco patula sanguinem necessario simul traduceret. Verum id probabilius est, serum inter exspirandum ordinarie exhalans, quos secum vehit particulas viscidiores, in bronchiis relinquere, ubi successive major eorundem quantitas colligitur, donec inspissatione facta via penitus intercipiatur ac suffocatio immineat, quemadmodum id suo cum periculo experiuntur, qui profundiore somno detenti non satis à squalore isto pectus liberant.

§. 13. Porro pulmonum vitio nascitur Asthma, si vel vomica obsessi vel calculosi vel plane exsiccati aut etiam inflammati sint. Certe vomica minor & extremitatem tantummodo pulmonum occupans, adeo respirationem non impedit, imo si in uno saltem lobo resideat, quandam illo in latere quasi obstructionem ægro notabilem gignit. At vero si major fuerit moles, quæ potiores asperæ arteriæ ramos comprimat, ac utrumque latus repleat, tunc omnino parum abest, quin simul & aëris & sanguinis circuitus inter-

§. 14.

§. 14. Similis est ratio asthmatis à pulmone calculis referto, & quasi lapidescente, cujus memorabilem historiam annotavit Helm. p. m. 293. Sicut enim in renibus alias aut vesica l. cystide fellis, aliisque corporis partibus calculi reperiuntur, ita & in pulmonibus eosdem nasci ex tartaro cibi potusque nil vetat; quamvis communiter ab attracto inter respirandum pulvere primum sumant initium, ut raro inveniantur lapidicidæ, calcarii vel cœmentarii, qui de integritate pulmonum ac respirationis sibi gratulari queant.

§. 15. Ejusdem conditionis sunt Metallarii, & qui aquas fortes, cinnabarim vel æs viride conficiunt, uno verbo, qui continuo exhalationes arsenicales, vitriolicas, mercuriales &c. per nares atque os attrahunt, siquidem observatum est in sectione cadaverum, ejusmodi artificum pulmones adeo fuisse exsiccatos atque flaccidos non secus ac si fumo indurati fuerint. Vide Bartholini Cent. 4. Epist. 72. & Rhodii Cent. 2. obs. 21. ubi historiam recenset pulmonum à diuturno ligni Gvajaci usu similiter exsiccatorum.

§. 16. De peripneumonia vero notissimum est, ab ea respirationem in tantum depravari, & quanquam alias in pleuritide & inflammatione diaphragmatis enormiter lædatur, in pulmonum tamen inflammatione ex toto fere deficiat, aerque non aliter quam per orthopnœam attrahi queat, quoniam hoc pacto stagnans sanguinis affluentis copia pulmonum ulteriorem expansionem non amplius permittit.

§. 17. Solent etiam vulgo ad vitia pulmonis referre ejus cohæsionem cum thorace, verum quia clarissima prostant exempla & in Tulpii L. 2. obs. 17. in Helmontio p. 294 Kerkring. obs. 72. & Bartholini C. 2. Hist. Anat. 35. in quibus post mortem omnino adnati pulmones deprehensi sunt, qui tamen dum viverent liberrime respirabant; proinde non immerito vulgi erroribus annumerari poterit illa opinio de pulmonum cohærentia respirationem interturbante. Ut taceam in omni avium genere alios non observari pulmones, quam dorso sic satis firmiter annexos, ac nihilominus & respirationi & svavissimæ cantilenæ egregie inservientes. §. 18.

§. 18. Sed Cordis vitio asthma quoque generatur, quandocunque id ipsum vel in immensam magnitudinem excrescit annotante Ballonio L. 2. Epid. p. 144. vel ubi oneratur à pingvedine nimia, unde obesiores difficillime respirant, aut à mole thymi excrementitiis humoribus turgidi, quale quid in sectionibus cadaverum lue venerea extinctorum se observasse testatur S. Pauli in digress. de Febr. Mal.

§. 19. Sicuti vero his in casibus pulmoni spatium denegatur sese expandendi, ita & à polypo, si forte cordis ventriculos occuparit, ipsa circulatio sangvinis per pulmones sufflaminatur, ut necessario à cruore inter inspirandum recepto in pulmones ob egressum prohibitum sequatur tandem suffocatio totalis, cujus rei exemplum elegans vide in Tulpii Lib. I. obs. Cap. 27.

§. 20. Deinde thoracis etiam vitio producitur, quando is ipse vel propter malam conformationem vel propter repletionem à corruptis humoribus debitam pulmonis expansionem non admittit. Sic enim gibbosi & quorum sternum vel costæ notabiliter depressæ sunt, perpetuo anhelant, aut saltem respirationis defectum persentiscunt, quando vel corpus exercent aut inter concionandum v. g. sermonem diutius continuare debent.

§. 21. Repletur autem thorax nunc quidem materia purulenta (ut taceam sangvinem à vulnere hic inflicto collectum) in Empyemate postquam scil. vel pleura post inflammationem suppurata, vel etiam pulmonum ulcus puris quantitatem notabilem eo deposuit. Nunc vero à seri saltem copiosioris affluxu producitur asthma in hydropicis, ubi non modo cavum pectoris sed etiam pericardium ipsum aqua pluribus interdum libris repletum observatur. V. Acta Hafnienssium Anno 1671. obs. 89. & Blasii obs. Med. 19.

§. 22. Ulterius vitio quoque diaphragmatis oritur asthma, quando vel inflammatum est, vel alio modo in expansione debita impeditum, nunc per spasmum aut motus convulsivos, nunc à contentis in abdomine visceribus. Si inflammatum fuerit, tunc præ sum-

summo dolore moveri non potest, sicuti alias pleuritici eandem ob causam dilatare thoracem non audent.

§. 23. Spasmo correptum est in Cardiaca, morbo (quem antehac crediderunt flatulentum) revera Spasmodico, item in luxatione vertebrarum dorsi. Quid enim durities ista summe dolorosa circa costas Spurias aliud indicare valet, quam diaphragmatis spasmum, modo à causa interna, modo ab externa ortum. Sive enim humorum acrimonia vellicando nervos ac diaphragmatis fibras, sive dolor ab extensione nimia vel concussione eosdem convellat, nil tamen agitur aliud, quam ut ob acerbioris doloris metum, respiratio supprimatur & suspiriis absolvatur crebrioribus sed minus profundis.

§. 24. Longe pejores adhuc sunt motus convulsivi, diaphragmatis, quos adeo respirationem accelerasse vidimus, ut non alium æger sonum redderet, quam qualis est canum venaticorum in media æstate cursu sitique exanimatorum. Interea manibus pedibusve quasi effugium quærens, hinc & inde sese jactitabat, auxiliumque repentinum non tam verbis tum deficientibus, quam miserrimis gestibus lachrymisque efflagitabat, donec superveniente vomitu acidissimi humoris ab atroci hoc affectu quodammodo levatus esset.

§. 25. Id enim rarum non est peccante stomacho, hepate, liene, pancreate, renibus ac intestinis, diaphragma simul in consensum rapi, siquid: aut moles v. g. onusti stomachi, intestinorum præ flatibus pene rumpendorum, epatis l. lienis scirrhosi, non inferiorem tantum ventrem occupat, sed & diaphragma intra thoracem reprimit, ut non dicam pulmonem, sed nec diaphragma in inspiratione legitime moveri queat.

§. 26. Aut quod alterum est, etiamsi abdomen adeo non sit infartum, sufficit ad Sympathiam dolor, certæ cuidam parti infixus ac per nervos aut membranas sese ad diaphragma extendens. Quid enim frequentius est, quam à lienis punctorio aut etiam gra-

vativo dolore continuum excitari suspirium, tandem, si malum fuerit pertinacius, in verum asthma degenerans.

§. 27. Superest ut tandem videamus, quomodo culpa nervorum asthma accidat. Nempe fieri nonnunquam solet, ut nullus in pectore mucus, nec ulla manifesta causa adsit, unde saltem probabiliter asthma generari queat, qualem historiam ex relatione Gualt. Needham & propria observatione memorat Willis de Morb. Convulf. Cap. 12. Atque hic non male judicat author, generi nervoso forte affecto ascribendam esse causam, ubi reliqua symptomata simile quid testari videntur.

§. 28. Triplici autem ratione id contingere potest, videlicet vel à spasmo vel à motibus convulsivis vel à paralysi. Spasmus vero modo thoracem, modo diaphragma, modo pulmones corripit, & nunc hujus, nunc illius partis, nunc omnium simul respirationi inservientium organorum munus interrumpit, prout jamjam occasione Cardiacæ & luxationis vertebrarum dorsi explicatum est.

§. 29. Nec de motibus convulsivis plura superaddere necessarium erit, nisi quod titulo asthmatis convulsivi impune omnes fere abutantur, non aliter ac si asthma siccum & convulsivum sit unum idemque. Quemadmodum autem siccum interdum observatur non convulsivum e. gr. ab inspiratis pulverulentis, à vomica pulmonum, à sterni depressione &c. ita & vice versa convulsivum datur non siccum, quando sc. ægri corpus pituita undique obsessum reperit.

§. 30. Propterea nec Helmontio condonare possum quod philosophica ut putat libertate asthma nominet caducum pulmonum illudque cum epilepsia comparare gaudeat. Quamvis enim non diffiteor epilepticos quandoque horrendo excruciari asthmate, imo non raro asthma epilepsiæ simillimũ notari; à particulari tamen & adeo non frequenti casu denominationem asthmatis in genere velle desumere, non sapit philosophum.

§. Meliori jure asthma aliud dicerem spasmodicum, aliud con-

convulsivum, aliud paralyticum, ubi scil. de eo agitur quod nervorum vitio accidit. Res in exemplis clarissima est. Videlicet spasmodicum in plerisque hystericis occurrit, ubi nervorum pnevmonicorum contractio funem quasi collo injectum repræsentat ac suffocationem omnimodam minatur.

§. 32. Convulsivum in quodam ægro vidimus maxime notabile, quippe qui cum ab equo ante aliquot dies præcipitatus esset, subito in tam immanem incidit orthopnæam, ut quanquam in sella erecto sederet corpore, non aliter tamen inspirare potuerit quam thorace cum scapulis violenter sublato ac ore colloque in altum erecto. Rediit autem paroxysmus hic sæpius per aliquot dies, ac interim, quod probe observandum, deprehendebantur motus convulsivi in pede quodam vel manu vel oculis vel maxilla inferiore. Cumque modo hanc modo illam partem alternatim accederent iterumque desererent, factum est ut durante orthopnæa, reliquæ partes immunes essent, ea vero cessante, malum in aliam partem grassaretur.

§. 33. Paralyticum asthma manifestissime cernitur, ubi paralysis aliarum partium conjuncta est v. g. pedis, brachii, lingvæ &c. Sicut enim ob inopiam Spirituum vires non sufficiunt attollendo verbi gratia brachio, ita & in tali asthmate paralytico difficultas respirandi non alia videtur, ac si pondus ingens incumbat thoraci. Intelligo autem hic non paralysin totalem, quæ omnem thoracis motum interdiceret, sed partialem, quæ certos saltem musculos corripiat, aut etiam paralysin non perfectam & consummatam, sed inchoatam tantum.

§. 34. Nec enim aliam ob causam decrepiti nonnunquam asthmatici sunt, item qui nimio veneris abusu corpus enervant, aut gonorrhæa diuturna & crebrioribus pollutionibus nocturnis vexantur, nisi quod ob insufficientiam Spirituum thoracis motus minus alacris vegetusque reddatur.

§. 35. Quibus vero asthma contingit à retrocessione Scabiei,

guttæ roſaceæ, macularum hepaticarum purpuræ, variolarum, morbillorum, petechiarum &c. quales hiſtorias quotidie obſervare licet, ii profecto non tam materiam morbificam ſub ſpecie vitioſi atque viſcidi humoris intra pulmones colligunt, quam quod muſculi ab ea correpti in ſpasmos varios vel motus inordinatos rapiantur; quemadmodum malignæ in ſpecie, ubi poſt venæ ſectionem intempeſtivam aut diarrhœam ſpontaneam exanthemata evaneſcunt, anxietates præcordiorum atque reſpirandi difficultatem ordinarie epilepticis inſultibus finire ſolent.

§. 36. Sed jam ſatis de Aſthmatis cauſis dictum eſt. Pergo ad ejusdem curam, quæ pro diverſitate cauſarum ita inſtitui poteſt. Nimirum qui à plethora difficilem ſentiunt reſpirationem, iis V. S. ſumme neceſſaria eſt & proficua, ac perinde eſt ſive abundet ſangvis laudabilis ſive ſcorbuticus; multo magis autem properandum eſt, ſi vel hæmorrhoidum vel menſtruorum fluxio ſuppreſſa fuerit.

§. 37. Pertinent huc quoque gravidæ, quarum nonnullæ nempe ſucciplenæ, niſi circa medium geſtationis tempus ſangvis mittatur, tanta urgentur difficultate reſpirandi ut pene ſuffocari videantur, quando vel deambulare aut corpus laboribus exercere aut per ſcalas aſcendere neceſſum habent. Hinc vero & ille natus eſt error, ut indiſcriminatim prægnantibus medio geſtationis tempore à quibusdam vena ſecetur, quod cernant quasdam hujus beneficio adeo levari ab anhelitu, palpitatione cordis, tumore pedum &c.

§. 38. Porro, ſi pituita viſcida pulmones gravet, adhibeantur non modo ſic dicta incidentia atque expectorantia, ſed etiam purgantia fortiora atque vomitoria. Incidentia ſunt roſmarinus, hyſſopus, marrub. alb. botrys, ſatureja, origanum, abrotanum, artemiſia, abſynth. tuſſilago, veronica, ſcabioſa, pulmonaria, capilli veneris, eryſimum, Rad. helenii, angelicæ, leviſtici, pyrethri, ari, pimpinellæ & zedoariæ, ſem. ocymi citrati & urticæ. Spectant huc ▽ aſthmat. Rudolph. Imperat. Spir. vini, juniperi, ſambuci & aniſi,

anisi, Spir. asthmaticus Michaelis acetum & oxymel Sqvilliticum, succus raphani cum saccharo, Spir. sulphuris cum ▽ violarum aut hyssopi assumtus, ol. Tartari per deliquium cum ⓓ ex capite mortuo Spiritus carminativi paratum, &c.

§. 39. Pro scopo evacuandi egregia est nicotiana, sive ejus decoctum paretur cum tussilagine seu oxymel aut Syrupus de nicotiana aut infusum ejus porrigatur. Adeo enim potenter & resolvit & evacuat, ut viderim asthma per aliquot annos graviſſimum nicotiana in Spiritu frumenti per noctem infusa perfecte sanatum post muci copioſiſſimas vomitiones.

§. 40. Ejusdem dignitatis est succus ireos nostralis, cujus uncia dimidia cum duplo vini Hispanici sumta satis violenter purgat: Item succus radicis bryoniæ, gummi ammoniacum in vino solutum & similia. Nec enim metuendum in subjectis pituitosis facile hypercatharsin excitari, quia stomachus muco tenaci oppletus acerrimorum purgantium ac vomitoriorum stimulos vix ac ne vix quidem animadvertit. Proinde præter emetica antimonialia etiam Vitriolica satis nauseosa tuto ejusmodi asthmaticis propinari possunt.

§. 41. Si sangvis fuerit viscidior, bilisve tenax ei admixta, eo potius allaborandum est, ut seri defectus restituatur per humectantia, quo imprimis pertinet largior potus sed tenuis aquæ rubi Idæi, Conserva rosarum aut rob nucum edulcoratus. Interim abstinendum in diæta ab usu pingvium & omnium, quæ copiosum ac laudabilem chylum præbent.

§. 42. Cum vero Sangvis congrumatus suffocationem minitetur e. g. post casum ab alto, tunc vel præmissa vel omissa v. s. alias solenni, præscribe Antimon. diaph. martiale cum Lap. cancri, Sperma ceti, Rad. rubiæ tint. cum aceto vel decoct. ejus cum majorana, cherefolio, hyssopo, fl. bellidos & semine anisi.

§. 43. In vomica pulmonum & empyemate thoracis inter alia optimū nobis visū est succus cancr. fluviat. cum vino aut aceto con-

tuſorum, ſiquidem poſt ejus uſum materia purulenta cum lotio copioſe profluxit, ut paulo poſt, qui morti videbantur proximi, integritatem non modo reſpirationis ſed & reliquarum functionum recuperarint cum admiratione omnium.

§. 44. Qui pulverulenta inſpirarunt aut quacunque alia de cauſa calculos in pulmonibus geſtant iis optimum eſt, aperientibus, diureticis & ſaxifragis alias dictis uti, cum temperantibus. Inſtar omnium ſit decoctum veronicæ, hederæ terreſtris cum glycyrrhiza, gelatina CC. & eboris, tragacantho, gummi arab. addito Syrupo de Althea Fernelii, vel diacodio Montani atque ſimilibus.

§. 45. Halitus autem mineralium inſpirati, mercuriales, vitriolici, arſenicales &c. egregie corriguntur per medicamenta abſorbentia & temperantia eorundem acrimoniam. Adverſus Mercurium detur unicorn. verum cum croco vel bezoartico ſolari aut joviali, item paſtinacæ ſuccus, aut decoctum pimpinellæ, abſynthii, origani, hyſſopi atque hormini. Vitriolicum gas inſpiratum emendant omnia ☉ia volat. & fixa ſi ▽is vel decoctis expectorantibus probe diluta porrigantur. Deniq; in quibuscunq; arſenicalibus mineralium effluviis conveniunt lactis cum baccis herbæ Paridis ebulliti hauſtus aliquoties repetitus, & ſudorifera antimonialia cum Terris pingvibus & Sulphure lycopodii.

§. 46. In pleuræ, pulmonum atque diaphragmatis inflammatione ſi aër deficiat, ſangvis mittatur largiter, prout alias in angina ſolent, poſtmodum per ☽ata, refrigerantia & ſudorifera contra inflammationem alias uſitata continuetur curatio juxta ordinariam medendi methodum. Cavendum autem eſt ſedulo à calidioribus ac præſertim à vini potu, ſiquidem ab his repente iterum exacerbatur vehementia morbi.

§. 47. Quibus vero propter obeſitatem nimiam difficilior eſt reſpiratio, ii non alio opus habent remedio, ſi modo victu utantur tenui ac paulatim laboribus etiam durioribo aſſvefaciant corpus. Quod ſi grave non fuerit, poſſunt ad emaciandum corpus vel ſudatorio

torio interdum uti, vel reiteratis purgantibus, vel masticatorio, aut etiam salivantibus mercurialibus.

§. 48. Eadem hæc mercurialia in polypo commendarem cum aliis incidentibus & expectorantibus, ac certus sum, aut hoc modo eundem tolli aut nullo. Hactenus enim vix aliqua cognita aut experta sunt adversus polypum remedia, cum vix, nisi ex inspectione defunctorum, cognoscatur.

§. 49. Vitia thoracis à contusione, fractura vel vulnere, quando jamjam inveterata sunt, curationem nullam admittunt, prout nec ii, qui ex utero male conformati prodeunt. Videtur autem malum diuturnitas ejusdem & consuetudo alleviare, ut interdum plus misericordiæ in adstantibus quã molestiæ in ipsis ægris excitet.

§. 50. Hydrops thoracis per evacuantia, diuretica & diaphoretica curatur ut cæteræ hydropis species. Paracentheſin autem hoc in loco instituere non dicam periculosum, sed inutile erit ac insufficiens, quoniam si pericardium adeo repletum ▽is fuerit, vix ac ne vix quidem levamen vel cordi vel pulmonibus inde nascetur. Existimo igitur tale auxilium magis speculativum esse quam practicum, i.e. curiose quidem excogitatum, at à pauciſſimis expertum.

§. 51. Cardiaca ubi asthma producit, remediis cedit antispasmodicis & anodynis. Eadem est cura luxationis vertebrarum dorsi postquam scilicet articulationes iterum restitutæ in situm naturalem fuerint. Memini enim non semel sola inunctione ex axungia castorei vel cati sylvestris cum Oleo hyoscyami, spicæ atque succini, aut etiam injecto clysmate ex decocto rutæ, chamomillæ & quinquefolii cum papavere sanatos, quos febribus malignis correptos ex subitanea virium prostratione, cephalalgia, ac dolore dorsi, anxietate præcordiorum ac respiratione difficillima, ab æstu intensissimo atque vomitu judicarunt.

§. 52. Verum in hepatis lienisque scirrho adeo repentinum remedium in promtu non est, interim tamen animus non dejiciendus. Uti enim purgantia fortiora & acriora incidentia malum nota-

tabiliter augent irritando, ita blandiora aperientia & præcipitantia martialia cum evacuantibus aliquandiu continuata omnem fidem ſuperant, præcipue ſi externe reſolventia & anodyna ubi dolor urgeat, ſimul adhibeantur.

§. 53. Eadem hæc anodyna in omni Spasmo & motu convulſivo egregia ſunt, ſi modo cum antepilepticis atque antihyſtericis maritentur. Mire igitur levantur tales aſthmatici ab ungula alce, unicornu vero, ſuccino, caſtoreo, cinnabari antimonii, & ſpecifico Cephal. Michaelis atque ſimilibus, ſi modo tantillum acceſſerit opiati. Huc pertinet ⊖ volat. Sangvinis humani cum opio, experimentum Boyle, vel loco illius ⊖ vol. millepedum aut lumbricorum, item liquor CC. ſuccinatus, Spir. ſalis armon. lavendulatus &c.

§. 54. In paralyſi, habito ſemper ad cauſas occaſionales reſpectu, nervina antiparalytica externe pariter ac interne præſcribantur; rosmarinus, majorana, ſpica, primula veris, calendula, rad. helenii, balſ. peruv. Petroleum &c. Hæc ſi minus ſuffecerint veſicatoria imo & fontanellæ in uſum vocanda veniunt, quæ aliis irritis nonnunquam ſingulare quid in hujusmodi caſibus præſtitiſſe viſa ſunt.

§. 55. Si denique poſt disparitionem ſcabiei, variolarum, purpuræ atque ſimilium reſpiratio reddatur difficilior, optimum erit, quantocyus fieri poteſt, per ſudorifera potentiora iterum ad peripheriam expelli exanthemata retroceſſa. Hæc ſufficiant. Spero autem à Te L. B. me impetraturum veniam, ſi quæ minus ad palatum dicta reperies; integrum vero Tibi erit, quæ forte prætermiſſa ſunt ſupplere, quæ displicent emendare, quæ obſcura ſunt explanare: verbo: cuncta ingenio Tuo accommodare pro lubitu.

DISPU-

DISPUTATIO XVI.

DE

HÆMOPTYSI.

Juvante Deo!

CUm Thema eligendum esset, quod Inaugurali Disputationi materiam præberet commodam, non quidem adeo solicitum me reddidit novitas raritasque affectus cujusdam, quam dignitas ejus. Fateor sæpius jamjam ventilatam esse, quam explicandam hac vice suscepi, hæmoptysin; Nihilominus dignam judicavi ulteriori examine, & quidem hoc magis, quo frequentius idem malum in praxi occurrit. Veniam autem à Lectore Benevolo non difficilem spero, si his annis abstineam à sublimioribus, quippe qui muneri meo satisfeciſſe videbor, cum demonstravero, circumstantias adeo in hoc affectu diversas in tantum variare medendi methodum, ut prudens etiam satisque oculatus Medicus decipi non raro queat, non sine insigni ægrorum detrimento. Quodsi enim unquam, sane in hoc casu, qui medicamenta præcise appropriata seligere nescit, nihil agit, & ægrum aut vana spe diu lactat, aut certe operosius enecat. Hic ergo scopus mihi præfixus est, ut declarem, quæ hoc in passu specifica, imo & arcana non-

nullis sunt, non esse talia, nisi cæteris paribus, i.e. quando hæc ipsa circumstantiis omnibus in ægro occurrentibus adæquate respondeant. Quæ omnia, sicuti in honorē Divini Numinis proximique salutem directa sunt, ita ejusdem Sacro-Sanctæ Trinitatis gratiosum concursum animitus exoro, mihique polliceor!

§. 1.

Quid per Hæmoptysin significetur, ex ipso satis termino appareret, cum à Græcis mutuato sit, quibus αἷμα sanguinem denotat, & πτύσις spuitionem. Itaque idem est Hæmoptoë, quod alias Latinis dicitur sputum Sanguinis, spuitio cruenta, &c. vel Nostratibus Germanico idiomate, Blut auswerffen/ Blut speyen/ item Blutstürtzung/ si majore in quantitate quasi evomatur.

§. 2. Accidit equidem & sanguinis sputum quibusdam Scorbuticis, ex cruentatione gingivarum in stomacace: aut pueris si detergantur Aphthæ oris: aut lue venerea v. g. correptis, ob exulcerationem palati & faucium: aut quibus angina ad suppurationem vergit: aut sanguis circa fauces depluit in hæmorrhagia narium. Verum proprie strictèque loquendo ad Hæmoptysin non referuntur jam nominati affectus.

§. 3. Rejicitur præterea longe copiosior sanguis in vomitu cruento, qualis nonnunquam dysentericos affligit, præsertim tenuia cum afficiuntur intestina. Ut nihil dicam de vulneribus ventriculi & erosionibus ejusdem. Ita *Galen. lib. 4. de Locis Affectis. c. 5.* refert, cruoris vomitum se vidisse ortum ob haustam ex improviso hirudinem; similemque historiam memorat *Borellus Cent. 1. obs. 24.* Idem & à lumbricis accidisse testatur *Wedelius*, vide *Bonetum Med. Sept. Tom. 1. p. 548.*

§. 4. Quandoquidem vero in hæmoptysi genuina Sanguis è Thorace rejiciendus est, ratio apparet, ob quam hactenus nomi-

nata

nata vitia locum hic non inveniant; præsertim cum circa sputum Sanguinis etiam proprie sic dictum varietas occurrat non una.

§. 5. Nimirum Hæmoptysis est excretio Sanguinis per os è Thorace. In qua definitione Generis locum occupat excretio; utpote quam affectus noster cum pluribus aliis communem habet, ubi scilicet viscida, purulenta, serosa, biliosa, atque alia è corpore rejiciuntur.

§. 6. Differentia specifica partim desumta est à materia, partim à loco affecto, partim à via. Videlicet sanguinis excretio distinguit Hæmoptysin à tussi humorosa, ab Empyemate Thoracis &c. Pars affecta, puta thorax, eandem diversam facit à vomitu Sanguinis, cruentatione gingivarum, &c. quemadmodum & via per os eandem manifeste discernit à mictione cruenta, fluxu hæmorrhoidum, dysenteria &c.

§. 7. Circa genus illud adhuc monendum est, excretionem eam ubique præternaturalem esse, interim tamen in omnibus subjectis non omnino eandem. Sunt certe qui parcius rejiciunt, sunt item qui copiosius & quasi cum impetu sanguinem effundunt. Quidam per aliquot saltem dies hoc vexantur malo, alii id ipsum tolerant diutius, per plures etiam annos. Nonnullis fere continua est Hæmoptysis: aliis periodice recurrit, atque tum intervalla servat modo certa, modo incerta; cujus rei testimonia quotidiana suggerit experientia, & multiplex autorum observatio.

§. 8. Ad materiam quod attinet, notamus sanguinem nunc quidem floridum, nunc vero obscurum, vel etiam congrumatum ejici. Frequentius salivæ tantillum spumescentis, aut mucus viscidior, interdum & purulenti quid admiscetur sanguini, non raro tamen sincerus fere sanguis è thorace quasi scaturire videtur, adeo sine difficultate vel tussi copiose affluit.

§. 9 Denique in determinando loco affecto non dubitavi asserere thoracem, quo ipso non cavitatem saltem ejus, sed quæ in ea continentur viscera simul intellecta volui. Addo, à me nominari

nullis sunt, non esse talia, nisi cæteris paribus, i. e. quando hæc ipsa circumstantiis omnibus in ægro occurrentibus adæquate respondeant. Quæ omnia, sicuti in honorē Divini Numinis proximique salutem directa sunt, ita ejusdem Sacro-Sanctæ Trinitatis gratiosum concursum animitus exoro, mihique polliceor!

§. 1.

QUid per Hæmoptysin significetur, ex ipso satis termino apparet, cum à Græcis mutuato sit, quibus αἷμα sanguinem denotat, & πτύσις sputitionem. Itaque idem est Hæmoptoë, quod alias Latinis dicitur sputum Sanguinis, sputio cruenta, &c. vel Nostratibus Germanico idiomate, **Blut auswerffen/ Blut speyen/** item **Blutstürtzung/** si majore in quantitate quasi evomatur.

§. 2. Accidit equidem & sanguinis sputum quibusdam Scorbuticis, ex cruentatione gingivarum in stomacace: aut pueris si detergantur Aphthæ oris: aut lue venerea v. g. correptis, ob exulcerationem palati & faucium: aut quibus angina ad suppurationem vergit: aut sanguis circa fauces depluit in hæmorrhagia narium. Verum proprie strictēque loquendo ad Hæmoptysin non referuntur jam nominati affectus.

§. 3. Rejicitur præterea longe copiosior sanguis in vomitu cruento, qualis nonnunquam dysentericos affligit, præsertim tenuia cum afficiuntur intestina. Ut nihil dicam de vulneribus ventriculi & erosionibus ejusdem. Ita *Galen. lib. 4. de Locis Affectis. c. 5.* refert, cruoris vomitum se vidisse ortum ob haustam ex improviso hirudinem; similemque historiam memorat *Borellus Cent. 1. obs. 24.* Idem & à lumbricis accidisse testatur *Wedelius*, vide *Bonetum Med. Sept. Tom. I. p. 548.*

§. 4. Quandoquidem vero in hæmoptysi genuina Sanguis è Thorace rejiciendus est, ratio apparet, ob quam hactenus nomi-

nata vitia locum hic non inveniant; præsertim cum circa sputum Sanguinis etiam proprie sic dictum varietas occurrat non una.

§. 5. Nimirum Hæmoptysis est excretio Sanguinis per os è Thorace. In qua definitione Generis locum occupat excretio; utpote quam affectus noster cum pluribus aliis communem habet, ubi scilicet viscida, purulenta, serosa, biliosa, atque alia è corpore rejiciuntur.

§. 6. Differentia specifica partim desumta est à materia, partim à loco affecto, partim à via. Videlicet sanguinis excretio distinguit Hæmoptysin à tussi humorosa, ab Empyemate Thoracis &c. Pars affecta, puta thorax, eandem diversam facit à vomitu Sanguinis, cruentatione gingivarum, &c. quemadmodum & via per os eandem manifeste discernit à mictione cruenta, fluxu hæmorrhoidum, dysenteria &c.

§. 7. Circa genus illud adhuc monendum est, excretionem eam ubique præternaturalem esse, interim tamen in omnibus subjectis non omnino eandem. Sunt certe qui parcius rejiciunt, sunt item qui copiosius & quasi cum impetu sanguinem effundunt. Quidam per aliquot saltem dies hoc vexantur malo, alii id ipsum tolerant diutius, per plures etiam annos. Nonnullis fere continua est Hæmoptysis: aliis periodice recurrit, atque tum intervalla servat modo certa, modo incerta; cujus rei testimonia quotidiana suggerit experientia, & multiplex autorum observatio.

§. 8. Ad materiam quod attinet, notamus sanguinem nunc quidem floridum, nunc vero obscurum, vel etiam congrumatum ejici. Frequentius salivæ tantillum spumescentis, aut mucus viscidior, interdum & purulenti quid admiscetur sanguini, non raro tamen sincerus fere sanguis è thorace quasi scaturire videtur, adeo sine difficultate vel tussi copiose affluit.

§. 9 Denique in determinando loco affecto non dubitavi asserere thoracem, quo ipso non cavitatem saltem ejus, sed quæ in ea continentur viscera simul intellecta volui. Addo, à me nominari

nullis sunt, non esse talia, nisi cæteris paribus, i.e. quando hæc ipsa circumstantiis omnibus in ægro occurrentibus adæquate respondeant. Quæ omnia, sicuti in honorē Divini Numinis proximique salutem directa sunt, ita ejusdem Sacro-Sanctæ Trinitatis gratiosum concursum animitus exoro, mihique polliceor!

§. 1.

Quid per Hæmoptysin significetur, ex ipso satis termino appareat, cum à Græcis mutuato sit, quibus αἷμα sanguinem denotat, & πτύσις spuitionem. Itaque idem est Hæmoptoë, quod alias Latinis dicitur sputum Sanguinis, spuitio cruenta, &c. vel Nostratibus Germanico idiomate, **Blut auswerffen/ Blut speyen/** item **Blutstürtzung/** si majore in quantitate quasi evomatur.

§. 2. Accidit equidem & sanguinis sputum quibusdam Scorbuticis, ex cruentatione gingivarum in stomacace: aut pueris si detergantur Aphthæ oris: aut lue venerea v. g. correptis, ob exulcerationem palati & faucium: aut quibus angina ad suppurationem vergit: aut sanguis circa fauces depluit in hæmorrhagia narium. Verum proprie strictēque loquendo ad Hæmoptysin non referuntur jam nominati affectus.

§. 3. Rejicitur præterea longe copiosior sanguis in vomitu cruento, qualis nonnunquam dysentericos affligit, præsertim tenuia cum afficiuntur intestina. Ut nihil dicam de vulneribus ventriculi & erosionibus ejusdem. Ita *Galen. lib. 4. de Locis Affectis. c. 5.* refert, cruoris vomitum se vidisse ortum ob haustam ex improviso hirudinem; similemque historiam memorat *Borellus Cent. 1. obs. 24.* Idem & à lumbricis accidisse testatur *Wedelius*, vide *Bonetum Med. Sept. Tom. I. p. 548.*

§. 4. Quandoquidem vero in hæmoptysi genuina Sanguis è Thorace rejiciendus est, ratio apparet, ob quam hactenus nomi-

nata

nata vitia locum hic non inveniant; præsertim cum circa sputum Sanguinis etiam proprie sic dictum varietas occurrat non una.

§. 5. Nimirum Hæmoptysis est excretio Sanguinis per os è Thorace. In qua definitione Generis locum occupat excretio; utpote quam affectus noster cum pluribus aliis communem habet, ubi scilicet viscida, purulenta, serosa, biliosa, atque alia è corpore rejiciuntur.

§. 6. Differentia specifica partim desumta est à materia, partim à loco affecto, partim à via. Videlicet sanguinis excretio distinguit Hæmoptysin à tussi humorosa, ab Empyemate Thoracis &c. Pars affecta, puta thorax, eandem diversam facit à vomitu Sanguinis, cruentatione gingivarum, &c. quemadmodum & via per os eandem manifeste discernit à mictione cruenta, fluxu hæmorrhoidum, dysenteria &c.

§. 7. Circa genus illud adhuc monendum est, excretionem eam ubique præternaturalem esse, interim tamen in omnibus subjectis non omnino eandem. Sunt certe qui parcius rejiciunt, sunt item qui copiosius & quasi cum impetu sanguinem effundunt. Quidam per aliquot saltem dies hoc vexantur malo, alii id ipsum tolerant diutius, per plures etiam annos. Nonnullis fere continua est Hæmoptysis: aliis periodice recurrit, atque tum intervalla servat modo certa, modo incerta; cujus rei testimonia quotidiana suggerit experientia, & multiplex autorum observatio.

§. 8. Ad materiam quod attinet, notamus sanguinem nunc quidem floridum, nunc vero obscurum, vel etiam congrumatum ejici. Frequentius salivæ tantillum spumescentis, aut mucus viscidior, interdum & purulenti quid admiscetur sanguini, non raro tamen sincerus fere sanguis è thorace quasi scaturire videtur, adeo sine difficultate vel tussi copiose affluit.

§. 9 Denique in determinando loco affecto non dubitavi asserere thoracem, quo ipso non cavitatem saltem ejus, sed quæ in ea continentur viscera simul intellecta volui. Addo, à me nominari

nullis sunt, non esse talia, nisi cæteris paribus, i. e. quando hæc ipsa circumstantiis omnibus in ægro occurrentibus adæquate respondeant. Quæ omnia, sicuti in honorē Divini Numinis proximique salutem directa sunt, ita ejusdem Sacro-Sanctæ Trinitatis gratiosum concursum animitus exoro, mihique polliceor!

§. 1.

Quid per Hæmoptysin significetur, ex ipso satis termino appareat, cum à Græcis mutuato sit, quibus αἷμα sanguinem denotat, & πτύσις spuitionem. Itaque idem est Hæmoptoë, quod alias Latinis dicitur sputum Sanguinis, spuitio cruenta, &c. vel Nostratibus Germanico idiomate, Blut auswerffen/ Blut speyen/ item Blutstürtzung/ si majore in quantitate quasi evomatur.

§. 2. Accidit equidem & sanguinis sputum quibusdam Scorbuticis, ex cruentatione gingivarum in stomacace: aut pueris si detergantur Aphthæ oris: aut lue venerea v. g. correptis, ob exulcerationem palati & faucium: aut quibus angina ad suppurationem vergit: aut sanguis circa fauces depluit in hæmorrhagia narium. Verum proprie strictèque loquendo ad Hæmoptysin non referuntur jam nominati affectus.

§. 3. Rejicitur præterea longe copiosior sanguis in vomitu cruento, qualis nonnunquam dysentericos affligit, præsertim tenuia cum afficiuntur intestina. Ut nihil dicam de vulneribus ventriculi & erosionibus ejusdem. Ita *Galen. lib. 4. de Locis Affectis. c. 5.* refert, cruoris vomitum se vidisse ortum ob haustam ex improviso hirudinem; similemque historiam memorat *Borellus Cent. 1. obs. 24.* Idem & à lumbricis accidisse testatur *Wedelius*, vide *Bonetum Med. Sept. Tom. I. p. 548.*

§. 4. Quandoquidem vero in hæmoptysi genuina Sanguis è Thorace rejiciendus est, ratio apparet, ob quam hactenus nomi-

nata

nata vitia locum hic non inveniant; præsertim cum circa sputum Sanguinis etiam proprie sic dictum varietas occurrat non una.

§. 5. Nimirum Hæmoptysis est excretio Sanguinis per os è Thorace. In qua definitione Generis locum occupat excretio; utpote quam affectus noster cum pluribus aliis communem habet, ubi scilicet viscida, purulenta, serosa, biliosa, atque alia è corpore rejiciuntur.

§. 6. Differentia specifica partim desumta est à materia, partim à loco affecto, partim à via. Videlicet sanguinis excretio distinguit Hæmoptysin à tussi humorosa, ab Empyemate Thoracis &c. Pars affecta, puta thorax, eandem diversam facit à vomitu Sanguinis, cruentatione gingivarum, &c. quemadmodum & via per os eandem manifeste discernit à mictione cruenta, fluxu hæmorrhoidum, dysenteria &c.

§. 7. Circa genus illud adhuc monendum est, excretionem eam ubique præternaturalem esse, interim tamen in omnibus subjectis non omnino eandem. Sunt certe qui parcius rejiciunt, sunt item qui copiosius & quasi cum impetu sanguinem effundunt. Quidam per aliquot saltem dies hoc vexantur malo, alii id ipsum tolerant diutius, per plures etiam annos. Nonnullis fere continua est Hæmoptysis: aliis periodice recurrit, atque tum intervalla servat modo certa, modo incerta; cujus rei testimonia quotidiana suggerit experientia, & multiplex autorum observatio.

§. 8. Ad materiam quod attinet, notamus sanguinem nunc quidem floridum, nunc vero obscurum, vel etiam congrumatum ejici. Frequentius salivæ tantillum spumescentis, aut mucus viscidior, interdum & purulenti quid admiscetur sanguini, non raro tamen sincerus fere sanguis è thorace quasi scaturire videtur, adeo sine difficultate vel tussi copiose affluit.

§. 9 Denique in determinando loco affecto non dubitavi asserere thoracem, quo ipso non cavitatem saltem ejus, sed quæ in ea continentur viscera simul intellecta volui. Addo, à me nominari

nullis sunt, non esse talia, nisi cæteris paribus, i.e. quando hæc ipsa circumstantiis omnibus in ægro occurrentibus adæquate respondeant. Quæ omnia, sicuti in honorē Divini Numinis proximique salutem directa sunt, ita ejusdem Sacro-Sanctæ Trinitatis gratiosum concursum animitus exoro, mihique polliceor!

§. 1.

Quid per Hæmoptysin significetur, ex ipso satis termino apparet, cum à Græcis mutuato sit, quibus αἷμα sanguinem denotat, & πτύσις spuitionem. Itaque idem est Hæmoptoë, quod alias Latinis dicitur sputum Sanguinis, spuitio cruenta, &c. vel Nostratibus Germanico idiomate, Blut auswerffen/ Blut speyen/ item Blutstürtzung/ si majore in quantitate quasi evomatur.

§. 2. Accidit equidem & sanguinis sputum quibusdam Scorbuticis, ex cruentatione gingivarum in stomacace: aut pueris si detergantur Aphthæ oris: aut lue venerea v. g. correptis, ob exulcerationem palati & faucium: aut quibus angina ad suppurationem vergit: aut sanguis circa fauces depluit in hæmorrhagia narium. Verum proprie strictèque loquendo ad Hæmoptysin non referuntur jam nominati affectus.

§. 3. Rejicitur præterea longe copiosior sanguis in vomitu cruento, qualis nonnunquam dysentericos affligit, præsertim tenuia cum afficiuntur intestina. Ut nihil dicam de vulneribus ventriculi & erosionibus ejusdem. Ita *Galen. lib. 4. de Locis Affectis. c. 5.* refert, cruoris vomitum se vidisse ortum ob haustam ex improviso hirudinem; similemque historiam memorat *Borellus Cent. 1. obs. 24.* Idem & à lumbricis accidisse testatur *Wedelius*, vide *Bonetum Med. Sept. Tom. I. p. 548.*

§. 4. Quandoquidem vero in hæmoptysi genuina Sanguis è Thorace rejiciendus est, ratio apparet, ob quam hactenus nomi-

nata

nata vitia locum hic non inveniant; præsertim cum circa sputum Sanguinis etiam proprie sic dictum varietas occurrat non una.

§. 5. Nimirum Hæmoptysis est excretio Sanguinis per os è Thorace. In qua definitione Generis locum occupat excretio; utpote quam affectus noster cum pluribus aliis communem habet, ubi scilicet viscida, purulenta, serosa, biliosa, atque alia è corpore rejiciuntur.

§. 6. Differentia specifica partim desumta est à materia, partim à loco affecto, partim à via. Videlicet sanguinis excretio distinguit Hæmoptysin à tussi humorosa, ab Empyemate Thoracis &c. Pars affecta, puta thorax, eandem diversam facit à vomitu Sanguinis, cruentatione gingivarum, &c. quemadmodum & via per os eandem manifeste discernit à mictione cruenta, fluxu hæmorrhoidum, dysenteria &c.

§. 7. Circa genus illud adhuc monendum est, excretionem eam ubique præternaturalem esse, interim tamen in omnibus subjectis non omnino eandem. Sunt certe qui parcius rejiciunt, sunt item qui copiosius & quasi cum impetu sanguinem effundunt. Quidam per aliquot saltem dies hoc vexantur malo, alii id ipsum tolerant diutius, per plures etiam annos. Nonnullis fere continua est Hæmoptysis: aliis periodice recurrit, atque tum intervalla servat modo certa, modo incerta; cujus rei testimonia quotidiana suggerit experientia, & multiplex autorum observatio.

§. 8. Ad materiam quod attinet, notamus sanguinem nunc quidem floridum, nunc vero obscurum, vel etiam congrumatum ejici. Frequentius salivæ tantillum spumescentis, aut mucus viscidior, interdum & purulenti quid admiscetur sanguini, non raro tamen sincerus fere sanguis è thorace quasi scaturire videtur, adeo sine difficultate vel tussi copiose affluit.

§. 9 Denique in determinando loco affecto non dubitavi asserere thoracem, quo ipso non cavitatem saltem ejus, sed quæ in ea continentur viscera simul intellecta volui. Addo, à me nominari

thoracem tanquam partem proxime affectam, unde scilicet rejiciatur sanguis; non necessum tamen est, eandem esse primario affectam. Scilicet è pectore sanguis rejicitur proxime, tanquam è subjecto inhæsionis: nihil tamen obstat, quo minus aliunde afferatur, e. g. quando à suppressione mensium sanguis in toto corpore abundans exitum per pulmones quærit.

§. 10. Neque enim unica est hæmoptysis causa. Non desunt, qui saltem ob abundantiam sanguinis nimiam tale quid patiuntur, id quod olim fieri per Anastomosin sive apertionem vasorum sanguiferorum creditum est, quam opinionem plures etiamnum fovent. Nihilominus salva illorum Autoritate non possum quin dissentiam, ob rationes modo dicendas. Nimirum certum est ex legibus Circulationis; per venas nihil adduci ad partes, sed omnes reducere sanguinem è partibus ad cor; Quid ergo ad Hæmoptysin conferre poterit venarum apertio, cum hoc pacto sanguis felicius ad sinistram cordis auriculam abire queat. Arteriæ autem, cum non hient in tracheam, sed cellulas pulmonum, itidem sputum reddere cruentum nequeunt, utpote cum quo non commiscetur sanguis, alioquin semper tale rejici etiam in sanis deberet. Superest igitur, ut potius via è cavernulis pulmonum in Tracheam aperiatur, quod non difficulter fieri potest, si substantia pulmonum adeo distendatur ob plethoram, ut expansis cellulis membranaceis oscula tracheæ insimul dilatentur; sic enim sublata illa, quæ ad aëris tantummodo transitum destinata est, angustia, nil obstat sanguinem quoque impelli.

§. 11. Ita sane non improbabile videtur, eos qui cum euphoria & levamine sangvinem excernunt copiosum, Plethoricos esse; saltim extra dubium est, majorem sangvinis copiam redundasse in his, qui quantitatem incredibilem etiam sine damno rejiciunt. Huc spectat observatio *D. Brechtfeld, in Act. Hafn. Vol. 1. Obs. 105. p. 196.* Similiter refert *Joh. Georg. Schenckius Cent. 3. Obs. 68.* de viro prope septuagenario, cum ultra decem libras sangvinis expu-

expuisse. Et quod fidem pene superat, à Johanne Prævotio notatum est, libras 28. intra tres horas fuisse à quodam ægro excretas. vid. *Rhodii Cent. 2. obs. 31.*

§. 12. Ob eandem causam interdum satis copiosa effusio sanguinis non infrequens est in fœminis si menstrua, in viris si hæmorrhoides supprimantur. Confer *Salmuth. Cent. 2. Obs. 18. & Foresti. L. 16. Obs. 22.* Dum enim alias consveta evacuatio sufflaminatur, necessum est, ut alio quodam in loco exitum sibi quærat; data igitur occasione, v. g. Tussis, per pulmones erumpit, prout alias frequentius per nares solet.

§. 13. Excitat idem sangvinis sputum hoc magis Orgasmus sangvinis; sive is à commotione animi, sive corporis oriatur. Sic Aristobolus perempto fratre adeo perculsus mœrore dicitur, ut sputum rejiceret mero perfusum sangvine. Vid. *Joh. Schenck. L. 2. p. 239.* Quid excandescentia & iræ furor in excitanda valeat Hæmoptysi, quotidiana docent Exempla.

§. 14. Nec rarum, idem accidere his, qui sese incautius applicant ad motus quosvis & præcipue ad artes illas equestres, (Volte-siren/ Ringen/ &c.) Nec dubium est, quin corporis incalescentia multum conferat in commovenda massa sangvinea præsertim Scorbuticorum. Ita enim ex abusu thermarum horrendam Hæmoptoën contraxit juvenis quidam, apud *Willis. Pharm. rat. part. 2. p. 86.* Fortassis & balnei laconici culpa factum est, ut tantam sangvinis copiam rejiceret miles, cujus mentionem facit *Höfer in Medic. famil. p. 738.* Sed notatu dignius est, quod *Plater. L. 3. obs. p. 738.* refert, Fœminam annorum 49. toties sangvinem expuisse, quotiescunque cum viro congrederetur, quæ tamen nihil ejus experiebatur, quamdiu abstineret à coitu.

§. 15. Quæ de commotione corporis dixi, speciatim quoque de thoracis concussione intelligenda sunt. Nam & tussis vel sola sufficit ad producendam Hæmoptysin. Curiosa est hanc in rem Observatio *Sim. Schulzii*, quam habet *Bonetus Med. Sept. L. 1. Sect. 13.*

p. 381. Videlicet adoleſcenti, avellanas dum dentibus frangit, int cachinandum forte fruſtum putaminis incidit in aſperam arteriam hinc vero tam vehemens ſuboritur tuſſis, ut ſangvinis ſputum ſat copioſum ſequeretur, non modo per 6. dies, quo tempore illu retentum fuit fruſtulum, ſed & per annum integrum durans. Qu plures hujus generis hiſtorias deſiderat, adire poteſt *Corn. Stalpar tii van der Wiel obſ. Rar. Cent. I. obſ. 23. cum notis p. 98.*

§. 16. Par eſt ratio acrimoniæ ſeri vel ſangvinis; non enin deſinit ea continuo vellicare tracheam, unde tuſſis plus minus ve hemens. Notum eſt à defluxionibus & acri catarrho ſæpe diutur nam excitari tuſſim, usque dum à violentiori concuſſione Sangvi ejiciatur. Et quemadmodum in hoc caſu titillationes circa laryn gem obſervantur moleſtæ, ita in aliis, quorum univerſus ſangvi acrimonia ſcatet ſcorbutica, vellicationes ſimiles experiuntur ir reliquo aſperæ arteriæ progreſſu.

§. 17. Quis dubitet hoc pacto & erodi ab acrimonia pulmo nes, quod Veteres dixere διαβρωσιν, aut inter tuſſiendum dilace rari ab iſtiusmodi motu impetuoſo per διαίρεσιν. Id ſuo cum damno præ cæteris experiuntur phthiſici; quippe qui ab initio quidem ſangvinem plerumque floridum, in progreſſu purulenta ſimul, in ſtante morte ſangvinem copioſiſſimum, & ipſam demum ſubſtan tiam pulmonum atque tracheæ non raro rejiciunt. Vide *Foreſt L. 16. obſ. 14.*

§. 18. In Variolis alias ſangvinis excretio cum urina vel alvi nis fecibus non ſemel viſa eſt, ad eundem modum cum tuſſi quan doque cruenta excerni ſolent, perinde ac in morbillis. Huc re ferri non indigna eſt *Borelli obſ. 35. Cent. 2.* ubi plures annotavit hæ moptoë correptos, qui maculis undique purpureis atque ſubnigris quaſi variegati conſpiciebantur.

§. 19. Longe frequentius accidit Hæmoptyſis ob ſtagnatio nem ſangvinis in pectore, & quidem in pleuritide, niſi ab initio ſtatim diſcutiatur, tertia vel quarta die ſputum ordinarie cruen tum

tum subsequitur. Nempe, qui circa costas tum stagnat cruor, à natura, viam quærente proximam, per venam ἄζυγον cordi affertur, ut in pulmones translatus inter tussiendum eliminari queat è corpore.

§. 20. Quodsi pulmones ipsi fuerint inflammati, propior est ad tracheam via, non dissimile tamen sputum, quemadmodum & in Pleuropneumonia, ubi pleuræ simul & pulmonũ inflammatio concurrit. His adjicienda est vomica, quippe quæ nonnunquam sputum & cruentum & purulentum reddit, scilicet dum rumpitur, aut cum tussis vehementior eandem ejicere conatur.

§. 21. Denique nec prætereundum est, Hæmoptysin tum etiam contingere, quando Sangvis coagulatus & extravasatus in corpore occurrit. Post casum ab alto, vel fustigationem enormem, imo & luxationem vertebrarum dorsi, cruenta rejici non rarum est. Resolvi autem istiusmodi grumos Sangvinis, ut per angustias venarum remeare queant ad interiora, nemini obscurum esse potest, qui non ignorat, suggillationem sæpius insignem succedere vel minui ac evanescere, cum tamen color iste lividus plumbeusque ecchymomatis satis indicet sangvinis hujus conditionem à naturali constitutione longe alienissimam.

§. 22. Nec vero credendum est, grumos majores ulla ratione per vasa illa capillaria deferri posse; satis est, si ab ipsa natura progressu temporis resolvatur, ut ex læsa parte abduci ad loca excretioni commoda queat. Similis ratio est sangvinis in thoracem effusi, v. g. ob vulnus inflictum, aut fracturam costarum. Quanquam enim extra dubium superficies pulmonum pervia porisque suis pertusa sit, concipi tamen non potest, quomodo grumi majores intrare queant; si vero statuamus paulatim absorberi partem resolutam, atque tum intra bronchos iterum concrescere, sicuti alias & mucus viscidior solet, clarissima res erit.

§. 23. Transeo ad curam: ubi ante omnia monendum erit, incautum esse nonnullorum judicium, qui putant Hæmoptysin non

non nisi adstringentia requirere, cum excretio ista sangvinis præter naturam talia indicet remedia. Quam inepte autem in Plethora & suppressione mensium vel hæmorrhoidum, in Pleuritide simílique inflammatione pectoris vel Vomica, itemque post casum ab alto, luxationem, vulnus, contusionem &c. exhibeantur adstringentia, nemo facile non perspicit. Ad hunc modum extinctus est juvenis, cui temere à circumforaneo fortius adstringentia exterius applicata fuerunt, cum à cantu ruptionem pateretur, monente *Jacchino in Schenckii Lib. 2. obs. Med. p. 241.*

§. 24. Tantum ergo abest supprimendam ubique excretionem esse, ut potius eandem juvare, interdum autem divertere necessum habeat Medicus. Laudatissima proinde Venæ sectio est, si Plethora quemquam urgeat; si menses supprimantur in fœminis, aut hæmorrhoides in viris. Ita novi non unum, qui cum omnia in cassum tentasset medicamina, sola Venæ sectione tandem liberatum.

§. 25. Non necessum autem est, ut in seligendis venis nimium simus curiosi; satis est, si modo sufficiens Sangvinis quantitas educatur. Nihil refert utrum in brachio vel talo secetur Vena, cum idem sangvis per universum corpus distribuatur, datoque hac vel illa in parte spatio, dum secedit, deplentur quasi membra cætera & levantur à plethoræ molestia.

§. 26. Si fluxus mensium suppressus sit, præmissa Sangvinis missione, dentur aperientia, non quidem acerrima quævis, sed mitissima & temperata; metuendum enim, ne si acriora præscribantur, hæmoptysis exacerbetur nimium. Itaque nec fortiora purgantia hic locum habent, etiamsi corpus maxime impurum sit, multo minus vomitoria, ut recte monet veterum æque ac recentiorum autoritate confirmatus *Deckers, Exerc. Med. Pr. p. 150.*

§. 27. Quapropter optima hoc in passu erunt, arcan. dupl. borrax Venet. & tartar. Vitriolat. cum succino, hæmatites item cum limat. ♂t. & croco aperitivo. E vegetabilibus seligi possunt: Rosma-

marinus, Chamædrys & Ariſtolochia, cum floribus Keyri, Calendulæ, papaveris erat. atque croco. Salia volatilia lubens hic reticeo, cum non ſemel obſervatum ſit à Spiritu Salis ammoniaci, aniſato etiam, adverſus tuſſim exhibito non ſemel excitatam fuiſſe hæmoptyſin.

§. 28. Hæmorrhoides ſi ſupprimantur, ſolenne eſt adhibere hirudines, ut ano applicatæ venas hæmorrhoidales ſolicitent, quem in finem folia ficus trita aliaque acria nonnulli ſvadent. Facile autem patior, quemvis ſuo abundare ſenſu; interim tamen certum eſt, fluxum eundem admodum moleſtum declinari poſſe omnino, ſi Venæ ſectio aut ſcarificatio aliquoties reiteretur, ſi ratio Diætæ accedat debita, ſi cacochymia convenientibus corrigatur remediis.

§. 29. Quodſi orgaſmus ſangvinis ac ebullitio cauſam præbeat cruentæ ſpuitioni, ſive ea ob ſpirituum ſive corporis commotionem naſcatur, non incongrue quidem & vena ſecari poteſt, præſertim ſi corpus fuerit plethoricum. Directe tamen hoc in puncto requiri videntur opiata & refrigerantia, ut fervor motusque acceleratus ſpirituum & humorum quodammodo ſedetur.

§. 30. Præ omnibus commendari hunc in finem ſolet ſemen hyoſcyami; cujus quidem virtus in hoc paſſu contemnenda non eſt, neſcio tamen, quam ſtupidum & quaſi temulentum reddat ægrum, ſi per aliquot dies ejusdem uſus continuandus ſit. Præſtat igitur loco illius ſemen adhibere papaveris albi, ſicuti & reliqua ex opio parata medicamenta, uti ſunt opium cydoniatum, vel quocunque cum ſucco fermentatum, cum vino Malvatico aut Hiſpanico extractum, Tinctura opii &c. Dubio procul ab admixtione opii, papaveris, hyoscyami crocique potior etiam virtus eſt Trochiſcorum de Alkekengi vel Carabe, quos nonnulli adeo extollunt.

§. 31. In æſtu temperando, cum his combinari poſſunt refrigerantia. Appropriata in hoc caſu erunt ſuccus portulacæ & ſemper vivi majoris, plantaginis, burſæ paſtoris atque urticæ. Nec con-

temnenda erit aqua ſpermatis ranarum; ſed ſperniola Crollii ob myrrhæ camphoræque admixtionem minus arridet. Et quemadmodum alias v. g. in febribus ardentibus adverſus fervorem Sanguinis optimo cum ſucceſſu adhibentur Spiritus acidi mineralium, vitrioli, ſulphuris, nitri &c. ita nec dubium eſt, quin ob eandem rationem hæmoptoicis nonnunquam ſint utiliſſimi, præſertim cum vim adſtringendi ſimul poſſideant. Nam & à fumo ſaltem accenſi ſulphuris inſpirato ſæpius ſtitiſſe hæmoptyſin, autor eſt *Sim. Pauli Qv. Bot. p. 232.*

§. 32. Interea ægris iſtiusmodi abſtinendum eſt, quantum fieri poteſt ab omnibus, quæ ulla ratione commovere ſanguinem poſſunt. Abſit ira, crapula, vinique potus, & ad tranquillitatem animi atque corporis disponatur æger; hoc enim niſi fiat, oleum atque operam perdet Medicus, quanquam optima quævis ac ſelectiſſima exhibeantur remedia.

§. 33. Porro ſi ab acrimonia ſeri ſanguinisque tuſſis ferina cum ſputo ſanguinis oriatur, requiruntur potiſſimum abſorbentia, incraſſantia, aut quæ diluere acres humores valent. In ſubjectis enim Scorbuticis peccante in primis viis acido, quid aliud æque conveniens eſſe poterit ac hæmatites ſimiliaque ſ. tialia, cum bolo Armena, terra Sigillata, Marga, Coralliis, Teſtis ovorum, Cornu cervi ac ebore uſto.

§. 34. Si Salſedo prævaleat, utiliora erunt incraſſantia. Hunc in finem ab omni ætate commendata deprehendo Gummi Arabicum, & Tragacantham, Maſtichen, thus, itemque amylum. Nec abſonum foret, ſi quis pro ſcopo temperandi acrimoniam exhibere velit Gelatinam Cornu cervi & eboris, aut è limacibus paratam, quam ſpecialiter tanquam expertam deprædicat *Burnettus in Theſ. Med. Pr. Tom. 2. p. 12.* Huc ſpectat lactis quoque uſus in genere, nihil autem intereſt, ſive lac aſininum ſive bubulum ſive denique muliebre potetur, cum in eo conveniant, quod abundantes particulæ pingues acrimoniam iſtam ſucceſſive corrigant ac temperent.

§. 35.

§. 35. Diluit autem eandem Salſedinem præ reliquis Thee potus, hactenus his in terris ſatis uſitatus. Qui enim conſiderat urinam ab hauſtu Thee non minus ſalſam reddi quam quæ ordinarie alias excernitur, is facile intelligit, uſu continuato illius potus fere inſipidi, neceſſario inſignem copiam ſalium educi. Adhæc ſapor ipſe illius herbæ adſtringens eſt, ita ut non uno experimento conſtet, ejusdem uſum etiam in Phthiſi fuiſſe haud vanum.

§. 3. Diætæ autem ratio cum in his ſubjectis maxime habenda ſit, moneo in gratiam ſcorbuticorum, non quævis promiscue antiſcorbutica his permitti, multo minus ſvaderi poſſe; cum acriora illa ſputum promoveant cruentum. Relegetur idcirco à menſa talium ægrorum una cum reliquis nimium ſalitis acribusque, radix armoraciæ, cochlearia, naſturtium atque Sinapi. E contrario potus eligatur tenuis & cibus euchymus; atque ſic optima erunt lacticinia, ut & pulmenta ex amygdalis dulcibus, oryza, milio, avena, & in genere omnibus temperatis.

§. 37. Et quemadmodum in Phthiſi eadem hæc acrimonia humorum idemque orgasmus æſtusque Sanguinis crebrius concurrunt cum exulceratione pulmonum; idcirco & in ea, ſi ſputum deprehendatur cruentum, notentur omnia hactenus monita. Saltem ut eroſioni pulmonum conſulamus, præcipuum erit cogitare de conſolidantibus & adſtringentibus. Fortiora quidem ex his ſatis tuto exhiberi non poſſunt, ob metum ſuffocationis, atque ideo temperanda ſunt admixtis aliis, niſi extrema neceſſitas aliud poſtulet. Illius generis ſunt Tinctura hæmatitis, & ſulphur. vitrioli, alumen & radix Conſol. majoris. Paulo mitiora ſunt ſaccharum Saturni, vitriolum Martis, & quæ inde paratur Tinctura anti-phthiſica, folia myrti, quercus, ſalicis & vincæ pervincæ, flores roſarum rubrarum, radix tormentillæ, biſtortæ, ac ireos aquaticæ, ſanguis draconis &c. His addantur vulneraria, ſanicula, pyrola, alchimilla, virga aurea, ſcordium, ſanguiſorba, quinque folium, polygonum, piloſella, flores verbasci, liliorum alborum & hyperici; fructus momordicæ, flores ſulphuris, ſulphur lycopodii &c.

§. 38. In variolis vel morbillis si sangvinis sputum accidat, & quidem in principio ob sangvinis orgasmum tussimque nimiã, saltem expellendum est, cum sua sponte cesset, postquam exanthemata perfecte fuerunt expulsa. Quodsi vero in corpore relinquatur superatis jamjam illis affectibus, signum est hinc exulcerati pulmonis, atque ideo non alia cura locum habet, quam quæ alias Phthisicis propria.

§. 39. Diversa erit medendi methodus ineunda, quando pleuritis, peripneumonia, vel pleuropneumonia, aut etiam paraphrenitis sputum reddit sanguinolentum. Et quemadmodum in omni inflammatione missio sanguinis locum habet, ita maxime in his vitiis thoracis, ubi suffocatio imminet. Non dicam à venæ sectione præcipue largiori notabiliter corpus refrigerari; saltem id certum est, symptomata inflammationum potiora illico mitigari.

§. 40. Neminem latet, dolores exacerbari manifeste, si quis v. g. in paneritio aliaque inflammatione digiti pronam gestet manum, eosdemque levari subito, dum attollatur, quoniam refluxus sanguinis à manu læsa notabiliter promovetur. Ad eundem modum à venæ sectione dum imminuitur quantitas sanguinis, fibras partium undique distendens in inflammatione, non potest non levamen subitaneum exinde notari. Quid? quod & hoc modo humor stagnans facilius iterum resolvitur, postquam dato ampliore spatio liberius circulari potest massa sanguinea.

§. 41. Posito autem post venæ sectionem etiamnum sanguinis expuitionem durare, quid tum consilii? Putasne adstringentia ad supprimendam excretionem istam esse adhibenda? Nil minus. Potius naturæ motus juvandus est omnibus modis. Nimirum expectorantia, aperientia &, sudorifera cum anodynis, si dolor urgeat, huc revocanda sunt, ut hyssopus, scabiosa, tussilago, Veronica, Pulmonaria, Cardus benedictus & Mariæ, hedera terrestris, Taraxacum, Chærefolium, marrubium album, flores sambuci, bellidis. E regno animali usitatiora sunt, lapides cancrorum, ebur, dens apri & mandi-

mandibulæ lucii piscis, cum unicornu vero; quibus è minerali regno antimonialia, Cinnabarina & nitrata associanda sunt. Instar omnium sit antimonium Diaphoreticum Martiale cum arcano duplicato.

§. 42. Ulterius à vomica pulmonum rupta si expuatur sanguis, antiphthisica dentur remedia. Quamdiu vero firmius inhæret pulmonum lobis, satius est modice aperientia cum lenientibus exhibere. Præ omnibus tamen succus cancrorum fluviatilium expressus peculiare quid præstitisse aliquoties visus est.

§. 43. Superest ut hæmoptysin attingam, quæ à sanguine congrumato seu extravasato ortum trahit, juxta §. 21. Hic vero resolventia & sudorifera superius commemorata maxime conveniunt; quibus addi possunt radix rubiæ tinctorum, sperma ceti, atque hirci sanguis, vulgatissima pauperum solamina. Unicum addo in luxatione vertebrarum dorsi, ante omnia cogitandum esse de repositione, si quis promptum afferre auxilium velit.

§. 44. Quid tandem in fractura costarum aut vulnere thoracis agi debeat, neminem fugit. Consolidantia nempe cum moderate adstringentibus omnem absolvere paginam poterunt; itaque huc referantur ea, quæ in cura Phthisis §. 37. longa serie recensui. Tantum!

DISPUTATIO XVII.

DE

PHTHISI.

J. D.

PRÆFATIO.

NE mireris, L. B. Phthisin à me in Cathedram produci, morbum scilicet adeo vulgarem, jamque sæpius ab aliis excussum. Potuissem e-

quidem jucundam magis, & rariorem invenire differendi materiam: Sed ut verum fatear, existimavi semper, eum non minorem mereri laudem, qui de rebus ubique obviis apte loquitur, aut scribit, quam qui de ignotis, atque vix satis sibi perspectis instar cœci de coloribus judicare, arroganter sibi præsumit. Adhæc Theses ejusmodi, quæ videlicet destinatæ sunt Inaugurali Disputationi, veniam à suis lectoribus potius, quam applausum optare & expectare videntur. Et quanquam sagacioribus non invideam, si quem præ aliis sibi fœnerentur famæ splendorem; me tamen juvabit, & oblectabit non leviter, si intellexero, Tibi etiam huncce meum conatum non penitus displicere. DEUS autem T. O. M. benedicat ex alto laboribus his; & si qui alii futuri sunt in posterum, faxitque clementer, ut cuncta cedant prospere in ejusdem divini Nominis gloriam, Proximique commodum atque emolumentum.

§. 1.

SI vocis originem spectemus, φθίσις à Græcis Scriptoribus ad Romanos translata, derivatur secundum *Joh. Corraum in Defin. Med. p. 490. & Anut. Foësium Oecon. Hipp. p. 655.* ἀπο τοῦ φθίνειν, hoc est minui aut consumi. Fortasse commodius à φθίω, quod cum φθίω, corrumpo coincidit.

§. 2. Significat igitur in genere omnem corporis Tabem, adeoque ab ipso Hippocrate φθίσις alia dicitur ἰχιαδικὴ seu coxendicum: *Coac. Prænot. Edit. Lindan. Vol. 1. p. 533.* alia νωτιὰς seu dorsalis:

lis: *Vol. 2. de morbis p. 71.* alia νεφρίτις seu renalis: *Vol. de intern. Affect. p. 217.* A Paulo Ægineta vero *lib. 3. de Re Med. c. 22.* Phthisis appellatur non oculi atrophia seu macies, sed pupillæ vitium, quo ipsa ea vel angustior, vel hebetior, vel rugosior fit, ita ut majora cernantur objecta, quam revera sunt.

§. 3. In specie autem, & magis usitate Phthisin vocant tabem ab ulcere pulmonum natam, quam itidem describit *Hippocrates de morbis p. 74.* Ita enim *Galenus Comm. ad lib. 7. Aph. 16.* Quam proprie Græci, ac præsertim Athenienses φθόην appellant, hanc Hippocrates Phthisin nominavit ex ulcere pulmonis insanabili ortam, totius corporis extenuationem cum febre: *Gal. comm. ad lib. 5. Aph. 11.* ulcus pulmonum Hippocrates Phthisin vocat.

§. 4. Quemadmodum igitur Tabes seu contabescentia corporis germanico idiomate non male dicitur Schwindsucht/ quod carnes cum pingvedine quasi evanescant: ita similiter Phthisis convenientissime dicitur die Lungensucht/ oder Lungengeschwür/ siquidem proprie dicta Phthisis absque pulmonum ulcere non datur.

§. 5. Enimvero *Willis Pharmac. Rat. Part. 2. Sect. 1. cap. 6.* testatur se plura Phthisi defunctorum cadavera aperuisse, in quibus Pulmones ulcere prorsus immunes, tuberculis, lapidibus, aut materia fabulosa per totum consiti fuerunt, atque hinc rejecta Phthiseos communi descriptione, melius eam definiri arbitratur, per totius corporis contabescentiam à mala pulmonis conformatione ortam.

§. 6. Frustra tamen id factum videtur, siquidem primo confundit vomicam pulmonum cum Phthisi; nec enim novum est, corpora contabescere absque pulmonum ulcere, aut interire hominem ex vomica pulmonum: Deinde pro morbi causa minus convenienter allegat malam pulmonum conformationem, quod certe nomen si cum Medicis usitata loquendi ratione uti velis, nullatenus quadrat: quia hoc pacto ex definitione Phthiseos excluditur pro-

prie

prie dicta ex ulcere Pulmonum tabes, utpote quæ ad morbos potius ſolutæ unitatis, quam conformationis, meatuum ſcilicet ſive obſtructiones referri debet.

§. 7. Et quanquam *Ettmüllerus Doctr. Pract. Part. 2. cap. 1. de Nutrit. læſa*, Phthiſin dicat omnem contabeſcentiam, quæ ſequitur corruptelam, ac ulcerationem alicujus visceris nobilioris, hepatis e. g. renum, pulmonum, Meſenterii &c. imo & Phthiſin pulmonalem in ſpecie definiat per contabeſcentiam corporis ex vitio pulmonum natam, nihilominus monet, Vomicam Pulmonum cum Phthiſi non eſſe confundendam, quoniam inter ſe differunt ut abſceſſus, & ulcus ſordidum.

§. 8. Melioris adhuc diſtinctionis ergo malim ego antiquam potius ſervare definitionem, phthiſinque appellare contabeſcentiam corporis ex ulcere Pulmonum natam. Ita enim perſuaſus ſum, ad methodum medendi requiri maxime, ut probe diſtinguamus morbos, cauſasque morbificas. Qui bene diſtinguit, bene curat, non minus verum eſt, quam vulgatiſſimum illud in docendi Methodo; qui bene diſtinguit, bene docet.

§. 9. Nimirum generis loco in definitione aſſignare volui contabeſcentiam, quoniam communem illam Phthiſici habent cum Tabidis aliis: quorum inſignem numerum congeſſit inter cæteros *Matthias Moronus in Directorio Medico-Pract. ſub titulo Tabis, & Theophilus Bonetus in Sepulchreto lib. 2. Sect. 7. obſ. 107. & ſeqq. uſq; ad 168.*

§. 10. Differentiam ſuggerit cauſa Phthiſeos proxima & adæquata, ulcus nempe Pulmonum: etenim in eo discrepat Affectus hic à reliquis tabis ſpeciebus, quod aliam ſubinde atque aliam hæc agnoscant cauſam; illa vero ab ulcere pulmonum præciſe proveniat, ita ut hoc pacto non tantum cætera pulmonum vitia, ſed & aliarum partium ulcera hic excludantur.

§. 11. Plures interim cauſæ ſunt antecedentes ſeu remotiores Phthiſeos, ſiquidem cuncta, quæ Pulmones exulcerant, morbum hunc producere valent non difficulter. Conſolidatur enim pulmonum

monum ſubſtantia, ſi læſa fuerit, accedente præſertim tuſſi, ægerrime: *juxta Wolf. Hæferum Herc. Med. L. 2. c. 1.* partim ob motum eorum in reſpiratione continuum, partim propter teneriorem ac membranaceam minusque carnoſam eorum texturam: atque ideo & vulnera pulmonum frequentius Phthiſin poſt ſe trahunt, quales Hiſtorias recenſet *Horſtius obſ. L. 3. fol. 163. & Platerus l. 3. obſ. p. 690.*

§. 12. Nam & à Variolis oriri Phthiſin, rarum non eſt. Et quemadmodum ab initio tuſſis utplurimum ægros affligit vehementius: ita interdum longe periculoſior ſupervenit, quando morbus jamjam ad deteriora declinat; quotiescunque ſcilicet materia peccans ab incautius admiſſo frigidiore aëre retropulſa, interiora pulmonesque ipſos exulcerat, unde totius tabes atque mors ſequitur indeclinabilis. *vide Th. Bartholini Cent. IV. Hiſt. 43. & Joh. Michaelis Prax. Clin. P. 1. L. 3. c. 1.*

§. 13. Nihil autem refert, ſeu humoribus id adſcribatur corroſivis, ſeu vermiculis, quos in variolis aliquando deprehenſos notavit *Petr. Borellus Cent. 2. obſ. 72. & Joh. Rhodius Cent. 3. obſ. 64.* Cum alias conſtet, à vermibus pulmonum enatam fuiſſe Phthiſin. *Conſer Bartholini Cent. 1. Hiſtor. 46. & Rhodii C. 2. obſ. 12. Schenckii L. 2. de Pulm. p. 229.* Et quid impedit, Seminium ejusmodi verminoſum etiam inſpirari? Cum per experientiam conſtet, oves gregatim tuſſientes contabeſcere, ubi nebula inſalubrior (der Mehlthau) rubigine inficit paſcuas, ut incertum ſit, utrum plus damni ex pabulo, an potius ex inſpirato aëre vermiculis ſcatente pecori accidat.

§. 14. Enimvero ex Aſſumtis quoque Phthiſis oriri poteſt, acrimonia eorum è primis viis in pulmones translata, cui malo tamen non adeo difficulter medicamentis acrimoniam corrigentibus medemur, niſi forte nimis enormis error commiſſus fuerit. Hinc *Hæferus l. c.* ſcribit, in Auſtria, præſertim inferiori, quotannis aliquot millia hominum Phthiſi interire, tanquam endemico & populari morbo, ejusque rei cauſam eſſe exiſtimat vini generoſioris ibidem provenientis abuſum, atq; imprimis matutinum hujus potum largiorem.

§. 15. Fortaſſis eandem ob cauſam acidulæ intempeſtive uſurpatæ non paucos reddunt phthiſicos, præcipue illos, qui propter ſcorbutum vel malum hypochondriacum eas viſitant, uti obſervavit *Ettmüllerus loco ſuperius citato*; idque procul dubio, quod matutinus ille, ac ſolennis acidularum uſus cum acrimoniam Maſſa Sanguinea communicet, & ſic vel ipſam pulmonis ſubſtantiam arrodat, ſerum acrius reddat, & tuſſim excitet vehementiorem.

§. 16. Solent alias non infrequenter accuſari deſtillationes acres ſeu Catarrhi, primusque Autor eſt Hippocrates *lib. de Intern. Affectionibus*, ſtatuens, Tabem à phlegmate ſalſo, ac putrido, quod in pulmones è capite defluit, nonnunquam oriri: quod omnino eatenus admittendum arbitror, quatenus ſerum acre per tunicam pituitariam ſecretum ad laryngem deſcendens continuam tuſſim movet, quæ ſola, ſi vehementior fuerit, ad producendam Phthiſin idonea eſt; ſiquidem & hoc pacto nucleus avellanæ aut pomi vel ſimilia in aſperam arteriam illapſa inferre aliquando morbum nominatum viſa ſunt, uti teſtatur *Bartholinus Cent. 2. Hiſt. 27. & Miſcell. Nat. Cur. Ann. 4. obſ. 24. & Ann. 2. obſ. 31.*

§. 17. Sic etiam aëris vitia, dum inſpirantur, Phthiſin pariunt, quemadmodum videmus Metallarios, aurifabros, & qui ♁am fortem frequentius tractant, aut inter exhalationes arſenicales, ☿iales, ☿iales, vel ⊕ licas quotidie verſantur, tandem tabe abſumi. Et lithanthracum ſeu carbonum foſſilium fumus, quem Anglia univerſa ex illorum uſu continuo ſpirat, Malum hoc endemium inibi jamdudum reddidit, notante, *Primeroſio L. 3. c. 29.* ut taceam fumum quoque candelarum ſumme nocivum iis, qui lucubrationes amant, *vid. Petr. Botelli Cent. 2. obſ. 59.*

§. 18. Idem præſtat pulverulentus aër; atque ideo ſtatuarii, qui ſaxa, vel Alabaſtrum cædunt; item calcarii & muratores, ab initio aſthmatici, collectis vomica vel lapillis, poſt omnino phthiſici evadunt, quando videlicet materia cellulis pulmonum firmius inhærens per tuſſim ejici non poteſt; etiamſi vel ipſa eorum ſubſtantia

tia ob nimiam concuſſionem rumpatur & exulceretur. *Confer Miſc. N. C. Ann. 3. obſ. 16. Boneti Sepulchr. 191. & Schenckium l. 2. obſ. 1. p. 227.*

§. 19. Nec frigidus aër impune admittitur, quin fortaſſe aliqua ſanguinis portio in pectore vel pulmonibus inde coaguletur. Quid enim frequentius, quam à frigore contrahi pleuritidem, aut peripnevmoniam, vel pleuropnevmoniam in empyema vel Phthiſin perfectam degenerare. *Vid. Foreſti l. 16. obſ. 17. & Bartholini Cent. 2. Hiſt. 14.* Unde *Hippocr.* jam olim *Sect. 5. Aphor. 15.* notavit, ex Pleuritide ſuppuratos, niſi ſpatio quadraginta dierum liberentur, fieri phthiſicos.

§. 20. Sed peſſimum eſt, inſpirari contagium. Quod *Galenus L. de Diff. Febr. c. 5.* in genere monuit: etenim cum iis, qui putridum exhalant, minime tutum eſt converſari, id quod profecto locum habet in hoc Affectu. Intolerabilis enim fœtor, quem è pectore ſpirant, atque cum purulenta materia tuſſiendo ejiciunt, alios non difficulter inficit, prout obſervationes teſtantur *Riverii C. 4. obſ. 92. Salmuth. Cent. 3. obſ. 64.*

§. 21. Dubium hic ſaltem oriri poteſt, quo pacto à Parentibus in liberos tranſire queat hoc Malum. Propagari enim per hæreditatem quaſi, plurimis teſtimoniis autorum conſtat, e. g. *Fracaſtorii l. 2. c. 9. de Morb. cont. Valleriolæ l. 3. obſ. 6. Fernelii Path. l. 5. c. 10.* aliorumque. Id vero qua ratione fiat, non æque obvium eſt. Crediderim autem ejusdem cauſam in humoribus ſpiritibusque potius, quam Pulmonum infirmitate quærendam eſſe; cum vel ſola diſpoſitio ſanguinis ſerique ſcorbutica & catharrhalis, ut & animi propenſio in iram ſufficiant, accedente ut plurimum conſuetudine Parentum illaudabili, quam in Diæta præſertim imitantur liberi.

§. 22. His omnibus ita ſe habentibus quæritur, qui fiat, quod ex ulcere pulmonum contabeſcant ægri. Quamvis enim id interdum etiam ſine tabe corporis obſervatum fuerit *à Bartholino Cent. 2. Hiſt. 14. & Kerkringio Spicileg. Anat. obſ. 72.* rariſſimum tamen eſt, cum è contrario innumeri inde conſumti quaſi exareſcant.

§. 23. Mihi proinde ita videtur: ulcus absque Tabe tunc potissimum tolerari; quando aliquam tantummodo minoremque pulmonum partem occupet: si certa inclusum membrana, prout in Vomica fieri solet, pus non tam cum venis, quam aliquo tracheæ ramo communicat, ita, ut prompte per screatum tussimve queat ejici, antequam sanguinem ad sinistrum cordis ventriculum redundante inficiat: maxime, si robustior Natura, & reliqua viscera salva sint.

§. 24. Extenuatur autem corpus & enervatur penitus, quotiescunque pulmones exulcerantur, aut absumuntur, adeo, ut respiratio lædatur enormiter, aut materia putrida inde regurgitans omnem corrumpat sanguinis massam, ut hinc ad nutriendum inepta fiat. Item si ex vitio primarum viarum humorumque dyscrasia nascatur morbus, atque hinc universum corpus scorbuticum, cachecticumque sit: si post alium etiam graviorem morbum sequatur; prostratis jamjam viribus: si hectica febris & nocturni sudores vitale robur deprædentur nimium: si tussis ferocior frequentius vomitum excitet, aut Hæmoptoën insigniorem, & somnum turbet, & ipsam pulmonum substantiam magis magisque dilaceret: si appetitus deficiat una cum digestione, atque sic porro.

§. 25. Si enim ad nutritionem debitam requiritur non modo idonea materia, sanguinis puta laudabilis, sed & spirituum præsentia, qui negotium illud expediant, particulasque alibiles partibus nutriendis assimilent, satis apparet, quomodo alterutro requisitorum deficiente, vel utroque simul, nutritio quoque deficiat, & quod ante hac sub specie pinguedinis carnisque fuit collectum, pedetentim absumatur, dum Natura ipsa nutrimento deficiente in subsidium vocat, quicquid in corpore repererit.

§. 26. Explicatis jam Phthiseos causis videamus nunc etiam signa & morbi & causarum morbificarum, ut eo felicius progredi postmodum in cura queamus. Cognoscitur itaque morbus, (quanquam in principio non adeo certi de ejus accessu simus) non difficulter, si ad statum pervenerit. Si quis enim vel plebejus hominem

viderit

viderit pallentem, imbecillem, tussientem, macie confectum, hunc statim phthisi laborare pronunciat, judice *Aretæo 1. de sign. & caus. diuturn. morb. c. 8.*

§. 27. Videlicet in Tabe confirmata præter faciem Hippocraticam, seu tempora collapsa, oculorum sedes concavas, nares acutas, malas prominentes, atque os hians; protuberant in thorace costæ, claviculæ qs. arcus eminent, scoptula operta prominent à tergo alarum instar: venter collapsus contractusque apparet, clunes pendulæ sunt vel consumptæ: crura, brachia, pedes manusque cum digitis macilenta & arida spectantur &c. *Confer Fr. de Le Boë Sylvium Prax. Med. l. 1. c. 37.*

§. 28. Hanc vero Tabem vitio pulmonum nasci, potissimum docet respiratio difficilis, & anhelosa. Etenim si corpus tantisper commoveatur, in primis ascendendo per gradus, si cantandū sit aut loquendum diutius, tum pene spiritus cum voce deficit. Sentiunt autem ægri velut nodum quendam aut cuneum pulmonibus impactum, si vomica concurrat, & dolorem exulcerantem in ea parte, qua ulcus hæret.

§. 29. Maxime id manifestum reddit Tussis, & quæ inter tussiendum excernuntur cruenta, purulenta & putrida. Enimvero ex sola tussi cognoscere Phthisin non certo licebit; quoniam diuturna etiam atque ferina tussis in quibusdam deprehenditur illæsis pulmonibus, & vicissim Phthisici occurrunt absque tussi: videatur *Argenterius Comm. 3. in Galenum & Christ. Langius in Miscell. Cur. Med. XI.*

§. 30. Respiciendum itaque est ad ea, quæ per os excernuntur è pectore. Etenim si saltem serosa vel viscida, plus minus salsa vel insipida rejiciantur, hactenus Phthisis non adest, quamvis supervenire aliquando possit: si vero sanguis cum pure prodeat, suspicio Phthiseos vix deerit.

§. 31. Equidem Hæmoptysis alias non infrequens est Plethoricis post suppressam aliquam consvetam sangvinis excretionem,

v. gr. menstruam, aut hæmorrhoidalem: item Pleuriticis, post casum ab alto, similesque ob causas. Imo & purulenta quandoque cum tussi rejiciuntur in pleura suppurata vel empyemate thoracis, aut hepatis ulcere, illæsis pulmonibus. *Confer. Schneiderum L. 4. de Catarrh. p. 103. Barthol. Cent. 4. Hist. 17. & Misc. Nat. Cur. Anno 1. obs. 94.*

§. 32. Nihilominus si ejusmodi excretio conferatur cum sede doloris, dubitationi nullus superesse poterit locus. Hepatis namque vitium se prodit, quia locum affectum sub hypochondrio dextro æger ostendit. Si diaphragma undique prematur ab effuso collectoque pure, potius empyema dicendum erit. Si autem in ambitu pectoris inter costas notetur dolor vel punctorius, vel inflammatorius etiam, aut exulcerans, procul dubio pleuritis erit.

§. 33. Quod si vero in cavo thoracis dolor hæreat cordi propior, eique similis, quem in ulcere alias sentimus: atque tunc per tussim ejiciatur pus, certi esse possumus de sede Phthiseos, præsertim cum æger quam forte inter dormiendum horis nocturnis collegit materiam, pulmonibus molestam, tempore matutino & sæpe maximo cum conatu atque labore tussiens expellit, non aliter ac si ex loco affecto avelleretur cum impetu.

§. 34. Ecquis amplius de ulcere pulmonum dubitet, quando tandem eorum substantia corrupta & putrida, vel etiam vasa sangvifera cum portione asperæ arteriæ rejiciantur, quale quid non semel videre contigit *Foresto L. 16. obs. 53. Thonero L. 3. obs. 3. p. 132. Salmuth. c. 1. obs. 14. Borello C. 4. obs. 81. Bennetto Theatr. Tab. Exerc. 28. p. 115. Barthol. C. 3. Hist. 98. Tulpius obs. l. 2. c. 12.*

§. 35. Hæc ad Diagnosin sufficiant signa: dispiciendum jam erit ulterius de iis, quæ ad Prognosin faciunt, ut etiam de morbi eventu constet, num aliqua spes restitutionis superstit, an minus. Quanquam enim in hoc affectu plerique dum spirant sperant, aliquando tamen insanabile prorsus deprehenditur ulcus, ita ut oleum operamque perdamus, quicquid etiam agatur.

§. 36. Quamdiu videlicet vires adhuc Phthisicis constant, & respi-

respiratio liberior, somnus & appetitus atque digestio salva supersunt, tamdiu meliora sperare licet. Si sputum, quod per tussim rejicitur, sit album & æquale: si febris hectica & sitis absit, & quæ similia *Hippocrates Prædict. lib. XII. p. m. 497.* attendere jubet.

§. 37. E contrario si anhelosa summeque impedita fuerit respiratio, absumtis nimium pulmonibus aut à materia putri obsessis: si & odor cadaverosus è pectore spiret, orisque halitum inficiat, & sputum similiter fœtens deprehendatur, præsertim si carbonibus injicitur, malum omnino signum est.

§. 38. Similiter judicandum puto, ubicunque febris fere continua adest, & hecticus calor vires carnesque penitus absumit: & ubi pedes tument frigentque, nocturno autem sudore pene diffluit reliquum corpus, & maxime pectus. Atque ideo vel somnus minus recreat, ac potius fatigat corpus: vel omnino deficit, propter imminentem suffocationis metum.

§. 39. Hinc fames etiam minuitur, tandemque in totum extingvitur. Si quid etiam cum fastidio fuerit assumtum, vel vomitu redditur concusso per tussim vehementiorem stomacho, vel etiam indigestum excernitur per alvum, more Lientericorum.

§. 40. Nec immerito ejusmodi fluxum dixeris colliquativum, quia & alimenta deprædatur, & ipsum corpus exhaurit penitus, ut intra dies non multos diffluat quasi per deliquium. Existimo tamen meliore adhuc jure sic appellari fluxionem alvi eam, quæ brevi ante obitum in Phthisicis notatur, quandocunque videlicet cruenta, purulenta, imo & portiones viscerum putridorum pulmonis epatisque prodeunt.

§. 41. Atque tunc Tussis ordinarie cessat, sputumque supprimitur, potissimum ob impotentiam thoracis extincto vitali robore jamjam deficientis, unde mors præ foribus. *Confer. Hippocratis L. 5. Aph. 11. & 14. L. 7. aph. 16. aliaque plura loca.*

§. 42. Sed progrediendum mihi est ad Phthiseos curationem, in qua tres præprimis indicationes se offerunt, scilicet prima, quæ morbum

morbum ipsum; altera quæ causas morbificas; tertia, quæ Symptomata respicit. Hoc ordine ni fallor, Medicamenta hic requisita convenientissime tractari poterunt, quanquam in methodo medendi & applicatione illorum alia interdum via incedendum, ac sæpe urgente aliquo graviore symptomate, v. g. enormi Hæmoptoë, ab ejus curatione potius inchoandum sit.

§. 43. Morbus ipse corporis tabes est, quæ nihil aliud quam Nutrientia postulare videtur. Quo nomine potus lactis quotidianus, vaccini scilicet vel caprini, aut asinini vel etiam humani laudatur ab omnibus. Nec contemnenda sunt lacticinia reliqua & pulmenta, v. g. ex amylo & farina tritici aut similia, ex oryza vel milio cum lacte parata. *vide Zacut. Lusit. Prax. Hist. L. 2. p. 337.*

§. 44. Ex officinis loco eorum peti possunt emulsiones amygd. dulc. pinearum, seminum frigidorum majorum, bombacis, & si quæ similia sunt. Quandoquidem vero alimenta laudabilia, quæ hic desiderantur, è culina potius, quam Pharmacopœa impetrentur, dicam de his inferius, ubi de regimine Phthisicorum diætetico verba facienda erunt.

§. 45. Hic loci prænonendum est saltim, ejusmodi Nutrientia aliquando etiam nociva aut certe inutilia esse, si exhibeantur intempestive. Ubi enim acidus humor ventriculum occupat, lactis & Emulsionum potus non erit svadendus, quoniam statim coagulantur, omnemque postea prosternunt appetitum non sine inflatione ac dolore gravativo, etiamsi cum saccharo misceantur, aliisque à coagulo præservantibus. Propterea cavendum erit, ne præscribantur ante, quam vitia primarum viarum sint correcta, & causæ morbificæ quadantenus remotæ.

§. 46. Causa equidem proxima, ulcus pulmonum puta, requirit unice balsamica, ut pars exulcerata consolidetur iterum. E Mineralibus sufficiunt ☿is, quippe ter sublimati, qui aliis exinde paratis Tincturis balsamisque longe anteferendi sunt. videatur *Joël T. 3. S. 1.* Substitui loco eorum potest ♃ lycopodii, laudatum *in Misc.*

N. C.

N. C. An. 3. obs. 15. è regno vegetabili, quod alias ejusmodi vulnerariis abundat mire.

§. 47. Balsama profecto nativa hic occurrunt varia, vel sua sponte fluentia è cortice vulnerato arborum fruticumque balsamiferorum, vel per decoctionem levi negotio parata, inter quæ tamen excellit in præsenti casu Toletanum, utpote suavissimum & minus acre. Si autem febris concurrat hectica, uti plerumque solet, aut inflammatio, tunc sane minus conveniens erit Balsamum Peruvianum vel Indicum album, ut vulgo appellant, vel terebinthina vera, & communis seu laricea, abiegna, aut quæ communiter Veneta nominatur.

§. 48. Mitiora sunt flores lil. alb. hyperici, atque tussilaginis, Herba scabiosæ, hederæ terrestris, cerefolii, Scordii, betonicæ, Veronicæ, bugulæ, pulmonariæ maculosæ atque arboreæ seu Lichenis &c. Unde non inconvenienter decocta vulneraria (Lungen-Tränckе) parantur. *Vid. Bonetti Merc. Compit. p. 553. XXIV. Misc. N. C. An. VI. & VII. obs. 96. p. 132. Fr. Hoffmanni M. M. p. 237.*

§. 49. Etiamsi vero hæc ipsa balsamica optima fuerint, parum tamen proficient, quamdiu tussis continua pectus concutit. Sedatur autem illa non difficulter, si anodyna cum appropriatis, acrimoniam sanguinis serique corrigentibus, exhibeantur; ita enim remoto stimulo desinit motus ille thoracis præternaturalis atque convulsivus feliciter.

§. 50. Hanc in gratiam Crocus orient. semen papav. albi, fl. papav. errat. Diacodium Mont. Pilulæ de cynoglossa & opiata reliqua commendantur hinc inde à Practicis. Videatur è Recentioribus *Paulus Barbette Prax. Lib. 3. c. 2. Dan. Ludovici in Misc. N. C. An. IV. obs. 207.*

§. 51. Combinantur autem optimo consilio cum præcipitantibus acidum, aut salsam temperantibus acrimoniam. Inter ea excellit maxime limatura ♂ & hæmatites cum Coralliis, lap. ♋, ebore, C. C. usto & non usto, & simil. Et quandoquidem ab horum lapi-

deorum ac duriorum usu non raro tussis exacerbatur notabiliter, quatenus ab acido soluta salsum producunt inimicum pulmonibus; itaque nunquam sine oleosis jam laudatis, terrisque pinguibus, ut bolo alba, Armenia, terr. sigill. & Lemnia, Margarit. lacte lunæ, vel incrassantibus Gummi Arab. Tragacantha, sanguine draconis, Mastiche similibusque præscribenda.

§. 52. Ex hoc fundamento antiquissima Compositio pulveris Haly contra Phthisin ad hæc usque tempora servatur etiamnum, quippe qui præter spodium seu ebur ustum nihil aliud recipit, quam temperantia cum papaveris albi semine: nec ignobilior, si non præstantior erit, si loco spodii sumantur cineres ℔ fluv. & corallia alba usta juxta Rondeletium. Danda saltim est opera, ut recens continuo paretur, siquidem diu servare nequit. *vid. Petr. Foresti L. 16. obs. 98. in Schol. & Joh. Zwelferi Animadvers. in Pharm. Aug. p. 157.*

§. 53. Iisdem Remediis cedunt reliqua etiam symptomata Phthisicorum; siquidem & febrem hecticam vidi non semel sublatam usu Martialium cum lap. ℔. aut terr. Golæb. cum Antichect. Pot. utpote quod ratione stanni vim destruendi acidum, & consequenter refrigerandi possidet non contemnendam.

§. 54. Non opus est proinde, ut corticem Peruvianum, empyricum illud atq; rusticum antifebrile cum *Richardo Morton Phthisiolog. p. 17. & 213.* contra hecticam vel etiam hæmoptoen in subsidium vocemus, cum nec desint gratiora & magis efficacia pro scopo adstringendi, v. g. flores rosarum rubrarum, quarum conserva à Veteribus præsertim tanti æstimatur, ut vel sola sufficere ad Phthisicorum curam credatur. *vid. Zacutum Lusitan. Pr. Med. Adm. L. 1. obs. 130. & Miscell. N. C. D. 11. Ann. IV. obs. 19.*

§. 55. Nec obstat Rhasis monitum, quod habet *L. 3. ad Almans. c. 27.* vel *Franc. de Le Boöe Sylvii Prax. Med. l. 1. c. 34. 100.* Largior enim utraque manu, istiusmodi dulcia & saccharata quandoque minus convenire, siquidem ipse non semel observavi tussim æstumque inde longe vehementiorem fuisse in Phthisicis excitatum, quod forsan.

san peccante acido in primis viis idem remedium similiter degeneravit. Verum quid obstat præmissis præmittendis, aut adhibitis insimul ♂libus aut absorbentibus cum bolo Armenia & terr. lemnia adhiberi, ad imitationem Avicennæ?

§. 56. Sunt autem & alia in promptu utilissima in hæmoptysi adstringentia, ut rad. consolid. maj. herba pyrolæ, Saniculæ, Achimillæ, vincæ per vincæ, plantaginis &c. quorsum refero & folia fungumque salicis, quem in hoc Affectu singulariter laudari testatur *Ettmüllerus Prax. Part. II. c. 1.* id quod egregie confirmat observatio *Cardilucii*, quam habet *in Officin. Sanit. cap. 79. pag. 311.*

§. 57. Hoc pacto etiam Acida quandoque admitti possunt, quemadmodum oleum ⊕ li commendat *Joh. Agricola Comm. in Popp. p. 579. & Hieron. Capivaccius Prax. L. 2. c. 7.* unde conserva rosarum ⊕ lata in officinis nostris servatur, de qua *Simon Pauli Quadripartit. Class. 2. p. 131.* spiritum ☿is per campanam salisque dulcem laudat *Paulus Barbette Prax. L. 3. c. 2.* Vix unquam tamen sine ♂libus aut terris pinguibus ea præscribere ausim; atque ideo nec temere imitandum esse *Fortem* censeo, qui *C. 2. Cons. 34.* acidulas visitare jubet; *confer. Mis. N. C. Dec. II. Ann. IV. obs. 17.*

§. 58. Quod ad Diætam: certissimum est, potiorem aëris rationem haberi debere, vel ideo, quod immediate perveniat ad ipsam partem affectam, eamque vel exulceret denuo, si sit impurior ac insalubris, vel demulceat atque soletur, si serenus sit lenisque.

§. 59. Tabianus præ cæteris *à Galeno* quondam laudatus fuit hoc nomine *Lib. 1. Meth. c. 12.* atque ideo, qui Romæ fiebant Phthisici ad Tabias navigabant, ut ad Vesuvii flammas perpetuas evomentis, exhalationes propius accederent. Apud Lusitanos autem notante *Zacuto Lusit. Prax. Hist. L. 2. c. 10. obs. 2.* oppidum est amœnum ac fertile, vulgo Palmela vocatum, in cujus circuitu piniferarum arborum plurima est copia, ad quod transferri solent Phthisici non sine insigni emolumento. Imo & Anglos si à Phthisi corripiantur, Galliã hodienũ petere constat ex *Willis. Pharm. Rat. Part. II. Sect. 1. c. 6. p. m. 13. & 76.*

§. 60. Ad minimum, si locum mutare non licet, aërem tamen corrigere ac medicari juvabit. Quem in finem etiam ex auripigmento suffitus nonnullis usitatus est, de quo *Willis l. c. p. 70.* vel ex arsenico, *vid. Boyle Phil. Experim. Part. 2. c. 6.* Fateor tamen ingenue, me vix abduci, ut hæc imitanda putem, quanquam alias omnes suffimentis vires denegare haud queam, de quibus *Christ. Bennettus. Theatr. Lab. Exercit. 28. p. 112. & seqq.* Eligerem tamen tutiora, e. g. vaporem ex decocto vulnerario ad imitationem *Bartholini Cent. IV. Hist 88.*

§. 61. Cæterum cibus ut supra §. 43. monitum, sit euchymus, unde omnia lacticinia, ova sorbilia, & quæcunque vim habent humectandi ac nutriendi copiose, optima sunt. Speciatim cancri fluviatiles jubente Gregorio Horstio *Op. T. 3. p. 17.* & cochleæ, secundum *Christ. Franc. ad Paullinum obs. Medico-Physic. 22.* Si quam enim virtutem in ♈is ♌atis carnium in genere omnium vel sangvinis vel albuminis ovorum notarunt aliqui, eam procul dubio in jusculis excellentiorem crediderim cum *Wolfg. Hæfero in Herc. Med. L. 2. c. 2.*

§. 62. Cui lubet, adjicere poterit pingvedinem canis hominisque vel etiam butyrum muliebre, de quo *Borellus Cent. 2. obs. 52.* Saltim non dubito, multis nominibus istiusmodi pingvia in universum omnia prodesse, quatenus acrimoniam humorum, salsam præcipue temperant, pulmones exulceratos tanquam balsamica leniunt, & consolidant, ac denique copiose nutriunt, si modo ventriculus acidis refertus non reluctetur. Tum enim in liquamen biliosum ea protinus converti experientia testatur quotidiana.

§. 63. Circa potum notari etiam meretur, eum non nimis frigidum esse debere. Quemadmodum enim ab hausto gelido, si scilicet corpus incaluerit nimium atque sudarit copiose, non semel oborta Phthisis est, juxta *Raygeri obs. in M. N. C. Dec. 1. Ann. 6. obs. 210.* ita qui ulcere Pulmonum laborant, ne quidem frigidum tantisper tolerant, quin statim tussis superveniat gravior plurimumque molesta.

§. 64.

§. 64. Præterea vinum, imprimis generosum, aut acidius, cane pejus & angue vitandum est. Quanquam enim ab ejus potu notabiliter videatur recreari æger, damnum, nihilominus, quod sequitur, longe gravius existit, quoniam ordinarie inflammatio in pectore major supervenit, calorq; hecticus intenditur non sine periculo.

§. 65. Maxime vero cavendum est ab ira, & terrore, quantum fieri potest, ad quos tamen Affectq quasi natura propensi sunt Phthisici, partim quod morbi diuturnitas patientiam superet, partim mors quotidie imminens tristes ac meticulosos reddat ægros, unde ab omni etiam levissima causa moventur insigniter.

§. 66. Reliqua in Phthisicorum cura observanda non necessum est, ut attingam, cum e.g. quivis intelligat motum laboriosum aut veneris exercitium nullatenus iis permittendum esse, ob metuendam virium notabilem jacturam; siquidem & ipse morbus id non raro vetat, si paulo vehementius affligat. Hæc sufficiant hac vice.

DISPUTATIO XVIII.

DE

EMPYEMATE THORACIS.

J. D.

Proœmium.

INter alia Morborum, Mortisque genera non infimum merentur locum, quæ cum suffocatione conjuncta sunt; atque id imprimis horrendum est, quando viribus aut saltem sensibus integris respiratio adeo impeditur, ut, qui laqueo perit fur, similem torturam interdum vix experiatur. Tale quid nonnunquam in Angina, in Suffocatione hysterica,

in Catarrho Suffocativo, & omnium maxime in Empyemate Thoracis obſervamus. Neque enim reliqui Morbi adeo diuturni ſunt, at vero Empyema ad plures etiam menſes ſeſe extendit, & quanquam omni die credantur extingvi, miſerrimam tamen vitam inter continua Mortis imminentis pericula ægre traducunt, donec optatum finem vel Medicina vel Natura fecerit. Dignum proinde judicavimus Empyema examinari publica Diſputatione; DEUS faxit, ut hæc noſtra intentio optima vergat in ſui Divini Nominis Gloriam Proximique ſalutem.

§. 1.

QUanquam vi originis, qua Empyema ex græco ἐν intus, & πύον pus componitur, omnem ſuppurationem denotet in genere, atque hac ratione ab ipſo Hippocrate Epidem: Sect. 3. 30. & 43. adhibeatur; ſtrictiore tamen ſenſu ad Collectionem Puris in cavitate quadam notabili applicatum eſt, ita ut Empyici dicantur, ſi pus intra Thoracem vel in viſceribus infra Diaphragma contentis reperiatur, ut ex Foœſii Oeconomia Hipp. videre licet. Uſitatiſſimum autem eſt per Empyema intelligi puris in cavum thoracis effuſionem, præeunte imprimis Galeno Comment. in Aphor. Hipp. lib. 6. aph. 27. & lib. 7. aphor. 44. ut & lib. 2. Prognoſt. 60.

§. 2. Ut autem Empyematis, hoc ſenſu accepti, hiſtoria integra ſit, conſideremus ante omnia ſedem, ſeu Subjectum, ut vocant, Inhæſionis, quod ipſa eſt thoracis cavitas, per quam totum illud ſpatium in Corpore noſtro intellectum volumus, quod ſuperiore parte à claviculis, inferiore à diaphragmate, antica à ſterno, poſtica à vertebris dorſi, lateribus à coſtis circumſcribitur.

§. 3. Solet autem Empyema plerumque ſequi Morbos haud rite

rite judicatos, tanquam productum ; Communissime à Pleuritide suppurata oritur, nonnunquam à Vomica pulmonum rupta, aut in Phthisi effusa Materia purulenta. Eadem est ratio Vulnerum & Contusionum vehementiorum Thoracis, à quibus natum Empyema legimus hinc inde in Medicorum Observationibus.

§. 4. Itaque ut & Morbificarum Causarum & ipsius Morbi Natura penitius cognoscatur, non modo præsentia sed & antecedentia examinanda sunt probe ; Nimirum conqueruntur de pondere Materiæ supra diaphragma fluctuantis, à qua Respiratio notabiliter impediatur, potissimum si corpore stent erecto, dolor in dorso deprehenditur ubi Diaphragma lumbis annexum est ; aut si decumbant, suffocatio imminet, & ubi ex uno latere in alterum incumbant, fluxum Materiæ illius purulentæ eodem modo deprehendunt, qualem etiam solent, qui hydrope thoracis laborant.

§. 5. Ut igitur ab Hydrope Thoracis dijudiceturpræter hæc Signa communia deveniendū est ad specialiora. Sicut enim Hydrops Thoracis occurrit in subjectis hydropicis, & vix pectus observetur sero repletum nisi & venter ascite pedesque tumoribus œdematosis tententur ; ita in contrariū Empyema in subjectis Phthisicis, vel Tabidis potissimum notatur. Certiores autem sumus de Empyemate, quando præcessit Pleuritis, vel Vomica, aut exulceratio Pulmonum, vel Vulnus Thoracis, aut contusio ; Cumque per Tussim quæ rejiciuntur, purulenta sint, hoc ipso Empyema dignoscitur ab Hydrope. Imo quantumvis etiam in suppurata Pleuritide, & Phthisi, aut rupta Vomica pus rejiciatur, locum tamen affectum distingvere satis norunt ægroti, quando non è pulmonibus, aut regione superna, sed ex profundo thoracis, majore cum conatu Materiam illam educere necessum habent.

§. 6. Præterea observavit Lazarus Riverius Prax. lib. 7. cap. 4. p. m. 306. in latere affecto ut plurimum tumorem quendam, etiam qua exteriora, apparere, quod tum imprimis locum habet, quando Pleuritidem Empyema sequitur ; notavimusque hujus rei exem-

exemplum insigne in Virgine quadam, utpote quæ circa scrobiculum cordis, costasque spurias tumida erat, ita, ut & adstantes Cardiacam metuerent. Conquerebatur autem eodem in loco se interius observare dolores satis acerbos, non aliter, ac si fauciata foret, & adhuc tum cultris quasi pungeretur ac incideretur. In lumbis interim sensus erat obtusus, (wie wenn einem der Fuß einschläfft) per aliquot dies, donec tandem annuente Divina Gratia reconvalescceret præter omnem spem & expectationem.

§. 7. Quodsi enim ullus alius periculosus est morbus, Empyema certe erit, imprimis ea de causa, quod juxta arbitrium non liceat ad partem affectam penetrare, materiamque illam præter naturam copiose collectam evacuare. Itaque non rarum est ægrum vel plane suffocari, ubi nimia quantitas puris pulmonum expansionem ad inspirandum necessariam impedit, vel sphacelum supervenire lethalem, quando pectoris exulceratio à sordibus purulentis repurgari nequit. Historias hac de re miserrimas, hinc inde deprehendes annotatas, vide inter alios Theophilum Bonetum in Sepulchr. lib. 2. Sect. 6. imprimis obs. 5. & 16.

§. 8. Duro proinde nodo ut durum quoque cuneum adhiberent Veteres, de nulla re magis fuere solliciti, quam quo pacto aperiri thorax, pusque collectum educi posset. Tentatum id est triplici ratione, videlicet per Ustionem, per Incisionem, & denique per Cauterium, quod vocant potentiale.

§. 9. Ustione jamjam ipse usus est Hippocrates, uti apparet ex Sect. 7. aphor. 47. ad omnes suppuratos sive in thorace, sive in regione hypogastricapus collegissent. Eratque duplex profunda ac penetrans usque ad ipsum pus, ut hac ratione via ei aperiretur; aut erat saltem superficialis & minus profunda, quæ cutem vix transiret, crustamque gigneret, qua remota fonticuli remanerent aliquandiu conservandi ad sufficientem usque Materiæ evacuationem.

§. 10.

§. 10. Quandoquidem vero hujusmodi fontanella unica non sufficeret, plures simul diversis in locis excitare placitum est, sic enim Aetius. Tetr. 2. Serm. 4. cap. 57. jubet in anhelosis primum par inurere juxta commissuras claviculorum, aliud par minus juxta carotides colli arterias sub mento, porro aliud par circa mammillas inter tertiam & quartam costam, rursumque aliud par inter quintam & sextam, & porro inter octavam & nonam, item unicam fontanellam circa cartilaginem ensiformem, itemque unam circa Medium dorsi, tandemque binas paulo inferius circa vertebras. Subjungit autem, omnes infra Collum inustas mediocriter latas esse debere, neque valde superficiales, neque nimis profundas; Ulcera autem diu fluida & aperta servanda esse. Ad eundem modum cauteria pectori in orbem esse inurenda Empyicis suadet seq. cap. 65.

§. 11. Horrendum certe remedii genus, & parum abest quin Aetium credamus potius ex carnifice quam aurifice factum esse Medicum. Equidem non parum laudis inde commeritus est, quod cum parentibus natus fuerit egenis, pauperibus quoque benefecerit, gratisque curaverit innumeros. Attamen, si ullibi, hic locum habet quod vulgo dicitur: Nemo gratis bonus! videtur. enim ejusmodi consilium uti gratuitum ita frustraneum, ac præterea adeo crudele, ut vix ullum è miserrimis credas pauperculis, qui ære conductus stigmata hæc sibi inuri patiatur.

§. 12. Qui ferrum candens metuunt atque ustionem, iis Sectio, sive Thoracis apertio per Incisionem facta, svadetur, eadem Hippocratis Autoritate. Locum Incisionis supra Diaphragma quærunt, plerumque inter costam septimam & octavam; Quanquam alii superiorem, alii adhuc inferiorem costam eligant. Confer Johann. Scultetus Armament. Chirurg. Tab. XXXVII. & Paul. Barbette Chirurg. cap. 15. p. m. 60. ubi Modum Sectionis cum omnibus hanc in rem requisitis fusius tradita reperies.

§. 13. Inventionē hujus remedii Fortunæ tribuunt; cum enim

Empyicus quidam ex desperatione castra sequeretur, ac in conflictu ab Hoste thorax ipsi perfoderetur, factum est, ut casu inventum auxilium, vulnusque inflictum purulentæ Materiæ, quam in Thorace collegerat, viam aperiret, & sic à morbo liberaretur miser. Vide Rondeletium in Method. curandi Morbos lib. 2. c. 15. qui ex Galeno historiam hanc casu curati Empyici affert. Etsi vero dubium sit inventionem sectionis ab ejusmodi casu fortuito fuisse ortam, facile tamen largimur Apertionem Thoracis hoc ipse fuisse approbatam.

§. 14. Quicquid vero sit, certe thoracis Paracenthesis adeo non vacat periculo, ut recte monet Horn. in Microtechne part. 1. Sect. 2. §. 18. Præterquam enim quod facile pulmo simul lædatur, præsertim si quis in superiore thoracis parte sectionem instituat; accedit vehementia Morbi, quando vel pulmones insigniter exulcerati aut pleuræ latera sphacelo corrupta sunt; Quantumvis enim his in casibus pus educatur è thorace, nihilominus intermoriuntur ægri, ut adeo vana sit, sectionis tortura. Monent proinde omnes, ne Paracenthesis tardius instituatur, ubi vires jam postratæ, & omnia conclamata sunt. His addimus in recenti Empyemate eam minus esse necessariam, siquidē aliquot exempla nobis cognita sunt curatorum sine apertione thoracis Empyicorum, qui tamen ipsi pro deploratis jamjam habebantur.

§. 15. Idem judicandum de cauterio potentiali, quod imprimis Bontius Med. Ind. cap. 13. usitatissimum Indis commendat: refert enim satis latam escharam primum quidem excitari causticō, tum vero vulnus quoque satis amplum eodem in loco infligi, ita ut illius cauterii non alia sit utilitas; quam ut sublatis labiis nimis cito vulnus non coalescat, Verum nec hoc metuendum est in sectione, quandoquidem cannula argentea vulneri immissa, citiorem consolidationem similiter impediat.

§. 16. Cuicunque igitur libuerit urere vel secare, per nos licebit; Religio enim est si mitiora suppetant, præsidiis uti periculosioribus. Ad hæc pauci sunt inter Nostrates qui non abhorreant ejus-

ejusmodi Medendi Methodum; Itaque vel plane deteſtantur operationem manualem, ac Mortem oppetunt prius, quam anceps admittant Conſilium, vel ſi inſtituta fuerit ſectio, eventus autem minus proſpere ſuccedat, tunc certo certius contumeliis vulgi & opprobrio ſeſe exponeret Medicus.

§. 17. Sepoſita igitur Chyrurgia, ad Fontem nos convertimus Pharmaceuticum, ubi imprimis videndum, num quæ præter naturam collecta eſt Materia purulenta evacuari queat ope Medicamentorum. Triplex proinde Ratio curandi Empyicos à Nobis hic loci commendatur, quemadmodum eam Natura indicare, & Experientia, optima Artis noſtræ Magiſtra, confirmare videtur; nimirū per Expectorantia, per Diuretica, ac tandem per purgantia, ſed mitiora.

§. 18. Sudorifera certe qua talia, cum ſerum ſaltem corporis imminuant, inter Evacuantia hoc in affectu proficua recenſeri non poſſunt. Et quanquam occaſionem naſcendi Empyematis in pleuritide præripiant; atque ipſam puri exſcreationem, ſi ad ſuppurationem devenerit, quodammodo juvent, in ipſo tamen Empyemate locum amplius non inveniunt, quandoquidem poſt ſudorem exhauſto ſero, quod remanet magis magisque inſpiſſatur, interim tamen vires ſimul cum ſudore diffluunt.

§. 19. Miſſis ergo Sudoriferis, videamus Expectorantia, utpote quæ propius attingere partem affectam videntur. Quanquam vero & Empyema absque omni Tuſſi obſervaverimus, pluries tamen hac ipſa inſigniter commoventur, quatenus Natura ipſa materiam præternaturaliter in thorace collectam ejicere tentat. Illo in caſu fruſtra tentabis cuncta, ubi vero Materia exitum quærit per tuſſim, tunc ſane Bechica omnium ſunt optima uti ſunt Scabioſa, Tuſſilago, Hyſſopus, Veronica, Marrubium album, Pulmonaria, Betonica, Bugula, Capilli Veneris, Violaria, Braſſica rubra &c.

§. 20. Facultatem viresque horum Remediorum egregias vidimus in Viro Quinquagenario, Paſtore de Eccleſia bene merito in vicinia. Etenim cum is ipſe per plures ſeptimanas Tuſſi feroci, ac

imprimis à dolore dorsi in sinistro latere juxta fines costarum spuriarum, excruciatus esset, ac interim varia Tussim sedantia, è re præfertim parata ipsi frustra exhibita essent, jamque diu lecto affigeretur, præ raucedine & spirandi difficultate vix verbum proferens, tandem præscriptis Expectorantibus rejecit copiosius inter tussiendum materiam viscidam & purulentam, donec tandem massa quædam caseo recenti non dissimilis ad magnitudinem fere ovi gallinacei subsecuta, finem Tussi & Raucedini fecerit inopinatam.

§. 21. Quod si de via dubitas, per quam è cavo Pectoris Empyicorum pus excernatur, fatendum est, eam æque expeditam non esse, aut manifestam; nihilominus quod revera Materia ejusmodi purulenta per Pulmones cum tussi ascendat, certum est, rarius quidem in Empyemate, frequentissime autem in Pleuritide suppurata per Experientiam comprobatum. Itaque inquirendum porro, non tam in veritatem, quam in modum, juxta quem excernatur pus empyicorum.

§. 22. Equidem in Pleuritide suppurata antequam rumpatur Apostema, ac sese in Thoracem exoneret, non improbabile est redire per venæ azygos ramificationes materiam illam in Pulmones, atque tum superveniente Tussi vehementiore excuti per asperæ Arteriæ canales; quemadmodum Sanguis etiam congrumatus, si quis vehementius circa dorsum fuste percutiatur, (pœna militibus gregariis solenni) eadem via redire ac exspui solet.

§. 23. Ubi vero in Cavitate ipsa contineatur puruletum, major est difficultas, quoniam Venæ non æque hiant in Thoracis cavum quam in poros Musculorum intercostalium. Ad hæc appulsus Sangvinis arterioši hic quoque deficit, qui tamen dubio procul collectum pus succesive deprædatur ac resolvit, postquam sedata quodammodo inflammatione, spasmoque fibrarum una cum dolore remittente liberior iterum circuitus conceditur sangvini.

§. 24. Parum proinde abest, quin statuamus pulmones in superficie perforatos instar spongiæ absorbere saniem illam, eandem-

demque postmodum ad Arteriam asperam ablegare ad exspuendum, accedente inprimis inter tussiendum valido Diaphragmatis motu, à quo versus superiora cum impetu propelluntur quæcunque sibi molesta sentit Natura. Atque hoc ipsum quivis facile concedit, fieri posse, quando ex vitio pulmonum, inflammatione puta, vel vomica rupta natum Empyema fuerit, utpote quo in casu superficies pulmonum atque substantia quodammodo læsa ac lacerata viam monstrat redeunti puri, eandem scilicet per quam antehac erumpebat.

§. 25. Via autem hæc cum præternaturalis sit, quæritur porro quid fiat quando Pulmonibus integris ex Pleura suppurata pus in thorace colligatur; Itaque & secundum Naturam Pulmonis Peripheriam variis poris pertusam asserimus, potissimum his argumentis commoti. Primum nobis subministrat Cl. Malpighius quando in Epist. ad Borellium de Pulm. 1. refert, se observasse injecta in Arteriam pulmonalem, ope siphonis, aquam vel Mercurium vivum hinc inde per membranam investientem exsudasse, accedente potissimum levi compressione. Et quanquam laudatus Autor viam hanc pro Naturali non habet, nobis tamen revera Naturalis visa est, cum Experimentum hoc iterum iterumque tentaremus.

§. 26. Nimirum minus violenta est, quam sæpius cum tædio experti sumus inflationem Pulmonum; Etenim animus erat in pulmone inflato ac deficcato accuratius investigare ejusdem cellulas membranaceas, nunquam tamen negotium successit in subjecto recenti, sive pulmo integer, sive lobus tantum reciperetur; Quanquam enim elegantissime expansus Pulmo, ac nusquam ulla ejus læsio, quam omni studio semper evitabamus, facta fuerit, nihilominus collabi pedetentim eundem vidimus, nil juvante accuratissima etiam deligatione ac obstructione vasorum.

§. 27. Hanc vero esse naturalem viam sic porro confirmati sumus; Nempe quotiescunque Canis inter Inspirandum laqueo suffocatus aperiretur, toties pulmones vidimus omnem pene amb-

bitum Thoracis explere, atque in hac expansione tamdiu permanere, donec vel Diaphragma aut Thorax incideretur. Eccur vero Pulmo illæsus, instar vesicæ Urinariæ non permanet expansus, sed subsidet; Et qua via putas egredi aërem quando funis asperæ usum prohibet? Quid, quod & aer, si alterutrum saltem Pectoris latus aperiatur, in illæso latere deprehenditur manifeste, quatenus ab eo Mediastinum notabiliter intumescit versus apertum latus, præsertim si Thorax quodammodo commoveatur, indicio, Aerem non modo in pulmonibus, sed & ipso Thoracis Cavo hospitari.

§. 28. Addo his rationem Helmontii, quam in Tract. Catarrh. Delir. 45. adducit, nempe: si cui perfodiatur Thorax, ita ut vulnus penetret in ejus Cavitatem candelæ admotæ flamma semper ab egrediente inter exspirandum flatu extingvitur, qunaquam inter Inspirandum occludatur vulnus, aërisque ingressus omnis prohibeatur. Atque Pulmones non raro salvi sunt, quando læsio Thoracis circa Costas inferiores, aut inter Exspirandum facta fuerit; Unde ergo flatus ille erumpens è pectore, nisi per Pulmones inter Inspirandum transeat.

§. 29. Plures adhuc Rationes, quas allegato loco adducit Helmont. lubentes præterimus; Etenim quæ à quantitate aëris unica vice inspirati desumitur, item à Ructibus stomachi, eundem odorem, quem per nares attraxit, referentibus, & si quæ sunt similia, vim probandi non habent. Nobis sufficit hac vice demonstrasse poros in Pulmonum Substantia revera esse secundum Naturam pervios, de quo hactenus inter omnes disputatum est satis acriter.

§. 30. Sed nunc porro demonstrandum, etiam hanc esse idoneam satis ad excipiendum pus Empyicorum; Scilicet non æque liquida sunt omnia sed & interdum sic satis tenacia & crassa, quibus excipiendis impares videntur, Pulmonum pori. Quapropter credibile est id, quod sub specie crassioris puris inter tussiendum rejiciatur, collectum antea fuisse, ac inspissatum intra Pulmonem, arteriæque asperæ Ramificationes, exhalantibus successive particulis

sero-

ferosioribus, quibus dilutum erat: Quo pacto in Tussi & Asthmate humeroso copiosus, exspuitur Mucus, qui hoc magis evadit tenax spissusque, quo diutius retineatur; sicuti hoc ipsum præcipue matutina Tussi Phthisicis potissimum familiari aperte liquet.

§. 31. Libertatem interim Naturæ non denegamus, inveniendi alias aliasque vias, si libitum fuerit. Adeo enim expeditæ non sunt, quas aliis quoque in casibus quærit, quando cum Urina, vel cum alvinis fecibus, Empyicorum pus educit; Ut taceamus eas, quibus non raro utitur in educendo Sangvine congrumato post casum ab alto, item si quæ inepta deglutita fuerint, e. g. Aciculæ, Culter, Clavus ferreus, & similia. Nimirum quæ in prima Fœtus formatione omnia disponit & ordinat, viamque Sangvini, bili, sero, cæterisque humoribus tam laudabilibus quam excrementiis, parat; Quidni Eadem, si necessitas urgeat, viam inveniat excernendo puri? Nec refert utrum pori ductus jamjam existentes ampliandi sint, num vero alii de novo formandi.

§. 32. Per Urinarias quidem vias educti puris, sanatique hoc modo Empyematis Exempla hinc inde occurrunt varia. Vide Sculr. Arm. Chirurg. Obs. 46. & 51. Diemerbrök Anat. lib. 1. cap. 17. & Andr. Laurent. qui in Hist. Anatom. lib. 9. Qv. 12. hanc de materiæ purulentæ cum Urina excretione quæstionem ex professo tractat; atque ut demonstret è corde per arterias illuviem illam deduci ad renes elegantissimam affert historiam viri cujusdam à se ipso dissecti. Hic enim cum per integrum Mensem cum Urinæ ardore lotium redderet rubrum fœtidumque mortuus aperto cadavere exhibuit thoracis cavitatem simul ac sinistrum Cordis ventriculum simili humore plenum; Unde non male argumentatur è thorace ad Cor, atque hinc per arterias ad Renes abiisse humorem virulentum.

§. 33. Hunc Naturæ conatum, si quando in Empyemate observemus, omnibus modis juvandus est. E Diureticis igitur seligenda potissimum, quæ facultate balsamica læsionem thoracis vel

pus

pulmonum insimul curent, qualia sunt Herba Cherefol, Petrosel. Heder. terr, Urticæ, Flores Violar. & hypericon. Radix Rubiæ tinct. cum liquiritia, baccæ juniperi, nec non terebinthina, item Lapid. Cancror. eorumque succus è vivis per contusionem expressus.

§. 34. Nihil interest, sive Cancri fluviat. solitarie, sive affuso uno atque altero cochleari vini, vel aceti, vel decocti diuretici, contundantur in mortario vitreo, vel lapideo; qui enim postmodum exprimitur succus ad Unciam unam alteramve propinatus, variis in Empyicis egregio cum successu præscriptus est; Imprimis vires ejus vix satis mirari potuimus in Puella quadam I. M. B. quæ Anno 1679. post pleuritidem neglectam tanta laborabat difficultate respirandi, ut non nisi erecto corpore aliquantisper respirare potuerit, materia interim in thorace fluctuante, ac imprimis diaphragma circa dorsum insigni dolore comprimente. Restituta autem est Deo benedicente per unicum Cancrorum succum, omni die sumtum Excell. Dn. Præsidis consilio; unde paulo post, quicquid purulenti collegerat Thorax, cum Urina excretum est successive, donec Respiratio iterum liberior redderetur, & quæ pro deplorata habebatur, integram sanitatem, qua etiamnum gaudet, adipiscereturr.

§. 35. Simile quid Anno jam currente tentatum est in Virgine A. M. G. cujus supra §. 6. mentio facta est; Cumque Eadem nunquam alias tussim passa esset, ac imprimis tum temporis se à tussi quoque impediri aut suffocari ob materiam pectus occupantem conquereretur, alvusque insimul per aliquot dies pertinacissime constiparetur, decoctum præscripsit Nobiliss. Dn. Præses partim Diureticum, partim Laxativum, una cum Cancrorum succo, bis terve in die assumendum, Interea anxietas Præcordiorum per intervalla recurrebat insignis, ac nonnunquam lipothymia, imo & absque hac frigus extremorum, aut horror dorsum imprimis pererrans; Et ecce post hujus usum primum furfuracei & purulenti quid in Urina deprehendebatur altera vero die pus paucum cum clysmate eductum est per alvum, tertia longe major copia eadem via pro-

prodiit, donec tandem quarta carnoſæ quædam ac tendinoſæ fibræ, quales conſpiciuntur in Diaphragmate, ad longitudinem digiti, una cum ſanie ſpiſſa (den Eyerſtock) ſubſequeretur. His viſis, abſtinuit ab iis, quæ Evacuandi per Alvum gratia præſcripta erant, ſcilicet Radice Polydii, Foliis ſennæ, ac floribus Geniſtæ; Continuatus autem adhuc eſt uſus vulnerariorum per aliquot dies, Saniculæ, Scabioſæ, Cardui benedicti, florum lil. alb. ſimiliumque, donec ad priſtinam Sanitatem rediret favente Divino Numine.

§. 36. Neque vero hæc res ſine exemplo eſt; ſiquidem jam olim Galenus atque Avicenna pluresque poſt eos obſervarunt Thoracis ſuppurationem per Alvum interdum expurgari. Vide inter alios Stalpart c. 1. obſ. 34. Epiſtolam Botteri ad Gregor. Horſt. Sect. XI. p. m. 460. Viam ſi à nobis deſideras, reſpondemus, ſimilem eſſe ei, per quam in Aſcite è cavo abdominis ſerum educitur poſt aſſumptum Purgans, hoc eſt, Natura facilius viam invenit quam Medicus. Quidſi enim per Umbilicum erumpat Empyicorum pus! quale quid annotavit Nicol. Tulpius in Obſ. Med. lib. 2. cap. 6. Nimirum Medicus agit quantum poteſt, Natura vero ipſa Morborum Hipp. Epid. VI. Sect. 5. Medicatrix eſt, DEO volente ab benedicente, cui Soli ſit in æternum Laus Honor & Gloria.

DISPUTATIO XIX.

DE

PALPITATIONE CORDIS.

J. J.

TAm jucunda ac ſuavis mihi ſemper viſa fuit cordis inſpectio, ut quotiescunque licuit exercitiis anatomicis operam dare, me in ſui conſiderationem, aut potius admirationem non ſemel traxerit. Ut vero taceam ſtructuram hujus viſceris elegantiſſi-

mam, quis pulſum ejus continuum ac motum nunquam interruptum digna ſatis admiratione complecti poteſt? Certe ſi unquam provida dici meretur natura, in hoc ſane opere ſuam nobis commendat curam; ſiquidem & in prima ſtatim fœtus formatione initium omnis motus cum puncto ſaliente facit, & poſtmodum continuat eundem pulſum etiam nobis inſciis & dormientibus, nec unquam deſinit, niſi mors ipſa finem vitæ fecerit. Patitur interim nobile hoc viſcus prout alios morbos ita & anomaliam atq; errorem in motu non levem, quando is ipſe præter naturam acceleratur in palpitatione atque tremore cordis. Hunc igitur morbum, præ cæteris mihi examinandũ hac vice & loco diſſertationis Inauguralis potiora ſaltem de eo proponere apud animum conſtitui. Faxit Divinum Numen ut hoc meum ſtudium ſub gratioſa ejus directione feliciter cedat.

§. 1.

PRolixum nimis foret, ac ab inſtituto hoc meo alienum, ſi, quæ de uſu cordis paſſim traduntur, altius repetere, atque ſub examen veritatis vocare in animum induxiſſem. Quapropter verum ſaltem ejus uſum hic perluſtraſſe ſatis erit, qui certe non alius eſſe videtur, quam ut beneficio ejus ſanguis per univerſum corpus propellatur, & juxta circulationis leges fluxu continuo diſpenſetur.

§. 2. Hunc enim in finem canales ſunt conſtructi ſatis patentes, qui ſanguinem è corde nunc excipiant affundantque partibus, nunc eundem ad Cor tanquam fontem reducant. Illud officium accurate obſervant arteriæ, non modo pulmonalis, quæ cruorem pul-

pulmonibus offert, ſed imprimis aorta cum ſuis ramificationibus per reliquum corpus diſtributis, circulumque conſtituentibus majorem. Hoc vero munere funguntur vena cava cum vena portæ in majori circulo, in minore vena pulmonalis.

§. 3. Deinde qui fabricam cordis paulo attentius perſpectam habet, is fateri tenebitur, illam egregie convenire ad hunc uſum præſtandum. Præterquam enim, quod iſta ferme tota muſcularis ac fibroſa deprehendatur, mirandum eſt inſuper, adeo concinne & eleganter has fibras invicem contextas eſſe, ut quivis intelligere queat prompte, quomodo cor dilatari & contrahi, ſanguinemque recipere atque iterum expellere valeat.

§. 4. Plura non dicam de figura cordis conica; ventriculis ejus binis, ſepto intermedio, auricula dextra & ſiniſtra, de valvulis tricuspidalibus, ſigmoideis, mitralibus & ſemilunaribus; arteriis pariter ac venis coronariis, quippe quæ ex autopſia longe facilius peti poſſunt, quam ſi verba de iisdem facerę hic vellem.

§. 5. Ad nervos potius progrediar, quorum propagines à pari vago, quod olim ſextum, hodie octavum nominatur, abſcedentes, in cordis ſubſtantiam terminari obſervamus. Præbent autem illi viam ſpiritibus, qua è cerebro libere ad cor progredientes id ipſum perenni ſuo affluxu in continuo vigore ac motu ſervent.

§. 6. Nec vero credendum eſt à ſpiritu influo omnem cordis motum abſolvi, ſiquidem in prima ſtatim animalis conformatione, antequam ulla capitis ac cerebri veſtigia appareant, jamjam in puncto ſaliente primus inchoatur cordis pulſus; itaque veroſimilius eſt à ſpiritu inſito cor moveri primario, at per ſpiritum influum continuo accedentem hunc ipſum indefinenter juvari & corroborari in eodem negotio.

§. 7. Cumque duplex ſit cordis actus, nempe ſanguinem recipere, & eundem rurſus propellere, proinde duplex etiam in corde motus obſervatur, diaſtole ſcilicet & Syſtole. Syſtole quidem ſive cordis contractio motus eſt magis proprie dictus, in cujus gratiam ſtructura hujus visceris fabrefacta videtur. Diaſtole vero potius

relaxatio fibrarum & remiſſio à motu, non tamen ſine motu eſt, ideoque hac de cauſa ad pulſus quaſi alteram partem referenda.

§. 8. Sequitur autem cordis pulſum immediate ſanguinis motus per univerſum corpus: Nimirum contracta auricula dextra, ſanguis è vena cava accedens in ſinum cordis dextrum ob ejus diaſtolen neceſſario exprimitur: hinc facta cordis ſyſtole propter valvulas tricuſpidales per arteriam pulmonalem in ipſam ſubſtantiam pulmonum pergit, ubi iterum, ne regurgitare poſſit, ſigmoideæ interpoſitæ ſunt valvulæ, adeoque per pulmones progreditur mediante vena pulmonali in ſiniſtram auriculam, quæ niſu quodam iterum expellit ſanguinem in apertum cordis ventriculum ſiniſtrum, quo contracto, quia valvulæ mitrales refluxum iterum cohibent, effunditur in aortam ſuis quoque valvulis inſtructam, atque hinc per varias ejusdem ramificationes in poros partium donec inde receptus à venis iterum ad cor deferatur.

§. 9. Itaque hic in mutua & contraria ſemper actione conſiſtit cordis & auricularum motus, ubi ſcil. in ſtatu naturali æqualiter ſanguis per totum corpus movetur. Videlicet dum contrahuntur auriculæ, relaxantur fibræ cordis, contractis fibris cordis iterum panduntur auriculæ, ut hac ratione mutuas ita ſibi porrigant manus, ſanguinemque recipiant atque expellant, quo pacto curſus iſte ſanguinis nunquam interruptus ſervari poſſit.

§. 10. Quod ſi vero anomaliam quandam hæc invicem admittant, ita ut rhythmus iſte cordis & auricularum minus ſibi reſpondeant, ac diverſimode alterentur, tum quoque non unam pulſus differentiam in ægris notare licet. Sciendum tamen eſt, quoad pulſus frequentiam & gradus, notabiliter hos eſſe diſtinctos in ſubjectis, ſi ætatem ipſorum conferas. Etenim ſi carpum contrectes infantum, deprehendes pulſum frequentiſſimum, in decrepitis tardiſſimum, qui conſiſtente gaudent ætate, in iis medio ſe habere modo. Proinde neceſſum eſt, quævis metiri ſuo modulo, ne fortaſſis quæ ſecundum naturam accidunt, pro præternaturali & morboſo habeantur ſtatu.

§. 11.

§. 11. Eadem est ratio habenda in iis, qui saltando, currendo &c. corpus commovent, indeque pulsum experiuntur valde acceleratum. Ast sicuti levis ejusmodi error in motu non statim morbosus dici potest, ita imprimis causa ejus notanda venit, an sit interna quædam, an externa & cito transiens. Ista quidem cum firmius irradicata sit, medici curam postulat: hæc vero vix attenditur adeo, cum sua sponte rursus evanescat.

§. 12. Ubi vero Cordis motus in tantum acceleretur, atque ita vehemens sit, ut molestiam ægro non levem inferat, tum Palpitatio cordis dicitur. Sunt autem variæ ejusdem species, siquidem ratione temporis alia est continua, quæ nulla interposita mora ægrum continuo affligit; alia periodica, quæ per intervalla eundem vexat. Deinde quoad magnitudinem notandum, diversos esse gradus hujus morbi, ita ut pro varietate causæ nunc major, nunc quoque minor observetur.

§. 13. Sed ferme superare videtur, quod de Palpitatione Cordis scriptores referunt, quando eam adeo vehementem se observasse testantur, ut extra parietes quoque constituti omnem pulsum exacte percipere potuerint, vid. *Christoph. à Veiga l. 3. de art. med. c. 8.* Quinimo nec desunt observationes effractarū inde costarum apud *Forestum l. 17. obs. 10. Angel. Victor. Consil. 97. p. 410.* aliosque. Interim notatu dignæ sunt binæ historiæ, quas mihi obviam venisse memini, nempe deprehendi in pectore cujusdam ægri maculam ad magnitudinem Joachimici valde rubicundam, eo in loco, ubi cordis appulsum manu appositā observare licebat, & quidem tum maxime, cum corpus quodammodo commoveretur, tunc enim tanta fuit palpitationis vehementia, ut adstantes quoque haud obscure illam perciperent. Alius eodem in loco fractam sibi costam certo credebat, ast cum accuratius considerarem eminentiam costæ, vidi non tam costam effractam, quam callum adnatum fuisse juxta costæ cum sterno juncturam.

§. 14. Paulo mitius hoc morbo tentantur alii, quando motum

tum cordis inordinatum celeriorem quam par est ac vehementiorem patiuntur, attamen si hunc statum cum priore conferas, manifestum erit, multum interesse discriminis, quandoquidem nec tanta vehementia neque tanta molestia ægros infestat, quali prioribus in casibus nonnullos excruciatos retuli.

§. 15. Et quemadmodum in palpitatione varii dantur gradus, ita nec male tremor cordis ad eandem referri potest, præsertim cum palpitatio in tremorem abire soleat, cum deficientes paulatim vires ne quidem sufficiunt ad cor vehementius concutiendum. Sic enim imminentibus lipothymiis: item post hæmorrhagias insigniores, in febribus malignis talem Cordis tremorem notamus, aut etiam in agonizantibus sub finem motuum convulsivorum.

§. 16. Est enim revera Palpitatio cordis nihil aliud, quam species motuum convulsivorum, quos vel spirituum commotio, vel sangvinis vitium, vel præternaturale quid cordi molestũ producit. Etenim nunc immediate magis & per essentiam cor afficitur, quatenus videlicet causa morbifica proxime illud attingit, nunc vero mediate intercedentibus aliis partibus, quæ primario læduntur, unde per consequens simul in consensum trahitur viscus illud nobile.

§. 17. Manifestum hoc est in iis, qui scirrho lienis vel hepatis laborant, siquidem iis nil frequentius est palpitatione cordis. Idem quoque malum experiuntur non raro hypochondriaci, & qui vitiosos in primis viis humores, colligunt. Ab horum enim præsentia observatum est non semel, inflationem abdominis adeo ingentem fuisse secutam, ut postmodum palpitatio cordis insignior eundem quoque exceperit.

§. 18. Nil dicam nunc de Uteri affectibus, quos non secus ac renum vitia sæpenumero comitari motum cordis inordinatum historiæ testantur. Quid? quod & ventriculus interdum male constitutus in consensum traxisse ipsum cor & palpitationis causa extitisse legitur. Ac mirandum sane est, adeo intime convenire omnes corporis nostri partes, ut quanquam longius à se sint remotæ, nihi-

nihilominus tamen mutuo consentiant, ut læsa una parte simul compatiatur altera, hincque ad varias inordinationes non raro compellatur.

§. 19. Præterea quid ira valeat aut terror in excitanda palpitatione cordis, norunt isti, qui animi istiusmodi commotionibus nimium quantum indulgent, aut subito ob rem quandam visam vel auditam conterrentur. Et quemadmodum subitaneæ hæ alterationes multorum sæpenumero malorum autores existunt, imo motus plerumque convulsivos inducunt, ita quoque non mirum est, quando iisdem supervenire cordis motum acceleratum & vehementiorem observamus.

§. 20. Sic vitio sanguinis quoque contingit Palpitatio cordis, quando is ipse vel quantitate vel qualitate peccat. Illud accidere solet in Plethora, post suppressionem mensium, aut hæmorrhoidum, quibus dum commotio corporis aliqualis accedit, facile Palpitatio oritur. Simile quid accidit in febribus ardentibus, ubi sanguis præter modum æstuans & ebulliens cordis motum diversimode alterat & accelerat. Atque hoc præcipue cacochymicis contingit & scorbuticis, quippe quorum sanguis salibus acrioribus scatens, dum cor continuo pungit ac vellicat, non potest non motus p. n. excitare.

§. 21. Porro de Polypo cordis non una prostat historia apud scriptores, Tulpium aliosque, illum in sectis quibusdam corporibus fuisse repertum, quæ antea dum viverent, insignem cordis molestiam ac Palpitationem sustinebant. Videtur autem hic ipse nil aliud esse, quam adiposa quædam substantia, quæ ex sanguine imprimis glutinoso producitur, atque in ejusmodi coagulum concrescit, quod dum columnis cordis adhæret, & per vasa ei vicina ducitur, viam simul sanguini transeunti ex parte intercipit. Hoc ipsum vero quoniam sibi molestum sentit natura continuo expellere annititur, cumque firmiores egerit radices, quam ut exturbari adeo facile possit, hinc valde motus cordis interrumpitur, atque è statu naturali in præternaturalem abit. §. 22.

§. 22. Magnitudinem cordis exceſſivam hic etiam interdum peccare, experientia non ſemel docuit in illis, qui obeſioris paulo ſunt conſtitutionis & pingvedinem copioſiſſimam cordi adnatam gerunt, à qua moles ejusdem non parum augeatur. Obſervarunt enim ab hujus pondere ingentem fuiſſe excitatam palpitationem, non ſecus ac de excreſcentia cordis refert *Schenckius* (quam eidem exterius adhærentem in diſſecto vidit cadavere) illam aliquando gravem intuliſſe pulſus inordinationem.

§. 23. Neque hic excludere vermes poſſum è numero ac cenſu cauſarum, quæ immediate cor affligunt, eidemque moleſtiam non levem irritando pariunt. Equidem non ita frequens eſt, vermes in corde natos palpitationem intuliſſe, nihilominus tamen apud *Brunnerum Conſ. 38.* obſervatio quædam legitur, qua ipſemet teſtatur ſe vidiſſe aliquando inſignem motus cordis anomaliam à vermibus inductam. Oſtendunt autem præcipue iſti hoſtilem ſui præſentiam rodendo & vellicando, quas morſicationes & punctiones non raro motus convulſivi ſequuntur, interdum lipothymiæ, cum pallore & diſcoloratione faciei inſigni.

§. 24. Quæ de vermibus jam dicta ſunt, eadem de *calculo*, quem in ventriculis cordis hærentem nonnulli annotarunt, quoque moneri poſſunt. Nec aliud poſtulant effatum *oſſa* & *excreſcentiæ cartilagineæ*, quæ ex tendinoſa cordis circa baſin ſubſtantia nonnunquam enaſcuntur. Sed cum admodum ſint inſolentes hæ ipſæ cauſæ, & perraro ſub manum medici cadant, idcirco plura de illis verba haud faciam, præprimis cum non citius cognoſcantur, quam ubi poſt mortem demum inſpicere partem affectam & ſic abdita detegere tandem vitia conceditur.

§. 25. Supereſt ut aquæ Pericardii adhuc mentionem injiciam, cujus memorabile exemplum *Piſo in tract. de Colluvie ſeroſa* recenſet. Malo enim hoc perierat, qui ad libras aliquot ſeri in pericardio continebat. Quanquam vero à ſeri excedente copia plérumque excitari palpitationem plurimi exiſtiment, nil impedit tamen

men quo minus & in peccantem qualitatem interdum referri causa possit, præsertim cum quantitas sola non semper talem intulisse pulsus inordinationem visa fuerit.

§. 26. Postquam de causis actum, ordo nunc requirit, ut ad curam ipsam progressum hic faciam. Consistit autem illa in eo, ut præternaturale & hostile istud, quod motum turbat naturalem & ordinatum, ac econtra inordinatum cordique molestum inducit, removeatur. Quapropter ante omnia dispiciendum venit an per consensum afficiatur cor, an vero per essentiam id ipsum laboret, ut hac ratione eo melius genuina cognosci causa, atque huic postmodum conveniens adaptari remedium possit.

§. 27. Itaque si lienis subsit vitium, ad duo potissimum respiciendum, primo ad acrimoniam humorum, qua ratione scorbuticis adeo frequens hoc malum, ut vix quenquam offendere liceat, qui ab hoc ipso penitus excludatur. Deinde ad visciditatem eorundem attendendum, utpote quæ sola obstructionibus interdum generandis sufficit. Illi medentur optime ♈ea quævis ut mater perlarum, Corallia rubra, C.C. ustum, ebur & ♂lia, quæ absorbendo ac præcipitando acrimoniam humorum emendare valent. Huic vero egregie prospiciunt sic dicta incidentia seu aperientia. Rad. polypod. filicis, lamium fl. alb. cuscuta, chelidon. majus & quæ sunt similia, præsertim si cum evacuantibus eadem exhibeantur.

§. 28. A malo hypochondriaco ubi enascitur Palpitatio, eo allaborandum præcipue est, ut vitia humorum in primis viis enata corrigantur debite & evacuentur. Quod ut commode procedat, attendenda imprimis est qualitas eorundē in primis viis delitescentium, ut recte ordinari medicamina & è diametro qs. huic opponi possint. Sic interdum mira fecerunt ♈ea non minus ac alcalia, interdum ♌sa optima fuerunt, arcan. duplicat. ♃us ♑ latus, ☌★ cum, non posthabitis interim purgantibus, si res ea postulare videatur.

§. 29. Ex uteri passione si oriatur motus cordis præternaturalis & inordinatus, omnis labor atque opera dirigenda eo venit, ut in-

ſultus iſti hyſterici, quamprimum id fieri poſſit, cito compescantur, quibus ceſſantib9 & reliquus morbi curſus facillime ſuperatur. Proinde hyſterica unicum ac præſentiſſimum hic ferunt auxilium, caſtoreum nempe, & exinde parata eſſentia, liquor C. C. ſuccinat. unicorn. ver. ſuccin. & ♁ ♁ij, quibus opium ſi placet ſociari poterit.

§. 30. Renum culpa ſi accidat, ut in conſenſum rapiatur ipſum cor, & errores in motu ſuſtineat enormes, conſiderandum an calculus occupet pelvim tubulosve renales, atque dolorem iſtis atrocem inferat, à quo ſimul cor afficitur. Huic opponuntur vulgo remedia omnis generis diuretica, quæ urinam pellendo calculum juxta removent; aſt felicius hunc effectum ſperare quis poterit, ſi & ea non neglexerit, quæ dolorem iſtum acerbiſſimum compeſcere aut ſaltem mitigare valent.

§. 31. Frequentius autem ventriculus male conſtitutus occaſionem præbet huic malo, quatenus pravis ſæpenumero humoribus redundat, qui nunc rodendo aut alia quacunque ratione dolorem ei moleſtum afferunt. Hunc itaque dolorem nervi illico ad cor transferunt, illumque motus ſtatim anomalus & valde perturbatus ſequitur. Malum autem hoc extirpant radicitus pro circumſtantiarum ratione nunc vomitoria & purgantia fortiora, nunc alterantia, lap. ♋. oſs. ſepiæ ∘°∘ ♀ per deliq.

§. 32. Cumque ira & terror eundem ſæpenumero producant effectum, idcirco ſuaderem, ut quilibet ſuos comprimere affectus ſibique temperare ab animi pathematibus velit, omnemque ita occaſionem ſibi præſcinderet, qua ad ejusmodi excurſiones deduceretur. Attamen quoniam pauciſſimi id ipſum attendunt, ideo etiam non raro in talia prolabuntur vitia, quæ damnum non minus quam periculum minantur, niſi medicus auxiliatrices manus ferat, atque ad tranquillitatem naturam iterum diſponat. Quæ vero impetum ſpirituum ſedant ſunt anodyna, ♃a inprimis metallica, inter quæ eminet ☿ diaph. quem adeo extollit *Helmont.* ut hunc ſolum intentioni cuivis medici prompte ſatisfacere aſſerat. In cujus defectu

fectu opiata cum alias contra iram vel terrorem uſitatis oc. ℔. unicorn. ver. corall. rubr. præſcribi poſſunt.

§. 33. Quantitas ſanguinis ubi excedit, opera danda, ut eadem imminuatur. Obtinemus equidem hunc effectum ſi cibum potumque ægro aliquandiu interdicamus aut tenuiorem ſaltem victum ei imperemus. Aſt cum non omnes famem diutius tolerent, aut parcius tantum vivant, melius procedet negotium ſi magis præſentaneum ſuppeditemus conſilium. Præſtat autem id ipſum optime Venæſectio, aut cucurbitulæ ſcarificatæ in ejus locum ſubſtitutæ. Sed cum alia adhuc ſint, quæ præter cibum lautiorem potumque magis ſtrenuum ſanguinis copiam notabiliter augent, propterea & ea attendi merentur, ne fomes atque radix morbi intacta relinquatur.

§. 34. Videlicet ubi à menſium ſuppreſſione aut hæmorrhoidum fluxu impedito incrementum patitur ſanguis, adeoque ejusdem pondus accreſcit, id agendum, ut obſtructiones tollantur, & ſic liberior ſanguini tranſitus concedatur, quo facto poſtmodum natura ſponte ſeſe exoneret, abundantemque ſanguinis copiam libere deponat. Idem eſto judicium de ſero ſanguinis, ſi ejusdem ſecretio cohibeatur per renes atque fluxus ordinarius hac ratione impediatur. Ab hoc enim ſi cumuletur moles ſanguinis, omne ſtudium erit impendendum, ut ☉æ fluxus per diuretica potentiora concitetur & ſerum extra corpus eliminetur.

§. 35. Præterea in febribus ardentibus, ubi motus ſpirituum viget concitatior, eandem ferme ſanguinis copiam oſtendere videntur vaſa, quam alias in Plethora vera ubique notare licet. Verum cum non tam ſanguinis quantitas hic peccet, quam æſtus ſpirituum quem motus ſanguinis rapidior ac vehementior ſtatim ſequitur, propterea quoque illa hic accommodari debent remedia, quæ eundem ſpirituum fervorem compeſcere ac ſufflaminare poſſunt. Itaque conveniunt anodyna quævis ac ☉trata, ☉purum, arcan. dupl. plantago, portulaca, ſemperviv. majus, ſemina 4. frigid. majora & quæ æſtum alias ſpirituum extinguere poſſunt.

§. 36. Quibus vero ab impuritate ſanguinis contingit, ut non modo habitum corporis floridum ſibi valde immutatum ſentiant, ſed ipſam etiam experiantur pulſus frequentiã & inordinationem, iis optimum eſt, uti remediis appropriatis, nunc vomitoriis aut purgantibus, ſi res exigat ac radix morbi in primis viis hoſpitetur, nunc alterantibus ſalinis ac terreis, ubi videlicet vitii natura eadem poſtulet; quibus præmiſſis ſtomachica gratiora exhibeantur, quæ labem ventriculo impreſſam corrigant, digeſtionisque negotium iterum reſtituant.

§. 37. Pertinent huc, qui à ſcorbuto idem malum patiuntur, ac ſane frequentiſſimum iis hoc eſt, ſi aliquali ſaltem accedente motu corpus leviter incaleſcat. Hoc igitur in caſu, ubi acrimonia ſanguinis maxime manifeſta conſpicitur, illa ſeligenda ſunt medicamenta, quæ aculeos ☉ium acriorum frangere, vimque illorum enervare poſſunt. Efficiunt id ipſum præter ☿ ea gummoſa quævis ac pinguia, Rad. Chin. ſarſeparill. decoctum C.C. & eboris & quæ ſunt ſimilia.

§. 38. Adverſus polypum cordis adeo rara ſunt præſidia, ut quanquam pene omnes evolvamus Practicorum libros, ne hilum tamen præter morbi hiſtoriam de iis traditum aut literis conſignatum reperiamus. Nihilominus vero cum per abſtinentiam corpora emaciari quotidie videamus, crederem etiam facillime, per eandem non ſecus curari hunc poſſe, quam magnitudo cordis per inediam in ſubjectis obeſioribus abſumitur. Quod ſi vero adhuc recens fuerit malum, reſolventia ac incidentia exhiberi poterunt, quæ materiam adipoſam in principio ſtatim, ubi nondum adeo compacta exiſtit, attenuent atque iterum diſſolvant.

§. 39. Quæ à vermibus proficiſcitur palpitatio, remedia poſcit anthelmintica. Plura equidem uſu commendatiſſima ſunt contra vermes, ita ut nullũ ferme ſit remedium acre aut amarum quod non vim ſuam ſingularem & ſpecificam in pellendis vermibus una contribuat, ſed cum acria iſta locum vix commode ſerventi in cura Palpitationis, eamque non raro exacerbare ſoleant, ſeligerem potius

tius mitiora, uti C. C. ustum, succinum, item ☉ina & ☿ialia, quippe quæ in extinguenda vermium turba omnibus palmam præripiunt. Proinde ☉ comm. ☿ ☉ l. spir. ☉, ☉ l. Philos. ℞. pap. rhæad. cum spirit. ☉ l. parat. ☿ dulc. hic erunt sufficientissima.

§. 40. Reliquum est ut ad Cordis vitia me quoque conferam, quorum plura sese offerunt considerationē haud indigna, inter quæ potissimum excrescentiæ, ossa & calculi notari merentur. Et quanquam de Cura horum maxime simus solliciti, videntur tamen eandem vix admittere, quod auxilia nostra medica horum radicem ne quidem attingant, nedum ut malum penitus auferant. Quocirca melius erit abstinuisse ab eorum curatione, ne, si expectationi minus respondeat eventus, id, quod alias morbo imputandum erat, indigne in medicum conferatur.

§. 41. Potius ea nunc evolvam, quæ hydropis Pericardii curam concernunt. Atque ista cum haud differant à reliquis hydropum Curationibus nec alia expetit medicamentorum genera, quam quæ experientia in his atque usus comprobavit. Diuretica proinde & purgantia utramque faciunt paginam, quatenus colluviem serosam imminuendo affluxum lymphæ uberiorem prohibent. Quoad Paracenthesin, quam *Riolanus in Anat. l. 3. c. 4.* adeo commendat, vix admittendum existimo ejus consilium, quoniam anceps, neque experientia satis confirmatum, emolumenti parum, sed multum periculi promittere videtur.

§. 42. Ad acrimoniam igitur seri scorbuticam accedo, de qua superius dictum, quod interdum conjuncta cum hydrope Pericardii observetur, tumque causa potissimum Palpitationis Cordis existat. Instituta autem hac ratione evacuatione sufficienti & adhibitis præterea diureticis pariter & purgantibus, denique videndum, quomodo lympha ista acris corrigatur & quantum fieri potest, per appropriata emendetur. Quem in finem non incommodum erit, incrassantia propinare medicamenta ac absorbentia, quæ acrimoniam istam in sanguine & sero manifestam temperent, atque corrigant. Priori intentioni egregie satisfaciunt tragacanth. Thus,

benzoë, maſtich. &c. Poſteriori duriora quævis ac ♂lia, oc. ♋. ∀ ſigill. Corall. mater perlar. Unicorn. & os de Corde Cervi.

§. 43. Quod ſi palpitatio tandem poſt virium abſumptionem degeneret in tremorem, analeptica optatum dabunt effectum. Uti enim alias ſpirituoſa robur vitale multum augent, ſpirituumque defectum egregie reſtituunt, ita quoque hic omne ferme negotium abſolvunt. Commendat autem inter ea præ cæteris *Faber Univerſ. ſap. l. 3. c. 6.* ſpiritum meliſſæ, quem ipſemet proficuum obſervavit. Hoffmann. Meth. Med. *l. 1. c. 12.* ſpiritum roſar. laudat, alii ∇ fl. citri & namph. multis verbis extollunt. Nec minoris quoque efficaciæ ac virtutis erit ambra ipſa cum moſch. confect. alkerm. de hyacinth. ſyr. fl. tunic. & ſimilia imbecillitatem virium alias egregie juvantia.

DISPUTATIO XX.

DE

FERMENTO VENTRICULI ACIDO.

I. D. N.

PRÆFATIO.

QUemadmodum ex dubitatione veritas, ita & falſum ex credulitate propagatur. Vix autem quisquam adeo cautus eſt, quem commentum quoddam ingenioſum ac ſpecioſum non facile reddat credulum. Inde non miror, quanto cum applauſu FERMENTUM VENTRICULI hodienum ab omnibus fere excipiatur. Videbatur etenim probabilius, oſſa in canum, lapillos in gallinarum ventri-

culo,

culo, ferrum in ſtruthiocameli ſtomacho digeri à ſolvente quodam acido, quam à calore. Itaque à nemine dubitatum eſt amplius de fermenti hujus exiſtentia, quamvis ejusdem natura ac ortus ſollicitos reddiderit non paucos. Plerisque ſuccus dicitur acidus, aliis ſalſus, modo acido-ſalinus, modo inſipidus. Primi eundem ex liene ad ventriculum derivarunt; alii eum congenitum volunt, qui ſuſtentetur à reliquiis chyli ac affluente ſaliva, alii ex arteriis cœliacis per tunicam ventriculi glanduloſam transſudare, vel ex glandulis ventriculo adhærentibus eum infundi volunt. Uſum interim huic fermento duplicem tribuunt, nempe primum in excitando appetitu, & alterum in chylificatione perficienda. Quod ſi vero cum venia ac pace eruditorum dubitare licet circa vulgatam hanc de fermento ventriculi opinionem; propoſitum eſt mihi, hac occaſione argumenta, quæ pro fermento adſtruendo adducuntur examinare, hisque mea ſubjungere qualiacunque dubia. Neve rejecto hoc fermento deficiat appetitus ac chylificationis cauſa, annectam in altero Capite ſuccedaneum aliquod, mihi veroſimilius viſum. Faxit Divinum Numen, ut cedat feliciter!

CAP. I.

§. 1.

Quantumvis Helmont non ſit primus fermenti ſtomachalis Autor, pluribus tamen idem & explicuit & confirmavit, poſtquã caloris

caloris vires in chylificatione rejecerat, ut major doctorum numerus eum ſequi non dubitet.

§. 2. Lien quidem à quo fermentum inſpirari in ſtomachum ſtatuebat Helmont, vix hodie à quoquam amplius attenditur, cum plures teſtentur obſervationes, è canibus atque felibus, quandoque & ex homine lienem exemtum eſſe citra chylificationis læſionem. Aliam proinde patriam extra duumviratum huic fermento quærunt; qua de re jam actum eſt in præfatione.

§. 3. In hoc autem conveniunt plerique, quod credant hoc fermentum eſſe acidum quoddam vitale, ideoque ſingulare, cui par non ſit aliud in rerum natura.

§. 4. Huic duplex aſſignatur uſus. Primo enim ab hoc, in defectu alimenti, affici orificium ventriculi finiſtrum, atque ſic famem produci aſſerunt, excepto Tachenio, qui ſui oblitus, deficere in fame acidum docet in Clave p. 161. cum tamen Hipp. p. 88. demonſtraſſet, jejuno cujusvis ſani ſtomacho inhabitare acidum.

§. 5. Deinde, ubi aſſumta ſunt alimenta, exiſtimant ab hoc liquore acido ſolvi eadem ac discontinuari per modum fermentationis, donec in albicantem chyli colorem convertantur.

§. 6. Sententiæ huic ut fidem faciant, utuntur variis argumentis. Ad exiſtentiam ejus probandum, jubet Tachenius lac bibere jejuno ſtomacho, idque revomere; tum non modo ex ſapore acido, ſed & ex lactis coagulatione manifeſtum eſſe putat, acidum quoddam fermentum contineri in ventriculo.

§. 7. Alii idem probant per limaturam ♂is deglutitam, quæ ſulphureum paulo poſt eructare ſolet odorem, ſimillimum illi, qui affuſionem aquæ fortis alias ſequitur.

§. 8. Alii ipſos ventriculos diſſectorum brutorum examinant, inque his vel guſtui tale acidum exhibent, vel affundunt aliquod alcali, ut ex hinc nata effervescentia demonſtrent præſentiam acidi.

§. 9. Sed reſpondeo ad hæc experimenta paucis, hæc ipſa non probare, quod probare debent. Recte quidem infertur ex his, acidum

eidum contineri in ventriculo; hoc ipsum autem esse ejusmodi fermentum, quod famem excitet, ac sine quo non succederet chylificatio, id sane neutrum omnium evincit.

§. 10. Acidum quippe, quod his modis demonstratur, non connatum est. Infantum enim ventriculus id nescit, eo quod magis nocivum foret, quando coagularet lac, quam utile, utpote qui absque fermentatione maternum lac digerit.

§. 11. Quamprimum autem panis, cerevisia, fructus horæi, aliaque diversarum partium alimenta assumuntur, necesse est ilico propter concursum diversorum salium oriri fermentationem, quæ si vel maxime citra manifesti cujusdam acidi additamentum contingat, potest non tamen, pro more aliarum fermentationum, acidum spirare ac sapere, acidasque relinquere particulas.

§. 12. Productum hoc per fermentationem acidum est illud, quod pro fermento vulgo habetur. Nec Hippocratis Aphorismus I. lib. VI. quem pro confirmando stomachi fermento communiter adducunt, aliter explicari debet, quam ex ructibus acidis clarum esse, cessare lienteriam, continerique iterum alimenta in ventriculo ac debito modo fermentari, sicque non deesse spem recuperandi vires, sanitatemque pristinam.

§. 13. Sed pergendum mihi est ad alia argumenta, quibus fermenti hujus patroni utuntur, præcipue in appetitu hinc deducendo. *Primum* atque palmarium desumunt à juvantibus. Etenim si appetitus acuitur acidis, ut sunt succus citri, aurantii, granati, omphacium, acetum, cerasa, ribes, berberes spiritus item ♃is, ☉is, ☽i, atq; ♁li, sequitur fermentum stomachi esse acidum.

§. 14. *Alterum* à nocentibus argumentum petunt. Asserunt enim, omnia, quæ acidum alias infringunt, alcalia volatilia & fixa, item & terrea pessundare appetitum, vimque fermenti stomachalis enervare propter destructum ejusdem acorem.

§. 15. *Tertium* desumunt à fame canina. Si enim fames augetur ab acido aucto ac nimio, concludunt & famem naturalem oriri

ex acido blandiori. Scilicet ſi canina fames tantum gradu discrepat ab ordinario appetitu, probabile videtur & cauſas horum ſaltim gradualiter atque ſecundum magis & minus differre.

§. 16. Quid multa? Si verum eſt, quod Hechſtetterus in Obſ. Med. p. 482. & ſeqq. affirmat, eſurientes ſentire hujus fermenti blandam ac ſeroſam aciditatem in os aſcendere, quæ gratiſſime vellicet linguam, dentesque feriat; cur dubitamus de ejus efficacia in excitando appetitu?

§. 17. Reſpondendum igitur eſt ad ſingula ſeorſim. Ad *primum:* Concedo, acida ſæpius appetitum excitare, quatenus nempe vel humores ventriculi nidoroſos corrigunt, vel pituitam ibidem hærentem incidunt & detergunt; atque ſic impedimenta quidem ſpontaneæ ciborum fermentationis removent, fermentum autem nec conſtituunt, nec augent.

§. 18. Cur enim acida non ſemper juvant, quod in Venere enervatis, aliisque virium proſtrationibus quotidie notamus cum tædio; cujus rei cauſam Secundi Capitis §. 37. explicatam dabit.

§. 19. Præterea & acida ipſa appetitum quandoque dejiciunt. Ribes ſane, ceraſa, mala atque pruna, imo fructus horæi ad unum omnes, ſive actu ſint acidi, ſive aceſcentes, quandocunque, ſtomacho præſertim jejuno aſſumti, diarrhœam invehunt, ilico appetitus perit. Hujus exemplum ex mororum eſu annotavit Helmont p. m. 18. 4; 21. plura ſuggerit quotidiana experientia.

§. 20. Ad *ſecundum* reſpondeo: verum eſt, oculos ♉. C. C. hæmatitem, limaturam crocumque ♂is ſimiliaque duriora appetitum ſedare; ſed non alio modo, quam petaſo, fumoſa farcimina, aſellus truncatus, & ſimiles duriores cibi eundem quadantenus dejiciunt. Alcalia autem fixa æque ac volatilia tantum abeſt, ut deſtruant appetitū ordinariū, ut potius eundem ſæpius à pituita proſtratū excitent.

§. 21. Optimo ſane conſilio hæc ipſa præſcribit Sylvius in. Pr. lib. 1. c. 2. §. 28. Secutus eum non infeliciter ſum atque expertus, præcipue ſpiritum ſalis ammoniaci, non vulgarem, ſed qui ſal ☿ri adje-

adjectum per enchireſes quasdam, ſibi aſſociat. Sicque volatile ſimul & fixum continet alcali, non ingratus tamen eſt, ac præterea ventriculi humoribus acidis ſumme conveniens.

§. 22. Quod ſi igitur alcalia æque ac acida excitant appetitum, cur non eodem modo fermentum ventriculi aſſero eſſe alcalinum.

Si enim ſequitur:

Fermentū ventriculi eſt acidum, quia appetitus excitatur acidis,

Colligo & ego:

Fermentum ventr. eſt urinoſum, quia appetitu excitatur Urinoſis.

Addo: - - - - - ☉ſum, - - ☉ſis.

- - - - - aromaticum - - aromatibus.

§. 23. *Tertium* quod ſpectat. Notum eſt à ſtatu præternaturali ad naturalē non valere conſequentiam. Ex ſuperabundanti tamen aſſumam hoc ex collatione petitum argumentum, ejusdemq; inconvenientiam monſtrabo. Diſtinguo autem in fame canina hæc duo à ſe invicem, nempe (1.) digeſtionem celeriorem & (2.) appetitum inordinatum ac fere continuum. Prius illud recte ab acido quodam acriori deducitur, quod aſſumta ilico ſolvit, ac poſtmodum ventriculum ſtimulat ad horum ejectionem vel per ſuperiora, vel per inferiora. Poſterius autem propter hoc acidum non accidit eo, quod orificium ſiniſtrum ab illo vellicetur; hoc enim adhuc probandum eſt, ſed propter nimis citam alimentorum è ventriculo fugam.

§. 24. Acidum igitur non eſt appetitus in fame canina cauſa per ſe, ſed ſaltim per accidens. Vera autem ejusdem appetitus cauſa eadem eſt, quam in altero Capite appetitui ordinario aſſignabo. Nullo itaque modo ſequitur: Acidum acre eſt cauſa per accidens famis auctæ, ergo & acidum blandum eſt cauſa per ſe famis ordinariæ ac naturalis.

§. 25. Sed nunc & Hechſtettero ſatisfaciendum eſt. Largior autem eum obſervaſſe in ſeipſo affluxum acidiuſculi ſeri ac natas hinc vellicationes in ore. Largiar & idem accidere hypochondriacis, & qui cruditate ventriculi acida laborant. A particulari tamen

ad universale N. V. C. Imo vero si vel maxime omnes idem sentirent acidum, quod tamen falsum est, nondum tamen concludendum foret, acidum hoc esse appetitus causam, quamvis ut proprium in ordinario ac naturali appetitu semper accidat.

§. 26. Hæc sunt potiora, quibus adstruitur, acidum esse appetitus causam. Pergo nunc ad illa argumenta, quæ chylificationem ab hoc acido perfici docent. *Primum* iterum à juvantibus acidis desumtum est. Nec diffiteor, succum citri, acetum & similia promovere quandoque chylificationis opus. Distinguendum tamen est inter causam adjuvantem s. ministerialem, & efficientem s. principalem. Rectissime enim Helmont asserit p. 168. 13. digestionem hanc esse opus vitæ ipsius, cujus instrumentum satellitium sit acor.

§. 27. *Alterum* argumentum à nocentibus petunt, asserunt-que à lapidosis terreis & alcalibus assumtis chylificationem impediri. Sed eodem modo ut supra §. 20. respondeo per distinctionem. Ita enim est, ex abusu terreorum, præcipue magisteriorū chylificationem insigniter lædi, quatenus nempe hæc ipsa non connatum quidem fermentum præcipitant, sed quatenus in nimia quantitate assumta ventriculum gravant atque sic & appetitum & digestionem destruunt.

§. 28. Salia autem volatilia non modo chylificationem non turbant, sed & eandem accelerant sæpius. Sane ☉ volat, ♀ri, C. C. succini, Urinæ & ★ci ab Experientissimo Sylvio p. 58, 26. hunc in finem commendata, convenientissime in cruditate ventriculi acida, aut acidis cibis superingesta, primam digestionem promovent.

§. 29. Quemadmodum enim in omni fermentatione utrumque ☉, acidum & alcali reperiuntur, ac neque alcalia neque acida sola eandem excitare queunt; ita & utrumque ☉ pro fermentatione ventriculi requiritur. Inde, si alcali superet acidum, propinamus acida ad facilitandam fermentationem; si acidum superet alcali, addimus alcalia eadem lege. Merentur sic & ipsa alcalia quandoque fermenti nomen; quod cineres clavellati satis testantur adi

meli

mel fermentandum, pro panibus mellitis hinc conficiendis, adhibiti.

§. 30. Atque sic quidem satis, ut puto, ostendi, in stomacho non habitare fermentum, quod vulgo credunt, quodque appetitus ac chylificationis causa dicitur; acidum autem, quod in ventriculo ac chylo deprehendimus, ex spontanea assumtorum fermentatione oriri. Sed tempus est, ut & meam de appetitus ac chylificationis causa opinionem exhibeam. Hæc ipsa autem nec mea solum est, nec pro infallibili aut invincibili venditatur; communi tamen probabilior videtur, atque ad plura alias obscura dilucidanda aptior. Vita ergo mihi est digna, quæ hac occasione publice ventilaretur.

CAP. II.

§. 1.

SEposita jam anima rationali, suppono sensitivam in homine esse spiritus, quorum sedes cerebrum sit cum cerebello atque medulla spinali, unde per nervos ad partes quascunque corporis abeant, & quorsum eadem via iterum remeent.

§. 2. Insigniores ergo ventriculi nervi, qui paris vagi sunt rami, adducunt æque & abducunt spiritus. Nec vero probabile est, pro motu saltim ac sensu, sed potius alium adhuc in usum hos majores nervos ipsi datos esse à natura.

§. 3. Famis itaque & chylificationis causam, postquam acidum ventriculi fermentum destructum est, ab his ipsis petendam esse, varia mihi persvadent. Primum recensebo ea, quæ circa famem, ac postmodum quæ circa chylificationem mihi visa sunt.

§. 4. Facultas sane appetitiva non minus quam sensitiva & locomotiva ipsius animæ s. spirituum functio est.

§. 5. Quid manifestius est? salivam, conspectis aut odoratis saltem delicatioribus ferculis, ubertim in os affluere, idque propter impetum facientes spiritus, qui ex nervis salivales ductus copiose concomitantibus alliciuntur, salivamque una movent, ac magis spumosam reddunt.

§. 6. Sed transeat hoc, non enim perpetuum est; motus autem spirituum, quo ad stomachum deferuntur, in omni fame necessario accidit, & quemadmodum in venereo appetitu copiosius affluunt ad organa spermatica spiritus, ibidemque semen rarefaciunt ac spirituosius reddunt; ita & in ventriculum affluentes vacuum, ubi non reperiunt in quod agant, nisi forte pauciores assumtorum reliquias, fluctuant ibidem corrugantque fibras, quod esurire dicimus.

§. 7. Vacuo hoc ventriculo accidere dixi; assumto enim cibo fluctuatio hæc cessat, nec locum habere potest, si quando viscida pituita aut acida nidorosave ventriculum repleant in anorexia.

§. 8. Quandocunque autem ventriculo vacuo influunt spiritus, præsens est fames, & contra, quandocunque non influunt, deficit fames.

§. 9. Postquam enim chylus distributus ac spiritus hinc restituti sunt, quod hora post prandium sexta, post cœnam vix duodecima accidit, esurimus iterum ob affluentes copiosiores spiritus.

§. 10. Etenim si diutius abstineamus à cibo, videlicet pluribus diebus, perit idem appetitus, nempe ob deficientes paulatim spiritus. Elegans proinde est historia, qua Diemerbrœck in sua Anat. p. 38. testatur de seipso, postquam cum sociis jejunasset ad sesquidiem, se non amplius famem sensisse ad tertium usque diem, sed saltim corporis debilitationem. Scire autem velim, quorsum tunc abierit fermentum acidum hactenus creditum, quod sic potius summam, ex illorum hypothesi, contraxisset acrimoniam.

§. 11. Sed pergendum mihi est ad juvantia appetitum, atque huic nocentia. Primum examinemus exercitium corporis. Hoc si moderatum est, famem excitat, eo quod aucto tantisper sanguinis motu spirituum influxus promoveatur. Excessivum autem ubi fuerit, ita ut vires prosternantur, tunc perit omnino fames, præcipue in his, qui debilioris sunt naturæ.

§. 12. Quicquid enim spirituum influxum promovet, id omne famem excitat. Aromatica itaque ac analeptica spirituosa facile pal-

palmam præripiunt aceto, ſucco citri, ſpiritui ☉li, ♃is & ☉is, aut quibuscunque acidis.

§. 13. Edoctus id ſum hoc exemplo. Vocabar aliquando ad ægrum, quem diarrhoea pertinacior omnes adeo vires exhauſerat, ut vix pedem manumve, nedum linguam moveret, ac ſceleton cute tantum obductum exhiberet. Adhibui prima die fortiora adſtringentia, exteriusque applicato emplaſtro meo ſtomachali, ſedatus eſt illico alvi fluxus. Cum vero vires deficerent, cibumque averſaretur, id unice poſtmodū laboravi, ut appetitum excitarem ægro, quo felicius vires amiſſæ ex aſſumtis alimentis reſtaurarentur. Præſcripſi ergo ex aliorum hypotheſi acida per plures dies. Sed tantum abeſt, famem ab horum uſu excitatam fuiſſe, ut potiꝰ ſtranguria hinc nata fuerit, quæ acidi effectum in veſica prius, quam in ſtomacho declarabat ſuo dolore. Abſtinui ergo ab acidorum uſu, atque eo ipſo die ceſſavit ſtranguria. Cautior inde factus, ſpirituoſa poſtmodum ac aromatica adhibui, eventu non in hoc modo, ſed & in pluribus poſtea feliciſſimo.

§. 14. Deſtruunt autem appetitum omnia ea, quæ vires proſternunt atque ſpiritus diſſipant: Veneris abuſus, ſudatio exceſſiva, V. S. nimis larga, hæmorrhagia, alvi fluxus atque ſimilia, dolor item ac morbus fere omnis.

§. 15. Eodem modo & animi pathemata, mœror, ira, ac præcipue terror famem extinguunt. In terrore namque ſpiritus ſubito retrocedunt ad cerebrum ſedemque nobiliorem, & ventriculum æque ac manus atque pedes deſerunt, ut ſæpius appetitiva facultas una cum locomotiva ac ſenſitiva intercipiatur, corpusque ſemimortuum ſenſibusque pene orbatum relinquatur.

§. 16. Hæc appetitus dejectio ex animi conſternatione tota quidem die notari poteſt, lubet tamen ipſius Helmontii exemplum huc revocare, quod in Tr. Pyl. Rect. §. 20. habetur. Emturus ille villam, obambulat cum inſigni appetitu, tum fortuito lapſus distorquebat pedem, ac ſuperveniente rigore cum nauſea atque vomi-

vomitu, priore appetitu deſtituebatur, usque dum repoſitus eſſet pes dislocatus.

§. 17. Adducit hunc caſum Autor pro confirmando pylori regimine, ſed fruſtra. Ego autem eodem utar partim ad rejiciendam aliorum de fermento hypotheſin, partim ad meam ſententiam ex hoc declarandam.

§. 18. Vix enim credibile eſt, acidum illud ventriculi deſtructum ac præcipitatum una fuiſſe in lapſu pedem dislocante, ac poſtmodum reſurrexiſſe, cum pes reſtitutus fuiſſet.

§. 19. Longe autem probabilius eſt, ſpiritus è ventriculo retroiviſſe in lapſu, dubio procul Helmontium conſternante, ac poſtea ad dolentem pedem abiiſſe (prout in omni doloris genere ſolent,) eundemque repoſitum rurſus deſeruiſſe, atque ad priſtinum rediiſſe munus.

§. 20. Profecto ſi quod aliud argumentum, hoc cumprimis meam videtur confirmare opinionem, quod animi pathemata tantam vim habeant in deſtruenda fame, ac ſæpius adeo ſubitam, quanta vix explicari poteſt ex aliis hypotheſibus.

§. 21. Sed fame ſepoſita progredior ad chylificationem. Dependet autem hæc ipſa non minus à ſpirituum influxu, quam fames.

§. 22. Audiamus Williſium in Anat. Cerebri p. m. 132. & 133. Obſervatu dignum eſt, quam miro artificio uterque paris vagi truncus, duobus ramis, velut geminis manibus invicem commiſſis, cum alterutro communicant, priusquam ad ventriculum perveniſſe; eo quidem fine, ut utriusque nervi influentia ad unamquamque ſtomachi regionem & partem æqualiter pertingat: Cum enim uterque ramus ſtomachicus, ſcilicet tum ſuperior, tum inferior, è binis ramis ab utroque paris vagi latere prodeuntibus conflatur; una providetur, ut ſpirituum qui ventriculo deſtinantur, tributa ſint certa & valde copioſa: Nam illius viſceris actionem, ſ. chylificationem quod attinet, ad illam peragendam ſpiritus ex utroque latere influi, in orificium, & exinde in ſingulas ejus partes & receſſus affatim diſtribu-

ſtribuuntur; eoque factum eſt, ut ſtomachus ſupra menſtrui cujusvis chymici virtutem corpora diſſolvat.

§. 23. Hanc equidem de Chylificatione ſententiam iterum neglexit Williſius ipſe in Pharmac. Rat. p. 15. ubi nervorum oblitus, liquorē quendam ſpirituoſum arterias tantummodo cœliacas ſuppeditare poſſe aſſerit, qui cum chyli reliquiis, in cruſta villoſa hærentibus conjunctus, fermentum ſtomachi vulgo creditum conſtituat. Vix autem ſatis miror, quam avide aliorum de fermento opinionem hauſerit, reſpuens nervorum ſuccum, alias ipſi admodum placentem.

§. 24. Rectius autem prius illud aſſertum retineo; moneo tamen, hanc vitalem atque à ſpiritibus dependentem in chylificatione fermentationem, probe diſtinguendam eſſe à naturali ſive ſalina, (voca ut lubet,) quæ ex diverſi generis aſſumtis alimentis neceſſario oriri debet, ut ſupra §. 11. Cap. I. dictum eſt.

§. 25. In infantibus, quamdiu lacte nutriuntur, & adultis, qui ſimili nutrimento, quod minus fermentare aptum eſt, utuntur, ſola vitalis fermentatio locum habet; in aliis amice concurrit utraque ac ſeſe mutuo adjuvat.

§. 26. Vitalis hoc modo perficitur: Spiritus, qui per nervos copioſius influunt in ventriculum, permeant aſſumta alimenta continuo, & quemadmodum videmus igneas particulas movere aquam in lebete aut olla, donec ebulliat; ita non diſſimili ratione ſpiritus, impetum facientes, plusquam igneæ ac ſumme activæ mobilesque particulæ dum in ventriculi contenta penetrant, eaque hinc & inde commovent, neceſſum eſt, ut eadem ſpumeſcant, emolliantur, ac in liquamen ejusmodi chyloſum abeant.

§. 27. Inchoatur hæc fermentatio primum in ore ipſo, quandocunque inter maſticandum ſaliva ſpiritibus prægnans admiſcetur deglutiendis cibis, quos notabiliter alterat. Completur autem in ventriculo eadem, poſtquam in eo aliquandiu commorati ſunt cibi, præcipue qui duriores fuerint.

§. 28. Quid vero de ferro, quod ſtruthiocamelus digerit, ſimilibusque nimium duris judicandum eſt; annon & hæc ipſa reſolvuntur in ſtomacho? Quod enim panis, carnes, olera & pultes ab his digerantur, facile permitti poteſt; ferrum autem, oſſa & lapides eodem modo ſolvi, non æque credibile videtur.

§. 29. Hic non neceſſe eſt, ut cum Argenterio ſentiam, qui in Comm. Aph. Hipp. p. m. 1053. expreſſe ſtatuit, concoctionem eſſe animæ ipſius functionem, atque quod ſtruthiocamelus ferrum & lapides concoquat, id ejus naturæ atque formæ, qua à reliquis animalibus differt, adſcribendum eſſe.

§. 30. Varia enim huic dubio reſponderi poſſunt. Nempe *primo* poſito, quod animal quoddam ferrum & lapides deglutiat, ac in ventriculo comminuat, demonſtrandum tamen mihi eſt, hæc ipſa ſoluta eſſe, & non attritu ſaltim comminuta, quod egregio Galli Calecutani exemplo demonſtratur à Conſentino in Progymnaſm. VI. de Nutricat. p. 225. & 226. *Secundo* ſi ſoluta ſint, ſolvi poſſunt à fermentatione non vitali, ſed ſalina, hujusque reliquiis plerumque acidis. Etenim, quod *Tertium* eſt, hæc ipſa duriora non ſunt alimenta, ſed peregrina ideoque extra ſphæram chylificationis poſita; perperam ergo eorum ſolutio à ſpiritibus poſtulatur.

§. 31. Chylificationis itaque vera cauſa ſpiritus ſunt. Id quamvis à priori non poſſit demonſtrari ac ſenſibus externis capi, poteſt tamen à poſteriori & per conſequentiam non vanam innoteſcere.

§. 32. Veriſſimum eſt, omnia, quæ vires ac ſpiritus reſtaurant, promovere chylificationis opus. In apepſia enim & ventriculi imbecillitate, quid convenientius eſt vino generoſiori aut aromatibus, hincque paratis cum ſpiritu V. elixiribus ac uſitatiſſimis vitæ ▽is? quorum uſum in ventriculi languore vulgus quoque novit.

§. 33. Econtra & hoc verum eſt, omnia, quæ ſpiritus alterant aut diſſipant, alterare chylificationem & impedire. Quotidianum eſt, in nobis chylificationem longe citius abſolvi in vigilia, quam in ſomno. Somnus enim quies ſpirituum eſt, non quidem omnimoda

ſed

sed respectiva. Dum ergo parcius ac tardius ad ventriculū influunt spiritus, necessum omnino est, & tardius absolvi ejus digestionem.

§. 34. Ne vero culpam conferas in defectum exercitii atque motus corporis;(quæ quidem & chylificationem eo modo promovere concedo, quo famem excitare in I. Cap. §. 11. dictum est) experire, annon & in lecto quiescentem sed vigilantem, prandii ac cœnæ hora te commonitura sit de fame,quæ index ac testis est absolutæ jam chylificationis.

§. 35. Deinde quid judicandum est de amore, mœrore atque curis, similibusque animi affectibus,qui prout appetitum dejiciunt, ita imbecilliorem reddunt ventriculum,& universum corpus contabescere faciunt,ob defectum nutrimenti laudabilis.

§. 36. Annon verosimile est,spiritus in ventriculo deficere,eo quod aliis in curis detineantur; quod & ipsum manifestum est in his, qui studiis nimium incumbentes, plerumque apeptici sunt ac macilenti.

§. 37. Quid de tabe dorsali tibi videtur, quæ ex Veneris abusu oriri solet; annon necessum est, ut spirituum cum semine profusionem sentiat, uti totum corpus enervatum, ita & stomachus anorexia simul & apepsia correptus.

§. 38. Addo his& gravidarum vomitus, qui non aliam sæpe ob causam accidunt, quam quod spiritus circa fœtus formationem in utero occupati, ventriculum ac primæ digestionis negotium deserant; unde ab indigestis ac vitali charactere destitutis cibis gravatus stomachus sese contrahit, ut rejiciat contenta,tanquam peregrina ac magis nociva.

§. 39. Par enim ratio est gravidarum & heluonum, qui hesternæ crapulæ cruditates, ac avidius ingesta ac indigesta, mane revomunt. Utroque enim in casu spiritus insufficientes sunt ad absolvendam chylificationem.

§. 40. Hæc sufficiant hac vice. Interim Lectorem Benevolum rogito, ut priorem cum mea conferre velit opinionem, at-

que candidius pronunciare, quænam harum verosimilior videatur. Quidquid autem sit; sciat, me hanc non prius deserere, quam alia mihi verior demonstretur.

COROLLARIUM.

QUod in quadripartito Botanico Pauli annotavit, post menthæ usum venæ sectionem incruentam fuisse; idem & mihi observare licuit in muliere, quæ tabe laborabat stomachica. Cum enim propter menses suppressos Sanguinis missionem postularet, factum est, ut à venæ sectione tribus vicibus repetita vix una gutta sanguinis erumperet, postquam per tres fere septimanas usa esset essentia menthæ, cui associata erat tertia pars elixiris Vitr. Mynsi. An autem hoc ex usu menthæ contigerit, aliis judicandum, atque ulterius experiendum relinquo.

DISPUTATIO XXI.

DE

FAME CANINA ET BULIMO.

J. J.

EQuidem Vulgus, præsertim imperitum ruricolarum genus, tum demum ægrotare se intelligit, quando Appetitus prosternitur, ut eorum prima sem-

ſemper querela ſit apud Medicum, ab ægro cibū nec appeti nec aſſumi. Et profecto nil crebrius in omni morbo accidere ſolet, quam ANOREXIA; quoniam & in principio morborum appetitus nunc quidem ſubito dejicitur, nunc vero paulatim deficit: in progreſſu non modo deeſt ordinarie fames, ſed plerumque in faſtidium cibi, potusque convertitur: peſſimū tamen eſt, ſi morbo ſuperato non redeat appetitus. Quemadmodum igitur frequentiſſimum eſt, ægros averſari alimenta; ita rariſſimum è contra obſervamus famem augeri. Videlicet præter FAMEM CANINAM & BULIMUM non datur affectus, in quo plus ſolito eſuriant ægri. Id ipſum vero cum admodum ſit curioſum, animum induxi, quantum ingenii tenuitas permittet, hac Diſſertatione diſquirere. A te autem, Summe DEUS, Gratiam, viresque, favorem ac veniam à Benevolo Lectore oro & obteſtor.

§. 1.

QUantumvis nec pondus adſumendorum, nec hora cibandi ſtricte poſſit definiri; facile tamen quilibet famem naturalem à præternaturaliter aucta diſtingvet, ſi & quantitatem atque tempus comedendi reſpexerit. Nimirum levis error non ſtatim morbus eſt, prout nec poculum hilaritatis ad intemperantiam refertur ab Ethicis. Aſt, qui nimium excedit, & quidem ſæpius & quaſi habitualiter, ei vix quisquam invidebit titulum Polyphagi.

§. 2. Tria horum exempla recenſet Lipſius *Cent. 1. Miſcell. Ep. 11.* Primus comedebat uno die aprum integrum, centum panes,

nes, vervecem & porcellum. Alter quingentas ficus paſſarias, centum Perſica, & Melones decem, atque uvarum pondo viginti. Tertius, quatuor capones, totidemque perdices, it. hædi clunes aſſos & vituli infarctum pectus, præter ſalſamenta.

§. 3. Profecto & hic conſuetudinis mira vis eſt; ſicut alii, præſertim in avaritiam proclives, vix cibos deguſtare audent, optantes aëre, ſi fieri poſſet, ſatiari. Ita dies aliis pene deficit, ut & de nocte urgeantur fame, ſi forte è ſomno expergefacti fuerint; Credideris Gulonis pelle undique veſtitos atque contectos, adeo non tantum ſomniare (ſecundum Helmont. *in Magn. Vuln. Cur. ed. Amſtel. §. 105.* ſed meditari continuo de epulis atque voracitate videntur.

§. 4. Verum hæc vitia magis moralia ſunt, quam morboſa. Sunt tamen & alii, qui non Phagorum inſtar, impulſu nequitiæ, vel gloriæ, ſed famis inexplebilis, ad ejusmodi voracitatem incitantur, ut à largo jentaculo nondum elapſa hora ſtomachum rurſus ſentiant latrantem, ac ne prandium quidem ſine tædio expectare valeant, ſurgentes inde, jamjam eſuriant; verbo, non comedunt, ut vivant, ſed potius vivunt unice, ut comedant.

§. 5. Famem hanc inſatiabilem communiter CANINAM dicunt, inprimis, quod more canum reddere per vomitum non raro neceſſum habeant copioſius ingeſta; quemadmodum in aliis per alvi fluxum iterum prodeunt, quos certe cum anatibus meliori jure comparare poteris.

§. 6. Cum hoc affectu convenit quodammodo BULIMIA non, quod ea correpti, ut boves ſolent, copioſo victu diſtendi ament, ſed quod grandi fame vexentur jejuno ſtomacho, ut animi deliquium ſuperveniat, niſi huic ſatisfactum fuerit. Rectius igitur denominationem iſtam à particula βᾶ, ſignificationem vocabuli intendente, quam ex Græco βᾶς deducimus,

§. 7. Quanquam igitur confuſionem eorum, qui promiſcue termino BULIMI & FAMIS CANINÆ utuntur, non probem;

non

non inconveniens tamen mihi visum est, utrumque hunc affectum in hac tractatione conjungere, potissimum quia non modo in Causis, sed & in Cura maximam habent convenientiam.

§. 8. Sepono jam Veterum opinionem, qua ordinarium ventriculi appetitum à fuctione venarum deduxerunt.

§. 9. Cæterum qui ordinarie Ventriculo assignant fermentum, mediante quo naturalis fames excitetur, haud abs re ab eodem, ubi intensiorem acorem præter naturam contraxit, derivant famem præternaturaliter, nimiumque auctum. Quo quidem egregie facit historia FORESTI, quam *Lib. 18. Obs. 5.* recenset: Videlicet erat apud Delphenses Monacha, quæ diu post sumptos cibos vomebat, iterumque comedens adsumta simili modo rejiciebat, adeoque Appetentia Canina omnino laborabat. Sentiebat autem non modo acidum saporem oris, sed & eructabat & emovebat sæpius acidum.

§. 10. Unde hoc ipsum enatum fuerit, non æque constat ex relatione, juxta SYLVII hypothesin, non difficile foret è Pancreate id adduxisse, præsertim cum aquea primum, ac dein acida per vomitum ægra rejecit. Quæ sententia non parum confirmatur *Observ. BLASII 15. pag. m. 57.* qua memorat, Ductum Pancreaticum duplicem, distincta via intestinum ingredientem, ac ramulis undique per Pancreatis substantiam sese diffundentem, se observasse in cadavere cujusdam Viri, qui, dum in vivis existeret, omni tempore famelicus reperiebatur.

§. 11. Quandoquidem vero istud fermentum ventriculi acidum gratiam suam perdidit, postquam demonstratum est, secundum naturam id nec adesse, nec abesse posse, nec sufficere, quantumvis adsit. Sicut enim pinguia ab acido nunquam dissolvuntur; ita lac haustum ab eodem corrumpitur atque coagulatur, ex quo de illius fermenti & insufficientia & noxa satis liquet. Sit ita, hunc vel illum jejuno stomacho, murmura & dolores ventris atque acidos etiam ructus sentire, inde tamen non sequitur,

sur, famem oriri ab acido, cum plures alii appetitu gaudeant egregio, qui nihil eorum sentiunt; ut è contra non rarum, ventriculum humore acido abundantem nil minus, quam famem, sentire. Plura in contrarium adducta argumenta vid. in *Diss. de Acid. Ventr. Ferment.*

§. 12. Alia tamen ratio est appetitus præternaturaliter aucti, & nimium quidem aucti. Neque sequitur: Ordinarie appetitus non provenit ab acido quodam humore seu fermento; igitur nec præter naturam vehementer adauctus: utpote qui accidere potest, ventriculo etiam nondum vacuo, ob excedentem nempe talis humoris voracitatem seu esurinam qualitatem.

§. 13. Est ergo famis præternaturaliter auctæ Causa, Humor p. n. excessive acidus, vel austerus, sed non semper; nam & vermibus eandem excitari variæ testantur observationes. Ita refert Alex. Trallianus *lib. 4. cap. 7.* se nosse mulierem, quæ cum multa & immodica adsumeret, ac nunquam satiari se diceret, sed rosionem in stomacho experiretur sæpius, tandem sumto Purgante vermem excrevit duodecim cubitos longum, unde ilico furiosa appetentia conquievit.

§. 14. Sic etiam Nicolus *Serm. 1. Tr. 4. cap. 32. de Appet. Canin.* memorat, se vidisse Florentiæ mulierem, quam propter vermes plurimos singulis horis cibum capere, imo & pluribus vicibus de nocte surgere atque comedere oportuit, quoniam vehementer cruciabatur vacuo stomacho; postquam autem pharmaco usa esset, lumbricos ultra centum satis longos per alvum rejecit, atque sic convaluit protinus.

§. 15. Pertinet huc singularis observatio BONETI in *Sepulchret. pag. 735.* Videlicet corripiebatur puer quidam ictero, ad cujus medelam septem forte pediculos deglutiverat; disparente morbo fames supervenie'bat insatiabilis, ut jurarent omnes, huic quinquaginta Ægæonis fuisse ventres: Cum vero miseram finiisset vitam, dissecto ventriculo, offerebat se monstrosæ magnitu-

gnitudinis inaudita pediculorum copia, indubitata Appetitus Canini cauſa.

§. 16. Ecquis vero non intelligit ab ejusmodi comedonibus meliorem alimentorum partem, laudabilemque chylum præripi; adeoque ſtomachum indeſinenter famelicum, corpusque tabidum, pallidum ac fœdum reddi. Ex roſione autem & morſu, ut ſic loquar, eorundem qui non proveniant dolores, cardialgiæ, tandemque lipothymia? Cum per experientiam conſtet, ab ejusmodi vermibus non arroſum tantum, ſed & eroſum ac perforatum fuiſſe ventriculum.

§. 17. Itaque Vermes & Famem Caninam & Bulimum pariunt, pro diverſitate circumſtantiarum. Et vero donec animalculis iſtis ſuppetit ſufficiens alimentum, facile homo liber eſt ab animi deliquiis, aliisque moleſtiis. Aſt intermiſſa alimentorum adſumtione, inprimis ſi major adſit vermium copia, aut etiam æger debilis, pronusve ad Syncopen fuerit, tum Bulimia talem pene exanimari mirum non eſt.

§. 18. Similis eſt ratio frigoris, cujus in excitanda BULIMIA vim non contemnendam plures annotarunt Scriptores, præ cæteris vid. TH. BARTHOLINUM *de Nive cap. 33.* Nempe qui longius iter per nives faciunt, flante Borea, ii, ſi vacuus fuerit venter, non modo enormiter eſuriunt, ſed & animo tandem delinquuntur: id quod terna vice juveni Brabantino accidiſſe in eodem itinere, narrat FORESTUS *l. c. Obſ. 15.*

§. 19. Rationem hujus rei non unam reddunt Autores; ſiquidem alii cum HIPPOCRATE *I. Aph. 15.* ventres hyeme calidiores, i. e. per antiperiſtaſin calidum nativum influens retropelli à frigore ambientis aëris pronunciant; Alii frigus inſpiratum, perque corporis poros penetrans exiſtimant id ipſum potius extinguere, atque hoc modo inducere lipothymiam. Alii à particulis ſalinis ſeu acribus nimium halitibus, in ſtomachum

delatis, maximam famem oriri, ipsum vero sanguinem per respirationem in pulmonibus coagulari, ac consequenter sanguinis motu sufflaminato Syncopen contingere perhibent.

§. 20. Mihi autem videtur in hoc potissimum consistere vim frigoris, quod, dum corpus ambit, repellat atque impediat spirituum cum sangvinis fero transpirationem; unde & digestio alimentorum acceleratur, & si vacuus fuerit stomachus, appetitus major est, inprimis, si particularum acrium ex aëre inspiratarum major copia ventriculum vellicet, ac famis dolo- rosæ autor sit. Subsequens vero lipothymia tum demum oritur, quando inedia atque itineris difficultas vires exhaurit, ut deficientibus paulatim spiritibus, robur totius corporis evanescat.

§. 21. His ita se habentibus, tanto facilius, ut puto, liquet, quibus modis Curatio Famis Caninæ vel Bulimi institui debeat, si modo in antecessum constet, post accuratam Causarum cognitionem, punctum omne absolvi: solida igitur Diagnosi horum affectuum opus est. Ipsa quidem Fames Canina non difficulter cognoscitur, ex insolita atque insatiabili fame, sicut Bulimia ex animi deliquio inediam subsequente.

§. 22. Ast ut Causæ clarius innotescant, existimo ad hæc signa respiciendum esse. Nempe qui de ructibus acidis, murmure ac rugitu ventris conqueritur, atque acida per vomitum rejicit, is absque omni dubio ex acrimonia humorum acidorum ægrotat.

§. 23. Quibus vero nihil horum accidit, sed potius anxietas singularis, ex vermium morsu nata, quotiescunque in defectu nutrimenti stomachum arrodunt, tum omnino de horum ingratorum hospitum præsentia certi esse possumus, præcipue, si tabes concurrat, alvi obstructio, oculorum livor, vultusque discoloratio, nec non pavor in somno, & quæ alias signa vermium esse possunt.

§. 24.

§. 24. Minus autem obſcurum eſt, ſi quem forte frigus exanimarit, ut, ſi vel maxime æger præ animi deliquio, ægritudinis ſuæ cauſas narrare nequeat, adſtantes tamen ac manifeſtæ circumſtantiæ, ut temporis, itineris, ac inopiæ, veram morbi cauſam innoteſcere faciunt.

§. 25. Quod ad Prognoſin attinet, conſtat utique, quod, ſi à lumbricis proveniat inſatiabilis iſta fames, periculum fere abſit, eo quod illis è medio ſublatis, affectus ipſe juxta removeatur. Ita &, ſi à Cauſis externis ille oriatur, extra periculum eſt: ſiquidem illæ quantocyus removeantur. Quod ſi autem cum vomitu & alvi dejectione continuatur nimia hæc fames, haud dubie periculum minatur, inque Cachexiam, Hydropem & Atrophiam aliosque ejusmodi morbos degenerare poteſt.

§. 26. Supereſt Medendi Methodus, quæ ante omnia, poſt cauſarum externarum amotionem, humoris peccantis, acidi & acris nimium, juſtam contemperationem: vermiumque, ubi adſunt, interfectionem, deinde vero convenientem evacuationem requirit.

§. 27. Remedia itaque in acrimonia acida convenientiſſima judicantur lapidoſa atque Martialia, quæ abſorbeant eandem atque præcipitent. Hujus generis ſunt, *Oc. ℔. C. C.* atque *Ebur uſtum*, *Oſſa Sepiæ*, *Concharum teſtæ calcinatæ*, *Corallia*, *Mater Perlarum*, *Cryſtallus montana* &c. ſi fortaſſis vomitus & alvi fluxus concurrat, appropriata erunt *Terra ſigillata*, *terra Lemnia*, *bolus Armena* atque *Creta*.

§. 28. Potentiora ſunt Martialia, Limatura, vel batitura Martis probe trita, crocus Martis aperitivus, ſive vulgaris, ſive juxta ZWELFERUM addito Nitro per calcinationem factus, it. Hæmatites vel Magnes; Acidularum potum, uti & liquorem Marti-Solarem, atque ipſum Vitriolum Martiale hic non æque ſvadere auſim, quoniam haud conveniens eſt, in ejusmodi cor-

poribus famelicis Martialia una cum acidis exhibere, ubi summum jamjam acidum in ſtomacho fluctuat, quod inſtar aquæ fortis, cum impetu quaſi aggreditur duriſſimam quoque Limaturam Martis, ſicuti ex ſupervenientibus ructibus ſatis apparet.

§. 29. Porro & Alcalia fixa egregie acidum abſorbent, ut ſunt *Sal tartari*, *abſinthii*, *card. bened. cent. min.* inprimis igne fortiori calcinata. Monendum autem eſt, illa ipſa hoc in caſu non æque convenire, niſi cum durioribus Martialibus atque terreis unita fuerint. Idem judico de ſalibus volatilibus, quæ ipſa quoque acido contrariantur; aſt idem non deſtruunt ſufficienter. Ad Curationis tamen ſupplementum ſuperaddi poſſunt, ubi per potentiora præcipitantia primæ viæ ab acido liberatæ ſint.

§. 30. Hinc pro Cura Famis Caninæ ab acido oriundæ, hæc mihi arrideret formula:

℞. *Oculi Cancr.*
Limat. Mart. probe trit. aà drach. ij.
M. f. Pulvis, divid. in duas part. æqv.
D. S.

Niederſchlagende Pulver.

Quorum uſus aliquandiu continuari poterit, jejuno præſertim ſtomacho, i. e. horis matutinis ac veſpertinis. Inter prandendum autem & cœnandum, non inconveniens erit oleum tartari per deliquium, atque in morbi declinatione ſpir. ſalis armoniaci, vel C. C. eſſentificatus.

§. 31. Si à vermibus morbus naſcatur, præſcribenda ſunt ſic dicta Anthelmintica, *Caſtoreum*, *Abſinthium*, *Corallina*, *Tanacetum*, *Santonicum*, *Ruta*, *Hypericum*, *Naſturtium*, *Carduus bened. radix filicis*, *Myrrha*, *Succinum*, *C. C. uſtum*, &c. Nolim tamen hæc

hæc vermes necantia exhiberi solitarie, ut vulgus solet: Multum quippe corpori nocumentum fere inferentia; siquidem putrida vermium extinctorum colluvies in ventre relinquatur.

§. 32. Unde nunquam non cum Purgantibus sociari hæc medicamenta debent, qualia in hoc affectu appropriata sunt, *Aloe*, *Colocynthis* atque *Mercurius dulcis*. Sic TRALLIANUS beneficio Hieræ Famem Caninam à Tænia natam persanavit. Vi ejusdem Hieræ duos à Fame Canina restituit FORESTUS. Ubi notatu dignum est, unum ex his non tam Vermibus, quam humore acido ægrotantem, nihilominus inde curatum fuisse: indicio manifesto, Purgans humorum acidorum appropriatum, quod SYLVIUS desiderat, esse Aloën.

§. 33. Pilulas vero ex Colocynthide paratas non deteriori cum effectu in Fame Canina exhibuit NICOLUS, siquidem plus quam centum vermes ab harum usu excrevit mulier Florentina, atque hoc pacto à Fame Canina liberata est. Poterunt igitur Trochisci Alhandal vel extractum horum in usum huc quoque revocari.

§. 34. At omnibus palmam præripere videntur Mercurialia. Mercurius vivus in aqua simplici saltem decoctus, potum præbet non ingratum, sed & summe efficacem, ita ut omnes in corpore vermes interimat, teste HELMONTIO, *Sextupl. dig. alim. hum.* §. *83. & in Verb. Herb. & Lap. magn. Virt. pag. mihi.* 459. Similiter simplex Mercurii viventis infusum ex cerevisia, PAUL. in *Quadripart. pag.* 108. Decoctum in oleo raparum cum Saccharo Dn. D. HANNEMANNUS commendat in *Miscell. Nat. Cur. Annot. IV. Observ.* 83. tanquam certissima contra vermes medicamenta. Nullus proinde dubitarem, quin puer iste superius allegatus, è pediculorum in stomacho habitantium copia, inde nata fame Canina ac subsequente morte miserrima,

ſervari potuerit per Mercurialia, quippe quorum virtus extinguendi quoque pediculos lippis ac tonſoribus nota eſt.

§. 35. Non incongruum ergo foret ſub forma Pilularum his remediis contra Vermes uti.

℞. *Aloës violat. drachm. ß.*
Mercur. dulc. ſcrup. j.
Extract. trochiſc. Alhand. gr. vj.
f. Eſſ. Rut. f. l. a. Pilulæ No. XC.

D. S.

Pillen des Morgens 30. auf einmahl einzunehmem.

In forma Decocti cum purgantibus cætera ſpecifica miſceri poſſunt, e. g.

℞. *Rad. filicin. unc. j.*
Summit. Hyperic. Mij.
Sem. Santon. unc. ß.
Rhabarb. elect. drachm. ij.
Colocynth. in petia ligat. dr. j.
Inciſa coqv. in ſ. q. Aqu. ſimpl.
Colat. ℞. lb. j.
Add. Syr. Card. benedict. unc. ij.
M. pro IV. l. V. doſibus.

D. S.

Purgirender Kräuter-Tranck.

Quibus vero diffuſior doſis minus placet, iis potius hæc eſſentia præſcribatur:

℞. *Tinct.*

℞. *Tinct. Myrrh.*
Eſſ. Abſinth. ana drachm. ij.
M. D. S.

Vermiſchte Eſſentz zu 60. Tropfen.

Vel:

℞. *Eſſ. Caſtor. drach. ij.*
Liqv. C. C. ſuccin. drach. j.
M. D. S.

30. Tropffen auf einmahl.

§. 36. Quandoquidem vero amara non omnibus ad palatum ſunt, quin & his adſumtis, non raro, reluctante Vermium turba, anxietas oboritur ingens, idcirco in eorum exhibitione cautius agendum erit. Subſtitui igitur tali in caſu poterit egregius hic pulvis:

℞. *C. C. uſt.*
Succin. præparat. ana drach. j.
Mercur. dulc. drach. ß.
Scammon. roſat. ſtrup. ß.
Sacch. alb. drachm. ij.
M. f. Pulvis. D. in Scatula.
S.

Des Morgens eine Meſſerſpitze voll in warmer Milch zu nehmen.

§. 37. Aliter porro Bulimi à frigore orti Curatio inſtituenda venit, nempe per Analeptica ſ. Confortantia; qua ratione optimum fere Bulimiæ remedium fuerit Buccella Panis vino generoſo

roſo imbuta; quemadmodum ex BARTHOLINI ſupra citato loco liquet.

§. 38. Præter hæc poſſunt & reliqua Corroborantia in uſum revocari, *Spiritus & Aquæ ant-Apoplectica, Aqua Carfunculi, Balſamum Embryonum, Aqua Cordialis Herc. Saxon. Aqua Magnanimitatis &c.* Inter alias eximia foret hæc formula:

℞. *Aqv. Meliſſ. c. Vin. unc. ij.*
Cinam. borrag. unc. j.
Spir. Roſ. drachm. ij.
Corall. rubr.
Matr. Perl. ana drachm. ſſ.
Confect. Alkerm. drach. j.
Syr. ſſ. Tunic. drach. iij.
M. F. Potio. D.
S.

Stärck-Trancklein Löffelweiſe zu nehmen.

§. 39. Quod ſi vero non à frigore, ſed dolore potius ſtomachi naſcatur animi deliquium, tum ante omnia ad cauſam reſpiciendum eſt. Ita enim in Bulimia ex vermium arroſione nata cunctis palmam præripiet lac tepidum cum Saccharo hauſtum, quippe quod tanquam alimentum gratiſſimum iis probatur; Sedata lipothymia, ut radicitus extirpentur lumbrici, poſſunt & reliqua ante laudata exhiberi.

§. 40. Item ſi ab acido acriori nimium vellicetur ventriculus, atque ob dolorem hujus ſpasmodicum animi deliquium accidat, (qualem hiſtoriam notatu digniſſimam recenſet SALMUTH. *Cent. 3. Obſ. 10.* de Viro quodam Hypochondriaco, qui & in-

& interdiu ſæpius & noctu, ſemper circa horam primam, edere cogebatur, ſiquidem neglecto cibo, tuberculum in fovea cordis admodum doloroſum, procul dubio à criſpatura fibrarum ſtomachicarum, cum lipothymia patiebatur,) tunc magis abſorbentia cum Antiſpasmodicis indicantur. *Unicornu* igitur *verum, Ungula Alcis, Dens Hippop. Vscum quernum, Sal fixum Rutæ, Hyperici, Spiritus Salis Ammoniaci* & *Lumbricorum terreſtrium*, cum ſupra recenſitis præcipitantibus, miſceri poſſunt.

§. 41. Hæc de Caninæ Famis atque Bulimi Curatione in medium protuliſſe jam ſufficiat; cætera, quæ fortaſſis à me neglecta vel minus accurate expoſita fuerint, cuivis intelligenti facile erit pro diverſitate circumſtantiarum ſupplere. Saltem circa *Diætam*, cujus errores hoc in caſu plurimum nocent, unum atque alterum ſubnectere lubet.

§. 42. Videlicet quamvis omnibus modis acidus humor correctus fuerit, recrudeſcere tamen ſolet, quamprimum vel actu acida, vel facile aceſcentia adſumuntur. Proinde non tantum in Curatione ipſa famis auctæ ab acido, ſed & poſtmodum omni ſtudio abſtinendum eſt à cereviſia aceſcente, vino acidulo, ceraſis, malis Perſicis & reliquis fructibus horæis, item ab acetariis, aliisque cibis aceto, vel citri acetoſitate conditis, uti & Saccharatis atque mellitis in genere.

§. 43. In metu Vermium quid agendum ſit, vel ex vulgatis obſervationibus ſuppetit. Eam quidem controverſiam, quam de generatione Vermium in vivente corpore nonnulli movent, nunc meam non faciam; utpote de generatione æquivoca, ex putredine, vel viſciditate humorum à corruptione, vel imperfecta digeſtione alimentorum relicta; aut potius univoca à ſemine verminoſo, vel caſu adſumtis &c. Sufficit jam, in eo conſentire omnes, quod ex mellitis atque dulcibus lumbricos, ſi non naſci, ſaltim nutriri ac inſigniter multiplicari contingat.

§. 44. Absint ergo dulcia, contra vero acria & acida & falsa sæpius apponantur. Et Salis quidem communis mirabilem effectum nuper me observasse memini: Nimirum erat egenus quidam Studiosus, facie pallidus atque macilentus corpore, qui, cum diu solo fere pane victitasset, ac forte salitum quendam cibum adsumpsisset, vermes per alvum excrevit plures, instar eorum, qui caseum corrumpere solent. Hoc viso atque altera tertiaque vice observato, non dubitavit è Salè natos vermiculos pronunciare, atque ideo totaliter illud abhorrere, quod nesciret ab eodem potius fugari.

§. 45. Denique ad præservationem contra Bulimiam, inprimis ubi iter brumali tempore ingrediundum est, id quidem vulgi monitum, bey Brodt ist gut wandern / non contemnendum est; ubi vero Canistrum commode non circumfertur, minus molestum erit, stomachum paulo duriori cibo saturasse; quo nomine consilium RONDELETII multis non displicet, quando *Lucanicas Bononienses* integro pipere satis aromatisatas tanquam optimum ad Bulimiam præservationem laudat, referente FORESTO in *Obs. 6.* superius allegata.

DISPUTATIO XXII.

DE

DYSPEPSIA.

J. J.

QUantus morborum numerus ex unice læsa digestione prima oriri queat, is facile perspicit, qui ex chylo spiritus simul & corporis partes fluidas

fluidas æque ac ſolidas nutriri novit. Sive enim debitum alimentum deficiat tantum, ſive loco hujus pravi humores è ſtomachi promtuario diſtribuantur, utroque tamen in caſu plurima oriri mala videas. Laſſitudinem artuum, animi deliquia, tandemque mortem ſequi defectum chyli, ſuo damno fame correpti te docebunt. Aſt vero quo ordine ægritudines ex chylo depravato natas recenſeam, non intelligo, cum earum multitudo & varietas præter confuſionem tædium quoque gignere videatur. Nam & in ipſo ſtatim ventriculo appetitum deſtruit vel depravat, dolorem ſæpius ac ſodam, quandoque vomitus & choleram, porro in inteſtinis alvi fluores vel adſtrictionem, tormina, paſſiones colicas atque iliacas, malum hypochondriacum &c. parit. Ubi vero ad M. Seam defertur ſuccus ejusmodi pravus, atque cum illa ad Cor, pulmones, lienem, renes, veſicam, aliasque corporis partes pergit, quid quæſo aliud quam palpitationes Cordis, tuſſes, pleuritidem, ſplenis epatisque dolores tumoresque, nephritidem atque calculum, iſchuriam, ſtranguriam, hydropem, cachexias, tabem, arthritidem & plura alia mala producit. Vitium namque digeſtionis primæ vix ſatis in alia corrigitur, adeo ut & idem ſæpe malum ad ſuum recurrat principium, quandocunque vel

cum saliva viscidior mucus acrisve sapor in stomachum vitiorum patriam descendit, vel è duodeno bilis succusve corruptus remeat. Nam & hæc ipsa vitiosorum humorum circulatio & multiplicatio est, quæ maxime difficilem eorum curam reddit. Atque ideo non indignam judicavi Dyspepsiam, fontem ne dicam mare pessimorum fluminum, quæ materiam suppeditaret & occasionem tentandi qualescunque meæ tenuitatis vires. Antequam autem id fiat, DEUM T. O. M. devote veneror, ut hisce meis conatibus sua gratia clementer adesse, & ex alto benedicere velit!

§. 1.

NAturaliter equidem in ventriculo sanorum ex assumtis lacteus elicitur liquor ab affluentibus per nervos insignes spiritibus, qui dum nobiliorem inde partem educunt, remanent scoriæ seu feces per alvum ejiciendæ.

§. 2. Accidit autem sæpius præter naturam, ut læsa chylificatione alimenta vel tardius quam par est in ἐφαδυπεψία, vel plane non digerantur in ἀπεψία, vel denique corrumpantur in δυσπεψία.

§. 3. Est ergo δυσπεψία nihil aliud, quam assumtorum in liquamen vitiosum conversio, ita ut è cibo, potuque non chylus laudabilis, sed vel pituita, vel humor acris, acidus aut nidorosus fiat.

§. 4.

§. 4. Pro diversitate enim causarum diversa quoque Dyspepsia sive corruptio alimentorum in ventriculo notari potest. Sed causæ plurimæ sunt, aliæ tamen remotæ, & aliæ propiores, atque inter has omnes quædam positivæ, quædam privativæ esse videntur.

§. 5. Oritur enim primario Dyspepsia vel ex causa efficientis sive spirituum, vel ex materiæ digerendæ sive assumtorum vitio. Postmodum autem retenta quoque i. e. humor corruptus & in stomacho relictus ex primo digestionis errore concurrunt, atque suo squalore inficiunt cibum potumque alioquin satis convenientem atque innoxium.

§. 6. De his singulis seorsim agam; ac primum quidem de spirituum errore, quatenus ad Dyspepsiam generandam facit, monendum est, vario modo peccare spiritus, nempe quando vel deficiunt simpliciter, vel segnius ac parcius affluunt, vel diverruntur, vel arcentur, vel quando concepta nausea sponte abhorrent digestionem assumtorum.

§. 7. Ex defectu spirituum nasci Dyspepsiam, varia sunt quæ satis probant; etenim quid manifestius est, quam nimium rei venereæ indulgentes, quando de stomachi imbecillitate ac depravata chylosi conqueruntur in tabe dorsali, ex jactura spirituum id unice pati, cum alius inter partes genitales & ventriculum consensus vix concipi possit.

§. 8. Par est ratio hæmorrhagiæ nimiæ cæterarumque excretionum, vigiliæ, item laborum vehementius delassantium &c. quæ prout totius corporis vires, ita & ventriculi robur notorie destruunt.

§. 9. Segniores autem sunt in motu, ac parcius influunt in somno spiritus; quid enim somnus aliud est, quam spirituum quies, quamvis non omnimoda, respectiva tamen, si ratio vigiliæ habeatur; unde mirum non est, si & meridianus, & quivis à

paſtu ſomnus chylificationis opus plurimum impediat, collectisque in ſtomacho cruditatibus potiſſimum pituitoſis corpus cacochymicum ac debile reddat; præſertim cum videamus omni die in nobis aſſumtorum digeſtionem ſpatio quinque vel ſex horarum interdiu, noctu autem vix intra duodecim horas abſolvi.

§. 10. Porro & divertuntur ſpiritus in dolore graviore, curis, triſtitia, ira, ſimilibusque animi pathematibus, ſtudiisque aſſiduis, ita ut aliis intenti ſpiritus, quemadmodum ne de cibo potuque quidem cogitant, ita nec ex conſvetudine aſſumta debito modo digerunt. Atque ideo nullus eruditorum fere perfecte ſanus eſt, ut non defectum ventriculi pallor faciei, flatus atque murmura abdominis, malum hypochondriacum atque ſimilia indicent; quod inprimis in his obſervare licet, quorum mens inquieta nec inter cibandum vacat à cogitando, vel ilico à prandio cœnave ſtudia repetit concatenata.

§. 11. Nec diſſimilis ſæpe cauſa eſt morbi virginei, qui ex abſentia aut diſceſſu deſideratiſſimæ perſonæ oritur. Quæ enim hic concurrunt paſſiones animæ, puta amor, mœror ac deſiderium accedente inſuper inquietudine & agrypnia proſternunt primum appetitum, ac ſi quid forte alimentorum præ verecundia dolorem diſſimulans ægra aſſumſerit, non niſi in liquamen nidoroſum ac pituitoſum reſolvitur. Hoc poſtquam devenerit ad maſſam ſangvineam, eamque inquinaverit, faciei antea floridus color perit, muraturque in pallidum cum livore tumoreque leucophlegmatico. Sequuntur tum lienis vitia, menſium ſuppreſſio & plura pejora. Ecquis vero non videt, ex ſpirituum errore primum vitiari chylificationem, atque hinc jam nominata mala omnia naſci.

§. 12. Arcentur quoque ſpiritus è ventriculo, ac repelluntur quaſi à frigore nimio corpus ambiente. Et quemadmodum in diebus canicularibus vel alias fervida tempeſtate propter diſſipatos

patos in ſudore ſpiritus vix commode digerimus cibum, ut hoc ſenſu recte Hippocrates aſſerat, Ventres hyeme calidiores eſſe quam æſtate; ita & contra ubi frigus intenſius corpora præſertim teneriora invadit, notamus in plurimis alvi fluxum, imo ipſam quandoque lienteriam, quale exemplum nuperrime obſervavimus, in aliis imbecillem ſaltim aut corruptam digeſtionem ſubſequi, cujus teſtes & dolor ventriculi atque inflatio, ſimiliaque inde nata ſymptomata eſſe poſſunt.

§. 13. Tandem quod nauſeam ſpectat, non puto in dubium vocari poſſe à quoquam, iisdem ſpiritibus faſtidium adſcribendum eſſe quibus appetitus debetur. Iam vero certiſſima in diæta ſanorum eſt regula: quod ſapit, nutrit; ita & contra veriſſimum eſt, quod non ſapit non nutrit; videntur enim ſpiritus quod ipſis placet ac gratum eſt, aggredi alacrius atque digerere, cum econtrario ingrata atque nauſeoſa quæ ſunt, deſerant, ac averſentur, degenerantibus inſuper, ac quaſi putreſcentibus aſſumtis.

§. 14. Atque hæc omnia collective conſiderata, ut puto, ſufficienter monſtrant, ex errore ſpirituum chylificationem non retardari tantum, ſed & lædi, adeoque Dyſpepſiæ plurimam dari occaſionem. Sed nunc quoque videndum eſt, quo pacto idem illud malum ex aſſumtorum vitio naſci poſſit.

§. 15. Vitium autem aſſumtorum vel in quantitate, vel in qualitate conſiſtit. Quantitatem quod concernit, exiſtimo, indubitatum eſſe, in nimia ventriculi repletione digeſtionem vix locum habere, cum tanto oneri impares omnino videantur ſpiritus. Liquet hoc ipſum clarius ex cephalalgia vomituque pravorum crudorumque ſuccorum, dolore ventriculi, nauſea ſimilibusque accidentibus, quæ crapulam ſequuntur.

§. 16. Norunt id vulgo omnes per experientiam confirmati, quando in proverbio ipſis eſt; Wann es am beſten ſchmeckt/ ſoll

man

man auffhören. Idem norunt matres familias, quando porcis, bobus, anſeribus &c. ſaginandis non multa ſimul, ſed ſæpius & pauca offerunt, ne unquam gravetur ſtomachus, aut appetitus una cum digeſtione lædatur.

§. 17. Sed qualitatis vitioſæ alia eſt ratio; Qualia enim ſunt aſſumta, talis quoque chylus erit. Nec vero ſanis omnia ſana ſunt, ita, ut ventriculus absque difficultate quævis inepta digerat, quamvis reſpectu imbecillioris & languidi facilius, duriora magis, carnes ſalitas, pernam, farcimina fumata, aſellum atque ſimilia concoquat. Nam & hæc ipſa quando cum pane aliisque alimentis accedente præterea vini potu aſſumuntur, cæteris paribus in chylum non illaudabilem converti poſſunt; cum in ventriculo debiliore non niſi in cruditates, potiſſimum pituitoſas, degenerent.

§. 18. Ejusdem dignitatis ſunt braſſica muriatica, Cucumeres ſale vel aceto conditi, plerumque acidiſſimi, ut recentes taceam. Verbo lactuca, & quicquid cum aceto exhibetur, admitti quidem poteſt in minori doſi, jejunum autem ventriculum his ſatiare, admodum ineptum & nocivum eſt. Idem judicium eſto de prunis, uvis, cæterisque fructibus horæis vel acidis, vel ad aceſcentiam pronis, à quorum uſu præſertim matutino oriri acidos vel acres in ventriculo humores, ſatis confirmant diarrhœa, tormina, dyſenteria, ac febres ſupervenientes.

§. 19. Nec præterire hic poſſum pinguia, præſertim ſi ſalita fuerint, cum non unum ſciam cæteroquin ſanum, qui ab horum eſu ilico amarorem & dolorem in ventriculo deprehendit cum appetitus ad aliquot dies dejectione. Hujusmodi ſunt placentæ, accaro aſſata omnis generis, præſertim leporum, pennatorumve lardo probe exornatorum.

§. 20. Clarius hoc ex cibatione ægrorum apparet, quorum appetitum ſolicitare aſſaturis ſolent amici fideles quidem, ſed

ſed moleſte ſeduli; quanto vero cum damno aſſumta fuerint non ſemel eventus monſtravit. Omnium enim facillime pingvia hæc ſimul ſalſa in bilioſum amarumque liquamen abeunt, ut adeo mirum non ſit, pauperes longe felicius è febribus ardentibus ac bilioſis, quam divites, liberari.

§. 21. Sed nunc ſupereſt, ut relictorum in ventriculo quoque rationem habeamus, & vitiorum inde natorum. Sunt autem humores pravi in ventriculo varii, alii acidi, alii nidoroſi, alii pituitoſi, alii mixti.

§. 22. Acidi humores, quemadmodum ex abuſu acidorum ortum trahunt, ita & quævis aſſumta poſtmodum ſuo acore inficiunt. Acidorum enim communiter hæc eſt natura, ut alia ſive dulcia ſint, ſive inſipida &c. facile ſuo ſapore imbuant. Teſtatur id cadus aceti, qui aquam Rhodani in verum transmutavit acetum notante Helmontio p. m. 177, 59. Plura exempla ſuggerunt obſervationes quotidianæ.

§. 23. Eodem modo amarus ſapor ab humore bilioſo ſive nidoroſo continuatur & augetur; Cumque veteres viderent humores hoſce pravos maxime inter ſe diverſos eſſe, melioris distinctionis ergo diverſa iis nomina impoſuerunt; videlicet, qui viſcidus & flavus eſt, bilem dixerunt vitellinam, ubi vero inſtar porri paulum vireſcit, porraceam, intenſioris coloris inſtar viridis æris æruginoſam, denique ſaturati viroris, qualis in herba iſatode conſpicitur, iſatodem vocarunt.

§. 24. Servare hæc bilis vitioſæ nomina poſſumus, ſi lubet; nam & cauſa earum non minus quam cura diſtincta eſt. Etenim in vitellina pituitam bili admixtam eſſe apparet ex viſciditate, ubi vero acidum quoddam bili affunditur, virorem aſſumit plus minus intenſum pro ratione affuſi acidi. Nec dubitandum eſt, ex concurſu acidi copioſioris cum bile magis ſpiſſa in defectu ſeri diluentis oriri poſſe atram bilem, accedente præ-

sertim varia assumtorum cruditate. Hujus enim Exemplum nuperrime in quodam literato observavimus, qui ructibus acidis sæpius, continuisque cum murmure flatibus in abdomine per annum & ultra vexatus interea non semel sponte evomuit nigerrima instar atramenti. Similia plura qui cupit, adeat Hœchstetteri Obs. p. m. 143. & seqq. Hornungi Cistam medicam p. 207. Forestum & alios.

§. 25. Quandoque vero & pituitosa in ventriculo hærent, quæ digerendis cibis sese implicantia viscidum omnino chylum reddunt ac spumosum, ut non semel viderimus suborto vomitu eum rejectum exacte retulisse solutionem saponis in aqua calida factam.

§. 26. De mixtis tandem humoribus nihil dicam, acidum enim cum bile non raro concurrere jam monitum est, pituitam copiosam autem cum acido quandoque, aliquando vero & cum bile miscri itidem per experientiam constat, ac plerumque in ventriculo pravitas mixta reperitur, rarius simplex, confundi tamen inter se nullatenus debent.

§. 27. In Cura ergo Dyspepsiæ, quemadmodum uno oculo ad causas antecedentes, puta spirituum errorem & assumtorum vitium, ita & altero ad productum morbosum, collectosque jam in ventriculo humores respiciendum est.

§. 28. Primum enim quod Dyspepsiam ex vitio spirituum ortam attinet, poscit sane defectus hic sui restitutionem, atque ideo requiruntur spirituosa aromatica & analeptica, v. gr. Vinum Rhen. aquæ atque spiritus ant-apoplectici, aqua hyssopi spirituosa, aqua cinamomi cydoniata vel borraginata, balsamus embryonum, spiritus lil. convall. spiritus cerasor. nigr. menthæ, formicarum acidus, spiritus mastichinus compositus quem Pauli in Q. B. p. m. 541. describit, &c.

§. 29. Hæc ipsa enim analeptica spiritu licet peregrino, copiosissimo tamen abundant, qui ab idea spirituum animalium in

in corpore exiſtentium, poſtquam ſe aſſociat, facile ſubigitur, ut junctis viribus non vegetativis amplius ſed & nobilioribus functionibus præeſſe poſſit. Quod ipſum nemini mirum videbitur, qui conſiderat, è cibo potuque omni die maxime reſarciri diſſipatos ſpiritus.

§. 30. Dicis, ſed video ſæpius poſt uſum vini reliquorumque ſpirituoſorum pejus è Dyſpepſia oriri malum, ita ut nunc febres, cachexia, arthritis atque ſimilia naſcantur eo quod cum ſpirituoſis uniti humores pravi ad M. S. facile pergant ac mille mala generent.

§. 31. Ergo ſciendum eſt, quod ſupra innui, non ad cauſam tantum, ſed & ad productum morboſum, i. e. humores in ſtomacho hærentes omnino reſpiciendum eſſe, quibus remotis tutior ſpirituoſorum uſus erit; ſed illarum Curationem inferius ſubjungam.

§. 32. Interea omni ſtudio annitendum eſt, ut ſpirituum ulterior deperditio evitetur, horumque error, quantum fieri poteſt, corrigatur. Abſit ergo Venus laſciva, curæ, lucubrationes & quicquid vires ægri dejicit; quin potius animus ad hilaritatem componatur, cui muſicæ dulcedo, amica converſatio, hortorum amœnitas &c. occaſionem egregiam præbent.

§. 33. Quod vero cibi potusque aſſumtionem concernit, moneo & in hac modum ſervandum eſſe, quoad quantitatem non ſecus, quam qualitatem. Hujus rationem tradit Hippocr. in Aph. 10. Sect. 2. his verbis: Corpora impura quo plus nutriveris, hoc magis læſeris. Nec in nutrimentum corporis cedere poſſunt aſſumta quamvis in ſe ſaluberrima & eupepta ſint, cum pravorum ſuccorum admixtio nativam virtutem facile corrumpat.

§. 34. Proinde nullo modo improbare poſſum vulgi conſuetudinem, quando per inediam ſeu abſtinentiam à cibo potu-

que Dyspepsiam præsertim pituitosam, & hinc ortas febres intermittentes promte depellunt. Ubi enim vires adhuc constantes sunt, in ventriculum autem spiritus continuo influunt, aggrediuntur in defectu alimentorum mucum collectum, eumque digerunt ac resolvunt, ut postmodum vel per alvum, vel è pulmonibus per screatum tussimve, vel per renes cum urina excernatur.

§. 35. Quibus vero talis medendi methodus non arridet, tenuis saltem victus & jusculorum usus concedendus est, aut quod optimum videtur, seligenda sunt ea quæ alimentum medicamentosum præbere possunt.

§. 36. Ad humorem autem peccantem maxime respiciendum est, alia enim in acidorum, alia in nidorosorum, alia in pituitosorũ præsentia conveniunt. Adversus acida usum cancrorum fluviatiliũ, imprimis si æger testas simul (quod in minoribꝰ non difficulter fieri potest) arroserit, vix satis laudare possum. Absorbent enim egregie vitiosum illud acidũ, quod ne iterum augeatur, ab omnibus omnino acetariis, acidis aliis & acescentibus abstinendum est.

§. 37. In nidorosa pravitate, imo & pure biliosa blande acida potius admitti possunt, cum per alvum educere bilem soleant; in specie serum lactis & lac ebutyratum, cerevisia item tenuis & acidula, (hic locorum **Keuterling**) ex oleribus crambe & siser præcæteris convenientissima sunt, pingvia autem ac præsertim assata omnino vitanda sunt, imprimis ova cum butyro frixa, petasо atque botulus.

§. 38. In pituitosa denique pravitate exhibeantur probe aromatisata atque salita; nec enim adeo ineptum est aut mirum, ab esu halecis appetitum restitutum, febremque fugatam esse, cum hujus salsedo commode mucum detergere possit è stomacho. Interdicendus autem est eorum usus quæ pituitam generare solent, ut sunt caput vitulinum, pedes bovini, pisces, pulmenta, ova sorbilia &c.

it,

it. potus cereviſiæ minus defecatæ vel ex tritico paratæ, (Brühan ꝛc.)

§. 39. Hæc ex fonte diætetico, ſed nunc remedia Pharmaceutica ſequuntur, quorum alia evacuantia, alia alterantia ſunt. Per diætam enim præcavemus quidem ab ulteriore augmento vitiorum, requiruntur tamen & alia medicamenta quæ vel corrigere, vel evacuare ac tollere pravos humores poſſint.

§. 40. Evacuantia equidem in acidorum præſentia vix ſatis tuta aut fida ſunt, cum purgantium præſertim vegetabilium virtus ab acidis deſtruatur, ut non raro hypochondriaci, melancholici & cæteri, in quorum ventriculo acidum liquamen hæret, fortiſſima quæque vomitoria & purgantia absque moleſtia aut effectu digerant. Vel, quod pejus eſt, ubi acris ejusmodi humor commovetur, ſolent abdominis cruciatus atque tormina, imo & convulſivi motus ſequi, ut in gravius periculum conjiciatur æger. Rectiſſime proin Sylvius Op. p. 170. notavit, in cruditate acida à purgantibus abſtinendum eſſe, antequam hic humor temperatus, inque ſeri naturam converſus fuerit.

§. 41. In bilioſorum autem abundantia longe convenientiora ſunt purgantia, è quibus ad mentem veterum ſeligi Cholagoga poſſunt, ſcammonium, rhabarbarum, Caſſia &c. etiam in minore doſi ſufficientia. Acriora præſcribere non æque licet, quia metuendum eſt, ne hypercatharſis oriatur vel propter ſeri copioſioris inevitabilem ſecretionem ad uberiorem bilis proventum M. Sea diſponatur.

§. 42. Vomitoria ergo in hoc caſu meliora videntur, cum non è ventriculo tantum, ſed & duodeno annexo bilis commode citra tantam ſeri jacturam evacuari poſſit. Inſtar omnium hic erit gratiſſimus, quia pene inſipidus, Mercurius vitæ rite paratus, cui ſuccedit crocus metallorum abſynthiacus Mynſichti atque tartarus emeticus,

que Dyspepsiam præsertim pituitosam, & hinc ortas febres intermittentes promte depellunt. Ubi enim vires adhuc constantes sunt, in ventriculum autem spiritus continuo influunt, aggrediuntur in defectu alimentorum mucum collectum, eumque digerunt ac resolvunt, ut postmodum vel per alvum, vel è pulmonibus per screatum tussimve, vel per renes cum urina excernatur.

§. 35. Quibus vero talis medendi methodus non arridet, tenuis saltem victus & jusculorum usus concedendus est, aut quod optimum videtur, seligenda sunt ea quæ alimentum medicamentosum præbere possunt.

§. 36. Ad humorem autem peccantem maxime respiciendum est, alia enim in acidorum, alia in nidorosorum, alia in pituitosorū præsentia conveniunt. Adversus acida usum cancrorum fluviatiliū, imprimis si æger testas simul (quod in minoribo non difficulter fieri potest) absorserit, vix satis laudare possum. Absorbent enim egregie vitiosum illud acidū, quod ne iterum augeatur, ab omnibus omnino acetariis, acidis aliis & acescentibus abstinendum est.

§. 37. In nidorosa pravitate, imo & pure biliosa blande acida potius admitti possunt, cum per alvum educere bilem soleant; in specie serum lactis & lac ebutyratum, cerevisia item tenuis & acidula, (hic locorum Reuterling) ex oleribus crambe & siser præ cæteris convenientissima sunt, pingvia autem ac præsertim assata omnino vitanda sunt, imprimis ova cum butyro frixa, petaso atque botulus.

§. 38. In pituitosa denique pravitate exhibeantur probe aromatisata atque salita; nec enim adeo ineptum est aut mirum, ab esu halecis appetitum restitutum, febremque fugatam esse, cum hujus salsedo commode mucum detergere possit è stomacho. Interdicendus autem est eorum usus quæ pituitam generare solent, ut sunt caput vitulinum, pedes bovini, pisces, pulmenta, ova sorbilia &c.

it,

it. potus cereviſiæ minus defecatæ vel ex tritico paratæ, (Brühan ꝛc.)

§. 39. Hæc ex fonte diætetico, ſed nunc remedia Pharmaceutica ſequuntur, quorum alia evacuantia, alia alterantia ſunt. Per diætam enim præcavemus quidem ab ulteriore augmento vitiorum, requiruntur tamen & alia medicamenta quæ vel corrigere, vel evacuare ac tollere pravos humores poſſint.

§. 40. Evacuantia equidem in acidorum præſentia vix ſatis tuta aut fida ſunt, cum purgantium præſertim vegetabilium virtus ab acidis deſtruatur, ut non raro hypochondriaci, melancholici & cæteri, in quorum ventriculo acidum liquamen hæret, fortiſſima quæque vomitoria & purgantia absque moleſtia aut effectu digerant. Vel, quod pejus eſt, ubi acris ejusmodi humor commovetur, ſolent abdominis cruciatus atque tormina, imo & convulſivi motus ſequi, ut in gravius periculum conjiciatur æger. Rectiſſime proin Sylvius Op. p. 170. notavit, in cruditate acida à purgantibus abſtinendum eſſe, antequam hic humor temperatus, inque ſeri naturam converſus fuerit.

§. 41. In bilioſorum autem abundantia longe convenientiora ſunt purgantia, è quibus ad mentem veterum ſeligi Cholagoga poſſunt, ſcammonium, rhabarbarum, Caſſia &c. etiam in minore doſi ſufficientia. Acriora præſcribere non æque licet, quia metuendum eſt, ne hypercatharſis oriatur vel propter ſeri copioſioris inevitabilem ſecretionem ad uberiorem bilis proventum M. Sea diſponatur.

§. 42. Vomitoria ergo in hoc caſu meliora videntur, cum non è ventriculo tantum, ſed & duodeno annexo bilis commode citra tantam ſeri jacturam evacuari poſſit. Inſtar omnium hic erit gratiſſimus, quia pene inſipidus, Mercurius vitæ rite paratus, cui ſuccedit crocus metallorum abſynthiacus Mynſichti atque tartarus eme-

ticus, ut facile ſyrupo rubi idæi emetico atque nicotianæ, nec non vino infuſionis vitri antimonii ſimilibusque carere queamus.

§. 43. Obſervandum autem hic eſt, doſin vomitorii minorem ſufficere, cum bilioſa non difficulter per vomitum rejiciantur; quo ignorato aut neglecto in periculoſas hypercatharſes itidem conjiciuntur ægri.

§. 44. In pituitoſa vero pravitate vomitoria in majore doſi adhiberi poſſunt, quemadmodum & purgantia aeriora, v. gr. è colocynthide, Jalappa & helleboro parata. Videntur tamen præ cæteris ſingulariter prodeſſe vitriolum album, & mercurius dulcis cum gummi ammoniaco, utpote quæ pro ſcopo præparandi ante evacuationem adhibita ſatis potenter mucum reſolvunt, adeoque ad convenientiorem excretionem diſponunt.

§. 45. Cum vero in defectu virium, qui ſæpius cum Dyſpepſia conjunctus eſt, vel alia de cauſa evacuantia quandoque locum non habeant, ſupereſt, ut curam horum vitiorum per alterantia tradam; in qua ne erretur, ad diverſa ſigna diagnoſtica attentius reſpiciendum eſt, alioquin fruſtra v. gr. acida in cruditate acida, aromatica in bilioſa, præcipitantia in pituitoſa propinantur.

§. 46. Humor itaque acidus in ventriculo hærens ex ructibus acidis aut ſimili vomitu omnino manifeſtus per præcipitantia & abſorbentia non difficulter tollitur. Talia ſunt Martialia præ cæteris, item oc. 69, Creta, Corall. mater. perlar. GC. & ebur uſtum, oſſa ſepiæ &c.

§. 47. His addi poſſunt ſalia volatilia æque, ſal. vol. menth. & abſynth. ſpiritus ſalis ammoniaci, Carminativus de tribus &c. ac fixa, potiſſimum ſal tartari atque plantarum probe alcaliſata. Hæc enim potentiſſime acidum vitioſum aggrediuntur, ut non ſemel obſervaverimus, ſi vacuo ventriculo propinata fuerint, ob manifeſtam effervescentiam inſignes præcordiorum anxietates inde

natas

natas eſſe. In horum exhibitione ergo caute procedendum ſvademus.

§. 48. Nidoroſa pravitas quæ ex ructibus putridis, oris amarore, nauſea & cardialgia cognoſcitur, tollitur quoque per præcipitantia jam enarrata, inter quæ Cryſtallus præparata eminet, cum his enim adhærentes bilis particulæ oleoſæ ac viſcidæ facile per alvum educuntur, præſertim ſi acida v. gr. ſpiritus nitri atque ſalis ſimplex vel dulcificatus, ſpiritus Sulphuris, vitrioli, vitrioli philoſophicus, viridis æris, acetum deſtillatum, ſuccus citri &c. bilem turbantes, & Aquea pro vehiculo admiſceantur. Mirum enim eſt, quantum poſt præcipitantium exhibitionem Julepi acidulati uſum habeant in febribus bilioſis, quem enim è ſtomacho eluunt humorem, etiamſi alvus antea ſumme adſtricta fuerit, promte educunt.

§. 49. Idem & ſalſal, v gr. Cryſtalli tartari, terra foliata tartari, tartarus vitriolatus, ſal armoniacum, ac præ omnibus arcanum duplicatum præſtant, quibus tamen de purgante ſtimulus addendus eſt, ut eo felicius operari queant. In bile autem vitellina talia potiſſimum requiruntur, quæ ejus viſciditatem diluunt, prout alcalia in porracea, æruginoſa, iſatode & ipſa melancholia. Quid enim unicum ſal tartari vel oleum tartari per deliquium in cruditatibus hujusmodi ex heſterna crapula valeat, nemo niſi expertus digne ſatis intelligit.

§. 50. Sed jam ſupra occaſione juleporum facta eſt mentio aqueorum, quorum cum ſingularis uſus in bilioſa pravitate ſit, ea hic præterire neutiquam poſſum. Inter plura autem ſaltem febrium ſed absq; malignitate ardentium, quæ ordinarie ex bilis vitio naſci ſolent, curam nunc memorabo; æſtus enim ac ſitis quid aliud quam humectans & refrigerans remedium deſiderat, ſed utrique ſcopo ſatisfacit aquæ frigidæ largior potus; unde non miror, ſi hæc ſola, diluendo ac eluendo bilem ventriculo inhærentem hæc ſymptomata & ipſam febrem tollat. Conferatur Smetius in Miſcell. Med.

Med. p. 161. & Stammers Morgenländiſche Reiſe-Beſchr. p. 116, 117.

§. 51. Idem mihi videtur de gracilitate & extenuatione Nobilis fœminæ, quæ, annotante Cattierio in Obſ. Med. 12. ſolo uſu panis in aqua ſimplici macerati per aliquot auroras continuato, reſtituta & habitior facta eſt, ſuadente hoc alia idem experta muliere. Quæ enim Tabes ex Dyſpepſia, ut per ſimilia exempla confirmatus ſuſpicor, bilioſa nata erat, correcta hac in ſtomacho, dubio procul ceſſare debuit, reſtituique chylificatio & nutritio longe felicior.

§. 52. Pituita denique, quam pondus in quibusdam frigidum hærens in ventriculo, & hujus gravativus dolor indicat, quemadmodum ſupra dicta remedia ſalina omnia, ſive alcalia, ſive acida, ſive ſalſa ſint admittit, ita & præter hæc poſtulat quoque aromatica, jam enim uſu probatiſſima ſunt, ac ventriculo gratiſſima: Galanga, Zedoaria, Calamus aromaticus, Zingiber, piper, Cinamomum, Caſſia, Coſtus, Cardamomum, Cubebæ, Caryophylli &c. Earundem virium ſunt rad. ari, helenii atque raphani, item mentha atque polychreſtum abſynthium.

§. 53. Qui vero has ſimplices pravitates diſtincte dijudicare atque corrigere noverit, facile in mixta quoque, quam ex concurſu ſignorum colligimus, remedia invenire & combinare poterit, nunc præcipitantia cum alcalibus, ubi acidum cum bile concurrat, nunc alcalia cum aromatibus, quando pituita acido humori admixta ſit, nunc aromatica cum acidis quale remedii genus eſt Elixir Vitrioli Mynſichti in Arm. p. 269. deſcriptum, quandocunque pituita cum bile perfuſa deprehendatur, atque ſic porro.

§. 54. Finaliter qui Dyſpepſiæ curam aggredi methodice & ad optatum finem deducere cupit, is cognita cauſa ſi non procatarctica ſaltem proxima, non neglecta ratione diætæ, collectam in ventriculo pravitatem corrigat & evacuet quantum licet, poſt analepticis roboret ſtomachum, atq; ſic cito, tuto & jucunde expediet quod ſui erat officii.

Corol-

Corollaria.

I.

DUctus ſalivales, quos in capite vitulino præterita hyeme aliquoties demonſtravit Dn. Præſes, merentur illis annumerari, quos Warthonus & Steno annotarunt. Oriuntur autem ex anterioribus glandulis ſublingualibus, in quarum ſubſtantia radices agunt perguntque ſupra Warthonianos immediate (ita ut his caute ſeparatis conſpiciantur illico) donec una cum illis egrediantur [illegible] papillulis. Diverſa tamen ſunt oſtiola, in quæ [illegible] interiora ſi ſtylus aut flatus immittatur, ad glandulas majores ſublinguales per ductus Warthoni penetrat; his vero à latere alii adſtant pori, qui & ſtylum & flatum in glandulas minores ſublinguales deducunt, adeoque nullo modo hi ductus cum illis communicant, ſed omnino ſingulares ſunt.

II.

Ductus ſalivales in Cane majorem quam in vitulo habent convenientiam cum iis, qui in homine obſervantur. Nam & ſuperiores per lineam magis rectam in buccas, & inferiores circa linguæ frenulum prodeunt.

III.

Præter illos duræ matris ſinus, quos & Veteres e-

numerarunt, & Sylvius adjecit, adhuc notatu dignus eſt in vitulo transverſus, qui utrumque lateralem unit, ex obſervatione & demonſtratione Dn. Præſidis.

DISPUTATIO XXIII.

DE

BILE.

I. N. J.

JUſſit me ſvaſus eorum, qui beati Parentis vices hactenus g[illegible] exhibere quoddam in arte Medica ſtudiorum ſpecimen; & ecce præter intentionem ſe mihi Bilis obtulit, animumque ac meditationes omnes in ſui penitiorem conſiderationem reflectendo, Materiam non indignam forte aut injucundâ Diſſertationi dedit. Ne mireris, amice Lector, ſvavem mihi videri bilis tractationem, qui potius cum apibus ex quovis plantarum genere ſatiatis in re viliori ac neglecta jucundos fructus quærere malo, quam inſtar aranei roſæ inhærentis, quæ magis ardua ſunt ac ſublimiora, corrumpere. Adhæc ipſum adeo quondam ſpretum cumque excrementis ad latrinas rejectum fel nunc quidem longe benigniori fortuna fruitur, laudibusque ad ſidera evectum, à modernorum plurimis inter optimos maximeque laudabiles corporis huma-

humani ſuccos numeratur. Præterea ſi, quæ difficilia ſunt, ſaltim pulchra cenſes ac digna, ut in diſceptationem recipiantur ; ſcias in bilis examine plura omnino occurrere, quorum explicatio non parum torſit curioſam neotericorum ſubtilitatem. Placitum autem mihi eſt, omnem de bile tractationem tribus includere capitibus, quorum 1. ejus Naturam, 2. Generationem 3. Uſum explicabit; hæc enim potiora ſunt, ad quæ cætera non inconvenienter reduci poſſunt. Faxit D. T. O. M. ut feliciter ſuccedat.

CAP. I.

De Natura Bilis.

§. 1.

SCripta equidem Galenicorum qui viſitat, non difficulter longiſſimam recenſere poterit ſeriem ſpecierum bilis, ſicil. pallidæ, vitellinæ, praſſinæ, porraceæ, viridis, æruginoſæ, citrinæ, croceæ, cœruleæ, glaſteæ, Zinariæ, ruſſæ, aduſtæ, atræ &c. neglectis tamen cum melancholia his non naturalibus bilis ſpeciebus hac vice tantum flavam illis dictam contemplabor, quemadmodum in cyſtide atque epatico ductu reperitur ſecundum naturam.

§. 2. Utramque autem hanc bilem lubens conjungo, quantumvis eas quoque adhuc aliqua intercedat differentia; Non dicam in avium plurimis & anate veſicariam bilem viridem ſæpe, hepaticam nigram & plumbeam inveniſſe Pechlinum (vid Exercit. de purg. p. 494.) & Diemerbrockium flavam quidem in ductu epa-

numerarunt, & Sylvius adjecit, adhuc notatu dignus est in vitulo transversus, qui utrumque lateralem unit, ex observatione & demonstratione Dn. Præsidis.

DISPUTATIO XXIII.

DE

BILE.

I. N. J.

JUssit me svasus eorum, qui beati Parentis vices hactenus g[illegible] exhibere quoddam in arte Medica studiorum [illegible]pecimen; & ecce præter intentionem se mihi Bilis obtulit, animumque ac meditationes omnes in sui penitiorem considerationem reflectendo, Materiam non indignam forte aut injucundâ Dissertationi dedit. Ne mireris, amice Lector, svavem mihi videri bilis tractationem, qui potius cum apibus ex quovis plantarum genere satiatis in re viliori ac neglecta jucundos fructus quærere malo, quam instar aranei rosæ inhærentis, quæ magis ardua sunt ac sublimiora, corrumpere. Adhæc ipsum adeo quondam spretum cumque excrementis ad latrinas rejectum fel nunc quidem longe benigniori fortuna fruitur, laudibusque ad sidera evectum, à modernorum plurimis inter optimos maximeque laudabiles corporis huma-

humani ſuccos numeratur. Præterea ſi, quæ difficilia ſunt, ſaltim pulchra cenſes ac digna, ut in diſceptationem recipiantur ; ſcias in bilis examine plura omnino occurrere, quorum explicatio non parum torſit curioſam neotericorum ſubtilitatem. Placitum autem mihi eſt, omnem de bile tractationem tribus includere capitibus, quorum 1. ejus Naturam, 2. Generationem 3. Uſum explicabit ; hæc enim potiora ſunt, ad quæ cætera non inconvenienter reduci poſſunt. Faxit D. T. O. M. ut feliciter ſuccedat.

CAP. I.

De Natura Bilis.

§. 1.

SCripta equidem Galenicorum qui viſitat, non difficulter longiſſimam recenſere poterit ſeriem ſpecierum bilis, ſicil. pallidæ, vitellinæ, praſſinæ, porraceæ, viridis, æruginoſæ, citrinæ, croceæ, cæruleæ, glaſteæ, Zinariæ, ruſſæ, aduſtæ, atræ &c. neglectis tamen cum melancholia his non naturalibus bilis ſpeciebus hac vice tantum flavam illis dictam contemplabor, quemadmodum in cyſtide atque epatico ductu reperitur ſecundum naturam.

§. 2. Utramque autem hanc bilem lubens conjungo, quantumvis eas quoque adhuc aliqua intercedat differentia ; Non dicam in avium plurimis & anate veſicariam bilem viridem ſæpe, hepaticam nigram & plumbeam inveniſſe Pechlinum (vid Exercit. de purg. p. 494.) & Diemerbrockium flavam quidem in ductu epa-

numerarunt, & Sylvius adjecit, adhuc notatu dignus est in vitulo transversus, qui utrumque lateralem unit, ex observatione & demonstratione Dn. Præsidis.

DISPUTATIO XXIII.

DE

BILE.

I. N. J.

JUssit me svasus eorum, qui beati Parentis vices hactenus g[illegible] exhibere quoddam in arte Medica studiorum [illegible]pecimen; & ecce præter intentionem se mihi Bilis obtulit, animumque ac meditationes omnes in sui penitiorem considerationem reflectendo, Materiam non indignam forte aut injucundâ Dissertationi dedit. Ne mireris, amice Lector, svavem mihi videri bilis tractationem, qui potius cum apibus ex quovis plantarum genere satiatis in re viliori ac neglecta jucundos fructus quærere malo, quam instar aranei rosæ inhærentis, quæ magis ardua sunt ac sublimiora, corrumpere. Adhæc ipsum adeo quondam spretum cumque excrementis ad latrinas rejectum fel nunc quidem longe benigniori fortuna fruitur, laudibusque ad sidera evectum, à modernorum plurimis inter optimos maximeque laudabiles corporis huma-

humani ſuccos numeratur. Præterea ſi, quæ difficilia ſunt, ſaltim pulchra cenſes ac digna, ut in diſceptationem recipiantur ; ſcias in bilis examine plura omnino occurrere, quorum explicatio non parum torſit curioſam neotericorum ſubtilitatem. Placitum autem mihi eſt, omnem de bile tractationem tribus includere capitibus, quorum 1. ejus Naturam, 2. Generationem 3. Uſum explicabit ; hæc enim potiora ſunt, ad quæ cætera non inconvenienter reduci poſſunt. Faxit D. T. O. M. ut feliciter ſuccedat.

CAP. I.

De Natura Bilis.

§. 1.

SCripta equidem Galenicorum qui viſitat, non difficulter longiſſimam recenſere poterit ſeriem ſpecierum bilis, ſicil. pallidæ, vitellinæ, praſſinæ, porraceæ, viridis, æruginoſæ, citrinæ, croceæ, cœruleæ, glaſteæ, Zinariæ, ruffæ, aduſtæ, atræ &c. neglectis tamen cum melancholia his non naturalibus bilis ſpeciebus hac vice tantum flavam illis dictam contemplabor, quemadmodum in cyſtide atque epatico ductu reperitur ſecundum naturam.

§. 2. Utramque autem hanc bilem lubens conjungo, quantumvis eas quoque adhuc aliqua intercedat differentia ; Non dicam in avium plurimis & anate veſicariam bilem viridem ſæpe, hepaticam nigram & plumbeam inveniſſe Pechlinum (vid Exercit. de purg. p. 494.) & Diemerbrockium flavam quidem in ductu epa-

numerarunt, & Sylvius adjecit, adhuc notatu dignus est in vitulo transversus, qui utrumque lateralem unit, ex observatione & demonstratione Dn. Præsidis.

DISPUTATIO XXIII.

DE

BILE.

I. N. J.

JUssit me svasus eorum, qui beati Parentis vices hactenus g[illegible] exhibere quoddam in arte Medica studiorum [illegible]pecimen; & ecce præter intentionem se mihi Bilis obtulit, animumque ac meditationes omnes in sui penitiorem considerationem reflectendo, Materiam non indignam forte aut injucundâ Dissertationi dedit. Ne mireris, amice Lector, svavem mihi videri bilis tractationem, qui potius cum apibus ex quovis plantarum genere satiatis in re viliori ac neglecta jucundos fructus quærere malo, quam instar aranei rosæ inhærentis, quæ magis ardua sunt ac sublimiora, corrumpere. Adhæc ipsum adeo quondam spretum cumque excrementis ad latrinas rejectum fel nunc quidem longe benigniori fortuna fruitur, laudibusque ad sidera evectum, à modernorum plurimis inter optimos maximeque laudabiles corporis huma-

humani ſuccos numeratur. Præterea ſi, quæ difficilia ſunt, ſaltim pulchra cenſes ac digna, ut in diſceptationem recipiantur ; ſcias in bilis examine plura omnino occurrere, quorum explicatio non parum torſit curioſam neotericorum ſubtilitatem. Placitum autem mihi eſt, omnem de bile tractationem tribus includere capitibus, quorum 1. ejus Naturam, 2. Generationem 3. Uſum explicabit ; hæc enim potiora ſunt, ad quæ cætera non inconvenienter reduci poſſunt. Faxit D. T. O. M. ut feliciter ſuccedat.

CAP. I.

De Natura Bilis.

§. 1.

SCripta equidem Galenicorum qui viſitat, non difficulter longiſſimam recenſere poterit ſeriem ſpecierum bilis, ſicil. pallidæ, vitellinæ, praſſinæ, porraceæ, viridis, æruginoſæ, citrinæ, croceæ, cœruleæ, glaſteæ, Zinariæ, ruffæ, aduſtæ, atræ &c. neglectis tamen cum melancholia his non naturalibus bilis ſpeciebus hac vice tantum flavam illis dictam contemplabor, quemadmodum in cyſtide atque epatico ductu reperitur ſecundum naturam.

§. 2. Utramque autem hanc bilem lubens conjungo, quantumvis eas quoque adhuc aliqua intercedat differentia ; Non dicam in avium plurimis & anate veſicariam bilem viridem ſæpe, hepaticam nigram & plumbeam inveniſſe Pechlinum (vid Exercit. de purg. p. 494.) & Diemerbrockium flavam quidem in ductu epa-

numerarunt, & Sylvius adjecit, adhuc notatu dignus est in vitulo transversus, qui utrumque lateralem unit, ex observatione & demonstratione Dn. Præsidis.

DISPUTATIO XXIII.

DE

BILE.

I. N. J.

JUssit me svasus eorum, qui beati Parentis vices hactenus g[illegible] exhibere quoddam in arte Medica studiorum [illegible]pecimen; & ecce præter intentionem se mihi Bilis obtulit, animumque ac meditationes omnes in sui penitiorem considerationem reflectendo, Materiam non indignam forte aut injucundâ Dissertationi dedit. Ne mireris, amice Lector, svavem mihi videri bilis tractationem, qui potius cum apibus ex quovis plantarum genere satiatis in re viliori ac neglecta jucundos fructus quærere malo, quam instar aranei rosæ inhærentis, quæ magis ardua sunt ac sublimiora, corrumpere. Adhæc ipsum adeo quondam spretum cumque excrementis ad latrinas rejectum fel nunc quidem longe benigniori fortuna fruitur, laudibusque ad sidera evectum, à modernorum plurimis inter optimos maximeque laudabiles corporis huma-

humani ſuccos numeratur. Præterea ſi, quæ difficilia ſunt, ſaltim pulchra cenſes ac digna, ut in diſceptationem recipiantur ; ſcias in bilis examine plura omnino occurrere, quorum explicatio non parum torſit curioſam neotericorum ſubtilitatem. Placitum autem mihi eſt, omnem de bile tractationem tribus includere capitibus, quorum 1. ejus Naturam, 2. Generationem 3. Uſum explicabit ; hæc enim potiora ſunt, ad quæ cætera non inconvenienter reduci poſſunt. Faxit D. T. O. M. ut feliciter ſuccedat.

CAP. I.

De Natura Bilis.

§. 1.

SCripta equidem Galenicorum qui viſitat, non difficulter longiſſimam recenſere poterit ſeriem ſpecierum bilis, ſicil. pallidæ, vitellinæ, praſſinæ, porraceæ, viridis, æruginoſæ, citrinæ, croceæ, cæruleæ, glaſteæ, Zinariæ, ruffæ, aduſtæ, atræ &c. neglectis tamen cum melancholia his non naturalibus bilis ſpeciebus hac vice tantum flavam illis dictam contemplabor, quemadmodum in cyſtide atque epatico ductu reperitur ſecundum naturam.

§. 2. Utramque autem hanc bilem lubens conjungo, quantumvis eas quoque adhuc aliqua intercedat differentia; Non dicam in avium plurimis & anate veſicariam bilem viridem ſæpe, hepaticam nigram & plumbeam inveniſſe Pechlinum (vid Exercit. de purg. p. 494.) & Diemerbrockium flavam quidem in ductu epa-

tico hydropicæ, ſed in folliculo candidam obſervaſſe, Anat. p. 12.); hoc enim diſcrimen vel morboſum eſt, vel ad hominem non ſpectat. Quæ v. Malpighius in Exercit. de ſtructura viſcerum p. m. 237. annotavit, digna ſunt animadverti.

§. 3. Veriſſimum enim eſt, bilem in folliculo contentam, ſi cum altera per ductum epaticum depluente conferas, eſſe omnino obſcuriorem, magis tanacem, magisque amaram, (adeoque egregie hallucinatur Pecquetus in Diſſert. Anat. p. 92. & Mœb. in fundament. Phyſ. p. 364. quando ſubtiliorem in cyſtidem craſſiorem in meatum hepaticum influere credunt.) Cum vero iſta diverſitas ſaltim ▽ eis debeatur particulis, utpote quæ copioſiores in felle hepatico, pauciores in veſicario exiſtunt; idcirco mihi tanti non videtur eſſe momenti, quæ disjunctam tractationem requirat.

§. 4. Ratio iſti[illegible]iverſitatis inde naſcitur, quod in illa, quam in folliculo patitur b[illegible]ſiora recedant ſeroſæ particulæ vel per exhalationem ambienti calori debitam, vel per lymphatica folliculi vaſa jam ante Rudbeckium atque Bartholinum Sylvio Anno 1640. viſa, Confer Diſſert. Phyſ. VI. §. 11.

§. 5. Præter hanc autem aqueam partem quæ & ex fluiditate bilis cognoſci, atque per deſtillationem ab ea copioſe repeti poteſt, dantur & aliæ, utrique bili communes, particulæ nempe ſulphureæ atque ſalinæ: Spirituoſas tanquam pauciſſimas non attingam.

§. 6. Sulphur ineſſe bili forte ex ejus inflammabilitate cum Sylv. c. l. §. 40. probarem, niſi metuendum ſit, infuſa ea, non minus quam aqua ignem extingvi, quod affirmat Gliſſonius in Anat. hepat. p. 318. Abundantes enim particulæ aqueæ flammam non admittunt; quod ſi vero hæ ipſæ abſtrahantur deſtillando, remanentia inſtar picis ardet, prout me inſtitutum hunc in finem experimentum docuit.

§. 7. Salinas vero particulas quod ſpectat, ſciendum eſt, plerosque recentiorum unanimiter ſtatuere è bile ſal volatile æque ac fixum

fixum haberi posse, adeoque inter alcalia merito esse referendam. Videatur Graaff. p. 553. Diemerbr. p. 131. Sylv. in Diss. Phys. VI. 39. & in Praxi p. 109. Glisson. anat. ep. p. 318.

§. 8. Provocant autem omnes ad chymiam, ac proinde mihi quoque ansam dederunt bilem tractandi examinandique per ignem. Destillavi igitur 1. fel bubulum recens absque omni additione per retortam igne arenæ, obtinuique non nisi insipidum phlegma, (sicuti à Mœb. in fundam. Phys. p. 363. annotatum lego) in fundo remanente resina tenaci ac inflammabili.

§. 9. Deinde vero similem bilem adjectis cinerib. clavellatis retortæ commisi, ad imitationem Tachenii, qui è sangvine, urina ac sudore hoc modo spiritum urinosum parare docet in Hippocr. Chym. p. 83. & ecce prolectus liquor fuit à priore multum diversus quoad saporem, odorem & efficaciam, affusus enim syrupo violarum, nativum ejus colorem ilico convertebat in virideſcentem, solutionemque ℥ii sublimati pro more salium volatilium lacteam reddebat.

§. 10. Porro cum per septem dies affusa simplici aqua in loco tepido aliud putrefactum fel summeque fœtens esset, destillavi hoc quoque, ac postea deprehendi ab ejus destillato syrupum violarum longe elegantiori viriditate tingi, mercuriique sublimati solutionem candidissimam fieri.

§. 11. Recepi tandem primæ destillationis remanentiam, eamque accensam in cochleari ferreo super prunas per tres fere horas agitando in cineres redegi, quibus cum affudissem aquam, lixivium post filtrationem habui, quod syrupum violarum egregie viridem, solutionem autem ℥ii sublimati rubicundam fecit.

§. 12. Dubitari ergo non potest, tam sal volatilie quam fixum è bile parari arte chymica posse, ulterius tamen inquirendum ac videndum est, num sal volatile solum (de fixo jam non loquar, utp. quod non minus quam cœtera vegetabilium alcalia, ex volatili sale

atque Sulphure in concrematione componitur) num adhuc aliæ ſalinæ particulæ præter illud bilem conſtituant. Non enim ſequitur, ex bile ſal volatile & fixum parari poteſt, ergo eſt naturæ alcalicæ, quemadmodum nec ♀rus crudus inter alcalia refertur, quantumvis fixum non minus quam volatile ex eo habeatur.

§. 13. Nimirum ſi modum tractandi, quo in deſtillatione bilis uſus ſum, accuratius examinamus, conſtabit, eam potius ☉ſam videri quam alcalinam, imo ſangvini è quo ſeparatur, quoad particulas ſalinas ſimillimam. Cur enim per ſe ſi deſtilletur, ſal volatile non largitur, niſi quod, quemadmodum in ſangvinis deſtillatione accidit, detineatur ab acido, ad cujus deſtructionem ſi cineres clavellati adjiciantur aut putrefactio inſtituatur, tum volatile alcali promte dimittit.

§. 14. Confirmat hanc meam de bilis natura opinionem illud quoque quod videam & nativa & factitia amara eſſe ſalſa. Abſynthium profecto ſi juxta modum Glauberi quem in furn. phil. c. 26. deſcribit, tractetur, ſpiritum ſuggerit acidum, præmiſſa putrefactione ſal acquiritur volatile. In cineribus autem combuſti recentis abſynthii, niſi fortiſſimo urgeantur igne, ſal omnino ſalſum latet, quod in elegantiores cryſtallos concretum vidi, nullo modo ſolutionem ☾li turbantes. Manifeſtum igitur eſt hanc plantã ſumme amaram ſalſis conſtare particulis, quibus dum ſulphureæ particulæ admiſcentur, amarities naſcitur.

§. 15. E factitiis jam non adducam ☽ vel ♀rum Vitriolatum Tachenii, horum enim amaror paulo remiſſior eſt; Clarius teſtimonium ſuppeditare poteſt ſpiritus ♀ri atque liquor amarus, quem ex ſale alcali cum bolo, (ex qua acidum accedit) deſtillat Tachenius in clav. p. 42. qualem ſimiliter ex ſale ammoniaco cum calce viva fuſo obtinemus, facto in cella deliquio.

§. 16. Idem dubio procul de amara iſta atque bilioſa pravitate humorum in ſtomacho judicandum eſt, quæ nunc pingvium, nunc

vero

vero dulcium usum sequitur, pro diversitate scil. humorum, quos in ventriculo talia assumpta reperiunt, in stomacho enim rite constituto tale quid metuendum non est.

§. 17. Sed nolo hæc ipsa prolixius deducere, cum verosimillimum sit, bilem non minus quam cætera jam dicta ideo amaram esse, quod particulis salsis copiosum adjectum sit sulphur. Præterire interim non omnino possum, quæ video in contrariam opinionem à quibusdam adducta ac tanta quidem cum temeritate, ut quemvis minus cautum expertumque non difficulter fallere queant, ideoque paucis eorum examen hic subjungam.

§. 18. Nempe ut demonstrent bilem esse alcalinam, duplicem fingunt effervescentiam ejus cum acidis, aliam scil. naturalem in corpore, aliam extra corpus mechanicam. Hanc ex affusione spiritus nitri ortam affirmat Graaf. c. l. p. 564. ex affusione olei vitrioli, tartari, (forte sulphuris) atque aceti refert Diemerbr. p. 135. Illam ex concursu succi pancreatici in duodeno nasci probat suo experimento Schuyl. pro Vet. Med. p. 88. 90. & 99.

§. 19. Ecquis vero non videt fallaciam, ne dicam ignorantiam. Verum equidem est omnia alcalia effervescere cum acido, interim non licet argumentari, quicquid effervescit cum acido illud est alcali, alioquin & butyrum antimonii, quando cum nitri spiritu effervescit, alcalibus annumerandum esset.

§. 20. Deinceps si vel maxime admitteremus hoc argumentandi genus, falsa nihilominus foret minor. Argumentum est tale: quicquid effervescit cum acidis illud est alcali,

Bilis effervescit cum acidis E.

Nempe autopsia aliud docet præeunte (sic dicto) Jano Leoniceno in Metam. Ap. & Æsculap. p. 107. Ut taceam subsumtionem de pancreatis succo nihilo meliorem esse. Concludam igitur cum Eud. le Vasseur Sylv. Conf. p. 123. nil à ratione magis alienum usquam traditum fuisse quam inspectabilem effervescentiam dari. Sed transeo ad

CAP.

CAP. II.

De Generatione Bilis.

§. 1.

ORtus bilis ut paulo penitius intelligatur, tria potiſſimum explicanda ſunt, videl. Materia, Officina, & Modus, qui in ejus elaboratione à natura obſervatur.

§. 2. Cum autem præſupponam, bilem in epate generari, convenientiſſimum erit examinare hujus vaſa, ut his perſpectis appareat, qualis materia huc feratur, à qua proventum bilis ſperare poſſimus.

§. 3. Sunt igitur epatis vaſa duplicis generis, ſiquidem alia adducunt ſpiritum vel ſanguinem, alia ab eo revehunt quemadmodũ lymphatica ſerum & ductus epaticus bilem, ita vena cava ſanguinem à bile liberatum. Sed mittamus hæc, quoniam noſtrum non attinent ſcopum, ac videamus, quænam inter illa vaſa adducentia generationi bilis ſuppeditare materiam queant.

§. 4. De nervis quidem epaticis vix cogitamus, quem enim Angli defendunt, ſuccus inviſibilis eſt, ſpiritus autem per illos ad epar delati videntur potius uſui privato, quam publico inſervire, magisque conferre ad vitam nutritionemque viſceris, quam functionem huic parti concreditam.

§. 5. Circa vaſa autem ſanguifera dubium oriri poteſt, num negotium illud, de quo nobis ſermo eſt, arteriæ epaticæ, an venæ portæ, an his junctis concedendum ſit. Ac epaticam quidem arteriam quod concernit, ſi cum ductibus cholidochis conferatur, vix ac ne vix quidem (quamvis contrarium ſtatuat Backius de corde p. 133.) ſufficere poteſt implendis tam vaſtis amplisque ductibus, ut recte ſentit Pechlinus de purgantib. p. 503.

§. 6.

§. 6. Accedit experimentum Malpighii quod in ſtruct. viſcerum p. m. 237. habet. Ligata nimirum circa cœliacæ truncum arteria epatica, ingens bilis copia è poro biliario in duodenum transfuſa colligitur, manifeſto indicio, ex Arterioſo ſanguine non ſecerni bilem. Nec obſtat arteriæ huic injectum per ſyringem liquorem penetrare in ipſam folliculi cavitatem, fellique hoc pacto admiſceri; modus enim hic violentus eſt nimium, quemadmodum vel ex hoc unico liquet, quod flatus per eandem arteriam immiſſus non æque admittatur, prout ipſe fatetur Pechlinus c. l. p. 495.

§. 7. Hanc curam ergo committamus Venæ portæ, quæ cum ſangvinem venoſum vehat, dubium non eſt, eam idoneam ſuppeditare materiam. Vehit equidem & chylum ſanguini permiſtum, ſed non ſemper ac ſaltim ſecundario, cum tamen omni tempore bilis ſecretio ſuccedat. Quo ipſo argumento facile illos refellimus, qui è cibis vel chylo immediate bilem naſci exiſtimant; nec opus eſt ut ad fœtus in utero formationem recurramus, quod Mœbio in fundamentis Phyſiol. p. 359. placuit; quid ſi enim ſanguis fœtus chyloſo liquore perfunderetur. Nolo autem hæc omnia fuſius deducere cum ſciam fundamentum hujus opinionis, quæ ex chylo bilem ſequeſtrari docebat, nunc omnino rejectum eſſe. Poſtquam enim chylus in jecore non amplius convertitur in ſanguinem, quod veteres crediderunt, nec ratio apparet evidens, quæ evincat chyli ac ſanguificationis excrementum hoc in viſcere deponendum eſſe.

§. 8. Quamobrem autem è maſſa ſanguinea ſeparetur in jecore fel, breviter ſic explico. Video ſcilicet ſanguinem juxta Malpigh. c. l. p. 298. & ſeqq. conſtare ex parte alia ſolida ſubrubra & alia fluida ſeroſa; hanc vero non modo per renes vel ſudorem, ſed maxime per inſenſibilem tranſpirationem evacuari clarum eſt; neceſſu eſt igitur, ut & viscidior illa pars aliquo in loco è ſanguinis maſſa recedat, alioquin omnimoda ejus inſpiſſatio, ob collectam particularum ſulphurearum copiam, indubitato ſequeretur.

§. 9. Proinde quantum ſeri è ſanguine ſecedit, tantum quoque partis oleoſæ ſeparari debet, adeoque hujus ſuperfluitas ſaltim bili materiam præbet. Factum autem eſt à natura, ut cum per plures vias excernatur ſerum, locus quidem unicus, ſed major concederetur bili, in quo hæc ipſa à ſanguine ſecedere poſſit.

§. 10. Nec enim credendum eſt, in folliculo fellis bilem elaborari adeoque alteram ejus partem duodeno, alteram hepati per ductum cholidochum infundi, quod Backium de Corde p. 130. & ſeq. ſtatuiſſe video. Nam & ligatura ductui epatico injecta & cyſtidis reſectio omnimoda, quas urget Malpigh. c. l. p. 57. 59. & Pechlinus c. l. p. 502. imo & naturalis defectus folliculi, quem in cervo atque aliis brutis notamus, aliud longe ac diverſum ſvadent.

§. 11. Sylvium jam non attingam qui hanc quidem Backii opinionem in diſſert. p. 90. defendebat, neglexit enim eandem poſtmodum in Pr. p. 765. Ac ne forte cuiquam ſcrupulus naſcatur, quando in diſſert. p. 96. legit, flatum in ductum epaticum immiſſum penetrare per univerſum hepatis parenchyma, monendum eſt cum Diemerbr. p. 135. nullam eſſe conſequentiã, quæ à tranſitu flatus ad motum humorum petitur, prout id inſtantia ab ureteribus renibusque deſumpta ſatis probat.

§. 12. Itaque ſtatuendum potius eſt fieri ſecretionem bilis in epate, cujus ſubſtantiam præ cæteris aptam ad hoc opus oculatiſſimus monſtravit Malpigh. c. l. p. 16. & ſeq.

§. 13. Multum ſane is operoſus eſt, ut demonſtret eam eſſe glandulоſam ex inſpectione jecoris cochlearum, l. lacertæ, galei & anguillæ, vel ſciuri atque felis; interea nec inficias ire poſſum mihi admodum displicere, quod ex collatione cum aliis glandulis, præſertim quoad vaſa & morbos nectit argumentum. In defectu tamen nominis magis proprii retineri poteſt vox glandularum.

§. 14. Ne vero confuſio oriatur, ſciendum glandularum varia eſſe genera, aliæ enim & plurimæ quidem ſunt lymphaticæ, quibus

bus pancreas & ſalivales accenſeri poſſunt, aliæ ſunt mammariæ, generando lacti deſtinatæ, aliæ ſeminales ut proſtatæ, aliæ epaticæ ad bilem ſequeſtrandam factæ, loquor enim de minimis illis acinis, majores enim glandulæ hepatis, quæ circa radicem venæ portæ reperiuntur huc non ſpectant, ſed potius ad lymphaticas referenda ſunt. Renales lienisque glandulas quemadmodum & miliares cutis lubens prætereo.

§. 15. Rationem autem ac modum ſecretionis bilis in his acinis epaticis ſi deſideras, moneo eum ſic ſatis commode per transcolationem explicari poſſe juxta Pecquetum p. 92. De ſuctione enim præcipitatione atque ſimilibus ne cogitandum quidem eſt. Confer ſi lubet, Sylvium in diſſert. de Bile & Malpigh. c. l. p. 53.

§. 16. Quod ſi adhuc dubitas, quomodo bilis è ſanguine ſeparari queat per colaturam, quæ magis aquoſis quam craſſioribus liquoribus convenire videtur. Reſpondeo 1. ipſum fel quoque eſſe admodum tenue atque fluxile, quatenus in jecore ſeparatur, fieri autem tenacius in folliculo, ubi retentum aliquandiu fuerit. Secundo nec illud adeo abſurdum eſt particulas quoque ſpiſſiores per transcolationem ab ipſis etiam aqueis ſequeſtrari poſſe. Probat enim idipſum modus vulgo notus, juxta quem Pharmacopœi Ol. deſtillatum ab aqua per lanam goſſypii ſeparare ſolent.

§. 17. Nec ſequitur per quamcunque viam admittuntur particulæ craſſiores, per eam quoque feruntur aqueæ & ſubtiliores, quis enim neſcit feces alvinas per ampliſſimos inteſtinorum ductus promoveri, partemque ſubtiliorem ſ. chymum interim orificia vaſorum lacteorum porosque cruſtæ villoſæ ingredi.

§. 18. Simili forte modo bilis ſecretio in nobis accidit. Cum enim & venæ cavæ & ductus cholidochi radices, non minus quam venæ portæ in glanduloſis acinis terminentur: Quid impedit, quo minus diverſos in his concipiam poros, quorum alii

minores ſanguinem per venam portæ affuſum revehant in venam cavam, alii majores felli ſeceſſum concedant.

§. 19. Ne quid tamen diſſimulem, exiſtimo bilis ſecretionem pertinere ad functiones animales h. e. immediate à ſpiritibus dependentes. Sicuti vero nobis facile imaginari poſſumus in fœtus formatione ſpiritus diſponere omnia, & absque organis e.g. humores oculorum liberare ab obſcurioribus opacisque particulis: ita certe veroſimillimum eſt, eundem poſtmodum etiam curam gerere totius corporis, depurare humores, & conſequenter craſſiores ſanguinis particulas ſeparare à laudabilibus; ſcilicet hoc pacto quoque intelligimus, unde bili amaror, dulcedo lacti accidat, quod ſane per transcolationem vel alium quemcunq; modum mechanicum explicari nunquam poterit.

CAP. III.

De uſu Bilis.

§. 1.

NIhil jam illos morabor, qui bilem pro inutili ac rejiculo ſecundæ coctionis ſ. ſanguificationis excremento habuerunt, cum eosdem quoque videam admodum eſſe ſollicitos in ejus uſu, quicunque is demum fuerit, determinando. Placet autem examen opinionum de efficacia bilis adeo diverſarum primum inſtituere, antequam ad explicandum verum, ut mihi videtur, uſum accedam.

§. 2. Primo dogma Helmontii audiamus, qui, poſtquam in tract. Sext. dig. al. hum. contra Ariſtotelicorum atque Galenicorum ſcholas prolixe diſputaſſet, tandem p. m. 170, 27. affirmat eum

eum in finem ex epate duodeno infundi bilem, ut ab hujus fermento, quod salsum p. 819. 22. asserit acidus cremor in salsum convertatur.

§. 3. Sunt autem tria potissimum, quæ assertum hoc Helmontii dubium reddunt, nempe 1. Chylus, quem supponit acidum, talis non est naturaliter, nisi quando assumpta fuerint acida vel acescentia. 2. Bilem cum dicit salsam, sciendum est, quo sensu hoc prædicatum adhibeat; nempe accuratius loquendo salsum est, quod ex acido & alcali unitis constat, minus accurate alcalia quoque salsa dicuntur quibusdam quod à Zvvölffero perperam factum quivis facile intelligit. Hoc sensu fel non est salsum id est alcali ut in c. 1. §. 13. dictum, si vero nobiscum salsam esse vult bilem, regero, salsa hæc non posse acida destruere vel saturare. 3. Video jam ante prodire vasa lactea è duodeno, quam ductus cholidochus inseratur, adeoque aut chyli aciditas adeo nociva non est corpori aut certe necessitas bilis affundendæ tanti non videtur.

§. 4. Secundo sunt, qui ab instillata bile separari è chylo alvinas feces putant, idque potissimum ob natam efferveſcentiam bilis vel cum chylo, quod Willisio de ferment. p. 20. placet, vel cum succo pancreatico, juxta Tackium phas. soph. II. p. 32. & Diemerbr. in Anatom. p. 155.

§. 5. Cum vero hæc ipsa efferveſcentia humorum, in duodeno ut supra c. 1. §. 20. dixi, locum non habeat, propterea & hic quoque usus, quem in præcipitatione scoriarum è chylo collocant, evanescit sponte.

§. 6. Plausibilior est Tertio sententia illorum, qui existimant potius ad exclusionem secum alvi ordinatam esse bilem, siquidem acrimonia ejus instar clysmatis naturalis intestina vellicans sollicitando periſtalticum eorum motum, scybala educat; quod quidem

negotium eo felicius succedere videtur, quo magis lubricam reddit viam connata bili oleositas. Confer Glissonium in Anat. epat. p. 319. & Pecq. in Exercit. Anatom. p. 92.

§. 7. Favet quoque huic opinioni illud quod fel taurinum aut simile clysteribus loco stimuli addatur vid. Wedelii Tab. synopt. X. &. Deckers Exercit. Pract. p. 390. Interim vereor, ne omnis s. furcata s. hamosa acrimonia ex jecore in duodenum effusi fellis dispereat, antequam ad intestinum colon rectumque deveniat cum stercore, tum enim ne vestigium quidem bilis apparet, ita ut alvinarum fecum sapor nec acris, nec amarus aut salsus sed subdulcis sit annotante Helmontio p. 172. 36. Deinde & alvi obstructio, quam plerique in febribus patiuntur biliosis, ubi bilis maxime acris primas vias occupat, contrarium docet. Non enim video, quam ob rem ab acriori bile non irritentur intestina, quæ mitioris affluxum persentiscunt.

§. 8. Quarto nec desunt, qui de nobiliori usu dubitantes hæmatosin à bile juvari statuant cum Backio de corde p. 131. ita ut & Tackius c. 1. p. 28. & 31. impossibile pronunciet tincturam sangvinis elici posse ex cibis, nisi per bilem accedat sulphuris augmentum.

§. 9. Atque hoc ipsum quidem particulariter, quemadmodum infra §. 20. docebo, universaliter autem nullo modo admitti potest. Nec sequitur in hydropicorum cadaveribus dissectis fel exsiccatum lapidosumque deprehensum est, ergo felle depravato hydrops similesque corruptelæ oriuntur propter læsam sangvificationem. Unde enim certus sum, bilis vitium præcessisse, sangvinis cæterorumque humorum partiumque læsiones esse secutas. Verosimilius profecto videtur, à sangvinis discrasia forte pituitosa aut tartarea obstructas fuisse vias, quibus bilis ad folliculum deferri solet, unde aliter fieri non potuit, quin denegato affluxu fel vesicarium

tium paulatim exareſceret, ac induraretur. Confer Malpigh. c. I. p. 70. 71.

§. 10. Sed nunc quinto ſequuntur, qui bilem veluti ſanguinis balſamum ac condimentum totius corporis, omnia in nobis à putredine tueri atque conſervare ſtatuunt. Id enim amarities ejus admodum ſvadet, qua proxime ad aloen, myrrham, abſynthium imo & elixir proprietatis accedit. Videatur Tackius c. I. atque Helmont. p. 169. 20. 344. 74. & p. 180. 82. 83. ubi & hoc adjecit, quo fermentum fellis non attingit, ibi lumbricorum eſſe patriam.

§. 11. Regero autem ad hæc 1. nullibi in corpore reperiri ſaporem amarum, quod tamen neceſſariũ foret, ſi quidem bilis amaritudo partes præſervare debeat. 2. Fiat experimentum ac videamus annon & fel ipſum, affuſa ſimplici aqua intra paucos dies putreſcat. Fruſtra igitur à felle expectant aliæ partes præſervationem, quam ipſam ſibi præſtare nequit. 3. Nec verminoſa progenies, quæ putrefactionem fere præſupponit, adeo metuit bilem amaram. Video namque in hepate præſertim ovillo quod & Cornelius in progymn. p. 258. 259. annotavit, tanta ſæpius vermium multitudine repleri ductus epaticos, ac ſi dulciſſimum atque optatum hic nutrimentum effunderetur.

§. 12. Adjiciam ſexto Wilhelmum ten Rhyne, qui meditat. in Hippocr. Text. p. 302. 164. exiſtimat ſal volatile bilis facta cum ſero ſubacido efferveſcentia rectificari per anguſtiſſimos cerebri caniculos in animales ſpiritus; atque ideo aromatica, quod bilem acuant, eſſe analeptica, ſpiritusque ſimul ac vires reſtaurare p. 119.

§. 13. Duo autem hic præſupponit Autor, nempe 1. ſal volatile in bile & ſecundo hujus efferveſcentiam cum lympha; quibus cum jam ſupra ſatis factum ſit, noſo crambem bis coctam iterum apponere: Monendum interim eſt ſpirituum naturam longe aliam eſſe, quam quæ ex volatili ſale oriri queat. Commoventur quidem ſpiritus torpidiores v. g. in Apoplexia, Lipothymiis, aut Suffocationibus

nibus hysterici à spiritu salis ammoniaci, CC. atque similibus, nullatenus autem generantur ex his, aut multiplicantur. Officia namque spirituum, quemadmodum nullum colorem, aut odorem, ita nec saporem admittunt. Ac proinde longe alia est confortandi spiritus ratio in aromatibus; quanquam enim hæc ipsa exterius tantum adhibeantur e. g. alligata carpis manuum aut naribus admota, atque sic bilem non attingant, egregium tamen sæpissime præstant usum, aliis ex causis dubio procul deducendum.

§. 14. Genuinus vero bilis usus ut tandem innotescat, existimo ante omnia considerandum esse, quem in locum ex epate illa deferatur. Jam vero ex antea dictis liquet bilem omnem elaborari in epate ideoque negato ascensu omnem quoque ad duodenum deferri. Notandum tamen est duplicem ejus esse viam aliam immediatam per ductum epaticum, aliam mediatam intercedente cystide.

§. 15. Hanc equidem viam & ignorarunt & negarunt cum Backio p. 133. & Helmont. p. 820. 2. plures, laudem proinde meritus est non vanam Glissonius, quod primus in Anat. ep. p. 126. & seqq. monstraverit ductum, qui ex epate in folliculum deferret bilem; ex folliculo vero in duodenum iter manifestum est.

§. 16. Itaque omnis bilis tandem effunditur in duodenum; sic enim rectissime primum intestinorum vocatur juxta mentem Veterum, quibus integrum erat, sic aliterque nominare. Errant igitur omnes qui cum Glissonio p. 127. & Backio p. 135. ductus cholidochi insertionem in jejuno quærunt. Errat & Leonicenus supra citatus, quando p. 94. & 95. contra Graafium defendere conatur, insertionem hanc in ἔκφυσιν non in duodenum, quod cum jejuno pro eodem perperam habet, exire. Nam & ipsa ἐκφυσις δωδεκαδάκτυλος est, Vid. Hoffmann. Comm. in Galenum de usu partium p. 83. & Gorræi definit. p. 130.

§. 17.

§. 17. Affunditur autem fel in duodeni cavitate chylo & quidem ſatis copioſe, ejus enim tres vel quatuor unciæ brevi tempore colligi poſſunt, referente Pechlino p. 502. Fluxus namque ejus per ductum epaticum continuus eſt, ex cyſtide vero non niſi pleno ventriculo, ut recte notavit Diemerbrock p. 130. Egregie enim factum eſt à natura, quod folliculus fellis in epatis cavo reſidens, repleto ſtomacho exprimatur inter reſpirandum à depreſſione diaphragmatis; atque hoc unicum ſatis eſt ad demonſtrandam bilis utilitatem chylo deſtinatam.

§. 18. Rem omnem ita concipio: Video alimentorum quæ aſſumuntur varietatem eſſe inſignem, ac nihilominus ea in chylum laudabilem converti debere? Admiſcetur autem iis, ſi duriora atque ſicciora fuerint, non modo ſaliva, ſed & ex pancreate lympha, ut fluxum acquirat neceſſarium. Jam vero fieri quoque poteſt, ut nimium aquea aſſumantur, quæ chymi conſiſtentiam per ſe habere nequeant, tumque neceſſe eſt his adjungi particulas alias magis oleoſas ſpiſſasque, quas quidem à bile non inepte expectare poteris.

§. 19. Quam enim ob cauſam quæſo fel in plurimorum piſcium, carpionis, alburni, gobionis fluviatilis &c. ventriculum derivatur, niſi ut nutrimentum horum nimis aquoſum ex eo aliqualem conſiſtentiam recipiat. In raja vero carcharia iisque piſcibus qui rapto vivere ſunt ſveti, aliorumque piſcium carne veſcuntur, cum tanta neceſſitas non ſit, ſtomachum non ingreditur ſed duodenum.

§. 20. Ex hypotheſi ergo ſ. conditionaliter ſaltim utilis videtur fellis affuſio, adeoque mirum non eſt, ſi quando cum fecibus alvinis excernatur, quemadmodum ſalivam, copioſius in oris cavitate collectam, alioquin non inutilem expuere tanquam ſuperfluam, aut lachrymas profundere, ſolemus.

§. 21. Præterea cum videam bilem cum ovorum vitello convenire in hoc, quod oleosa atque terrea cum aqueis arctius unire queat, non puto absurdum fore, si quis statuat à fellis admixtione particulas alimentorum oleosas atque terreas cum serosis combinari placide, adeoque præcaveri ne vel oleosæ guttulæ chylo supernatent, vel terrestres atomi omnes secedant, cumque alvinis fecibus ejiciantur.

DISPUTATIO XXIV.

DE

VOLVULO.

IN quanto vitæ discrimine versentur ii, qui gravissimo intestini tenuis affectu, Ileo nempe laborant, rerum Magistra experientia quotidiana satis superque testatur: siquidem hoc correpti non solum atrocissimis infestantur doloribus, sed & admodum pauci raro & cum summa difficultate ab eo liberanturatque emergunt. Hinc divinus noster Senex Hippocrates Ileum vocat morbum præcipitem & periculosum admodum: & Galenus vix unquam aliquem sanum evadere ex hoc malo pronunciat; quinimo Lindanus cum Deo dilectum esse inquit, qui tantum

tummodo auſit ſperare, ſe evaſurum. Vidimus tamen, quod præfiscine dictum ſit, nonnullos, hoc affectu correptos divina aſſiſtente gratia mirabiliter reſtitutos, quocirca hunc utut ſatis periculoſum, non tamen prorſus inſanabilem judicamus: quem etiam hac diſſertatione pro ingenii tenuitate pertractare conſtituimus, ut hinc non ſolum ſæviſſimi hujus tortoris pateat crudelitas, ſed & quomodo feliciter ſit ſuperandus, manifeſtum fiat. Quod ut ad votum cedat Deum T. O. Max. toto corde veneramur ſupplices! Sit itaque:

THES. I.

QUemadmodum inter tot morborum phalanges, quibuscum miſerrimi mortales quotidie conflictantur, fere nullus reperitur, qui uno tantum appellatur nomine; ita & hic affectus, quem pro virili nunc pertractare animus eſt; variis inſignitur titulis.

TH. 2. Græcis κορδαψὸς ἀπὸ τῆς χορδῆς ἅπτεσθαι nominatur, quoniam ob fæcum flatuumque retentionem inteſtina ſic diſtenduntur, ut ſi forte digito comprimatur abdomen, inſtar chordæ eundem repercutiat: vel etiam quod inteſtinum funis & chordæ inſtar contortum & convolutum ſit, juxta mentem Galeni Lib. VI. de loc. aff. cap. 2. Qui enim manum loco dolenti, ad ileon inteſtinum admoverit, duritiem quandam tenſionem repræſentantem percipiet. Mercat. l. 3. de intern.

morb. curat. Pythagorici Medici, ſi Hollerio credimus, hoc malum φρεγμὸν, id eſt, oppilationem, appellarunt.

TH. 3. Latini volvulum dicunt, eo quod Veteres inteſtina inter ſe inſtar nodi Gordii complicari & circumvolvi crederent. Dubitare tamen aliquis poſſet, num recte huic morbo in genere ſpectato competat Volvuli nomen, cum ex anatome plurimorum ileo extinctorum conſtet, nullibi ejusmodi nodum, quem ſcilicet meſenterium vix admittit, raro etiam cohæſionem firmam obſervari, & quidem tum demum, ubi ſphacelo jam corrupta ſunt inteſtina, uti ex Riverii Obſerv. 26. Cent. 3. apparet.

TH. 4. Alii, dum ſummam in hoc malo miſeriam, cruciatus abdominis intolerabiles, fœtorem è ſtomacho exhalantem teterrimum ac ſumme nauſeoſum, turpiſſimam ſtercoris vomitionem, atque ex altera parte remediorum inſufficientiam ſpemque vanam inde conceptam perpendunt, non inepte paſſionem hanc commiſeratione digniſſimam, licet barbaro vocabulo, *miſerere mei*, vocant: alii illam easdem ob cauſas tormentum κατ' ἐξοχὴν ita dictum indigitant.

TH. 5. Communiter apud Autores ſortitur *Ilei* vel *paſſionis iliacæ* nomen, quod à verbo græco εἰλέω, quod ſignificat volvo, circumago, deducitur: dicitur etiam ita non male à loco affecto, quia in inteſtino ileo accidit, unde non aliter ut colica paſſio ab inteſtino colo denominationem obtinet: quantumvis enim nec cætera inteſtina ab hoc morbo prorſus immunia eſſe Medicorum obſervationes teſtentur, nullibi tamen ileon ab hac labe eximi & immune eſſe poteſt.

TH. 6. Ita Fernelius Pathol. lib. 6. cap. 9. in ſeptenni puella ſæviſſimis ventris doloribus, tandemque liquidioris ſtercoris vomitione exſtincta animadvertit inteſtinum cœcum penitus coangustatum atque conſtrictum perforatumque à copia fæcum indurata-

ratarum. Colon circa principium intus exulceratum ac inde inflammatum compressumq; causam dedisse Ileo notavit Kerckring. Observ. Anat. 42. ut alia taceam.

TH. 7. Unde patet, in crassis seu inferioribus intestinis causam iliacæ passionis interdum residere: nihilominus ileon ceu πρῶτον δεκτικὸν primario afficitur, in quo scilicet intensissimi dolores magis quam alibi sentiuntur, nam interdum ad rupturam usque incredibili cum cruciatu distenditur ob retentionem fæcum flatibusque denegatum exitum. Itaque convenientissime ab ileo nomen Iliaca passio traxit, præsertim cum vix unus è centum ileo correptis reperiatur, qui non ex hujus intestini vitio primario laboret.

TH. 8. Est autem Iliaca passio nil aliud, quam totalis alvi suppressio cum torminibus horrendis, & tandem subsequente tum assumptorum, tum & stercoris ipsius, si malum diutius duret, vomitu, ob motum intestinorum inversum, orta. Motus hic inversus accidit, quando intestinorum fibræ, quæ à superioribus versus inferiora debebant contrahi, versus superiora magis contrahuntur, & ita omnia quæ sunt in intestinis, non versus alvum, sed ventriculum versus protruduntur.

TH. 9. Ad Ilei causas quod attinet, inter illas præcipua est excrementorum siccitas atque durities, cujus exemplum suppeditat Helm. in Tr. de flatibus, ubi Thomam Balbani Antverpiensem ileo intra octiduum extinctum scribit, in cujus ventre, dum secaretur, non alia reperta fuit mortis causa, quam quod sedecim digitorum transversorum spatio supra monocolum hæsitarit durum stercus, & multa soluta saburra, per ileon desuper nataverit.

TH. 10. A variis autem causis fæces alvinæ indurantur, ac inde pertinacissima obstructio sæpe nasci solet, quod inprimis fit, quando diutius justo retinentur, vel præ pudore, vel etiam in de-

defectu temporis vel loci, inter peregrinandum, confabulandum, &c.

TH. 11. Quibusdam idem malum accidit, quando cibos ficciores vel adstringentes assumserunt, videlicet castaneas, cydonia, mespila: à pyrorum crudorum sumptione copiosa perquam contumacem ileum recensetZacut. Lus. M. P. Hist. pag. 358.

TH. 12. Alii ob seri defectum in eundem morbum incidunt, qui scilicet parcius potant, aut etiam largum sudorem, vel lachrymas copiose profundunt. Præ viris frequentius alvi adstrictione vexantur mulieres, præsertim illæ, quæ gracilem corporis statum optant, quapropter nunquam sitim sufficiente potu restringuere audent: aniculæ etiam, dum continuo flentes atque mœrentes ac vitam sedentariam agentes solitudini litant, sæpius ab hoc malo infestantur.

TH. 13. A janua itaque aberrare videntur illi, qui sæpius justo & omni fere quatriduo pilulas aloëticas, aut omni mane elixir proprietatis recipiunt, ut hac ratione corpus servent purum, morborumque prima initia mature ejiciant: siquidem horum usu nimio & intempestivo corpora nonnulla plus satis exsiccantur. Quin etiam censura digni sunt illi Medici, qui promiscue corporibus etiam siccioribus ejusmodi remedia justo largius permittunt ac suadent, nec intelligunt, post sæpe repetitum ac diutius continuatum eorum usum contumaces plerumque obstructiones subsequi.

TH. 14. Porro enterocele Ileum dum quoque gignit, quando per foramen angustius peritonæi egreditur quædam intestini portio, ibidemque à succeßive descendentibus cum flatu excrementis sic distenditur, ut nullatenus per angustias viæ regredi, vel fæces transmittere queat. Rarum est exemplum ilei ex omphalocele, quod Forestus habet Lib. 21. Obs. 21, & Guil. Fabric. ex bubo-

no-

nocele in passione iliaca, quod extat in Cent. 6. obs. Chir. 37. Ex hernia autem scrotali id malum sæpius oriri multoties observatum est à Practicis.

TH. 15. Præterea nonnunquam fieri solet, ut ob mutuum intestinorum ingressum intercipiatur contentorum fluxus: Nempe dum quædam Ilei pars p. n. coarctatur, altera vero à flatibus inclusis expanditur: unde facili negotio pars gracilior in ampliorem sese insinuat, ejusque cavum occupando, chyli distributionem fæcumque progressum sufflaminat. Vide sis Tr. de le Boë Sylv. Op. p. 191. & Blasium p. 2. Obs. Med. 3. p. 37. ubi satis clare delineavit, & ingressum superioris in inferiorem, & inferioris in superiorem, prout in subjecto sibi viso sese spectandum obtulit.

TH. 16. Similem ilei ingressum, eumque triplicem in puella octenni annotavit Peyerus in exercitat. de Gland. intestin. p. 82. quorsum Lectorem Benevolum remitto.

TH. 17. Tandem & intestinorum inflammatio, sive à causa externa sive interna proficiscatur, fæcum excretionem nonnunquam impedit, atque hinc nata iliaca passio omnium est periculosissima, quoniam facile in gangrænam ac sphacelum degenerare solet. Itaque ubi æger de æstu interno ac siti conqueritur, aut etiam febris ileo supervenit, malum signum est, indicat enim imminentem vel jam præsentem inflammationem: si vero dolor hic ardens subito evanescat, sudor frigidus in facie deprehendatur, ægerque conqueratur de notabili virium jactura pessimum est; intestina namque jamjam siderata indicat, ergo mors in olla: imo præ foribus.

TH. 18. Differentias Volvuli quod concernit, quidam Volvulus est spurius & illegitimus, qui interdum à solis flatibus oritur, in quo via intestinorum non prorsus est occlusa: Legitimus vero & exquisitus Volvulus est, in quo totalis intestini obstru-

ſtructio adeſt, deſcenſusque inteſtinorum omnino tollitur, & hic cauſas agnoſcit eas, quæ in præcedentibus theſibus allatæ ſunt ac propoſitæ.

TH. 19. Inveſtigatis nunc ilei cauſis, differentiisque, ad Signa ejus conſideranda methodus nos ducit, quæ de conſtitutione, dignotione & eventu affectus nos edocent, ne hiſce ignoratis incognito morbo remedia præſcribamus. Quod igitur attinet ſigna diagnoſtica poſt primum inſultum apparentia, ſæpe contingit, ut in principio ad aliquot dies nil niſi alvum obſtructam ægri ſentiant: deinde paulatim in progreſſu cruciatus ac dolores ventris intenſi ſuperveniunt, ac de die in diem exacerbantur, donec tandem ventriculo in conſenſum rapto, chyli diſtributio impediatur, & quicquid aſſumptum fuerit primum, poſt & ipſa excrementa per os evomantur.

TH. 21. Quoad obſtructionem alvi moneo, eam non qualemcunque aut levem in hoc morbo, ſed totalem adeſſe, atque ut plurimum ita pertinacem, ut nec à purgante aſſumpto, nec injecto enemate educantur ſcybala. Neque obſtat Rhodii Obſerv. Cent. 2. 79. ubi bina memorat eorum exempla, qui paulo ante obitum excrementa per alvum rejecerunt: quandoquidem inter morbum & finem morbi maximum eſt diſcrimen, dumque in mortis agone reſolvantur omnes fibræ, mirum non eſt, ſi etiam inteſtina ob dolorem antea contracta liberiorem tunc exitum concedant fæcibus.

TH. 22. Circa tormina illud notari meretur, primo: quod ſedem ilei concernit, dolorem magis in medio abdomine circa umbilicum, vel etiam in inguine, quam ambitu ab ægris obſervari; Secundo & ipſum doloris genus quodammodo eſt ſingulare, ſi quis enim conſiderat, quanta vis ſit infarcti ſtercoris flatuumque arctius concluſorum, ei non obſcurum eſſe poteſt, qualis dolor ſit inteſtini adeo violenter diſtenti.

TH. 23.

TH. 23. Fidem pene ſuperat, quod Platerus lib. 3. Obſerv. pag. 657. ſcriptum reliquit, inteſtina in cadavere cujusdam Iliaci tantopere diſtenta fuiſſe, ut certis in locis craſſitiem femoris adæquarent, atque ilico ex compreſſione diſrumperentur. Quid? quod Henricus ab Heer in Obſ. Med. p. 54. narrat, ſe præſente, dum ileo mortui abdomen diſſecaretur, ſponte inteſtina crepuiſſe, cunctorumque adſtantium veſtes inſigniter commaculaſſe, cum impetu erumpentibus & explosis quaſi ſcybalis.

TH. 24. Acutiſſimus oritur dolor, quando inteſtina, ut lintea lotricum ſolent, contorquentur aut inſtar funis madefacti convolvuntur, vel coarctantur, ſicut manicæ extremitates circumducto filo coanguſtari cernimus: quale exemplum Panarollus Pentec. 1. Obſ. ult. recenſet. Mitior paulo dolor eſt, quando inteſtini una pars in alteram inſeritur, velut gladius in vaginam, vel quando cœcum in ileum ingreditur, atque illud opplet.

TH. 25. De vomitu ſatis manifeſtum eſt, eundem ſaltim per conſenſum oriri, prout in calculo, paſſione hyſterica ſimilibusque abdominis morbis accidit. Nec enim credendum eſt, ob interdictam viam ab aſſumptis repleri cum inteſtinis ſtomachum ad pharyngem usque pro more quorundam potatorum, ut & poſtmodum ſine difficultate depleatur ventriculus: Sed potius id inteſtinorum motui periſtaltico præternaturaliter inverſo adſcribendum erit, ſiquidem ileus quoque datur, in quo & clyſmata & ſuppoſitoria ano immiſſa magna cum violentia ſurſum rapiuntur, ac per vomitum evacuantur. Qua de re legi meretur Thoner. Obſ. 8. lib. 3. p. 160. & Sennerti Praxis Lib. 3. p. 1. ſ. 2. cap. 1.

TH. 26. Prognoſtica ſigna quod concernit, ſciendum: omnem ileum periculoſum eſſe: majus vero imminere peri-

culum, si stercus evomatur, sudores halitus & ructus sint fœtidi: febrisque ægrum comitetur acuta. Vomitum ab ileo, singultum, convulsionem & delirium, malum esse judicat Hipp. Sect. 7. aph. 10. quando enim singultiunt ægroti, argumento est, stercus ascendens ventriculo molestum esse, aut orificium ventriculi à motu intestinorum inverso in consensum trahi: si vero delirant, propter consensum orificii ventriculi cum cerebro illud fieri, credendum.

TH. 27. Has similesque circumstantias, probe cognitas habere debet is, qui curationem ilei felicem optat. Quod si igitur intelligat, à fæcibus induratis malum oriri, tum amplius non dubitet, eo unice allaborandum esse, ut & emolliantur duriores fæces, & propellancur quantocyus. Certe purgantia fortiora hic nihil valent, imo ægrum in majus conjiciunt periculum, quando malum jamjam confirmatum est: siquidem dolor abdominis in immensum augetur, ac sæpe ad superiora commoventur excrementa, ut vomitu rejiciantur, ubi paulo pertinacior fuerit alvi obstructio.

TH. 28. Mitiora interim lenitiva suam laudem merentur: proficuum erit decoctum passularum, jujubarum, Tamarindorum, ficuum, polypodii, item prunorum, pulpa tamarindorum, pomorum borstorffianorum, quorum succum si putrida fuerint expressum bibere jubent Misc. Nat. Cur. Ann. VII. pag. 153. &c. uti & serum lactis aut lac ebutyratum largius haustum. Prodest hic quoque syrupus Cichor. c. Rhabarb. rosat. solutiv. c. cremor. ℞ri & sim.

TH. 29. Tutiora minusque flatulenta sunt juscula pinguia affatim epota: cumque Oribasius loc. aff. Cur. lib. 4. c. 91. in hoc morbo, etiamsi stercus jam vomant, mirifice juvari ægros tradat, si saltem frustra panis calida oleo imbuta comedant, non inconveniens erit, si vel oleum commune, vel amygda-

gdalarum dulcium juxta Foreſt. ad ʒij. ſolum, vel cum cereviſia calida propinetur, ut hoc pacto viæ quadantenus lubricæ, fæcesque ad ulteriorem progreſſum exitumque aptiores fiant. Ita vidimus olei amygdalarum ʒiij. cum Mannæ Calabrinæ elect. ʒj. in brodio gallinæ cum ſucceſſu aliquoties exhibita.

TH. 30. Eundem in finem ſolent non pauci ventrem totum butyro non ſalito aut pingvedine ceti (Fiſchthran) inungere, nec fruſtra. Quidam omentum & inteſtina caliditſima ex vivo animali ante cubiculum ægri mactato extracta imponunt abdomini & ſi dolor non remittat, reiterant poſt horam, vide Deckers notas in Prax. Barbett. pag. 193. Simile anodynum externum eſt illud Zacut. Luſit. quod tanquam præſidium expertum Tom. 2. Prax. Hiſt. lib. 5. c. 2. obſ. 2. valde commendat, nempe ſtercus vaccinum recentiſſime collectum, ac inſtar cataplaſmatis ventri applicatum: commendatur ſangvis veſpertilionis eoque hypochondria inunguntur. Conf. Franc. Joel Op. Med. Tom. 3. l. 4. ſ. 2. pag. 172. & Jonſton. in Pr. 517.

TH. 31. Majorem adhuc efficaciam habent clyſmata, quippe quæ ſecundum rei exigentiam vario inſervire poſſunt ſcopo, nunc dolorem ſedando, nunc flatus diſcutiendo & purgando. Nec obſtat in tenuioribus inteſtinis obſtructionem reſidere, quorſum clyſmata non creduntur penetrare, juxta communem Doctorum opinionem: etenim, quam in coli principio ſtatuunt, valvula utut ſatis craſſa & membranoſa ſi penitius conſideretur, tanti valoris non eſt, ut in hoc ſtatu præternaturali & violento omnem plane aſcenſum prohibere poſſit.

TH. 32. Fortaſſis autem Nicotianæ fumo tranſitum minus denegabunt, quibus liquoris acceſſus adeo impoſſibilis videtur. Notum autem eſt, illi vim tantam ineſſe purgandi,

ut & tantillum fumi ex improviso deglutiti, minus adsuetis subinde vomitus atque secessus procreet. Nullus igitur dubito, quin hic fumus, si per inferius guttur insuffletur, juxta modernorum clysmaticam novam, feliciter alvum proritare valeat. Instrumentum modumque applicandi vid. in Barthol. Cent. VI. Hist. 66.

TH. 33. Et quamvis vel maxime concedam, Clysteres in substantia & materialiter non pertingere ad intestina tenuia, nemo tamen inficias ibit, virtualiter eousque illos operari, præsertim cum ingredientia selectiora fuerint recepta: non autem opus est, integrum emollientium, carminativorum vel purgantium catalogum ad clysmatum confectionem heic præscribere, in plurimis Practicorum libris reperibilem: quoniam ex oleo communi vel raparum aut lini, quod paratur, clysma sæpe solum sufficit; atque omnibus irritis, quod Graaff. Oper. pag. 674. laudat, simplicissimum clysma, ex aqua melle ac sale, vel secundum Adrian. Mynsichtum s. 32. ex ▽æ libra j. & Sal commun. ʒiß. compositum aliquoties in ileo egregie profuisse compertum est.

TH. 34. Nec vero statim desperandum, si prima vice clyster scybala non sufficienter educat, sed reiterandus ejusdem usus: Et quoniam periculum in mora est, expedit non modo viam præparasse per inferiora, sed & per superiora assumsisse, quæ suo pondere protrudant, pellantque excrementa firmius in cavo intestinorum hærentia.

TH. 35. Spectat huc elegans Th. Barth. historia, quam in Cent. V. hist. 40. recenset: Nimirum pincerna Regius per octodecim dies alvi suppressione totali laboraverat, quo tempore in cassum varii generis medicamenta fuerunt adhibita: tandem cum omnia essent frustranea, amicis valedicturus cyathos aliquot vini rhenani illis propinat ac exhaurit, unde, dictum

ctum factum, præter omnem ſpem & expectationem alvus oborto murmure ſoluta eſt, ægerque ad ſanitatem priſtinam rediit, ſtupentibus Medicis.

TH. 36. Suave profecto ac delicatum hoc foret ilei remedium, modo æquali ſucceſſu omnibus ægris prodeſſet; verum durus nodus duriorem ſæpe requirit cuneum, atque ideo Merçat. L. 3. de morb. int. cap. 16. limaturam chalybis in forma pulveris aut opiatæ ſive electuarii commendat, eamque præſtantiſſimum fore præſidium in ileo judicat.

TH. 37. Alii laudant mercurium vivum, quippe qui ſumme ponderoſus, & aptiſſimus exiſtit, ad iter undique ſibi quærendum parandumque: hunc deglutiendum præbent varia in forma, aut ſaltem diverſo pondere. Ita enim Hartmann. in Pr. Ch. ℥ii crud. ℈j. ad ℈j. Ol. comm. & Saccharo diſtemperatum exhibet. Riverius autem in obſ. p. m. 316. narrat, aliquem fuiſſe, qui ☿ cum Sulphure extinctum ad ℈j. globulo ceræ incluſum aſſumſerit, poſtquam omnia priora medicamenta in caſſum fuiſſent exhibita, fæcesque jamjam per os excernerentur, nihilominus beneficio illius remedii exfaucibus mortis illum ereptum eſſe refert.

TH. 38. Similiter ex Velſchio narrat Burnetus in Theſ. Med. Pr. p. 155. alium cum majori cura ☿ium primo purgaſſe per decoctionem in vino atque aceto, & trajectionem per corium, deinde ejus ℈ß. incluſiſſe veſicæ, quæ intus auro erat obducta, factumque nodulum glutine tragacanthi obfirmaſſe, ac tandem melle aut ſyrupo cuidam intinctum ægris exhibuiſſe laudabili cum ſucceſſu.

TH. 39. Horum plures reperire licet, qui minus timidi fuerunt in exhibitione ☿ii: Sic enim Rhod. Obſ. Med. Cent. 2. 80. teſtatur hydrargyri ℥iv. cum melle roſaceo ſolutivo hauſtas deploratum iliacum ſanaſſe. Libram dimidiam ☿ii

vivi impune ſumptam, ac ilico alvum exoneraſſe memorat Heinr. ab Heer in Obſ. Med. p. 56. qui plures morti vicinos hujus præſidio reſtituit. Imo integram ejus libram Zacut. Luſ. pr. adm. lib. 2. Obſ. 35. cuidam Duci ſtrenuiſſimo præſcripſit optimo eventu. Ut taceam, ejusdem lib. iij. in ▽ ſumptas pluribus in iliaca paſſione periclitantibus vitam ſervaſſe, annotante Paræo Op. Chir. Lib. 20. c. 38.

TH. 40. Cum autem lippis & tonſoribus, quod in proverbio dicitur, notum ſit, quanta non raro poſt uſum ℈ii internum pariter ac externum incommoda ſequantur, non miror, Mercurium à multis abhorreri ac reſpui inſtar veneni. Igitur conſultum erit, illum cum cautela exhibere: Et quemadmodum eundem exceſſive ad libras porrigi opus non eſt, ita nec eos probare poſſum, qui vix unciam præſcribere audent. Sane in caſu deſperato ſatius eſt majorem quam minorem quantitatem exhibuiſſe, quoniam quo plus æger receperit, eo citius liberabitur ab obſtructione; at ubi pondus ℈ii ad protrudenda impedimenta minus ſufficit, tunc & unica drachma, ſi diutius in corpore moretur, ſalivationem tædioſiſſimam aliaque incommoda excitare valet.

TH. 41. Videntur itaque ℥ij. ℥iij. usque ad ℔ß. ℈ii per corium trajecti abunde huic noſtræ intentioni ſatisfacere poſſe: cumque manifeſtum ſit, ℈ium in ſe nec corroſivum nec venenoſum eſſe, niſi cum ſalibus uniatur acrioribus, hinc optimum cenſeo, ſi cum lactis calentis hauſtu propinetur, ut hoc pacto humores acres primarum viarum quodammodo obtundi, & ipſum remedii genus inſolitum eo melius operari queat.

TH. 42. Loco ℈ii ſunt qui globulos vel aureos, vel argenteos, vel antimoniales, ex Regulo ſcilicet factos, vel etiam plumbeos ægro deglutiendos præbent. Inſtar omnium eſſe poſ-

possunt plumbei, quia nec aurum, quanquam preciosius, nec argentum vel antimonium quicquam peculiare hoc in casu præ Saturno habet; nisi forte aliquis post usum Mercurii aureum globum eligere malit, quo reliquiæ Mercuriales in corpore forte adhuc superstites, illi felicius adhærere, atque simul evacuari possint.

TH. 43. Quid vero plumbei præstent globuli, non uno edoctus sum exemplo: si quem iliaca passio vehementius urgeret, dedi ordinarie binos de globulis bombardarum satis grandibus, tres unico in casu, cum æger de continua eructatione fœtoris quasi ovorum putridorum & summo dolore abdominis conquereretur, ita ut nullatenus incurvatum corpus erigere nec genua ad mentum contracta extendere posset.

TH. 44. Dicam nunc, quid circa hæc notatu dignum mihi observatum sit: Primo: cruciatus intolerabilis ilico post assumptos globulos desiit, nec ullus amplius dolor remansit, præterquam gravativus, sed mitior eo in loco, ubi forte scybala indurata progressum globulorum impedirent.

TH. 45. Secundo: cum ad vomitum antehac pronus ventriculus facile irritetur à plumbi onere, atque cum maximo conatu id ipsum reddere nitatur, mirum dictu, quam prompte sedetur omnis difficultas, simul ac in dextrum latus æger inclinet corpus; ut hac ratione per pylorum egredi hospitibus peregrinis liceat.

TH. 46. Tertio: cum erectus coporis status atque commotio multum faciat ad globulorum progressum, pauci vero propter defectum virium obambulare valeant, satis fuit, in lecto sese jactitasse ex uno in alterum latus, donec ad destinatum locum deducerentur cum fæcibus globuli.

TH. 47. Ultimo: nec illud silentio prætereundum arbitror, quod plerumque tertia imo & quarta demum die è ventre

tre redierint globuli, quamvis non raro prima ſtatim, qua deglutiebantur, die ſcybala ſeceſſerint. Non enim dura tantum ſed & liquida, qualia ſecundum naturam excernuntur, prodierunt, quotiescunque clyſma applicaretur: interdum enim globulus quandam coli cellulam occupat, ubi aliquali dolore gravativo ſeſe prodit, levi negotio excutiendus, ſi modo elevatis pauliſper in lecto cruribus ac poſtmodum reclinato ad lævum latus corpore æger ſeſe erigat.

TH. 48. Hæc de cura ilei à fæcibus induratis dicta ſufficiant: unicum reſtat, quod corollarii loco hic ſuperaddere lubet, videlicet ægros in ejusmodi affectu non nimis vexandos calore vel lecti vel hypocauſti, (prout communiter vulgus in omni fere morbo efficaciam caloris immenſam credit,) quin potius ſuavi refrigerio recreandos eſſe: Sic enim olim inſignis Medicus Mich. Savanarola, cum Dux Ferrarienſium contumaci alvi obſtructione laboraret, clyſtere nihil proficiente juſſit cubiculi pavimentum, quod marmoreum erat, aqua frigida copioſe conſpergi, ægrumque de lecto ſurgere, ac nudis incedere pedibus. Vix autem quinquaginta paſſus perrexit Dux, & ilico ſolutus eſt venter: Medici autem conſilium 100. aureis remuneratum fuit. Vid. Sennert. in Prax. lib. III. P. 2. Sect. 2. c. 4.

TH. 49. Sed tranſeo ad curationem iſtius ilei, qui propter herniam inteſtinalem interdum accidit, ubi profecto nec globuli plumbei, nec potus mercurii vivi, nec quicquam eorum convenire poteſt, quæ hactenus commendavimus. Etenim niſi hernia reponatur, inque locum debitum reſtituatur elapſum inteſtinum, fruſtra tentantur omnia: & quoniam fæces cum flatibus ibidem collectæ concluſæque reſtitutionem herniæ omnino prohibent, inprimis allaborandum eſt, ut inteſti-

na

na ad regreſſum per carminativa, anodyna & emollientia disponantur.

TH. 50. Helmont. equidem in jure Duumvir. 20. & de flatib. 75. multum extollit vinum cum ſemine contuſo aniſi, carvi, fœniculi & coriandri ebullitum, ejusque hauſtu quinquagenarium ſe reſtituiſſe meminit, cui ad capitis magnitudinem intumuerat hernioſum ſcrotum. Eadem hæc carminativa exterius quoque applicata inſigniter profuiſſe non ſemel vidi, præcipue ſi mentha floresque chamomillæ adjecta fuerint.

TH. 51. Quid vero aqua frigida valeat, ex River. Obſerv. comm. p. m. 354. non poſſum non adducere. Fuit inter Chirurgos Monſpelienſes exercitatiſſimus Samuel Formius, qui multos ſequenti ratione curavit in enterocele, ac nonnunquam connexa paſſione iliaca: nimirum menſam vel aſſerem ſatis latum ita diſponebat, ut una extremitas lecto, altera pavimento inniteretur, deinde ægrum ſupra aſſerem ſubjectis pulvinaribus tali ſitu collocabat, ut declivi capite crura verſus lectum attolleret: mox linteo multiplicato aqua frigida imbuto per dimidium horæ ſpatium locum affectum fovebat, deinceps impoſito eodem linteo ligaturam ſuperinducebat, atque ſic utplurimum intra paucas horas ſua ſponte repoſitum eſt inteſtinum.

TH. 52. Ne vero quisquam ſine judicio ubique hoc tentare audeat, addit idem Formius l.c. ſe quando inflammatum jam fuiſſet inteſtinum, ſectionem peritonæi inſtituiſſe, & quidem ſatis feliciter. An in hoc caſu locum habere queat fotus ex ſpiritu vini, aliis ulterius experiundum relinquo: In enterocele, ſed ſine inflammatione præſentiſſimum remedium in aqua vitæ reperit L. Riverius Cent. 3. Obſ. 82.

TH. 53. Majorem adhuc admirationem meretur Emplaſtrum Magneticum, cujus vires vix ſatis deprædicare poteſt

Hoffm. in M. M. p. 427. quippe quod lumbis applicatum fortiter inteſtina è ſeroto in ſedem naturalem retrahit, ut nec ſectione nec aliis remediis opus ſit.

TH. 54. Occultavit hujus emplaſtri præparationem, dum viveret, Autor; genuina tamen poſt ejus mortem deſcriptio ex manuſcriptis edita eſt à Godofr. Schulzio in ſcrutin. cinnab. p. 174. quæ recipit Gumm. Sagapen. ammon. galban. aa. ℥vj. therebinth. cer. virgin. aa. ℥v. magnet. arſenic. ℥iij. rad. ari ℥j. Unde quivis facile intelligit, hoc ipſum emplaſtrum maxime convenire cum magnetico arſenicali Angeli Salæ, quod tamen antehac à nemine in ſimili caſu adhibitum fuit, quamvis illius nomen facultatem ſingulariter tractivam promittat.

TH. 55. Pergo ad ileum ex inteſtinorum ſubingreſſu natum: ubi dubio procul plures cum Barbetto optarent ventrem apertum, ut hoc pacto manibus tractare inteſtina, eorumque ordinem ſitumque nativum reſtituere poſſent. Res exemplo non caret. Sic namque in Theophil. Bonetti ſepulchr. p. 912. lego, illuſtriſſimæ Baroniſſæ, à Lanti, quæ iliaco affectu laborans pro deplorata habebatur, abdomen à chirurgo juvene diu caſtra ſequuto apertum, inteſtinorum convolutionem expeditam, vulnus feliciter conſolidatum, & ægram integræ valetudini reſtitutam fuiſſe.

TH. 56. Verum & alia adhuc proſtant remedia, quæ non minus expedite nodum ſolvere poterunt absque ſectione. Quid obſtat, ſium vivum vel globulos plumbeos aut aureos hic quoque deglutiri, ut ſua mole partem inteſtini intus ſuſceptam rurſus expellant?

TH. 57. Hoc fieri poſſe judico ſi inferior pars in ſuperiore hæreat: at ubi ſuperior in inferiorem deſcenderit, minus quadrare. Itaque tanquam extremum remedium juſſu ipſi-

ipsius Hippocr. lib. 3. de morb. follis fabrilis applicetur cum fistula convenienti, flatusque immittatur in podicem, usque dum dilatatis intestinis & fæces firmiter inhærentes progredi, & intestina ipsa in debitum situm redire queant.

TH. 58. Quo facto clysmate injecto sollicitanda est alvus juxta monitum ejusdem Hippocratis: quem secutus Amatus Lusitanus virum sanavit in volvulo omnia evomentem, nec quicquam per inferiora excernentem, quamvis plures applicarentur clysteres. Vid. Cur. Med. Cent. I. fin. p. m. 206. eadem methodo in conclamato ileo ex nimio esu oryzæ semicrudæ usus est felicissime Zac. Lus. in pr. adm. Lib. 11. Obs. 35. adhibitoque folle viam præparavit clysteri paulo post injecto, quo excrementa adusta caprinis similia educta sunt, ægrotusque sanitatem pristinam recuperavit.

TH. 59. Superest, ut tandem de inflammatione intestinorum, quatenus volvulum gignit, etiam agamus. Ubi equidem summo in discrimine versatur æger, ob malum acutissimum, quod cito ad statum properat, febremque præsentem & vehementissimos fixosque dolores: facile etiam gangræna supervenire potest: sperandum tamen quamdiu ægrotus spirat, puto, nec animum omnino abjiciendum, sed quousque licet, in curatione prudenter pergendum, præsertim autem febris & inflammationis rationem habendam esse.

TH. 60. Proinde, præmissis illis, quæ febri resistunt, Venæsectione scilicet, diaphoreticis, alterantibus, confortantibus & similibus, ea quæ inflammationem sedant propinanda e. gr. succ. cancror. fluviatilium contusorum, nitrata, saturnina & similia: clysmata etiam ex cremore ptisanæ, oleo rosato, succo plantaginis, endiviæ, portulacæ, aqua sperm. ran. quibus in progressu morbi discutientia addi possunt, aliquoties repetenda erunt. Medicamentis quibus gangræna in partibus ex-

ternis curatur, possumus, ubi res exigit, etiam in clysteribus uti, nempe scordio ex Hieron. Fabr. Chir. Sagittaria ex Popp. Herb. hedera terrestr. cum sabina atque nicotiana ex Arnold. Weickard. Thes. Pharm. pomis putridis ex Paul. Quadrip. fæce cerevisiæ ex Bartholin. hist.

TH. 61. Diætæ ut paucis mentionem faciam, judico, illam valde tenuem esse debere, siquidem præcipuum curationis negotium in abstinentia versari videtur. L. Riverius hoc affectu laborantibus per 4. aut 5. dies tria tantum cochlearia jusculi quotidie exhibet, idque eo fine, ut vomitus impediatur, qui morbum graviter auget. Accedit, quod alimentum sumptum parum vel nihil solatii afferat ægrotanti, cum tantum absit, ut nutriat, ut potius prorsus corrumpatur, dum chylus à ventriculo in intestina prolabens cum excrementis retentis permiscetur. In potu libertas paulo major ægro concedenda: commendatur oxycratum valde temperatum parce frequentius tamen exhibitum, vel hujus loco Cerevisia tenuis probe defæcata. Vinum & omnia calefacientia sedulo vitentur, præsertim ubi viscera sunt inflammata. Ubi fæces induratæ & flatus peccant, alimenta debent esse humectantia, emollientia, & flatuum generationem impedientia. De cætero aër & omnia reliqua temperata sunto. Et hæc sunt, quæ de iliaca passione hac vice quantum permisit temporis angustia, proponere volui, atque potui: plura, qui desiderat, adeat Practicorum libros, latis prolixe de ileo scribentes.

DISPU-

DISPUTATIO XXV.

DE

LIENTERIA.

Summo Favente Numine.

THESIS I.

Lienteriæ vox origine quidem græca est, Hippocrati jam olim usitata, & componitur ex λεῖον, læve, lubricum & ἔντερα intestina, adeoque idem est ac λειόνης τῶν ἐντέρων, monente Gorræo in Definit. Med. Sed jam latina civitate donatum Lienteriæ vocabulum est, quemadmodum pleraque à Græcis mutuata morborum nomina v. g. Dysenteria, Diarrhæa, Dysuria, Hydrops, Pleuritis, &c. *Lienteriæ Etymologia.*

TH. 2. Celso Lienteria dicitur lævitas intestinorum: Aliis Lævor aut Lubricitas Stomachi & Intestinorum, item fluxus lientericus. An vero fluxus chylosus commode dicatur, quorsum & Cardilucius in Officin. Sanit. pag. 456. inclinat, hæreo, cum chyli nomen vix mereatur, quod in Lienteria excerni solet, nisi & ipsa Cœliaca habeatur pro specie Lienteriæ. *Synonymia.*

Homonymia. TH. 3. Equidem è Recentioribus Bruno in Lexic. Med. differentiam inter Cœliacam passionem & Lienteriam non necessariam arbitratur; nec rarum est à Veteribus eas interdum confundi. Ita enim Aretæus in Lienteria secedere stercora liquida ab alibilibus indiscreta putat lib. 2. de morb. diutur. cap. 10. It. Amat. Lusit. Cent. 2. Curat. 56. Lienteriam inscribit, cum Nobilis quidam semicrudum cibum per secessum emitteret, quod tamen Cœliacæ potius indicium est. Nam & Capivaccius sub Lienteria Cœliacam omnino comprehendit Lib. 3. Prax. Med. cap. 16. ut taceam Nicolaum Comp. Med. Sect. 38. cap. 160. medicamentum parare pro Lientericis ramenta dejicientibus, qualia in Dysenteria quidem, at in Lienteria proprie dicta nunquam excernuntur.

TH. 4. Nec omnino hic præterire Salmuthum possum, qui solus ac primus, quod sciam, Linteriam urinalem dixit, pro Diabete, utpote cujus exemplum Cent. 2. Obs. 91. sub eo refert titulo: Viri scilicet qui vini potum prorsus eundem substantia, colore atque odore per vias emittebat urinarias. Quemadmodum enim alias Lienteriam vocant, si cibus per intestina rejiciatur non mutatus, ita nec dubitat Autor Lienteriam nominare urinalem, quando potus redditur, prout assumtus fuit.

Definitio. TH. 5. Quicquid tamen ejus sit, stricte loquendo Lienteria nihil aliud est, quam Cibi Potusque indigesti per alvum excretio.

Genus. TH. 6. In qua definitione generis locum occupat excretio, & quidem per alvum, quo ipso generali conceptu coincidit cum Cœliaca, Diarrhæa & Dysenteria. Abstineo autem lubens à termino alvi fluxus, quoniam in Lienteria neque adeo copiosa, prout in Diarrhæa vel Dysenteria excernuntur, nec fluida æque, nisi plus potus quam cibi assumat

æger

æger. Si quis proinde panem cum carne, aut ſolida ſimiliæ ſumta per alvum reddiderit, talis profecto excretio minus apte dici poterit alvi fluxus.

TH. 7. Verum à reliquis ita dictis alvi fluxibus Lienteria promte diſtinguitur, ſi materiam attendamus excretam. In hac ipſa enim cibus potusque plane indigeſtus excernitur. In Cœliaca ſemidigeſta chyloque perfuſa, in Diarrhæa, ſeroſa, bilioſa, vel viſcida. In Dyſenteria denique cruenta & purulenta.

TH. 8. Dum Cibum Potumque indigeſtum nomino, monendum eſt, ſub iis intelligi alimenta debita atque conſueta. Si quis enim Oſſa, teſtas cancrorum, nucleos ceraſorum & prunorum ſimiliaque per alvum reddit indigeſta, pro Lienterico habendus non eſt, ſiquidem talia inter cibos numerari non merentur. Ad eundem modum nec infantes Lienteria laborant, quando paſſulas & amygdala, Lentes atque piſa per anum dejiciunt, nam & teneræ ætati talia minus conveniunt, & quæ admiſcentur ſtercora, ſatis indicant, non omnem deficere digeſtionem prout in Lienteria.

TH. 9. Quod ſi ſedem hujus mali examinemus, manifeſtum erit, tres circa eam omnino diverſas eſſe Auctorum opiniones. Nimirum ſunt, qui inteſtina tantum habent pro affecta parte. Sunt alii, qui ſtomachum tantum accuſare malunt, denique nec deſunt, qui ſtomachum ſimul & inteſtina in Lienteria pati contendunt.

TH. 10. Prima ſententia dubio procul antiquiſſima eſt, qui enim primum nomen Lienteriæ huic malo impoſuerunt, videntur reſpexiſſe ad inteſtinorum Lævitatem. Atque ideo *Galenus 6. Aph. 1.* eos reprehendit, qui alimenta ingeſta re-

ti-

fineri putant ab inteſtinorum aſperitate, qua perdita ſequeretur Lienteria.

TH. 11. Sed Ventriculum, fermentique Stomachalis penuriam præ cæteris urget Helmont, à quo, niſi fallor, adeo non abludit *Excel. D. D. Dolæus in Encycloped. pag. 405.* dum in Lienteria & cœliaca paſſione Ventriculi fermentū vitiari ac iners reddi ad comminuenda alimenta credit. Præterea quem ſibi Archæū Stomachi fingit Helmont, eundem Dolæus donatur titulo regio Gaſteronacis, qui præſit œconomiæ Stomachicæ ad Inteſtinum usque rectum. Clarius loquitur Etmullerus in Praxi, quando Lienteriæ cauſam quærendam ſtatuit vel in fermento non digerente, vel in Pyloro non retinente.

Cauſa proxima. TH. 12. Plerique autem, & rectius quidem, Stomacho ſimul & inteſtinis Sedem hujus affectus adſcribunt, quanquam in cauſa ejus proxima reddenda minus conveniant. Qui Galenicorum caſtra ſequuntur læſiones facultatum urgent, videlicet deficientem concoctionem, labefactatam retentricem, ac denique irritatam expultricem. Hos, ut declinent terminos, ſubſtituunt Moderni, Concoctrici quidem deficienti Fermentum iners, Retentrici læſæ Atoniam & laxitatem Stomachi atque Inteſtinorum, Expultrici irritatæ Motus convulſivos.

TH. 13. Enimvero in verbis facilis ero, modo conveniamus in re. Salva igitur Clariſſimorum & Doctiſſimorum Virorum Auctoritate, exiſtimo Lienteriæ cauſam proximam unice quærendam eſſe in Spiritibus. Suppono jam chylificationis negotium deberi Spiritibus, ab iisdem ſimiliter dependere non modo Ventriculi robur, ſed & motum omnem periſtalticum. Quid clarius eſt? quam in Lienteria Spiritus defice-

ficere in debito digerendo ac retinendo, aſt in propellendo ejus quod moleſtum eſt, magis occupatos eſſe.

TH. 14. Solus certe ſufficientis digeſtionis defectus non omnem abſolvit Lienteriam, nam & in Apepſia ad aliquot ſæpe dies alimenta indigeſta in ventriculo retinentur. Stomachi autem atonia ſive fibrarum laxitas, cum defective ſaltem concurrere queat, non tam juvare vel accelerare poterit excretionem, præcipue ſolidorum, quam retardare, quemadmodum id Alvi ſuppreſſio ab Inteſtinorum Paralyſi ſatis evincit.

TH. 15. Supereſt itaque, ut demonſtrem defectum Digeſtionis ac Retentionis unice ex eo naſci, quod Spiritus cibum potumque aſſumptum, tanquam moleſtum quid ex impatientia quadam rejiciat. Præſtat id Spiritus non difficulter per motum Stomachi & Inteſtinorum periſtalticum ſaltem acceleratum, quemadmodum alias non rarum eſt, eo inverſo naſci Vomitus, ut & ingeſta quævis per os nonnunquam reddantur plane non immutata.

TH. 16. Res clarior erit, ſi cauſas Lienteriæ ſpectemus remotas. *Cauſa remota.* Memini certe id vitium in honeſta quadam Fœmina obortum à refrigerio, cum ſc. tempore verno hybernas mutaret veſtes. Sentiebat autem leviores in abdomine dolores, quales in Diarrhæa contingunt mitiori, neque prius liberabatur à morbo, quam ad priſtinum rediret amictum. Quid Aër Auſtrinus in excitanda Lienteria etiam epidemica valeat *vid. in Petræi Differt. Harm. 26. p. 71.*

TH. 17. Par eſt ratio Potus copioſi ac præſertim frigidi. Refert enim *Hæſerus in Medicat. famil. p. 111.* Comitem, cum jejuno Stomacho potum ſumpſiſſet glaciatum, in Dyſenteriam incidiſſe cum Lienteria conjunctam. Et nos obſervavimus puellam non niſi à crebriore nocturno potu,

quam ipsam consuetudinem pessimam nulla ratione deponebat, in alvi fluxum ac postmodum Lienteriam incidisse diuturnam, tandemque lethalem.

TH. 18. Idem malum frequentius accidit ex nimio esu fructuum horæorum, item fungorum, quorum Fr. Hoffmann. meminit in *Meth. Med. p. 330.* & *Cardiluc l. c. p. 417.* Ab ingurgitatione immoderata carnis suillæ simile quid notavit ex Camerarii observatione Schenckius *Lib. 3. de Lient. Obs. 2. p. 341.*

TH. 19. Nam & plerique Veterum intemperiem ventriculi frigidam collectamque pituitam plus minus acidam accusare videntur. Præ cæteris id testatur Forestus, qui materiam pituitosam Stomachum lubricantem cum ructibus acidis in Lienteria notavit. *Lib. 22. Obs. 27.* Ad eundem modum Scorbutici quoque eadem vexantur, quod observatio ejusdem 25. docet, & Barbette in *Prax. cap. 3. de Scorb.* item quibus humor acris & biliosus in primis viis redundat *vid. Obs. 29.* & *Gabelchov. Cent. 2. Curat. 47.*

TH. 20. Ab eadem hac pravorum humorum acrimonia tandem & Aphthas nasci, quales alias in ore solent, jamjam Galenus prodidit *6. Aph. 1.* Confirmat ejus assertum ulterius Duretus in *Annotat. ad Hollerium pag. 344.* additque se vere observasse in Viro Nobili, quod Galenus *lib. 6. Epid. Sect. 3.* annotavit, dolores nempe circa umbilicum quasi exulcerationis certissimum signum Aphtharum in ventriculo.

TH. 21. Quod si Apostema & majora ulcera Stomachum corripiant, eadem oboritur Lienteria, atque tum præcedente ventriculi dolore, purulenta per alvum excernuntur præter assumpta. *Confer. Foresti Lib. 18. Obs. 33.* & *Lib. 22. Obs. 30.* ubi notatu dignæ legi possunt historiæ, una quidem Puellæ,

ellæ, altera Nautæ graviter quidem decumbentium, feliciter tamen reſtitutorum.

TH. 22. Neque dubium eſt, ſi Lienteria ſequatur Dysenteriam, quod olim Hippocrates annotavit 1. de morbis 3. & nunc frequentius in Praxi occurrit, quin ulcera, ſi non Ventriculi certe inteſtinorum tenuium, hunc in conſenſum trahentium, Lienteriam producant. Quanquam inficiari nequeo, conſolidatis etiam ulceribus, eam perdurare poſſe, non quidem ob cicatricem, inteſtina lubricantem, quod antehac creditum eſt, ſed potius propter dolorem nondum ſuperatum, aut inde natam impatientiam alimenta indigeſta penitus averſantem.

TH. 23. Quid? quod & vitio meſenterii exulcerati Lienteria oritur. Id enim ſæpius in Indiis occurrere conſtat ex Bontii *Med. Indor. l. 3. c. 12.* Atque illud cumprimis mirandum eſt, apertis Cadaveribus repertos quidem fuiſſe Abſceſſus in meſenterio inſignes, inteſtinis nihilominus & Stomacho illæſis.

TH. 24. Hæc & ſimilia qui ponderat, facile judicabit in eo cauſas jam enumeratas omnes convenire, quod Ventriculum ſtimulent ad propellenda contenta. Etenim perinde eſt, ſive vitium hæreat in aſſumptis ipſis Stomachum gravantibus, ſive in contentis, atque collectis humoribus pravis: ſive vitium ſit in ipſa Ventriculi ſubſtantia exulcerata, ſive in partibus vicinis per conſenſum afficientibus Stomachum, ſeu denique aëris ambientis frigus in culpa ſit. Satis eſt ad producendam Lienteriam, ſi adeo Ventriculi atque Inteſtinorum motus periſtalticus acceleretur, ut Aſſumptis ad digeſtionem requiſita non concedatur mora.

Signa Diagnoſtica.

TH. 25. Propero ad Signa, in quibus tamen enarrandis prolixus haud ero. Nimirum Morbus ipſe ſatis manifeſtus eſt, ſi deprehendamus ſumptum cibum potumve paulo poſt rejici per alvum. Neque vero neceſſum eſt, ut excretorum odorem, colorem, ſaporemve propriis uſurpemus ſenſibus, cum ſatis tutum in re minus ardua vel Ægrorum vel Adſtantium vel vetularum clinicarum ſit teſtimonium.

Prognoſtica.

TH. 26. Ut autem prognoſis formetur accuratior, monendum eſt primo ad imitationem Mercati, Lienteriam diſtingui poſſe in legitimam & ſpuriam. Legitima certe minus erit periculoſa, cum non niſi aſſumpta excernentur cruda. Spuria difficilior erit curatu, ubi præter alimenta humores acres, viſcidi aut purulenti ſimul ejiciuntur.

TH. 27. Secundo diſtinguendum quoque eſt inter Lienteriam primariam, quæ Hominem etiam ſanum aggreditur, & ſecundariam, quæ alios ſequitur morbos. Illa profecto minus erit lethalis præ hac, quæ ægrum corripit poſt morbum acutum chronicumve viribus exhauſtum. Ecquis autem non intelligit prompte, Lienteriam poſt diuturnam Diarrhæam aut Dyſenteriam longe pejorem eſſe, videatur *Actuar. M. M. lib. 1. cap. 20. Sennert. Pr. lib. 3. pag. 2. Sect. 2. c. 5.*

TH. 28. Tertio nec illud reticendum eſt, Lienteriam, ſi ſolitaria ſit, facilius tolerari. Quod ſi graviores morbi, aut atrociora concurrant Symptomata, malum. Talia ſunt Hydrops, Scorbutus inveteratus, Tabes, difficultas ſpirandi & Laterum punctura, item Febres acutæ, Ulcera partium internarum &c. *Confer. Hippocrat. in Coacis pag.* & Langium in *Pathol. animat. cap. 12. pag. 462.*

Cura interna.

TH. 29. Supereſt ut Curam hujus affectus tandem ſubjungã, atq; illa quidē partim internis partim externis abſolvitur. Inter ea, quæ per os aſſumuntur medicamenta, primatum obtinent

tinent Spirituosa, utpote quæ Stomacho grata & analeptica Naturam ad sui amicam retentionem ac digestionem allicunt. Præ omnibus itaque Vinum Malvaticum eligit Rulandus *Curat. Emp. Cent. 10. Curat. 10.* & *Cent. 7. Cur. 57.* Ejusdem virtutis notavi Hispanicum vinum & Canariense, nam & horum unico usu nonnullos è Lienteria restitutos vidi.

TH. 30. Nec contemnenda sunt hoc in passu, vinum Cydoniatum è succo Cydoniorum fermentato factum, & in genere Spiritus ardentes è fructibus cerasorum, pomorum, rubi idæi &c. quibus substitui possunt magis vulgati, nihilo inferiores tamen, Spiritus frumenti, juniperi, ac potissimum Spiritus vini, quem egregium millies expertus est Kozak in Tr. de Sale *cap. 9. Sect. 16.*

TH. 31. Adhæc Stomacho magis accepta erunt ejusmodi Spirituosa, si affundantur Aromatibus, atque ideo perplacet mihi Aq. Vit. Mercat. quam in Lienteria sæpius expertam describit *lib. 1. de rect. præsid. usu p. 166.* Addit scilicet Aquæ vitæ cortices aurantiorum, flores roris marini, Cinnamomū, Crocum, Benzoë atque Mosci tantillum. Huic tamen nullatenus cedit Spiritus vini à Mastiche atque Galanga abstractus, quem in Languore Stomachi mire deprædicat Deodatus in *Panth. Hygiast. l. 3. c. 24.* Sicuti & Spiritus Mastichinus compositus, quem *Paul. Quadr. Bot. p. 141.* adjectis præterea *Cinnam. Caryophyl. Cardam. Mac. Zedoar. Cost.* atque Ligno Aloë parare docet.

TH. 32. Eadem hæc & similia aromata, quacunque demū ratione exhibeantur, egregia sunt. Sive enim in forma pulveris dentur, sive instar Trageæ cum vino, sive sub specie Clareti seu vini Hippocratici &c. nihil refert. Ideoque suam quoq; laudem meretur Tinctura Cinnam. Aqua Cinnam. Cydoniata, Nux Indica, Zingiber que conditum. His succedunt reliquæ plantæ aromaticæ, Menth. & Elixir Menth. Rosmar. & quæ ex ejusdem floribus paratur excellens Aqua Reginæ Ungariæ, item *Aromatica.*

Majorana, Marum, Pulegium, Satureja &c. Aquæ antapoplecticæ omnis generis, Aq. Carfunculi, Balſamum Embryonum &c.

TH. 33. Nempe quæ olim calida dicebantur ſtomachica, ea in univerſum hic locum habent, nempe, ſi Lienteria ſit v. g. à refrigerio, à potu frigido, ab eſu fructuum horæorum, fungorum, ac in genere ubi imbecillitas quædam Ventriculi eſt, aut etiam collecta cruditas pituitoſa. Abſit autem ut acria & Spirituoſa iſtiusmodi præſcribamus, ſi acrimonia humorum vel Febris concurrat ardens aut maligna, vel etiam exulceratio ſtomachi, Inteſtinorum aut Meſenterii.

Abſorbentia. TH. 34. Tutiora erunt in tali caſu Abſorbentia Martialia terreaque Crocus Mart. terra vitrioli dulcis, terr. ſigil. & Lemnia, Bolus Armen. Marga, Lac Lunæ, Corallia, Mater perlar. Lap. Cancr. Cornu Cervi atque Ebur, hæc enim ſunt, quæ potiſſimum pulverem mirificum in Lienteria conſtituunt deſcriptum à Deodato *l. c. pag. 153.*

Adſtringentia. TH. 35. His addi poterunt in parciore doſi fortius adſtringentia. Aluminis ipſius dextro uſu nihil præſentius arbitratur Petræus in *Noſolog. Harmon. Diſſert. 26. pag. 77.* Confer Fr. Hofmanni M. M. *lib. 1. pag. 330.* Idem valet Saturni Saccharum & Tinct. Martis antiphthiſ. item Roſæ rubræ, rad. Ireos aquat. Tormentill. ac Biſtortæ &c. Qui decoctum hujusmodi adſtringens optat, adeat Quercetanum Pharmacop. *c. 12. p. 302.* Mirabiliter autem prodeſſe immatura acerbaq; Mora, ſi ſiccata tritaque in potu exhibeantur, affirmat Donat. ab Altomar. de Med. hum. carp. mal. *cap. 71. p. 317.*

Anodyna. TH. 36. Eodem hoc in loco ſemen papaveris inſigniter commendat idem Auctor. Ac memini hinc inde à Practicis commendari Opiata varia, Theriacam, Mithridatium, Requiem Nicolai &c. Nec dubium eſt, quin Anodyna optima ſint, ſi cum torminibus aut Dyſenteria concurrat

currat Lienteria, quæ vero doloris expers eſt, in ea præciſe requiri non videntur. Interim tamen Theriacæ & Mithridatio non omnem denegare poſſum facultatem, ſiquidem & varia aromatica in compoſitione admixta, nec iis ingrata erunt, qui hiſce delectantur Panacæis.

TH. 37. Et quanquam non deſint, qui vomitum pariter & purgantia ſuadere auſint, illum quidem ad revulſionem & divertendum quaſi ſtomachum, hæc vero ad ſubducendam acriorem bilem vel pituitam. Confer Bertinum Meth. *Med. p. 760.* Vidum Vidium de *Cur. Membr. lib. 9. c. 17. p. 419.* aliosque. Nihilominus evacuatione tali facile ſupersedere licet, ſi modo humores evacuandi corrigantur alterantibus, præſertim cum Natura ipſa ad eorundem excretionem ſit paratiſſima. *Evacuantia.*

TH. 38. Tranſeo potius ad curam externam, ubi ante omnia monendum, Calorem valere plurimum in Lienteria, videlicet ſi à frigore aëris ambientis aut potus oborta fuerit. Quibus volupe eſt, uti poterunt, Conſilio Mercati, qui *Op. Tom. 3. p. 229.* manum temperati hominis diu Ventriculo imponi, aut loco ejus Catulum, vel columbarum pullum jubet. Fortaſſe eodem cum ſucceſſu lateres calefacti applicari poſſunt. *Cura externa.*

TH. 39. Efficaciora extra dubium ſunt Balſama ſtomachica ex oleo menthæ, Citri, aurant. angel. Cinnamom. & Caryophyll. cum expreſſo Nucis Moſchat. mixta. Pauperibus idem præſtat fermentum panis cum ſucco aut pulvere menthæ, addito caryophyllorum, Cinnamomi & Nucis moſchatæ pulvere, quibus commixtis, ſi lubet, ſpirit. vini aut frumenti aromatiſatus adſpergi poteſt. Qui formam Emplaſtri optat, commodum ſibi eligat ſcutum ſtomachale ex Emplaſtro de Maſtiche atque Tacamahaca, de cruſta micave panis, de baccis Lauri,

TH. 40.

TH. 40. His instructus non indigebit cucurbita magna sive ventosa, quam Piso de *cogn. & cur. morb. l. 3. c. 12. pag. 525.* regioni stomachali applicare suadet. Multo minus delectabitur Dropace aut Sinapismo, excitatisque vesicis in pectore vel ventre, vel manibus pedibusve juxta Celsum *lib. 4. cap. 16.* & Ætium *Tetr. 3. serm. 1. c. 7.* & Christoph. a Vega de Art. Med. *Lib. 2. c. 11. p. 600.*

Diæta. TH. 41. Finaliter qui regulas Diætæ in hoc morbo a me requirit, sciat paucis, cibum potumque omnem vitandum esse, qui vim habeat alvum laxandi. Saccharata proinde ac mellita, fructusve horæi non dentur, exceptis cydoniis, quæ cum vino decocta, cinnamomo conspersa alimentum præbent vere medicamentosum. Tale pariter est vitellum ovi cum pulvere nucis Moschatæ experimento Foresti *l. c.* Potus itidem sit vinosus, prout superius dictum; nec vinum absinthites iis inutile erit, qui amaris delectantur. In genere autem moneo, nihil ægro exhibendum esse de cunctis, quæ abhorret, etsi vel maxime ipsi foret utile, imo vero ad excitandam cibi cupiditatem dandum etiam est, quod minus utile videtur, si modo gratum fuerit. Videatur Celsus loco jam allegato. Hæc sunt, Amice Lector, quæ per temporis brevitatem proponere mihi licuit, sique forsan non in omnibus ex asse genio & desiderio tuo satisfecero, veniam & ulteriorem informationem à Tua Humanitate humane peto. Interim DEO ter Opt. ter Max. gratias persolvo devotissimas, quod huc usque clementissima sua benedictione studiis meis præesse voluerit, eundem porro inuocando, ut & imposterum illa ad Divini sui Nominis Gloriam, & Proximi, præprimis Ægrorum, Salutem dirigere velit.

DIS-

DISPUTATIO XXVI.

DE

SANGUIFICATIONIS MATERIA.

PRÆLOQUIUM.

TAnta ſane rerum Phyſicarum difficultas eſt atque obſcuritas, ut, quamvis pleræque ſenſibus etiam externis objiciantur, vix tamen aliter, quam per meras conjecturas in earum naturam cauſasque penetrare liceat. Plura ſunt, quæ magis admirationem quàm notitiam in animis curioſorum relinquunt; quis enim ventorum ortum, quis rationem fulminis aut frigoris vim ſufficienter explicat, quamvis horum effectus omnium oculis obverſentur. Dolendum autem eſt ipſam immortalem animam nec ſe ſatis, nec partes, quas gubernat, noſſe: Adeo ſtupidus poſt lapſum Adæ intellectus in reliquiis imaginis divinæ deprehenditur. Equidem ſuâ laude nullatenus defraudari illos volo, Viros ingenioſos & clariſſimos, quorum flagrans aſſiduitas plurimum omninò illuſtravit ac diſcuſſit ignorantiæ tenebras. Nec diffiteor, multa noſtros latuiſſe patres in omni doctrinæ genere præ-

sertim in Anthropologia, quæ non leve auxilium ac ornamentum Medicæ arti jam suppeditant. Restant nihilominus plurima, si non intacta, sic tamen intricata, ut in explicatione horum hæsisse facile, nec adeo pudendum sit. Veniam proinde spero, qui Sanguificationis rationem his in thesibus reddere paratus sum, sicubi errore lapsus à veritatis viâ defecto. Non enim paucis illa ipsa materia dubiis vexata fuit ad hæc usq; tempora; & quanquam aliqūa meæ opinionis fundamenta hinc inde jacta videam, ab aliis tamen neglecta sunt iterum, ideoq; in adstruendis his laborasse operæ pretium videtur. Tractationem autem omnem tribus absolvam Capitibus, quorum primum Sanguificationis Materiam, alterum Causam Efficientem, ultimum tandem Organon exhibebit, non ex mea saltem, sed & aliorum hypothesi, quas derelinquere mihi disputanti integrum existimavi. Faxit Deus ut cedat feliciter!

CAPUT I.
De Sanguificationis Materiâ.

§. 1.

Quod si quis Galenicos interroget, quibusnam partibus constet Sanguis, is dubio procul calidum, frigidum, humidum & siccum, vel etiam melancholiam, bilem, pituitam, floridumqve tandem sangvinem in responsis referet.

§. 2. Ex mente autem Spagyricorum sal, sulphur & mercurius, h. e. particulæ salinæ, oleosæ & spirituosæ cum serosis materia erunt proximè constituens massam sanguineam. §. 3. Alii

§. 3. Alii cum Helmontio, prout omnium rerum, ita & ſanguinis unicam materiam aſſerent aquam; alii atomos mille modis conformatas ac combinatas cum Carteſio defendent ex corpuſculari Philoſophia.

§. 4. Taceo alios, quorum principia examinare prolixius cumque jam recenſitis conciliare, hac vice ſuperſedeo.

§. 5. Particulæ interim illæ, qvas ſenſuum externorum beneficio deprehendere licet in ſangvine, potiſſimum aqveæ ſunt, terreæ & ſalinæ. Ex ejus enim fluiditate ac humiditate aqva; ex conſiſtentiâ terra, aliis ſulphur dicta, ex ſapore tandem ſalia dignoſcuntur.

§. 6. Separantur hæc ipſa non difficulter mediante igne, ſub vario tamen ſchemate, pro diverſitate ſcilicet operationum, digeſtionis, putrefactionis &c. Etenim qvi ſanguinem jam miſſum deſtillationi ſubmittit, phlegma ſaltim inutile adipiſcitur, remanente carbone ſalſo. Præmiſſa autem putrefactione ſal volatile cum ſpiritu urinoſo paratur. Alio modo acidiſſimus liquor acquiritur, cujus teſtis eſt Quercetanus Tom. I. op. pag. 127. Denique & oleum haberi poteſt, qvod duplicis ac diverſiſſimæ naturæ illuſtris Boyle humano ex ſanguine elicuit, videatur Chym. Scept. p. 31.

§. 7. Diſpiciendum autem nunc eſt, ex quanam materia jam dictæ particulæ ſangvinem conſtituentes naſcantur, & quisnam earum ortus ſit.

§. 8. Paucis: Videtur mihi duplex hæc materia, quemadmodum & duplex ſanguificatio Alia enim eſt ſanguificatio, quæ chylificationem omnem anteit, alia quæ hanc ſequitur. Illa ſanguinis non exiſtentis prima generatio, hæc multiplicatio jam præſentis eſt. Illa ex liquore ſeminali, hæc ex chylo materiam accipit.

§. 9. Primæ ſanguificationis, quæ ſaltim in utero locum habet, materiam ex ſemine deſumi aſſero, ac perinde mihi eſt, ſive quis ex modernorum ſententia generationem ex ovo, ſive colliquamentum ex concurrente ſemine utriusque parentis, aut quam-

cunqve aliam de fœtus formatione opinionem defendere velit. Id enim neceſſum eſt ut mihi concedat, in muliebri ovulo aut liquore ſeminali ſanguinem actu non ineſſe atque formaliter, quamvis materialiter in eo contineatur.

§. 10. Jam vero ſanguis primus aliunde non affluit, ergo ex ſemine elaboratur.

§. 11. Audio hic equidem plures objicere maternum eſſe illum, qvi in fœtu conſpicitur, ſanguinem communicatum ab arteriis hypogaſtricis placentæ uterinæ, perqve umbilicalem venam tenellulo embryoni affuſum.

§. 12. Jam concedam hunc eſſe uſum placentæ uterinæ, ut ſanguinem matris in ſe receptum ad fœtum derivet; quod ipſum tamen adhuc ſatis dubium quibusdam videtur, eò quod placentæ in placentiferis, glandulæ in glanduliferis ab utero ita ſejungi queant, ut ne guttula quidem ſanguinis effluat, ſed ejus loco ſi premantur, lacteus ſaltem humor prodeat; qva de re Graafius legi meretur pag. 387. & Warthonus in Adenogr. Cap. 35.

§. 13. Sed poſito revera hunc ſanguinis affluxum talem eſſe, qualem ſtatuunt; ſciendum tamen eſt, jamtum ſanguinem apparere circa ſaliens punctum, antequam vena umbilicalis placentam attingat. Videatur paſſim Harveus & Conſentinus Progymn. V. pag. 197. & 202.

§. 14. Et quid de volucrum ovis, quid de ranarum ac piſcium ſpermate tibi videtur, quæ ne guttulam quidem ſanguinis unquam poſſident, à fotu tamen generantium aut ſolis calore intra paucos dies ſic alterantur, ut rubicundiſſimum ſanguinem inde naſci videas, quantumvis utero cum excluſo ſemine nullum amplius intercedat commercium, nec ullus parentum ſanguis per teſtas membra nasque ovula cingentes tranſire queat.

§. 15. Annon & idem, quod in avium piſciumque generatione contingere jam dixi, nobis quoque accidiſſe putas, quorum ortus fere idem ex ſimilibus ovulis creditur. Confer Kerkringium, Graafium, Stenonem & alios. §. 16.

§. 16. Materia proinde primæ ſanguificationis prout in pennatis ac piſcibus, ita & nobis naſcentibus aliqua pars ſeminis eſt, uti §. 8. dixi.

§. 17. Pergo itaque ad alteram ſanguificationem, quæ jam elaboratum ex ſemine ſanguinem ulterius auget atque multiplicat ex ore aſſumtis paratoque inde chylo.

§. 18. Nec deſunt, qui arbitrantur eam inchoari jamjam in utero matris ab embryone, qui liquorem in amnii ambientis cavitate collectum labiis aſſugat; quodnon modo meconium inde ſecretum, ſed & ventriculus ſimili ſucco repletus, ac vomitus lactei mammarum ſuctionem antecedentes confirma re videntur Conferatur Diemerbroeck pag. 365. & Bartholinus in Anat .p. 264.

§. 19. Enimvero malim ego iſtam fœtus nutritionem per os tanquam ſatis dubiam in medio relinquere, utpote quam alia occaſione penitius examinare potero. Poſt partum res magis expedita eſt quando mater, ſua illico ubera infanti potanda præbet, ſicque deficiens jam alimentum uterinum lacte non ignobiliori compenſat, ne ſanguini generando materies ullo tempore deſit.

§. 20. Sed paucis poſtea diebus lacteque minus ad alendum ſufficiente, alius paulatim adjungitur victus, pulmentum, panis, cereviſia & ſimilia, quibus tandem univerſus cibi atque potus ordo accedit, pro lubitu aut facultate ad terminum vitæ usque ſervandus.

§. 21. Admiratione autem perquam dignum eſt, tam diverſi coloris, ſaporis & multiplicis conſiſtentiæ alimenta in chylum nihilominus candidiſſimum primo ac poſtmodum in rutilantem converti ſanguinem.

§. 22. Colorum ſane varietas tanta eſt in alimentis, quanta fere in univerſo obſervatur orbe; adeo enim quævis jam obvia in dapibus apponuntur, ut vel unicum artocreas moderna ratione paratum omnem facile colorum numerum exhibere queat.

§. 23. Quis non viridia petroſelini folia & ſpinachiæ atque acetaria cœruleis non raro borraginis floribus conſpersa, quis non paſtinacam luteam, crocoque tinctas carnes cum juſculis, quis non candidiſſimum lac rubentibus ceraſis, vacciniis nigris & ſexcentis aliis ſæpius permiſcet, chylum interim laudabilem ac nutritivum hinc expectans.

§. 24. Nec ſaporum minor eſſe ſolet confuſio. Nam & acria cum ſvavibus, dulcia cum acidis, ſalſa cum nauſeoſis acerbisqve commutantur quotidie, ut armoraceam, naſturtium, aut cochleariam ſaccharata excipiant, lacticinia, braſſica muriatica, caſeus vermiculoſus putrisque & ſimilia. Eadem eſt ratio conſiſtentiæ, odoris, cæterarumque conditionum.

§. 25. Miraris procul dubio, adeo diverſæ naturæ aſſumta in uniformem tandem abire ſanguinem. Notandum itaque eſt omnia jam enarrata, lac maternum & cœtera non numeranda in prima ventriculi digeſtione ſic reſolvi, ut craſſiores horum particulæ in cavitate inteſtinorum facile ſecedere anoqve poſtea excludi qveant.

§. 26. Alia interim via nobilior pars ſive chymus candicans à terrenis fecibus jam liberatus incedit, videlicet per vaſa lactea ad receptaculum lumbare, ex qvo per ductum thoracicum aſſurgens tandem Venæ Cavæ ſuperiori trunco infunditur.

§. 27. Nunc igitut natura hoc in chymo materiam reperit, quam ad confectionem ſanguinis indeſinenter optat. Sciendum enim, in ſanguinem converti non omnem chymum quippe qui ex aſſumtis pro lubitu paratus eſt, quorum minus accurata eſſe poteſt proportio.

§. 28. Quicquid proinde ſeroſi, quicquid ſalium in eo abundat, id in circulatione ſanguinis ubi ad renes defertur, horum beneficio ſeparatum ad veſicam deſcendit, in forma urinæ excernendum.

§. 29. Hoc demum pacto habetur requiſita particularum mix-

mixtura, ſalinarum, ſulphurearum & aquearum, quæ prout chymum ita & ſemen conſtituunt, à chylo non multum diſcrepans.

§. 30. Ergo: Materia ſanguificationis proxima particulæ ſunt aqueæ, ſalinæ atque terreæ, materia propinqua ſemen aut chylus eſt, illud primæ, hic ſecundæ ſangiuficationis; Remotiſſima tandem univerſa eſt alimentorum ſeries.

CAPUT. II.

De Cauſa Efficiente Sanguificationis.

§. 1.

COgnita Sanguificationis materia, ſciendum nunc porro erit, quænam ſit ejusdem vera cauſa, quiſve modus in Sanguinis elaboratione à natura obſervandus.

§. 2. Sed jam præſto eſt fermentum Sanguificativum, ſi Helmontium ejusque admiratores conſulas.

§. 3. Et ſane perquam plauſibilis, nec inepta ad explicandas corporis noſtri alterationes doctrina fermentorum eſt, imo & grata adeo, ut nulla fere digeſtio habeatur, quam non à transmutatore fermento jam omnes pene deducant.

§. 4. Quis neſcit famoſum ventriculi fermentum, cujus virtute non cibus ſaltem & potus in chylum convertitur, ſed & duriſſimum quodvis, lapides & metalla, reſolvuntur.

§. 5. In fellis folliculo, vel ipſo epate, ex aliorum ſententia, fermentum bilioſum reſidet, quod affluentem per arterias ſangvinem confeſtum in ſimilem bilem convertit; quemadmodum forte acetum continua vini affuſione perpetuari poteſt. Conſ. Sylvii Diſſ. p. 91.

§. 6. Ipſi ſpiritus noſtri corporis ortum fermento debent, quod cerebro inhabitans, affluentem per carotides & cervicales arterias ſanguinem, a particulis ſeroſis & cruentis antea liberatum,

ſola

ſola ſui inſpiratione adeo alterat, ut in puros putosque ſpiritus illico faceſſat. vid. Williſ. Cerebr. Anatom. p. 45.

§. 7. Taceo fermentum teſtium, glandularum & alia, ea ſaltim, quæ ad alvinarum fecum & Urinæ præparationem excogitata ſunt, obiter memorans.

§. 8. Nempe quæ olim credita eſt urinæ per transcolationem in renibus facta ſecretio, jam inſufficiens, imo minus ſubtilis videtur, niſi lixiviale accedat fermentum, juxta Williſ. Pharm. rat. p. 86. aut ſpecifica aliqua ſanguinis effervescentia, ſeu ſegregativa fermentatio ex Diemerbroeck. p. 171.

§. 9. Ipſa denique ſcybala ſuo defraudarentur odore, ſuaque figura, dubio procul & virtute, niſi impreſſionem ſtercorei fermenti, cujus ſedes monoculum inteſtinum eſt, paſſa fuerint. Vid. Helmont. pag. 341, 45.

§. 10. Quare, ſi nulla digeſtio aut corruptio ſine ſpecifico fermento contingit, ſique tot fermenta & culinæ (rectius mactræ) exiſtunt, quot transmutationes, quid de cauſa ſanguificationis multum ſolliciti ſumus.

§. 11. Adeamus Helmontium, qui pro more rem omnem ſic explicat in ſext. Dig. al. hum. p. 169. §. 20. & ſeqq. Hepar œconomus eſt, diſtribuens fermentum ſanguificativum in venarum meſenterii pluralitatem, ſtomachum jecoris & officinam præparativam cruoris, in qua Archeus fermentalis ſtrictiſſime, arctiſſime, & proxime attingit comprehenditque ſingulas chyli partes, ut inſpirata vitali vi in ſanguinem commutentur.

§. 12. Verba profecto ſatis pompoſa ſunt, revera autem eandem hanc rem, aliis tamen verbis prolatam, in aliorum ſcriptis lego. In Andr. Laurentii Hiſt. Anatom. p. 99. & 100. hæc habentur. Poſtrema opinio vulgaris eſt, ſanguificationem & a parenchymate epatis & a venis perfici, ſed ab hepate primo & per ſe, à venis ſecundario & per influxum ſive irradiationem.

§. 13. Differt tantum in eo Helmont à Galenicis, qvod vim ſan-

sanguificantem, quam epati cum venis mesaraicis communem statuit cum illis, termino fermenti inexplicabili efferat.

§. 14. Sive enim fermentum per donum specificum naturæ vitalis, sive vitale & liberum arcanum, p. 168. 12. sive per ens creatum formale, quod neque substantia neque accidens, sed neutrum per modum lucis, ignis, magnalis, formarum &c. conditum a mundi principio in locis suæ Monarchiæ, ut semina præparet, excitet & præcedat. p. 29. 24. describat, nil tamen aliud agit, quam ut rem obscuram obscuriorem reddat, sperans minus intellecta majorem allatura esse admirationem.

§. 15. Idem optant moderni, quorum scripta non nisi meras solutiones, fermentationes, effervescentias ac præcipitationes, modo vitales ac naturales, modo morbosas ac præternaturales crepant, parum tamen a veteri jamque vulgata sententia abeunt.

§. 16. Qui Mœbium p. 53. Inst. Med. evolvit, is peculiare menstruum solvens inveniet, quod spiritu vitali singularique calore præditum solvit chylum, attenuat, fermento vitali impregnat & virtute sua specifica in sanguinem vertit. Aliis verbis ejusdem Authoris sententiam sic habeas: Sanguis sui est multiplicativus, in corde potissimum chylum in sanguinem transmutans.

§. 17. Præter hunc sunt & alii, qui omisso menstrui speciosо titulo, sanguini eandem virtutem sese multiplicandi ex chylo adscribunt, creduntque non alia opus esse transmutatione, quam quæ ex combinatione particularum sanguinearum & chylosarum nascitur.

§. 18. Et verum quidem est, chylum sanguini probe permistum, sæpiusque cum eo circulatum perdere nativum lacteumque colorem, eumque cum purpureo sic permutare, ut visu quidem a se invicem hi duo discerni nequeant.

§. 19. Quod si vero sanguis per V. S. missus aliquandiu steterit, tunc quidem chymus a cruore iterum recedit facileque pars chylosa a sanguinea dignoscitur; quemadmodum in Venæ se-

ctione, aliquot horis post largum jentaculum aut prandium instituta, sæpius observare licet.

§. 20. Color itaque chyli rutilans quem in illa crebriori confusione cum sanguine suscipit, non transmutans est, sed saltem mutuatus.

§. 21. Posito interim sanguinis tincturam quoq; transmutantem esse, eamque in nobis ex chylo quotidie multiplicari eo modo, quo tinctura Philosophorum in infinitum fere extendi creditur; (quod simile ex Sylvii Disp. VI. p. 90. desumo) respiciendum tamen est ad principium aliquod, a quo prima sanguificationis guttula prodiit.

§. 22. Probavi autem in antecedenti Capite, semini sanguinem primum nec inesse, nec affundi ex utero, sed ex ipso seminali liquore generari, non secus ac ossa, musculos ac reliquas corporis partes.

§. 23. Videtur itaque admodum verosimile, causam Efficientem sanguificationis primæ in fœtu eandem esse cum subsequenti. Nec enim improbabile est, quæ ex semine sanguinem confecit, illam ex chylo idem præstare posse.

§. 24. Antequam vero meam hac de re sententiam in medium proferam, lubet adhuc paucis Sylvii de hæmatosi opinionem præmittere.

§. 25. Putat autem Sylvius flammulam aliquam vitalem inhabitare cordi, cujus ope affluens cum sanguine feroque chylus accendatur, rarefiat, tandemque in verum sanguinem convertatur.

§. 26. Explicat postea hunc cordis ignem in Diss. X. ejusque veram causam statuit esse illam potissimum concurrentis amaræ bilis lymphæq; acidæ effervescentiam. Conf. Diss. VII. §. 54. & Prax. lib. 1. Cap. 18, 6.

§. 27. Nititur enim suis hypothesibus, quæ lymphæ acidum, bili autem viam ad cor per inferiorem Venæ Cavæ truncum assignant; quarum tamen neutra satis confirmata est.

§. 28.

§. 28. Sed ponamus jam ex imaginata hac efferveſcentia naſci flammulam cordis, atque hanc eſſe cauſam efficientem ſanguinis; quid quæſo de prima embryonis ſanguificatione fiet, in quo tum temporis neque cor, epar, ventriculus atque glandulæ, adeoque nec hic concurſus bilis atque lymphæ conſpicitur.

§. 29. Supra vero dictum jam eſt, ſanguinem perfectum dudum ante in fœtu exiſtere, quam viſcera cæteraq; corporis partes generentur. Filius autem patrem, aut effectus Cauſam Efficientem nullatenus antecedit.

§. 30. Ut itaque veram ſanguificationis cauſam tandem inveniamus, alia ingredi via, inque ipſa noſtræ nativitatis primordia inquirere neceſſum erit.

§. 31. Latet autem in ſemine utriusque parentis ſive ovulo, quod muliebris uterus fovet, non modo corporis ſed & animæ principium, quorum illud mere paſſive, hoc magis active ſe habet.

§. 32. Illud quidem omnibus naſcendis partibus materiam ſuppeditat, particulas duriores oſſibus, molliores carni, alias ſanguini, bili, cæterisve humoribus.

§. 33. Hoc vero easdem has particulas apte, ut omnes formæ ſolent, diſponit, donec pars quævis ſtatutum attingat ſcopum, nec ulteriorem generationem, ſed conſervationem & augmentationem poſcat.

§. 34. Parum refert ſivæ animæ, ſive formæ, ſpirituum, ideæ, aut Archei termino utaris, ſi modo concedas ipſum ſemen fœcundum eſſe animatum & ſpirituoſum, punctumque micans ab impetum facientibus ſpiritibus excitari ac commoveri, quemadmodum idipſum vix negari poteſt.

§. 35. Conceſſa enim ſpirituum in ſemine præſentia, pergo ad demonſtrandam eorum aptitudinem requiſitam in ſanguificationis negotio.

§. 36. Spiritus ſua natura activæ ſunt atque ſumme mobiles atomi, imo igneæ, quarum influxus atque præſentia parti-

bus calórem ac vitam largitur, abſentia contra frigoris mortisque author eſt.

§. 37. Jam vero notiſſimum eſt, quantum ignis valeat ad immutandam particularum texturam, transmutandosquererum colores.

§. 38. Gliſſonius in Anat. Ep. p. 365. & qui eum hac in parte ſequitur Charleron in Oeconom anim. p. 62. ut hanc demonſtrent rationem, qua ſemen aut Chylus in ſanguinem a ſpiritibus convertatur, utuntur variis exemplis. Nimirum vulgo notum eſt, malacydonia ex diuturniore tantummodo coctione rubicundiora evadere. Fructus alii in clibano cocti eodem modo tinguntur, quemadmodum & farinacea maſſa, carneſque ipſæ, quantumvis ſuperficiali, vero tamen rubore imbuuntur; ut alia omittam, quæ quidem omnia eo tendunt, ut probent a calore motuque colores ſæpe ex albo ad rubicundiorem ſpeciem exurgere.

§. 39. Fatentur interea non omnes liquores rubedinem pariter induere, prout id aquarum ſimplicium coctio, quamvis longius continuata, ſatis evincit. Et recte quidem. Ab inepta enim materia fruſtra expectatur laudabilis effectus.

§. 40. Non niſi mente captus carbones, quos ligna ſuppeditant, ſperaret ex butyro, cera, ſimilibusque eidem igni commiſſis. Præter efficientem enim cauſam idonea quoque materia requiritur ad cujuscunque etiam rei productionem.

§. 41. Miſſis proinde Gliſſonii experimentis, ſaltem unicum, quod magis ad rem præſentem facit, ex Mœbii l. c. adducam, rubedinem ſcilicet ſanguinis digeſtioni ſalium volatilium cum partibus ſulphureis tribuendam eſſe, quemadmodum olea cum ſalibus volatilibus permiſta ſola coctione ruborem induunt.

§. 42. Dictum autem ſuperius eſt, in ſemine non minus quam chylo particulas ſimul ſalinas & ſulphureas dari præter aqueas; quid igitur mirum, ſi hæ ipſæ a ſpirituum vi digeſtæ roſeum tandem ſanguinis colorem nanciſcantur.

CAP.

CAPUT. III.
De Sanguificationis Organo.

§. 1.

Quid chyli, bilis, lymphæ seminisque elaborationem consideret, eumque nobis spiritus horum omnium authores credit, is, cum videat cuique functioni suam dicatam esse officinam, de sanguinis patria adhuc quæstionem movebit non immerito.

§. 2. Videntur enim spiritus undique suis uti instrumentis, ventriculo, epate, glandulis, testibus atque sic porro; sciendum ergo est, quonam organo iidem spiritus utantur ad sanguificationem.

§. 3. Deprehendo autem omnes fere in hoc determinando dissentientes. Plures enim cor, alii epar, alii pulmones, alii denique lienem hac sparta ornant. Videndum igitur quo fundamento quævis harum sententiarum nitatur, quave ratione eadem destruatur, ut tandem, quid probabilius sit, hinc cognoscere liceat.

§. 4. Itaque quod cor spectat, monendum est, huic viscerī præ reliquis munus sanguificandi adscriptum esse jam a primis Hippocratis temporibus, qui in lib. IV. de morbis p. m. 121, 20. expresse cor sanguinis fontem esse asserit. Hunc sequuntur non pauci inter Neotericos etiam, quorum rationes adducere hac occasione atque examinare lubet.

§. 5. Primam rationem ex fœtus formatione desumunt, eumque videant cordis generationem in puncto saliente præcedere sanguificationem, hinc colligunt cor factum esse ad producendum sanguinem.

§. 6. Secundam a chyli accessu petunt, statuuntque eam partem procul dubio sanguificare, ad quam requisita materia defertur. Notum autem est, omnem omnino chylum per ductum thora-

thoracicum assurgentem mediante Vena Cava cordi infundi prius, quam ad ullum aliud viscus deveniat.

§. 7. Tertiam rationem cordis læsio submiuistrat, quam sanguificatio læsa secuta est, non obstante, quod cætera viscera sana extiterint. Plura, quæ minoris momenti sunt, lubens prætereo.

§. 8. Respondeo autem ad primum duplici modo, nempe 1. falso affirmatur punctum saliens præcedere sanguinem, contrarium enim ovi incubati inspectio monstrat. 2. Posito, cor prius existere & perfectum quidem, antequam sanguis conspiciatur, male tamen concluditur, ergo cor sequentis sanguinis author est; eodem enim modo subsumerem, cor prius est bile, liene & renibus, ergo ab eo hæc omnia generantur.

§. 9. Ad secundum, non sequitur omnis chylus defertur ad cor, ergo in eo convertitur in sanguinem. Cur enim in pancreate Asellii, in receptaculo lumbari aut ipso Venæ Cavæ superiori trunco non immutatur, quas tamen partes idem chylus permeat, antequam cordis limites ingrediatur.

§. 10. Ad tertium, dubito annon potius ex vitio sanguinis læsum fuerit cor, quam sanguificatio ex cordis morbo. Deinde concesso hoc, quod læso corde lædatur sanguificatio, nondum tamen hinc infertur, ergo cor est organon sanguificationis, nisi idem de hepate, pulmonibus &c. dicamus, quippe quorum vitia eodem modo sanguificationem depravare solent.

§. 11. Progredior ad eos, qui epati sanguificationem adscribunt, quorum aliqui soli hepati, alii venis simul idem negotium cum Galeno committunt.

§. 12. Ansam huic errori dedit vasorum lacteorum ignoratio. Cum enim aliam chyli viam nescirent ex intestinis præter mesaraicas venas, has autem hepatis substantiam ingredi cernerent, non dubitarunt asserere, hac in regione omnem chylum in sanguinem transmutari.

§. 13.

§. 13. Hoc ipſum confirmare videbatur color epatis rubicundus. Quoniam enim omnem concoctionem per contactum ut loquitur Argenterius p. 280. fieri, coctumque naturam atque formam a coquente referre credebant, hinc veriſſimile viſum eſt, jecur ſanguinem ſuo colore tingere, quemadmodum chylus albus a ventriculo albo & ſpermatico, ſemen album in teſtibus, lac album in mammis adenoſis generatur. Conferatur Laurentius l. c.

§. 14. Expiravit autem ferme hæc ipſa de epatis munere opinio, poſtquam ſcilicet vaſorum lacteorum ſtructura & inſertio accuratius perſpecta, adhæc promiſſa per venas meſaraicas chymi via nondum demonſtrata eſt.

§. 15. Deinde nullo modo admitti poteſt, ſanguinis colorem dependere a rubedine epatis. Verius videtur ejus contrarium, nempe colorem hepatis a ſanguine oriri. Nam & hoc ipſum in fœtu variisque animalium generibus minus rubet, quin potius modo pallidum, modo flavum, modo viride deprehenditur. Imo ſi ad modum Gliſſonii ſanguis eluatur ex hepate, tum ex albo fuſcoque flaveſcens color apparebit, quem pro nativo non male citatus Author habet. p. 345. Anat. Ep.

§. 16. Porro conſideremus & illos, qui neglectis reliquis viſceribus non dubitant pulmonibus ſanguificationem adſcribere, inter quos Thruſton non poſtremus eſt, videndus in Diatr. de Reſpir. uſu. p. 54.

§. 17. Argumenta ejus quibus ad tuendam ſuam ſententiam utitur, varia ſunt. Primum tabes ſuggerit, in qua affectis pulmonibus hincque læſa ſanguificatione omnes corporis partes labaſcunt & extenuantur.

§. 18. Habetur autem hujus argumenti ſolutio jam in anteced. §. 10. ſi modo loco cordis pulmones ſumas. Conferatur Diemerbroeck p. 527. & ſeqq. ubi cœtera quoque Thruſtonis argumenta examinata reperiuntur.

§. 19

§. 19. Unicum saltem addam, quod pulmonis usum in sanguificatione non parum confirmare videtur, nempe diversitatem sanguinis ex pulmonibus redeuntis ab eo, qui ipsis paulo ante infundebatur.

§. 20. Videlicet quod Lowerus in Tr. de corde p. 176. habet, expertissimum est, sanguinem, qui totus venosus atque nigricans pulmones intrat, arteriosum omnino & floridum ex illis redire.

§. 21. Acrevera quidem hæc sanguinis venosi ab arterioso differentia, quæ ab aliis fermento aut flammulæ cordis adscribitur, soli debetur aëris admixtioni, prout satis ex cruore per V. S. emisso, expositoque aëri libero, videre licet. Adeoque organon hujus alterationis pulmones sunt.

§. 22. Respondeo autem facillime, distinguendo inter sanguificationem sive chyli in sanguinem conversionem, & sanguinis jam facti alterationem colorisque immutationem. Hoc quidem utraque manu pulmonibus concedo, illud autem non nisi inepte hinc deducitur.

§. 23. Qui lienem tandem sanguificandi muneri præposuerunt, olim quidem plures fuere, idque officium lieni cum epate vel commune, vel saltim hepate male affecto spleni commissum crediderunt. Nunc autem vix ullus supereſt, nisi forte Sylvii sententiam de lienari fermento huc revocemus.

§. 24. Arbitratur autem hic ipse sanguinem a corde per arterias ad lienem delatum ibidem spiritibus animalibus continuo eodem affluentibus commixtum, magis magisque cum ipsis permisceri & digeri atque sic in tincturæ aut fermenti essentiam exaltari, cujus interventu facilius & celerius in sanguinem chylus abeat. vid. Diss. 5. p. 52. & seqq.

§. 25. Et sane qui lienis structuram paulo penitius considerat, nervos potissimum atque arterias non exiles, is dubio procul usum

usum huic visceri non exiguum aut contemnendum sed omnino singularem tribuere potest.

§. 26. Arteriæ profecto, quæ à ramo cœliaco nascuntur, tantæ sunt lienis, ut Helmont quadringentos forte ramos earum numerans, splenem plures habere arterias, quam omnia simul viscera; statuerit pag. 808, 22. & 760, 11. Auxit postmodum hunc arteriarum numerum error typothetæ in Bartholino, ita ut addita cyphra ex 400. contra mentem Grembsii factæ sint 4000.

§. 27. Nervi quoque lienis plures habentur, qui non in extimam saltem superficiem disseminantur, verum in ipsam visceris substantiam cum arteriis, quas ambiunt, penetrant. Conferatur Willis Neurolog. p. 135. & Pathol. Cerebr. p. 124. item Diemerbroeck. p. 142. & Fr. Glissonius in Anat. hep. p. 519. seqq.

§. 28. Sed alia forsan occasione de lienis usu & structura peculiari dicendum erit; hoc loco sufficiat unicum allegasse argumentum, quod clarissime ostendit, nullum viscus ad negotium sanguificationis concurrere organice, sed animam ipsam absq; instrumento sanguinem conficere. Sic enim colligo. Qu. humor prior est corde, pulmonibus, hepate, liene, &c. ad ejus elaboationem non concurrit cor, pulmo hepar. aut lien. &c. Atqui sanguis est prior. Ergo.

§. 29. Si enim anima in prima fœtus formatione absque ullo instrumento ex eodem liquore seminali præparat totum corpus h. e. partes solidas simul & fluidas, liquet omnino eam non indigere organo. Quodsi vero in sanguificatione prima carere potest illo, quæ causa est, ut postmodum eundem laborem continuare absque organo nequeat.

FINIS.

DISPUTATIO XXVII.

DE

SANGUINIS PRAVITATE

J. D.

SAnguinem in corpore humano esse laudatissimum humorem, nutrimentum universale, nec non ipsius animæ sedem, id quidem apud omnes Physicos pariter ac Medicos saniores in confesso est. Ut enim sufficere queat toti, excipit non modo meliorem cibi potusque partem sub specie chyli affluentem, sed & subtilissimas aeris particulas inter inspirandum colligendas. His accessionibus indesinenter servatus auctusque distribuitur è corde, viam per universum concedentibus arteriis. Adeo nullum est membrum inter tot dissimilia, quod non succo isto animali perpetuo irroratum vigeat, crescatque haud aliter ac, in arboribus stirpibusque reliquis humorem depehendimus vegetabilem prodesse cunctis plantarum partibus, radici, stipiti, medullæ, ligno, cortici, foliis, floribus, fructibus, & si quæ aliæ sunt, non uno nomine inter se discrepantes insigniter. Inde vero apparet luculentissime, quantum emergere damnum oporteat depravato humore, ad sanitatem vitamque adeo uti-

li,

li, adeo neceſſario. Nec miror fuiſſe inter celeberrimos viros, qui univerſæ Medicinæ fundamentum, omnemque prudentiam Medicam in Sanguinis naturaliter & præternaturaliter conſtituti cognitione ſtatuerent: ſaltim nemo inficiabitur ſanguinis vitia exiſtere innumerorum morborum autores. Atque hæc me cauſa movit, ut præ cæteris id mihi Thema Diſputationis præſentis eligerem, ac pro virium mearum qualicunque modulo inquirerem, partim in Varietatem atque Originem illius mali, unde illa ſanguinis pravitas naſcatur, partim in Curam legitimam, & qua ratione tolli hæc ipſa vel corrigi queat. Huic meo conamini ut Numen Æternum ex alto benedicere, inque ſui Divini Nominis gloriam, proximique ſalutem dirigere velit, eſt quod humillimo corde precor & efflagito.

CAPUT I.

Theoreticum, conſiderans Pravitatem Sanguinis variam ejusque Cauſas.

§. 1.

Quæ ſit natura ſanguinis, aut qualis eſſe debeat, ut ſuum corpori humano præſtet uſum, hic loci equidem pluribus oſtendere haud vacat. Satis eſt ſi certam humori huic vitali temperiem, aut ſi mavis mixturam ex particulis aqueis, gelatinoſis, pinguibus, ſalinis, atque ſpirituoſis conflatam, & hinc redundantem

consistentiam, colorem, saporem, & si quæ aliæ sunt proprietates, assignemus, in statu naturali ei competentes Ita enim vi oppositi clare patescit, quomodocunque a bonitate illa nativa recedat & præternaturaliter aberret, id omne vitiosum esse ac morbosum.

§. 2. Scilicet quod alii sanguinis intemperiem cum Veteribus, alii dyscrasiam cum Recentioribus, id pravitatem appellare malui, tanquam bonitati contrariam, termino, ut arbitror, perquam commodo, siquidem nec inusitatum alias est, humores nominare pravos, qui sub titulo cruditarum, pituitæ, bilis &c. in primis viis non raro colliguntur. Cum enim vitia sanguinis in genere spectata sint triplicia, scilicet alia, quæ illius quantitatem; alia quæ qualitatem, atque alia quæ motum concernunt, facile constat in præsenti negotio sermonem mihi tantummodo esse de qualitate vitiosa, ita ut sepositis in quantitate vel motu vitiis, eam unice ventilandam hac vice proposuerim.

§. 3. Pertinet autem ad Qualitatis vitia, quicquid a naturali sanguinis consistentia, colore, sapore, odore, puritate vel temperie recedit. Atqui & horum vitiorum, ut sic dicam, simplicium satis notabilis est numerus, & major adhuc accrescit, si per combinationem hinc orunda vitia plus minus composita recensere velim. Quemadmodum enim error ab homine committi potest nunc unicus, gravis tamen & iteratus, nunc multiplex, quando quis genio suo indulget, in luxuria vivit, otiosus est, iracundus &c. vel è contrario propter inopiam & labores perpetuos sæpe plus sudat, quam potat & edit, &c. ita nec rarum est pravitatem sanguinis pro varietate causarum deprehendi, modo simplicem modo compositam. Cognitis autem simplicibus, compositæ quoque pravitates non difficulter intelligi poterunt.

§. 4. Nimirum Consistentia sanguinis prava est si vel justo fluidior vel spissior fuerit. Est alias inter serosam sanguinis partem & fibrosam ac rubeundam certa quædam proportio, quam equi-

equidem vix quisquam exacte determinare valet. Ad sensum tamen videtur serum tertiam circiter partem sanguinis constituere, si quod sponte secedit a reliqua massa per V. S. extracta, velimus attendere. Si ergo seri quantitas vel solito major fuerit vel minor, nullum est dubium consistentiam sanguinis peccare.

§. 5. Talem sanguinem admodum aquosum in multis ægrotis hydropicis, scorbuticis, hypochondriacis aliisque notavit Diemerbroeck. Op. pag. 305. suntque hujusmodi homines ob nimiam fluiditatem sanguinis ad hæmorrhagiam fere proclives præ cæteris: ita narrat Alsaharavius Pract. tract. 31. Sect. 1. cap. 15. se vidisse in Alkiria hæmorrhagias omnes adeo periculosas, ut & pueri, si manu fricarent gingivas, ex fluxu sanguinis interirent: & Rhodius Cap. 3. Observ. 69. refert, puellam Paravii a Prævotio notatam, quæ per scarificationem in lethale sanguinis profluvium incidit, nullo modo compescendum.

§. 6. Causa hujus aquositatis nimiæ duplex est, me judice: aut enim major copia seri cum chylo affluit, aut non secedit debite, quod separandum erat. Prius accidit & bibosis, & quibus acidum in stomacho nimium dominatur: illi enim, quoniam parciorem cibum, sed potum largissimum quotidie assumunt, non possunt non vasa implere copiosissimo sero. His vero, quocunque fruantur alimento, aquosior tamen chylus ideo existit, quod acidum adeo potens haud admittat unionem particularum oleosarum ac pinguium cum aqueis. Posterius occurrit in hydropicis & quibus urina, sudor atque transpiratio impedita est.

§. 7. Contrarium aquositati est nimia spissitudo a seri defectu oriunda, cujus exemplum insigne refert Borellus Cap. 4. Obs. 93. nimirum fuisse hominem, e cujus venis educi sanguis non potuit, nisi vulnere trium transversorum digitorum inflicto: & Fernelius lib. 6. Phys. cap. 7. vidit sanguinem universum in venis diuturno languore mortui concretum adeo, ut corallii modo fruticans illinc eximeretur. Sed quod majus est narrat Bartholinus

Cent. 3. Hist. 94. in quodam subjecto sanguinem adeo exsiccatum fuisse deprehensum, ut neque cor, neque connexa sanguifera vasa dissecari a chirurgo potuerint.

§. 8. Quamobrem vero sanguis tam crassus in corpore fiat, non est difficile intellectu, si modo cogitemus, aliam causam positivam aliam privativam subesse, ac interdum concurrere. Positiva est calor præternaturaliter auctus in febribus, ardentibus maxime ac maglinis, imo & hecticis. Privativa est potulentorum defectus, quem navigantes nonnunquam experiuntur in mediis undis, scilicet ad bibendum ineptis, sitientes: item per loca deserta fluviisque destituta iter facientes. Transpirat enim insensibiliter non parum seri è massa sanguinea, quod inter sudandum majore in copia profunditur: hoc ipsum, nisi restituatur per potum, siccatur necessario corpus, prout manifestum est in iis, qui ob alienationem mentis potum vel negligunt vel etiam respuunt, ut hydrophobi.

§. 9. Pertinet ad fluorem sanguinis depravatum quoque illius congelatio, quam experiuntur nonnulli & a frigore, & a terrore & à casu ab alto, similique læsione internarum partium. Etenim conservat ignis vitalis sanguinem in debito fluore, ut per vascula minutissima porosque partium angustissimos transire queat commode. Si ergo idem defecerit, tunc statim sequitur coagulum. Deficit autem tum maxime, cum vel minus robusta, vel affectibus animi concussa, vel doloribus corporis attrita natura tolerare impetus illos aut nequit, aut certe non audet.

§. 10. Porro, circa Colorem plures occurrunt errores. Præsuppono secundum naturam in arteriis sanguinem floridum, in venis obscuriorem quodammodo deprehendi. Testantur autem observationes quotidianæ frequentius eundem colorem insigniter mutari; quod ipsum etsi oculis non statim est obvium, quamdiu sanguis per V. S. missus calet, clarissime tamen apparet, ubi fuerit refrigeratus. Occultantur enim reliqui colores peregrini à prædominante rubore sanguinis usque, dum facta secessione spectari seor-

feorsim queant; hinc enim vel in superficie, vel fundo, vel medio sanguinis, vel etiam in sero circumfluente occurrit vitium: pessimum est, si color in totum depravatus existat.

§. 11. Est autem ipsa etiam pulchritudo fallax. Annotavit Paulus Digr. de Febr. Mal. §. 15. se aliquoties observasse in febribus malignis atque epidemicis sanguinem tam impense rutilantem, ut proxime ad colorem floris Cardinalis accederet, atque hunc quidem multis portendisse mortem, adstantibus obroseum, vel potius coccineum colorem gaudentibus, ac frustra gratulantibus ægro. Cujus causam ab igne animali non male deducit autor; quod ita mihi concipio, quatenus videlicet propter auctum in febrili æstu ejusmodi motum sanguinis, exagitatus quasi spumescit per omnia, instar Liquoris fermentantis, unde necessario exaltatur color, sicuti videmus vini rubri aut cerevisiæ lupulatæ spumam a conquassatione ortam egregie diluere nativum colorem, in se obscuriorem.

§. 12. Verum nigricans fere sanguis interdum reperitur in aliis. Vidit ipse Galenus Com. 3. Epid. 6. pici liquidæ similem in fœmina post suppressionem mensium, per V. S. eductum: Ballonius l. 2. Epid. p. 242. in jugularibus carbonum instar impactum: Chiffletius ap. Platerum Obs. l. 2. p. 505. instar corallii nigri extractum è venis majoribus in arthritide mortuæ: & Hannæus in in Eph. Germ. Dec. 11. An. 6. obs. 140. narrat sanguinem febricitantis post celebratam V. S. adeo atrum omnique sero destitutum fuisse, ut combustas non modo æmularetur, sed & provocaret ovorum testas.

§. 13. Quoniam vero experimenta vulgo nota ostendunt sanguinem, si per evaporationem amiserit humiditatem suam, insigniter obscurari, & sine illa similiter alterari ex tempore, dummodo acida inspergantur, omphacium, acetum, limonum succus, ☌, ☉, ☉-li, notante Malpighio Op. posth. p. 3. & Drelincurtio in Bonet. Sepulchr. p. 961. Quid igitur dubitamus iisdem causis quoque

quoque deberi ſanguinis obſcuritatem in corpore vivente? Quam enim veteres appellabant melancholiam ſeu atram bilem à colore, illum recentiores humorem acidum dicunt à ſapore præternaturali, pari jure. Utrumque nimirum non infrequenter annotatur in hypochondriacis, lienoſis, melancholicis, maniacis, & quibus acidum in primis viis latitans cum chylo ad cor affluit, totamque corrumpit ſanguineam maſſam.

§. 14. Qualis enim chylus, talis quoque ſanguis eſt. Quidſi etiam illius quantitas nimia ſanguinem obruat? Sanguis hinc albus redditur, qualem in non paucis obſervavit poſt V. S. aliquandiu ſepoſito ſanguine Borellus cap. 1. Obſ. 25. Willis de Febr. c. 1. Grundelius in Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. IV. Obſ. 165. & Pechlinus Lib. 1. Obſ. 13. Itaque poſt liberaliorem ac frequentiorem lactis potum lacteum quoque ſanguinem obſervavit Bartholinus cap. 1. Hiſt. 17. Schenckius Lib. 3. Obſ. de Venis & Sang. 18. In bibaculo idem notavit Marcellus Donatus lib. 1. cap. 4. & in viro gulæ ſuæ admodum favente Clauderus in Eph. Germ. Dec. 2. An. VII. Obſ. 169.

§. 15. An huc referri debeant exempla puellarum poſt ſuppreſſionem menſium, puerperarum poſt lochiorum retentionem album ſanguinem reddentium è ſecta vena, qualia leguntur in Transactionibus Angl. pag. 67. & 88. in Eph. Germ. An. 1. Obſ. 132. & Rhodio cap. 3. Obſ. 32. dubito; potius pituitam abundaſſe in iis putans, à qua obſtructiones communiter contingere ſolent, cui fortaſſis aliqua chyli portio admixta fuit: verum autem lac è nammis quaſi regurgitaſſe in venas lactantis cujusdam fœminæ, um ei baſilica tundererur ob febrem continuam, uti Rhodius l.c. bitratur, minus probabile videtur; crediderim potius eandem uiſſe hujus phænomeni cauſam, quæ in genere aſſignata eſt, atque promiſcue obſervata in utroque ſexu.

§. 16. Nam & idem auctor teſtis eſt cap. 1. Obſ. 36. ſanguinem plane album & glutinoſum, in modum pituitæ aliquando extra-

extractum e Salvatella Tertianarii; & cap. 3. Obſ. 73. ex venis hæmorrhoidalibus adeo pituitoſum, ut præter tantillum ſeri, nullum ſanguinem referret. Cryſtallinum quoque ac congelatum quaſi pellucidumque, ut fundus vaſculi, quo ſanguis per V. S. miſſus excipiebatur, videri poſſet, annotavit Borellus c. 2. Obſ. 28. Hinc etiam intra venas febre ardente maligna correptorum concretum inſtar medullæ ſambucinæ aliquoties animadvertit Riolanus in Ench. Anat. pag. 143. Sed minus rarum eſt, in ſuperficie ſanguinis collecti ſpiſſam & inſtar corii, vel potius glutinis condenſatam cruſtam deprehendi ab eadem craſſiore pituita concretam. Conferatur Dodonæus Obſ. Med. cap. 7. in Schol. Brunnerus Conſ. 66. Bartholinus de Dub. Lact. c. 3. p. 127. & Malpighius de Polypo cord. p. m. 124.

§. 17. Si de pituitæ ortu quæramus, reſpondent cum Veteribus plerique, ab imbecillitate ſtomachi eam provenire, ſiquidem nihil aliud videtur, quam ſecundum Galenum 4. de tuenda San. cap. 3. crudus humor, qui ob defectum coctionis debitam perfectionem haud aſſecutus eſt. Attamen ſi rem paulo penitius inſpiciamus, apparebit luculentiſſime, pituitæ materiam non niſi alimenta glutinoſis particulis abundantia præbere; calorem vero nimium diſſipando particulas aquoſas mucum diſſolventes, efficienter concurrere ſ. virtualiter; quemadmodum cernimus lympham, ubicunque collecta fuerit, ope ignis, in mucum converti, reliquæ pituitæ non diſſimilem.

§. 18. Habet etiam pus aliquam cum pituita convenientiam, utpote quod non minus generatur ex ſero, propter inflammationem præcedentem, aut connexam ſpiſſato. Quanquam vero ipſum haud æque videatur e primis viis in maſſam ſanguineam deferri, nihil obſtat tamen, quo minus ſtatuamus per venas idem refluere cum ſanguine, ſi v. g. pulmo, ren, epar, aut quodvis membrum aliud inflammatum primo, dein exulceratum fuerit per ſuppurationem; quemadmodum refert Bonetus Sepulchr. pag. 809.

ex obſervationibus C. Bauhini venas cujusdam viri diu epatis abſceſſu laborantis, ac tandem extincti refertas fuiſſe pure.

§. 19. Ad colorem depravatum pertinet quoque flavedo ſanguinis a bile inducta, quæ frequentiſſime obſervatur in febribus biliosis & ictero, videatur Fortis Cent. 3. Conſ. 55. Nullum autem eſt dubium, quin bilis majore copia in duodenum effuſa chylum tranſeuntem inficere ac poſtmodum ſanguinem corrumpere valeat. Si vero via impedita fuerit ad inteſtina propter obſtructionem ductuum cholidochorum, quod in ictero frequentius accidit, quæſtio foret non immerito, quo pacto bilis ad ſanguinem pervenire queat. Atqui res expedita erit, ſi quem Fr. de le Boe Sylvius in Diſp. Med. 6. §. 51. certo experimento demonſtravit ductum, bilem ex epate ad cor deducentem naturalem, ſaltem præternaturalem ſtatuamus. Nec enim vis minor eſt fellis in hepaticis ductibus collecti, quam flatus per tubulum immiſſi jecur diſtendentis, viamque ſibi parantis ad cor pulmonesque.

§. 20. Aſt verſicoloris quoque ſanguinis mentio injicienda eſt, quem ex concurſu variorum humorum naſci oportet. Quanquam Helmont in Tr. de Febribus c. 2. 25. & in Schol. Hum. Paſſ. Decept. cap. 1. 50. iſtam varietatem ſanguinis non attendendam eſſe jubet, poſtquam ducentorum Hominum & quidem ſanorum ſanguinem eadem die collectum ſpectavit, quorum alius punctatim maculoſus erat, alius per ſtrata ſubviridis, vel gelatina ſubnigra perfuſus, atque ſic porro. Nihilominus ut ab ejus ſententia recedamus, neque omnem hæmorrhoſcopiam rejiciamus, ſana ratio dictitat. Sanis enim annumerati fortaſſis ſunt, qui revera tales non erant: imo ſi iſto die nemo ægrotavit, certe eo finito, ſanos quoque eosdem permanſiſſe haud animadvertit. Quid ſi latens huc usque morbus tum demum ſeſe manifeſtarit.

§. 21. Majorem fidem meretur Eugalenus, qui de ſcorbuto p. 70. aſſerit, ſcorbuticum ſanguinem plumbeum & viridem ac fere putridum deprehendi ut plurimum, ut & plebeji judicium de hoc mor-

morbo ferre præſumant, eos laborare ſcorbuto affirmantes, quum ſanguinem his coloribus tinctum vident. Meliori jure idem de Cachecticis etiam pronunciandum arbitror; color enim faciei lividus plumbeusque diſſimilare pravitatem ſanguinis in corpore habitantis nullo modo poteſt. Vid. Thoneri lib. VI. Epiſt. 2. p. 274. & ſeqq.

§. 22. Ponamus enim, concurrere in eodem ſubjecto pituitam bilem, acidum, ſiquidem in corpore impuro per varios diætæ illaudabilis errores id fieri quid vetat? tum vero a pituita pallor, a bile livor, ab acido plumbeus color naſcetur. Si vero pituita cum bile mixta fuerit color ægri ochroleucus erit, ſeu medius inter pallidum flavumque: ſi bilis cum acido viridis; talis enim hinc producitur, & quidem plus minus viridis, lætior obſcuriorque, ſtylo veterum bilis æruginoſa, porracea, iſatodes pro diverſitate affuſi acidi, ſpiritus ☿-li, ☉, ♁, ♃ris, æruginis &c. prout experientia facilis unumquemque docere poterit.

§. 23. Hæc de colore ſanguinis depravato; quod ad ſaporem attinet, exiſtimo neminem latere, quis ſanguini ſecundum naturam ſapor competat, nempe ſubſalſus, utpote quem alimenta conſueta neceſſario generant. Verum præternaturaliter augetur ſalſedo illa non raro, vel corrumpitur ab acido aut bile, unde catarrhi acres, ſitis inexplebilis, dolores vagi fixique hinc inde oriuntur, item ſpaſmi, motus convulſivi, febres omnis generis, ulcera, &c. Nam & acrimonia, quam inde ſanguis contrahit, aliquando etiam corroſiva evadit: cujus exemplum ſingulare prorſus refert Lebenvvald in Eph. Germ. Dec. II. An. 2. Obſ. 107. Corripiebatur juvenis quidam anxietate cordis, hancque ob cauſam venam ſecari voluit: Id cum fieret, ſanguisque cum impetu exiliret, gutta forte unica in denudatum cadit brachium, tanto cum doloris & ardoris ſenſu, ut ad ejulandum coactus fuerit æger. Exuſſerat enim non tantum cuticulam excitata veſica, ſed etiam ſubjectam cutem, ut eſchara hinc facta cicatricis veſtigia diu reliquerit: quid? quod

ipsa phlebotomi cuspis colore livido tincta tam friabilis reddita est, ut levi attritu in particulas abierit quasi corrosa.

§. 24. Ita narrat Sennertus de Consens. & Diff. c. 13. scorbuticum fuisse quendam, hæmorrhagia narium per intervalla vexatum, cujus sanguis tam acris esset, ut linteamina, quibus exciperetur, corroderet. Quod si vero sanguinis ea est acrimonia in Scorbuto, quid mirum, si ulcera generet phagedæna, gingivarum erosiones, atque sic porro. Talem nihilominus e primis viis adduci certum est, cum tamen nemo facile assumat, quæ acrimonia ejusmodi corrosiva gaudeant. Necessum est igitur, ut statuamus, eandem in corpore nasci, forsitan particulis acribus, quas tanquam diffusas, atque ideo mitiores continebant cibus potusve, post seri ac cæterarum temperantium particularum discessum, arctius unitis; ita enim observamus haud raro summe acida etiam dentibus stuporem inferentia per vomitum reddi, quando crapula ex vini non insuavis potu, sed intemperantius hausto stomachum evertit sequenti mane.

§. 25. Ex eodem fonte, aut certe non dissimili scaturit quoq; virulentia sanguinis, quam in malignis præcipue febribus communiter accusant. Notavit Panorolus Pentecost. IV. Obs. 7. signum pessimum ac fere lethale, si applicatæ hirudines sanguinem ægri haurire nolint, & post suctionem statim intereant. Quanquam enim venena quædam sint quasi particularia tantum, saltim huic aut illi animali nociva, pleraque tamen sunt universalia, sed ita ut si minor quantitas ad necandas muscas vel vermes sufficiat, major requiratur ad interficiendum hominem vel animalia grandiora. Imo quod insecta intra pauciora temporis momenta occidit, hominem per aliquot horas supersesse finit, & quanquam multum excruciat, non suffocat penitus. Quapropter ita de sanguine horum ægrotantium censendum duco: Etiamsi non valeat consequentia, necat hirudines, ergo etiam hominem; sic tamen argumentari licebit citra errorem: necat hirudines & hominem, ergo virulentus est.

§. 26.

§. 26. Contrahit autem hanc virulentiam ſanguis, non modo aſſumtorum, ſed etiam aëris inſpirati vitio. Quid ſi fungus venenatus per incuriam reliquis eſculentis admixtus fuerit, aut herba vel radix deleteria oleribus adjecta? quid ſi a bufonibus, araneis atque ſimilibus venenatis beſtiis conſpurcata incaute aſſumamus. Inſpirantur quoque interdum effluvia venenata cum aere, arſenicalia videlicet, antimonialia, mercurialia, &c. ubi metallorum calcinatio, fuſio & ſublimatio, deſtillatio aquarum fortium, aliæve ſimiles operationes circa foſſilia venenata fiunt. Dum igitur ingrediuntur pulmones, non arrodunt tantum eos, ſed & inficiunt ſanguinem, ut quoque remotiſſimæ partes damnum exinde ſentiant longe graviſſimum, ſicuti metallariorum morbi, tremores artuum, contracturæ atque paralyſes abunde probant.

§. 27. Ulterius contrahit interdum ſanguis odorem quoque depravatum, ſeu fœtorem, a naturali conſtitutione alieniſſimum. Equidem in viro propemodum ſexagenario, ad ſenſum ſano, cum præſervationis ergo ſanguinem mitteret, tantum fœtorem, putridi ovi ulcerisve ſordidi ſuperantem, dum ſaliebat e mediana ſanguis, inter alios adſtantes notavit Pauli, ut incenſis odoriferis corrigere aerem cœnaculi neceſſe fuerit, vid. Digr. de Febr. mal. p. 15. Cauſam non addit Autor; ſi conjecturæ locus, putarim hominem illum, ut ſe defenderet a peſtis contagio, tum temporis Hafniæ graſſante, fortaſſis medicamenta ex allio, valeriana, ſcordio, vel ſulphure, & quæ talem gignere graveolentiam poterunt, precautionis ergo aſſumſiſſe.

§. 28. Alias rarum non eſt, e gingivis ſcorbuticorum ſanguinem fœtentem profluere, de quo legi poteſt Hoechſtetterus Obſ. Dec. VII. Caſ. 10. pag. 164. Aſt magis periculoſum videtur, ſi talis deprehendatur in febribus, utpote qui putredinis atque corruptionis deploratæ indicium ac lethale ſignum judicatur a Fernel. Therap. lib. 2. cap. 17. pag. 316. Foreſto l. 1. Obſ. 17. in Schol. & Joele Compend. Art. Med. lib. 4. Sect. 5. p. 3. Suſpicio etenim non va-

na est, viscera jamjam corrupta esse ab ulceribus sordidis, quemadmodum tota die notamus phthisicorum pectus mephitim spirare abominabilem.

§. 29. Præterea impuritatem summe nocivam interdum præ se fert sanguis, ex. gr. limosus, corruptus, nullas fibras habens in hepatis, lienis, thoracis, & pulmonum inflammationibus, item Lue ♀ rea diuturna, uti non semel vidit Forestus lib. 6. pag. 72. & leprosorum sanguis describitur tanquam glandulosus, lentiginosus, grumosus, crassus, adustus, fœculentus, pinguem quasi superficiem exhibens, & si per pannum coletur, arenosi quid post se relinquens, &c. conferatur Camerarius in Syll. Mem. Cent. XIX. 36. p. 1539. Hunc qui cadaverosum dixerit, & ab ipsa putredine in corporibus adhuc viventibus productum, non multum a vero aberrabit: potissimum si contagium accesserit, tunc enim propagatur idem vitium & multiplicatur, quemadmodum cernimus pomum putridum vicina inficere, quotquot attigerit.

§. 30. Cui vero fermentum hoc putredinis displicet, ei fortasse arridebit seminium verminosum, quod alii delitescere in eodem humore putrido arbitrantur: Sanguinem certe vermiculosum annotarunt in vario morborum genere autores gravissimi. Nasci enim in sanguine ipso hominis animalia exesura corpus, unde phthiriasis, qua Sylla Dictator consumtus est, testatur Plinius Nat. Hist. lib. 26. cap. 13. pag. 104. Ope microscopiorum se invenisse sanguinem maligne febricitantium minutissimis scatere vermibus, memorat P. a Castro de Feb. Pet. S. 1. §. 15. & Kircherus in Art. M. Luc. l. x. cap. 8. §. 5. f. 843. & in Mundo Subt. lib. XII. Sect. 1. c. 10. f. 352. & Sect. 2. cap. 7. f. 370. non modo in peste, sed & omni gangræna, lepra, psora, elephantiasi, Lue ♀ rea, verminaginem (ut loquitur) insensibilem subesse affirmat.

§. 31. Quæritur, unde hæc verminosa fœtura originem suam traxerit? cum Kirchero dico, causam esse alimentum, quo nutriuntur homines. Vegetabilia sane cuncta excipiunt semen in-

inſectorum omnis generis, quæ ſic inquinata, ſi in uſum trahimus nec ſtomachi calor, neque cordis aliorumque viſcerum necabit vermes, fovebit potius eos, ut ſeſe multiplicare queant in infinitum. Transmigrare autem e corpore in aliud poſſunt occaſione data, inibique ſimiliter nidulari ac generare ſibi ſimile, quandocunque ſudor, ſaliva vel ſperma etiam iſto turgens ſeminio communicatur cum aliis per contactum, concubitum aut converſationem nimis familiarem.

§. 32. Arenoſum quoque ſanguinem, qualem in leproſis obſervari modo diximus, itidem in ſcorbuticis notavit Joh. Dan. Horſtius, unde non tantum prodire arenulas cum urinis copioſe, ſed etiam cum ſudore vidit ſpeciatim in ill. quadam Matrona, cujus ſæpe mammarum & manuum cutis ita obducebatur arenulis, ut digitorum apprehendentium veſtigia relinqueret, vid. Schneiderus lib 3. de Catarh. cap. 3. Sed & ipſo ſanguine ad levandum dolorem iſchiadicum miſſo ex malleoli vena lapillos figura & magnitudine ſemen rapi referentes, fuiſſe collectos, recenſet Schenckius lib. 3. d. Ven. & Sang. Obſ. 8.

§. 33. Hunc vero tartarum, ipſumque ſabulum in venis aliquando concreſcere contingit, quotiescunque acidum in primis viis abundans ab aſſumtis ſaturatur; arrodit enim particulas alimentorum duriores, & ſi quæ inſunt particulæ volatiles ſalinæ, cum his congreditur: facta unione pergit cum chylo ad maſſam ſanguineam, tum vero ſecreta majore quantitate ſeri, accedente forſan levi refrigerio concreſcit vel in tartaream arenam, ſi ſalia prædominentur, vel in durius ſabulum & lapillos, ſi potius terreæ aut lapidoſæ abundarint particulæ. Tanta eſt inter hæc vitia connexio & affinitas, ut ex ſcorbuticis plerumque arthritici fiant & calculoſi, levi accedente pravi humoris mutatione.

§. 34. Reliquum eſt, ut ſanguinis intemperiem quoque videamus & quidem ratione caloris, quem interdum nimis exceſſivum, nonnunquam etiam defectivum obſervamus. Et ferventiſſimum quidem

dem in malo ischiatico annotavit Schenckius, loco cit. & in leprosorum sanguine recenter misso, si ovum imponatur, tanquam in aqua fervente coqui, narrat Camerarius loco superius citato pag. 1539. Nec dubito scorbuticis quibusdam similem tribuere sanguinem calidissimum, refert enim de se ipso Paschequus apud Riverium in Obs. comm. Obs. 37. pag. 660. post hemicraniam quindecim annorum sibi accidisse apertionem venæ, in superiori labio, e qua singulis mensibus libræ 4. aut 5. sanguinis ferventissimi & salsi profundebantur.

§. 35. Causa hujus excessivi æstus non obscura est. Si enim ab igne vitali calor naturalis dependet, quid fiet, ubi motus illius principii calorifici acceleratus fuerit. Perinde autem est, quo stimulo exagitetur anima ignea, sive idealis existat sive materialis, quemadmodum in febrium ardentium & inflammationum productione constat excitari & foveri æstum, nunc quidem ab ira, mœrore anxio, amore infelici atque curis, nunc vero ab acrimonia & pravitate humorum, aut solidarum læsione dolorosa: ubi enim dolor, ibi calor, plus minus vehemens, pro gradu doloris.

§. 36. Contrarium calori frigus est, quod nihilominus in sanguine humano interdum observatum fuit. Talem actu frigidum sanguinem e vena secta Ducis cujusdam missum notavit Borellus Cent. 3. Obs 51. & in muliere febre continua laborante, Paschequus apud Riverium Obs. comm. 46. pag. 661. frigidissimum sensit, nivis vel glaciei frigus imitantem, mortemque prænunciantem, siquidem ægra post paucos dies obiit. Sic apoplecticorum sanguinem frigidum observavit Clauderus in Eph. Germ. Dec. II. An. IV. Observ. 138. & in seq. Obs. 139. e naribus scorbuticæ stillantem similiter frigidum: imo & menstrua frigida Wedelius Dec. II. An. IX. Obs. 76.

§. 37. Atque hoc ipsum omnino mirum est, quomodo in corpore vivente humor manifeste frigidus existere queat. Facilis

lis tamen reſponſio aderit, ſi modo ipſam ignis vitalis defectionem attendere velimus. Deficit autem innatus calor, ſicuti revera in debilioribus ſubjectis, ubi vires ob inediam, hæmorrhagiam ſimilemque cauſam evidentem non ſuppetunt: ita potius affectata eſt defectio, quando animæ quidem robur in corpore adeſt, ſed influere atq; ſuccurrere infirmitati partium detrectat propter inſufficientiam quaſi ſimulatam; quemadmodum cernimus mulieres quasdam ab odore moſchi oborta lipothymia ilico refrigerari, & robuſtiſſimum quemque virum in paroxiſmi febrilis principio algere ac incredibili horrore interdum quaſſari. Quod ergo toti accidit, idem & parti cuidam, idem etiam ſanguini accidere poteſt, nempe ut calorem ſuum naturalem amittat & e contrario frigus concipiat manifeſtum, quotiescunque ab anima deſeritur ignea. Propero ad

CAPUT II.

Practicum, quod Pravitatem Sanguinis corrigere docet.

§. 1.

SI de aquoſitate nimia Sanguinis conſtet, allaborandum eſt eo, quo ſerum majore in quantitate jamjam collectum minuatur, Sanguinis debita conſiſtentia reſtituatur, & ulterior affluentia impediatur. Evacuant nimirum abundans ſerum hydragoga ſic dicta purgantia, Rad. & Reſ. jalappæ, Rad. bryoniæ atque ireos noſtr. Herb. gratiolæ ac Soldanellæ atque ſimilia. Item diuretica, inter quæ hoc in paſſu eminent ☉ia fixa plantarum, Ononidis geniſtæ, juniperi, ſtipitum fabarum, Tartari &c. ad tollendam renum obſtructionem imprimis utiliſſima. Denique ſudorifera omnis generis ex regno vegetabili amara & acriora, ex animali ſale volatili turgida; ex minerali ☉ialia potiſſimum atque ♃rea,

§. 2. Diminuta ſic ſeri quantitate corrigi non difficulter poteſt, quod reliquum eſt ſanguinis aquoſi per Incraſſantia. Talia ſunt e Vegetabilium genere Mucilaginoſa, uti Gummi Arabicum, Tragacantha &c. ex Animalibus, Gelatina CC. ac eboris, vel ichtiocollæ, ex Mineralibus ∇æ pingues, Goldbergenſis, Melitenſis, bolus Armena, Norica, Marga friabilis &c. Interim cauſarum inſimul habenda eſt ratio. Si acidum dominetur, miſceantur cum ∇reis ♂lia. limatura ferri, aut hæmatites; & quæ modo commendavi ☉ia fixa repetantur frequentius. Si liberalior potus in cauſa fuerit, abſtineatur, ſucceſſive illius quantitatem diminuendo, & e contrario cibos in uſum trahendo euchymos, ova ſorbilia, pulmenta ex milio, oryza, fagopyro cum lacte, ptiſanam hordeaceam, avenaceam atque ſimilia. Si tranſpiratio vel ſudor ſuppreſſa fuerit, moveatur corpus ad incaleſcentiam uſque.

§. 3. In ſpiſſitudine ſanguinis nimia, quæ aquoſitati eſt oppoſita e diametro, reſtituendus eſt ſeri defectus, æſtusque p. n. ſi concurrat, extinguendus. Conducit igitur potus tenuis & copioſus; acidularum maxime, quando refrigerare oportet; thermarum aut Thee ubi calor non adeo excedit. Nam & diætæ rationem ſi quis habere velit, poterit non difficulter hoc ſanguinis vitium corrigere, ſi partim abſtinuerit ab omnibus quæ lympham minuunt, tranſpirationem accelerant, aut ſudorem cient atque calorem corporis nativum intendunt; partim pro victu quotidiano ſibi alimenta humectantia & refrigerantia elegerit.

§. 4. Si Coagulum ſanguinis moleſtiam creet, exhibeantur reſolventia, modo acriora, ubi per frigus aut terrorem anima torpet; modo mitiora, quotieſcunque vel inflammatio vel febrilis æſtus concurrens acriorum uſum prohibet. Hujus generis mitiora ſunt blande diaphoretica ſeu ſudorifera temperata, terra ſigillata, ſtrigonienſis, Lithomarga, flores Sulph. cum ☉. diaph. ſ. & martiali, antihecticum Poterii, cinnabaris ☉ii atque nativa, lap. 69, ebur, unicornu, dens apri, & hippopotami, cæteræque partes anima-

nimalium duriores, ☉ volatile occultantes. Acriora ſunt eadem hæc ☉ia volatilia inde præparata, ☌☉ ammoniaci, ☌ Tartari vol. item camphora, mixtura ſ. & Tinct. bezoardica cum ☉libus fixis & reliquis ſudoriferis acribus, rad. pimpinellæ, mei, leviſtici, imperatoriæ, angelicæ, petaſitidis, &c.

§. 5. Sed æſtuatio illa ſanguinis maligna, quæ aliquando pulcherrimum ei colorem conciliat ſedatur per hypnotica & refrigerantia, his febribus ſpeciatim convenientia, cujusmodi ſunt emulſiones ex ſeminibus refrigerantibus cum papavere, julepi violati, citrati, aut cum aceto rubi idæi, florum tunicæ vel ☌ acido minerali, tincturisve refrigerantibus, ſl. papaveris, pæoniæ, roſarum bellidisve acidulatis parati. Eminet inter acida hoc in paſſu ☌☉is & ☉li philoſophicus vulgo dictus, aut certe ipſe ☉li verus, utpote cujus inſignem virtutem in ipſa etiam peſtis cura expertam laudat Mindererus in tr. d. peſte p. 249.

§. 6. Nigredo autem ſanguinis, quatenus ab æſtu continuato ſerum deprædante naſcitur, poſtulat refrigerantia & humectantia jamjam ſuperius commemorata. Quatenus vero ab acido exceſſivo contingit, corrigitur optime per abſorbentia, ♂alia, lapidoſa, uſta, & in genere acidum deſtruentia, quorſum & ☉ia fixa & volatilia pertinent. Hoc in ſenſu corallia quoque ſanguinem purificantia ſunt; non quod rubram contineant tincturam, quam plures tam anxie quæruntur; ſed quoniam acidum tanquam cauſam obſcuritatis in ſanguine deſtruunt. Teſtatur etiam experientia, non minus alba corallia quam rubra prodeſſe, adeoque non colorem ſed ſubſtantiam lapidoſam expeti.

§. 7. Contra ſanguinis albedinem a chyli abundantia ortam medicamentis haud opus eſt, ſed abſtinentia & moderatione gulæ. Quamdiu enim ſtomachus cibo potuque plenus non deſinit præparare chylum, indeſinenter ad cor vaſaque ſanguifera deferendum, tamdiu neceſſum eſt aliquam ejus partem nondum in ſanguinem converſam inibi concurrere, ſcil. quod anima circa di-

gestionem primam occupatissima, nunquam feriata, secundæ digestionis opus, seu sanguificationis interea negligat. Hoc igitur negotium repetit sponte, quando parcior diæta facilem & expeditam reddit ventriculi contractionem.

§. 8. Verum si Pituita viscida sanguinem obruat, alia instituenda est medendi methodus, quanquam nec desint, qui per inediam quoque mucum in stomacho collectum paulatim tolli existiment, utpote quem quasi derelictum prius reassumere per otium, atque sic etiam dissolvere valeat. Non videtur tamen hac ratione satisfieri sanguinis vitio. Certe pituita vel evacuanda est, vel dissolvenda, usque dum fluorem lymphæ debitum impetret. Vomitoria igitur & purgantia fortiora phlegmagoga communiter dicta, e colocynthide, cort. esulæ, semine ricini, rad. Hellebori nigri, asari, &c. his conveniunt maxime, siquidem mitiora ne quidem sentit stomachus viscidiore muco repletus. Ubi vero repurgatæ fuerint primæ viæ, tunc diluentia corrigere poterunt successive, quicquid viscidi per corpus reliquum diffusum erit.

§. 9. Major difficultas erit in sanguine depurando si purulenta materia eum inquinarit. Solet equidem natura interdum, ex. gr. in pleuritide suppurata, illam ad renes & vesicam derivare, quo in casu verisimillimum est, viam per sanguifera vasa pus reperisse. Tum igitur juvare naturæ laudabilem conatum decet per diuretica balsamica, uti sunt, Apium, Cerefolium, Hedera terrestris, Hypericum, Veronica, Virga aurea, &c. Si vero per alvum prodeat pus aliunde affluens, adhibenda potius laxantia balsamica, uti, terebinthinata, Aloëtica, rad. Althææ. H. agerati, fl. lil. albo-rum, & pruni Sylvestris, oleum olivarum &c. Si e pectore cum tussi rejiciatur, proderunt bechica, scabiosa, tussilago, pulmonaria, gummi tragacanthæ, ♃ lycopodii & flores Sulph. sed cum judicio exhibendi. Vix enim incrassantia locum habent, nisi acrimoniam humorum salsorum temperare velimus. Diluentia e contrario videntur ideo utiliora, quia puri spissiori vix aliter quam horum beneficio

neficio queamus debitum conciliare fluorem; quem tamen ut educi queat commode, tanquam summe necessarium præsuppono.

§. 10. Quod si flavedine sua sanguinem inficiat bilis, ante omnia dispiciendum est probe, num etiam in primis viis abundantia illius adsit: an potius obstructio in epate facta bilem duodeno neget, eamque regurgitare ad massam sanguineam cogat. In illo casu cholagoga, id est, mitissima quævis purgantia cum abstergentibus salinis, utilissima sunt, e. g. folia sennæ, Rhabarbar. Curcuma, cuscuta, cassia, tamarindi, passulæ cum cremore atque crystallis Tatrari, ⦶ ♁ to, ⊕to, Tart. ⊕to &c. sed aliquoties repetenda, usq; dum pravi humoris copia diminuta fuerit. In posteriori casu optimum est ad obstructionem reserandam aperientia in usum vocare? inter quæ ⊖ia cum primis volatilia eminent, itidemque ⊖sa. Vidi enim non semel icterum ab obstructione natum felicissime solo ♈ ammoniaci, C. C. vel Eboris frequentius assumto sublatum; imo vel solum suffecisse liquorem nephriticum, quotiescunq; in meatibus cholidochis suspicio adesset calculorum: quippe quibus per alvum excretis, ilico summa, quæ affligebat ægros præcordiorum anxietas, & icterus ipse paulatim curatus est.

§. 11. Ast quibus remediis curabimus, quorum sanguis, ob admixtos diversi generis humores pravos, omnino variegatus est? Equidem non deerunt, qui audito nomine scorbuti, vel cachexiæ statim ad specifica, uti nominant antiscorbutica, vel anticachectica confugiunt. Quid vero ab eorum intempestivo usu expectandum sit, si quis Volatilia, spirituosa & acria corporibus impuris instillare velit, aliis dijudicandum relinquo. Mihi profecto solus evacuantium aliquandiu continuatus usus arridet. Quamvis enim humores toto genere diversi concurrant, ut incertum sit, an e. gr. magis ad pituitam resolvendam, an ad acidum destruendum, vel bilem corrigendam dirigenda sint medicamenta; nihilominus conveniunt in eo cuncti humores pravi, utpote præternaturaliter collecti, quod evacuari malint.

§. 12. Adversus abundantiam Salium & inde contractam acrimoniam sanguinis valent præ cæteris diluentia superius jamjam commendata. Quis nescit liquores acidos, lixiviosos vel salinos in genere majorem ilico acrimoniam contrahere, si quæ portio phlegmatis hinc evocetur: e contrario eandem minui, quam primum aqua uberior affundatur. Simile quid accidit nobis etiam, dum sudamus, vel a potu abstinemus, ut acrior statim reddatur cum sanguine lympha: ut quoque mitigetur acrimonia, si modo quantitas seri sufficienter aucta fuerit. Accedit & hoc, quod assumta liquida, quos solvunt sales, abripiant secum & educant cum lotio: deprehendimus namque post Thee, thermarumve potum, quamvis nullus pene his sapor insit, ☐am nihilominus salsam & consequenter sanguineam massam hoc pacto a salibus excessivis non parum liberari.

§. 13. Præmissis diluentibus his, quod reliquum est acrimoniæ, corrigi postmodum per temperantia potest: nam & iis facultas inest singularis contra venena, utut summe corrosiva. Sic præservationis ergo solent pinguia, oleosa, mucilaginosa, similiaque adhiberi, ut a venenis hujusmodi corrosivis nos præstemus tutos. Ecquid aliud ad hebetandam vim venenorum, si forte assumta fuerint per os, recipimus quam lactis cremorem, oleum commune atque amygdalarum dulcium, tragacantham, mucilaginem seminis cydoniorum, decoctum C. C. cum scorzonera, ♃. lycopodii, fl. Sulph. bolum, ♈ sigillatam &c. Atque hæc ipsa tandem, si eorum usus aliquamdiu continuetur, sanguinem quoque virulentum emendare valent. Ubi vero ab externa læsione infectum fuerit corpus, e. gr. morsu viperarum, ictu Scorpionum, telo venenato &c. tum quantocyus dato sudorifero satis potenti, expellendum virus est, antequam ad cor properans omnem corrumpat massam sanguineam.

§. 14. Fœtorem sanguinis, si ab esu allii, ceparum atque similium nascatur, nihil aliud æque corrigit ac ipsius diætæ regimen seu

ſeu abſtinentia totalis ab ejusmodi alimentis. Si vero ab ulcere putrido intus latente id vitium contrahat ſanguis, tentanda eſt ipſius ulceris cura. Locum igitur habebunt balſamica præcipue, prout eadem §. 9. recenſui occaſione ſanguinis materia purulenta referti. Et quemadmodum in genere ulcera fœtentia, quæ majorem putredinem, ipſique ſphacelo eatenus affinem, involvunt, difficilioris curationis exiſtunt, ita ſpes reſtitutionis multo minor, imo nulla relinquitur, quotiescunque talia nobile quoddam viſcus corrumpunt, ac inſuper chirurgi manum operamque ſubterfugiunt, utpote intra thoracem vel abdomen ſecure deliteſcentia.

§. 15. Cæterum impuritatem ſanguinis, qualem in lue Gallica, lepra, ſcabie, ſatis contumacem in variolis, morbillis, petechiis &c. temporariam ſed periculoſiorem ſimul agnoſcimus, non alia tollunt medicamenta, quam ſanguinem purificantia. Merentur ſic appellari expellentia potiſſimum, acria & amara, uti ſunt myrrha, camphora, cortex ac lignum Guajacum, rad. Gentianæ, ariſtolochiæ, fumariæ bulboſæ, helenii, pimpinellæ, Herb. Card. ben. ſcordii, rutæ atque ſimilia. Enimvero quæritur merito, qua ratione talia operentur medicamenta, cum non adeo ſit obvium, quid ſapor eorum acris amarusve conferat ad expellendum, e. g. ſi bilis ſanguini admixta fuerit. Quid? quod puſtulæ ac maculæ haud raro erumpunt poſt expellentium uſum, quantumvis ſudorem nullatenus provocarint. Nam & purgantia, præcipue acriora & amara, uti e colocynthide ac aloe parata, ſi modo malignitas febris non prohibeat, expellunt inſimul dum purgant, atque ſic duplici nomine purificant ſanguinem, nempe tum præſentem in vaſis ſanguiferis, tum futurum, id eſt, chylum e primis viis eo transferendum. Id enim intendunt procul dubio etiam illi, qui flores pruni ſylveſtris vel fumariam tanti æſtimant infuſa: qui præter eſſentiam fumariæ compoſitam tincturamque ſ. ii e ſcoriis reguli paratam vix ullum adhibent ſanguinem purificans.

§. 16.

§. 16. Hæc videlicet causa me movet, ut ferme cum Kircherо in eandem opinionem descendam, omnemque morbum cum ejusmodi exanthematibus conjunctum, a semine quodam verminoso deducam. Ita enim apparebit non obscure quamobrem vermes fugantia quæcunque sint etiam expellentia optima. Instar omnium sint ♃alia, ultimum in hoc morborum genere asylum atque refugium. Cinnabaris profecto nativa & antimonii exhibetur optimo cum successu, quando purgare non licet: ubi hoc licitum est, nihil præstantius habetur ♃io dulci cum aloe atque colocynthidis extracto. Annon denique ad salivationem usque utimur ☿libus, si malum rebelle aliter domari nequeat.

§. 17. Quæ ad corrigendum sanguinem, si admodum tartareus vel etiam arenosus existat, medicamenta requirantur, non obscurum est, si ad ea respiciamus, quorum usum in diluenda humorum acrimonia, & salium, acidorum præcipue, abundantia minuenda paulo ante commendavi. Martialia præ cæteris ideo mihi probantur maxime, quod tanquam ponderosiora vim præcipitandi ac destruendi acidum singularem obtineant; pergunt enim salia volatilia & fixa non minus quam lapidosa terreaque ab acidis soluta in massam sanguineam, adeoque hujus salsedinem augent, dum acidum primarum viarum destruunt. Astferri limatura, etiamsi solvatur in stomacho, vix ac ne vix quidem penetrat per vasa lactea, sed statim præcipitatur una cum salibus corrosivis, & excernitur feliciter sub atrato fecum alvinarum colore. Habent hinc martialia vim egregie anodynam, ipsa etiam opiata interdum superantem, in scorbuto, arthritide, similibusque morbis, ab acrimonia humorum summa natis, uti non numerandis didici experimentis.

§. 18. Ad fervorem sanguinis extinguendum valent refrigerantia, inter quæ omnino eminent hypnotica, motum nimium igneorum, qui causa illius æstus proxima est, quodammodo compescentia. Reliqua spectant causas remotiores, diluuntque vel temperant

perant humorum acrimoniam, quæ vellicando fibras animam reddebant inquietam aut obstructionem, si forsan caloris autor fuerit, referant tanquam aperientia. Adhæc refrigerant evacuantia quæcunque, dum partem quandam ☌uum illaudabilibus pariter ac optimis humoribus inhabitantium deprædantur, sed Venæ sectio id peculiare habet præ aliis, quod absque commotione confestim refrigeret, dum adhuc sanguis fluit, adeoque præsentaneam statim opem afferat, v. g. in inflammationibus, febribus ardentibus. Verum sudorifera, vomitoria & purgantia post se quidem relinquunt virium prostrationem, atque hinc dependens qualecunque refrigerium, in ipso tamen actu, quo in corpore operantur, præsertim si acria fuerint medicamenta, non parum exacerbare calorem solent.

§. 19. Denique frigidum sanguinem non difficulter ad naturalem reducimus temperiem per spirituosa & aromatica, quippe quæ calefacientium nomen præ cæteris omnibus merentur. Reficiunt enim ☌us vitales ac restituunt deficientes medicamenta spirituosa seu ☌us ardentes, plus minus fragrantes, ut sunt rosarum, rubi idæi, pomorum dulcium, cydoniorum, cerasorum: si acriores fuerint, uti ☌us florum convallium, rosmarini, cochleariæ, & aromatisati ut aquæ antapoplecticæ, balsamum embryonum, atque similia possident insimul facultatem excitandi quoque languentem torpidamque animam. In hoc namque passu quæcunque prosunt acria, pro ratione circumstantiarum modo acida, modo ⊖ volat. turgida, modo salsa, vel quocunque sapore penetranti prædita.

§. 20. Hæc de Sangvinis Pravitate dicta sufficere poterunt hac vice. Quanquam enim haud nesciam, adhuc plurima superesse, quæ ad ulteriorem hujus Theoriæ pariter ac Praxeos illustrationem facere potuissent, nolui tamen disputationis limites temere transgredi, ne vel ipsa prolixitate nauseam lectori creem. Deo autem T.O.M. immortales ago habeoque gratias, quod immensa sua gratia huic etiam labori meo interesse ac præesse voluerit. Ei soli sit in perpetuum Laus Honor & Gloria.

DISPUTATIO XXVIII.

DE

NUTRITIONE.

PRÆFAMEN.

QUi prima mundi principia ſummeque mirandum creationis opus mente reſpicit, is quidem Gloriæ Divinæ argumentum reperit evidentiſſimum; neſcio tamen an huic ſecundum ſit, quod ex ejusdem Univerſitatis tutela quotidie naſcitur atque augetur. Tanta eſt Summi Numinis providentia in conſervando immenſi orbis ordine, quanta in creando ſplenduit omnipotentia: adeo plena ſunt omnia admirationis Domini. Cœlum atque terra, & quicquid noſtris obverſatur oculis, animos indeſinenter revocat ad divinæ æternæque laudis memoriam; ſed vel ſola homini conceſſa gratia ſufficit, qua non dicam ſpiritualiter (illa namque ad forum Theologicum ſpectat) ſed ſaltem naturaliter nos beat DEUS clementiſſimus. Nimirum tantis gaudet dotibus humani generis natura, ut & unica hæc omnem mundi theſaurum referre, imo eundem vi rationis multum antecedere queat. Ideoque non contemnendum videtur eorum inſtitutum, qui poſthabitis omnibus ſolam ſui cognitionem accuratius perſcrutantur, ejus-

ejusque non modo jucunditatem, sed & multiplicem usum indefesso conatu quæsitant. Nec mihi, opinor, quisquam vitio vertet, quod hoc secutus hac vice materiam differendi ex Anthropologia eligere atq; pro ingenii viribus explicare voluerim. Incidi autem in nutritionem, quotidie quidem obviam, interim omni difficultate non destitutam. Dissensus enim Doctorum, quem universa rerum naturalium doctrina patitur, hanc quoque materiam non parum intricatam reddit atque ambiguam. Propterea sepositа paulisper gravissimorum Virorum authoritate rem ipsam aggredi, ejusdem rationes expendere atq; sic demum mihi videatur, pronunciare integrum eris. Faxit DIVINUM NUMEN, ut ex voto succedat!

§. 1.

NUTRITIONIS, quam tractare animus est, vox equidem varia significatione gaudet, sæpius enim cum conservatione coincidit, ita ut v. g. camphora nutriri dicatur addito pipere, flamma adjecto ligno &c. sed hæc significatio saltem tropica est.

§. 2. Competit autem magis proprie animalibus atque plantis; de mineralibus liberum cuique relinquo judicium. Cum enim hæc ipsa per appositionem tantummodo particularem ad extra augeri ac præterea vita carere dicantur, idcirco a vera nutritione communiter excluduntur.

§. 3. His jam remotis una cum vegetabilibus atque brutis, hominum saltem nutritionem tractandam sumo, cujus rationem omnem breviter huic includo definitioni: NUTRITIO est unio alimenti

menti cum partibus alendis, quam Spiritus ad vitæ conservationem præstant.

§. 4. In resolutione hujus definitionis qvinqve notanda occurrunt, nempe primo nutritionis forma, unio: secundo materia alimentum: tertio subjectum, alendæ partes: quarto causa Efficiens, spiritus: quinto denique finis, vitæ conservatio.

§. 5. Quod nutritionis formam spectat, quæ locum generis in definitione occupat, dixi eam consistere in unione alimenti atque corporis. Contingit autem illa triplici potissimum modo, juxta Diemerbroeck. Anat. p. 494. Vel enim corpus nutritur, ut simul accrescat; vel nutritur & in eodem statu permanet; vel nutritur & decrescit.

§. 6. Videlicet nutrimenti aliquando plus assimilatur corpori, quam huic decedit, adeoque moles augetur: aliquando corpori accedit nutrimentum æquali pondere cum absumtis, atque sic in eodem statu manet: aliquando vero minus nutrimenti accedit, quam forte transpirat ac dissipatur, unde corpus necessario quidem decrescit, conservatur tamen.

§. 7. Sciendum autem est mediam hanc nutritionis speciem saltem pro genuina haberi a philosophis, ac propterea per repletiones ejus, quod evacuatum est, aut repositionem novæ partis in locum absumtæ communiter definiri.

§. 8. Hac da causa primæ nutritionis speciei aliud nomen imponentes, augmentationem seu accretionem dixere, eamque maxime diversam a nutritione voluerunt, sed præter necessitatem.

§. 9. Quis enim nutritionem plantis denegare ausit, aut distinctam ab augmentatione affirmare, eo quod ipsis, si præcipue buxum, rosmarinum atque similia perpetuo virentia, sumas, nil quidem decedat, plurimum autem omni die accedat in augmentum.

§. 10. Deinde, cur non tertiæ speciei singulare fecerunt nomen, quæ tamen eodem modo nempe mentaliter a cætera nutri-

tione

tione distingvi posset. Decrementum vero vel diminutio, quibus forte terminis uti quis queat, naturam hujus nutritionis non exhauriunt, utpote qui magis locum habebunt in iis, quibus nutrimentum denegatum est. Fieri autem potest ut e. g. obesior rusticus, optimo nutrimento ac sanitate perfecta gaudens, ob nimios labores sudoresque paulatim emacietur; in hoc sane transpiratio quidem accelerata, nutritio autem inculpata ac eadem est cum antegressa.

§. 11. Perinde igitur est, sive corpus augeatur sive non, sufficit ea, quæ ad nutriendum apta sunt cum nostris uniri partibus, atque assimilari adeo, ut in harum naturam perfecte convertantur. In hac enim unice juxta definitionem formalis ratio nutritionis consistit.

§. 12. Transeo ad materiam, quæ pro diversitate autorum diversa quoque statuitur. Tres autem potiores sunt opiniones, prima quæ ferum, altera quæ succum nervorum, tertia quæ sanguinem pro materia nutritionis habet. Audiamus singulas.

§. 13. Sed præmonendum est, omnes quidem convenire in materia remota, in proxima vero maxime dissentire. Nemo enim sanæ mentis inficias ibit, ex assumto cibo potuque nutrimentum capi; alioquin frustra certas quotidie horas prandio atque cœnæ destinaremus, imo & cebrius pabulum qui præberet porco bovique pingvedinem sperans, nodum in scirpo quæreret.

§. 14. An autem assumta in chylum saltem resoluta, an vero sub specie seri aut, in liquorem nervosum vel sanguinem conversa demum nutritioni apta sint, id ipsum est, quod controvertitur.

§. 15. Primam qvi fovent sententiam, totumque corpus sero nutriri credunt, illi sub titulo seri non inutilem quidem ac simplicem aquam, sed vel chylo saturatam, vel ex eo colliquato factam intelligunt.

§. 16. Nempe qui sangvinem e vena hominis sani missum & aliquandiu sepositum considerat, deprehendet aliam ejus par-

tem ſpiſſam atque coccineam, aliam ſeroſam & fluidiorem, aliquando lacteam, plerumque pellucidam eſſe. Illam partem magis vitalem aptamque ad generationem ſpirituum, caloremque corporis ſervandum, hanc nutritiam judicant, partibusque alendis dicatam.

§. 17. Hoc itaque ſerum cum videant ad omnes deferri partes per arterias, nec ullum liquorem æque diſtribui, exiſtimarunt non improbabilem ejus eſſe uſum in nutriendis partibus. Parum autem hujus argumenti vim metuit, qui idem hoc de Sangvine prædicat.

§. 18. Dicis: Atqui manifeſtum eſt ſerum relinqui in nutrimentum partium; ſangvis enim, qui ad circumferentiam corporis per arterias defertur, ſeroſior, qui refluit per venas magis pingvis & unctuoſus deprehenditur, vid. Charleton in Exerc. V. pag. 73. & 74.

§. 19. Committitur autem hic fallacia non cauſæ ut cauſæ. Poſito enim, ſangvinem venoſum minus eſſe ſeroſum, quam arterioſum; inde tamen non ſequitur, ſerum abire in nutrimentum partium; refluit enim idem ſerum per vaſa lymphatica ſeorſim, quod antea ſangvini permiſtum erat. Ut taceam per inſenſibilem tranſpirationem atque ſudorem eandem ſæpius lympham imminui, atque ſic ſanguinem a corporis peripheria refluum minus ſeroſum eſſe.

§. 20. Egregium fateor argumentum, huic ſententiæ plurimum favens forent lymphatica vaſa, ſi non a partibus ſed ad partes abirent. Nec minore laude dignus eſſet Bilſius, ſi præter hæc lymphatica ſua quoque rorifera tandem demonſtrare voluiſſet vel potuiſſet.

§. 21. Sed pergo ad alia. Axioma vulgo notiſſimum eſt iisdem nos nutriri quibus conſtamus: nutrimentum enim conſimilis omnino naturæ eſſe debet cum illis partibus quibuscum unitur. Conſtamus autem omnes ex ſeminali liquore, adeoque ſimili

mili quoque nutrimur. Nihil autem in toto corpore ſemini æque comparari poteſt, quam chylus atque lympha: ergo hæc ſola videntur idonea ad nutriendas partes.

§. 22. Reſpondeo breviter, male explicari illud Philoſophorum axioma; loquitur enim hoc de materia nutritionis & generationis proxima, non de remota, ita ut idem ſonet ac ſi dixerint, quales particulæ requiruntur in generatione ad conſtitutionem partium, tales quoque ad nutritionem requiruntur. Jam vero ad generationem requiruntur v. g. AQVEÆ, TERREÆ, & SALINÆ, quæ ſemini includuntur, ergo & aqueæ, terreæ atque ſalinæ requiruntur ad nutritionem. Quodſi enim materiam generationis & nutritionis remotam intelligerent, tum ſequeretur, nos omnes qui ex ſemine conſtamus, nutriri eodem ſemine.

§. 23. Regeris, terminum iisdem non innuere hoc loco aliquam identitatem, ſed paritatem tantum & ſimilitudinem, ſemini autem ſimillimum eſſe chylum ſeroſum. Reſpondeo eandem eſſe rationem ſangvinis, ſi colorem præſcindas hic non obſtantem, imo & ſangvinem longe aptiorem eſſe & nobiliorem chylo, eo quod in illo particulæ melius per digeſtionem longiorem unitæ ſunt; quemadmodum nec crudum ſemen, ſed aliquandiu digeſtum ac ſangvineis hinc inde notis ſignatum, in partium formationem inſumitur.

§. 24. Inſtas ulterius, non opus eſſe materia adeo perfecte diſpoſita ad generationem æque ac nutritionem; archei enim munus hoc eſſe, ut materiæ particulas juxta connatam ideam apte diſponat. Si enim juxta Helmontium p. m. 29. 23. & 330. 51. duo ſunt omnium rerum principia, unum materiale aqua, & alterum effectivum, fermentum ſive Archeus, quid clarius, aptiſſimam eſſe lympham tam ad generandas quam nutriendas partes.

§. 25. Nec obſtare poteſt maxima partium inter ſe diverſitas. Quemadmodum enim pluvialis aqua aceſcit in acetoſella, amareſcit in abſinthio, acreſcit in naſturtio, dulceſcit in glycyrhi-

za,

za, in aliis aliam naturam induit, vique archei ſeminalis convertitur in folia, ligna, cortices atque radices, quale quid in Helmontio p. m. 88, 30. & Boyle Chym. ſcept. p. 38. & ſeq. quoque lego. Ita & lympha, microcoſmi ros, amareſcit in bile, aceſcit in pancreate, dulceſcit in mammis nutricum, induratur in oſſibus, in membranis, muſculis, cartilaginibus aut glandulis aliam conſiſtentiam recipit aliamque faciem.

§. 26. Nec enim argumenta deſunt, quibus demonſtrari poteſt, ipſa quoque animalia, piſces præſertim, ſola aqua nutriri. Ut enim exemplum ſalmonis & ſturionis, quæ Helmont. p. 94. 29. urget, taceam, ſaltem ex Boyle Chym. ſc. p. 138. unicam recitabo hiſtoriam. Refert hic ex Rondeletio, uxorem ejus in vitro aqua impleto piſcem ſine ullo alio nutrimento conſervaſſe per tres annos, interea illum ita notabiliter increviſſe, ut regredi nequiret ex illo foramine per quod immiſſus erat.

§. 27. Ex quibus omnibus manifeſto liquet, ſimpliciſſimam aquam ad nutriendum convenientiſſimam eſſe, adeoque non dubitandum, ſerum noſtri corporis, quod ejus naturam in nobis exprimit, ſimilem in nutriendo uſum præſtare poſſe.

§. 28. Conſequentia autem hæc admodum vana mihi videtur. Quod enim vegetabilia ſpectat, concedam ultro mentham, pulegium, meliſſam, ipſamque ſalicem & centum alia pura nutriri aqua; ſunt tamen innumera, quæ ſimili modo nec conſervari nedum augeri videas.

§. 29. Deinde ſi vel maxime omnis planta unice ex aqua naſceretur ac incrementum caperet, nondum tamen ad hominem argumentari potes, niſi etiam ab agro ſtercorato ad barbæ fœcunditatem concludendum velis.

§. 30. Quod piſces attinet, dabo & hoc, omnes ſola nutriri aqua, quod tamen falſiſſimum eſt; exinde vero ne quidem ad canem muremque ſuſtentandum argumentari licet, multo minus ad hominem.

§. 31.

§. 31. Sed jam illos audiamus, qui ſuccum nervorum nutricium defendunt, ac videamus quænam materia, quænam officina & quænam tandem ejus via ſit, in his enim ipſi non parum diſſentire videntur patroni hujus liquoris.

§. 32. Conveniunt quidem in eo omnes, liquorem hunc ex ſanguinis parte ſeroſa atque chyloſa elaborari, non ex rubicunda, utpote quæ ad ſpirituum generationem calorisque nativi conſervationem faciat. Vid. Georg. Ent. in apolog. pro circul. ſang. p. 74. Gliſſonius & alii.

§. 33. Differunt autem in officina ſic: plerique glandulis meſentericis, lumbaribus atque thymo hoc negotium elaborandi ſuccum nutricium committunt. vid. Gliſſonius in anat. hep. p. 530. ſeqq. qui vehiculum hujus ſuccii ex liene addit p. 523. Conferatur ſimul ſtrenuus ejus ſectator Charleton in Oecon. An. p. 202. & ſeqq. item Conſentinus in progymnaſm. VI. p. 281. qui jam nominatis glandulis pituitariam, alarum inguinumque & cæteras adjungit glandulas.

§. 34. His ſpretis Williſius primos fontes nervoſi humoris in cerebro ac cerebello ſtatuit, in Cerebr. anat. p. 101. ſimulque in hoc abit a ſententia aliorum, quod hunc liquorem non tantum, ſed & partem ſanguinis ſeroſam per arterias allatam, credat nutritionis eſſe materiam, juxta ſuperius memoratam aliorum opinionem.

§. 35. Et quamvis illi generationem nervoſi ſucci in cerebro non admittant, concedunt tamen ex cerebro, cerebello ac medulla ſpinali eum diſtribui & quidem per nervos, quibus Conſentinus membranas addit, aſſerens per has quoque ſuccum illum in plerasque corporis partes diffundi non ſecus ac in arboribus maxima portio alimenti per librum corticemque permanat.

§. 36. Sunt autem argumenta, quibus hanc de ſucco nutricio ſententiam tuentur, hæc potiſſimum: videlicet in paralyſi clarum eſt ariduram, quæ illam ſequi ſolet, nervorum ſaltem vitio

contingere; vasa enim sanguifera recte omnino se habent, ita ut pars affecta nequiret marcescere, si quidem sanguis nutrimentum ferret. Videatur Glissonius p. 497.

§. 37. Confirmat hoc ipsum historia Charletoni, quam in Oecon. anim. p. 187. addit. Refert is a læso in phlebotomia inepta nervo, brachium post diras convulsiones ita exaruisse, ut carnes ad ossa contegenda vix sufficerint. Hanc autem atrophiam procul dubio ex nervi incisione hincque impedito succi nutritii fluxu natam esse subjungit.

§. 38. Nec diffiteor in paralysi æque ac simili inepta Venæ Sectione contabescere partem non alia quam nervorum culpa, exinde tamen liquoris nervosi existentia nondum demonstratur. Dabitur enim vera hujus aridurae ratio in sequenti §. 95.

§. 39. Atqui, inquiunt, e partium nervosarum vulneribus roscidus sæpe humor, albumini ovorum non absimilis extillat, qui certe ex arteriis venisque minime profluxisse videtur.

§. 40. Responsum autem jam est a Graafio in cap. 2. de succo pancr. p. 527. liquorem illum potius ex vasis lymphaticis quam nervis læsis emanasse; quod ipsum satis confirmare valet experimentum ab eo institutum locoque cit. annotatum, quod hoc est: Denudavit insignis ille Anatomicus nervum in cane cruralem, dissectumque transversim & a vasis lymphaticis liberatum in phialam, ad colligendum succum pancreaticum paratam, immisit, probeque munito vitro speravit liquorem nervorum nutricium se collecturum, sed frustra; Spatio enim quatuor vel quinque horarum ne minimam quidem guttulam collegit, quod procul omni dubio factum fuisset, si quidem aliquis in vivente cane liquor per nervos e cerebro deplueret.

§. 41. Instat Willis. *l. c.* liquorem hunc admodum subtilem & spirituosum esse, præsertim in adultis, in junioribus autem catuis adhuc viscosum existere ita, ut & nervus quidam major ni his ligatus intumescat supra ligaturam, non secus ac arteria aliqua.

§. 52.

§. 42. Rectiſſime autem hoc Williſii aſſertum in dubium vocatum eſt ab Excellentiſſ. Dn. D. Bohnio in Diſſert. Phyſ. 12. §. 13. qui duabus vicibus inſtituto hujus rei experimento deprehendit nervum catelli recens nati filo conſtrictum nullo modo intumuiſſe; quod ipſum alii quoque idem tentantes teſtari poterunt.

§. 43. Pergunt ulterius in probanda ſua theſi hoc modo: in phthiſi emplaſtra cephalica egregie conferunt ac partium nutritionem adjuvant, manifeſto indicio, nervos quoque muneri nutritionis præeſſe.

§. 44. Concedo totum, quantumvis ipſum remedii genus ſuſpectum mihi ſit, ac dubitem, an unquam in vera phthiſi ſeu pulmonum exulceratione talia emplaſtra quicquam præſtiterint.

§. 45. Similis ratio eſt illius curæ, qua fœdum equorum morbum, Gallico affinem, depellunt, cujus Willis meminit l. c. p. 103. quando flammulam, ranunculum & ſimiles acriores plantas in maſſam contuſas equi auribus imponunt, quo remedio intra viginti quatuor horas morbi ferocia ſic mitigatur, ut & tibiarum ulcera exſiccentur, ac brevi poſt ſanitati reſtituatur equus.

§. 46. Cum igitur videant hoc remedii genus capiti, nervorum origini applicatum in diſtans operari atque ulceribus longe remotis mederi, concludunt cerebri & ſucci nervoſi dyſcraſiam ab iſto pharmaco ſublatam inque naturalem ac debitum ſtatum reductam eſſe.

§. 47. Mihi vero hic argumentandi modus minus arridet. Video enim eundem ranunculum manuum carpis alligatum tertianam tollere, anſerinam plantis pedum alligatam dyſenteriam ſanare, mercurium quibusdam articulis ſaltim inunctum ſcabiei luiq; venereæ mederi, etiamſi totum occuparint corpus. Quis vero hinc colligeret, originem tertianæ in manuum carpis, dyſenteriæ in pedum plantis, ſcabiei ac luis venereæ radicem in manuum pedumque articulis hærere, aut propter ſublatam ſanguinis per venas ab artubus reflui dyſcraſiam hos morbos ſublatos eſſe, quod ipſum

pſum tamen majore adhuc probalitate gauderet, quam fictus nervorum ſuccus.

§. 48. Nolo autem plura, quibus vel probatur vel impugnatur nervoſus latex, argumenta coacervare, pergendum enim mihi eſt ad tertiam de materia nutritionis opinionem, quæ nec ſerum nec ſuccum nervorum admittit, ſed ipſum rubicundum ſanguinem eligit.

§. 49. Antiquiſſima hæc eſt ſententia, quam & hac vice defendendam in me ſuſcipio, poſtquam breviter aliqua veterum ſuppoſita minus permittenda removero.

§. 50. Quemadmodum enim hi ſanguinem ex diverſis compoſitum homoribus ſtatuunt, bile ſcil. pituita, melancholia & ſanguine temperato; ita & quamvis partem pro diverſitate ſui temperamenti calidum & ſiccum, frigidum & humidum, frigidum & ſiccum, calidum & humidum putant pro nutrimento poſtulare.

§. 51. Nullum interim jam enumeratorum humorum permittunt dici excrementitium, ſed omnem in nutritionem inſumi volunt ſic quidem, ut ex mente Avicennæ hinc naſcantur humores ſecundarii, innominatus, ros, gluten atque cambium. Innominatus illis dicitur, quamdiu ſanguinis in venis capillaribus hæret, ibidemque primam alterationem ſubit, ut & mutato colore in partibus ſpermaticis albeſcat. Poſtquam autem hic humor e venulis prodit atque in partium ſubſtantiam diffunditur, ros appellatur; ut vero hic parti agglutinetur, diuturniore opus eſt coctione; aqua magis craſſus ac viſcidus redditur dictus gluten; quod tandem in naturam partis alendæ converſum cambii nomine inſignitum eſt.

§. 52. Multiplicantur autem præter neceſſitatem nomina hoc in paſſu. Nec enim abſtractiones illæ mentales quicquam aliud explicare poſſunt, quam quod ſub unico tertiæ coctionis termino comprehenſum ab aliis & intellectum erat.

§. 53

§. 53. Quod vero quatuor humorum exiſtentiam in ſanguine concernit, ea jam quidem ſatis a Neotericis rejecta eſt, poſſet tamen quodammodo admitti, ſi per pituitam ſeroſam partem, quæ coctione in gelatinam viſcidam facile abit, intelligas; per ſanguinem, partem coloratam & ſulphuream; per bilem ſal volatile; per melancholiam ſal acidum. Hæc enim omnia ſanguini ſecundum naturam ineſſe non eſt improbabile.

§. 54. Quandocunque igitur ſanguinem eſſe materiam ad nutriendum corpus aptiſſimam aſſero cum veteribus, non partem ſaltem ejus caſeoſam cum Betto, nec ſeroſam cum aliis, ſed omnes ſimul particulas maſſam ſanguineam conſtituentes volo intellectas.

§. 55. Res expedita foret ac facilis, ſi juxta Barbatum ſanguinem & ſerum huic permiſtum nutrimentum dicerem partium, hancque diviſionem in ſpermaticas & ſanguineas ſic admitterem, ut ſpermaticas ſero, ſanguineas ſanguine nutriri velim.

§. 56. Sed nec hæc mihi ſatis probatur ſententia. Nam primo ipſa partium diviſio in ſpermaticas & ſanguineas vana eſt falſoque ſuperſtructa fundamento. Crediderunt namque veteres ſicut ad animalium ita & hominis generationem duo principia concurrere, ſemen virile puta & maternum ſanguinem, atque ex hoc partes naſci ſanguineas, ex illo ſpermaticas. vid. Andreas Laurentius in Hiſt. anat. p. 284.

§. 57. Atque ex hoc errore, quod obiter addo, natus eſt Paracelſi homunculus, quem ex ſemine ac menſtruo ſanguine aliquandiu digeſtis in fimo produci docet. Facile tamen hæc generationis principia reſpuit, qui modo ex gallinæ ovo, citra ſanguinis additamentum, partes ſanguineas æque ac ſpermaticas prodire cernit.

§. 58. Secundo, ſi quæ foret harum partium diverſitas, inutile omnino foret ſanguinem per arterias abire ad partes etiam ſpermaticas, quibus vaſa lymphatica ſufficerent. Nullibi autem

quicquam frustra ac temere agit natura, mater providentissima.

§. 59. Ergone inquis, serum ad nutritionem prorsus inutile est? Non omne. Scias etenim aliud massæ sanguineæ assimilatum esse ac requisitum ad ejusdem fluxibilitatem, aliid superfluum, quod chylum antea vehebat per renes nunc secernendum. Hoc sane minus esse proficuum, minimeque ad nutritionem requisitum palam est ex eo, quod sanguis tabidorum plurimus sæpe sed aquosior sit, obesiorum autem minus serosus, ita ut vix unum cochlear ejus in sanguine horum per V. S. misso observare liceat.

§. 60. Serum autem illud, quod ad ipsam sanguinis constitutionem requiritur; aut nutrit revera, v. g. oculorum humores, aut saltem necessarium particularum nutritivarum vehiculum est. Explicat hunc seri usum Diemerbroeck. p. 496. & 497. hoc simili: videlicet sicut mercurius cum auro unitus atque amalgamatus affricatur metallo deaurando, ipse autem dissipatur iterum ab ignis calore, ac post se auri splendorem relinquit; ita quoque in nobis mercurius, sanguinis aurum ad partes deferens iisque apponens est serum, quod ipsum equidem nutritionis materia non est, eandem tamen secum affert.

§. 61. Sed uti dixi, seri usus omnino rejici non debet, sunt enim partes nostri corporis plurimum inter se diversæ, adeoque aliæ sui conservationem particulas terreas, aliæ aqueas magis, aliæ salinas expetunt, quas omnes largiter supeditare sanguis potest.

§. 62. Hoc ut assertum firmius evadat, removenda erunt aliqua dubia huic objecta ab Entio potissimum in Apolog. p. 69. quæ repetere Charleton in Exercit. 5. p. 68. & seqq. non dubitavit.

§. 63. Potissimum argumentum, quo probare conantur sanguinem non nutrire hoc est: Cerebrum, ossa, nervi, ligamenta, testiculi & partes aliæ sanguinem ex arteriis non recipiunt, nutriuntur tamen, ergo necessum est aliud quoddam esse harum partium nutrimentum præter sanguinem.

§. 64

§. 64. Fatentur autem ipſi ſanguinem quidem in his omnibus reperiri, negant tamen illud in ſingulis earum particulis conſpici. De cerebro quidem, quo exemplo utitur Charleton, falſo aſſeritur, vaſa ſanguifera vix ullibi reperiri in eo, niſi ubi membranæ ſitæ ſint. Non enim ſemel vidi in cerebri ſectione innumera fere punctula ſanguinis prodiiſſe ex ipſa medullari ſubſtantia.

§. 65. Quod ſi autem aliis in partibus v. g. oſſibus, nervis &c. non æque ſub adſpectum cadant ac deprehendantur arteriolæ ſanguineusque color, ſciendum eſt, ſubtilitatem illarum hujus rubedinem adeo imminuere, ut vix oculis cerni queat, quemadmodum ex unico ac exiliſſimo bombycis filo de colore ſerici nemo judicare poteſt.

§. 66. Res manifeſtior eſt in oculo, cujus album ſeu tunica adnata plurimam partem candidiſſima innumeris nihilominus vaſculis ſanguiferis gaudet, quæ tamen vix unquam in conſpectum veniunt niſi forte in ophthalmia tunica hæc ſic inflammetur, ut quaſi ex meris contexta venulis videatur.

§. 67. Objiciunt porro, iis qui fame moriuntur plurimum adhuc ſanguinis in venis etiam poſt obitum ſupereſſe, qui ſi nutriret, mortem neceſſario averteret; quemadmodum flammula lucernæ non extinguitur, quamdiu ei vel minimum olei inflammabilis ſuppetit.

§. 68. Nego autem fame aliquem perire prius, quam ſanguis deficiat, quod ſatis apparet ex illatis a Diemerbroeck exemplis, quæ pag. 502. videri poſſunt. Obſervavit hic in quodam viro, qui vitæ pertæſus per aliquot ſeptimanarum abſtinentiam ſeipſum fame & ſiti extinxerat omnes minores venas meſaraicas, intercoſtales & ſimiles quaſi deletas, ipſum autem ſanguinem adeo paucum fuiſſe, ut ex vena cava vix tria cochlearia cruoris effluxerint, aorta autem omnino fuerit vacua.

§. 69. Similiter in altero ob diuturnam inappetentiam longa inedia emaciato tandemque mortuo venas ſimul & arterias in tan-

tantum inanitas invenit, ut ex arteria magna nihil, ex vena cava vix duo cochlearia sanguinis emanarint. Quis vero ausit affirmare exiguas has sanguinis reliquias sufficere potuisse ad nutritionem totius.

§. 70. Intelligo autem alios hic mihi regerere, hæc omnia magis probare chyli defectum esse mortis causam, quam sanguinis dispendium; præsertim cum videant ex unius vel duorum dierum inedia faciem ilico minus floridam atque collapsam reddi non sane ob inopiam sanguinis, utpote qui adhuc sufficienter per totum corporis habitum circulatur, sed chymi saltem defectum, quem ad sui nutritionem quævis pars expetit.

§. 71. Mihi attamen verosimilius videtur, vividum faciei colorem sanguini potius quam affluenti chylo deberi. Quis enim nescit quemvis hominem macilentum etiam atque cachecticum calentibus in corporis exercitio membris sanguinisque motu sic accelerato, vultum longe formosiorem ac hilariorem præ se ferre, venas magis conspicuas manusque succi plenas monstrare.

§. 72. Ideoque si cui ex abstinentia cibi potusque facies alteratur atque in tristiorem convertitur, accidit profecto non ob chyli sed sanguinis potius defectum; nam & huic potius quam chylo malarum rubor debetur.

§. 73. Instant ulterius: sanguinem ad nutriendum esse ineptum, eo quod maximam cum multis partibus habeat dissimilitudinem, ut cum cerebro, ossibus, membranis &c.

§. 74. Huic objectioni duplici modo respondere possum, nempe primo indirecte per instantiam ex §. anteced. 26. repetendam. Quemadmodum enim eadem simplex & pluvialis aqua viridia simul folia, rosam rubentem, purpuream violam, narcissum candidum, omnisque generis atque coloris plantas nutrit, ita nec impossibile est eundem sanguinem alere candidas simul & sanguineas partes. Levissima enim particularum inversio omnem ilico colorem facile mutat, quod chylus ex omni ciborum genere paratus sufficienter probat.

§. 75.

§. 75. Directe autem & recte quidem ſecundo reſpondet Diemerbroek. l. c. p. 503. & 504. ſanguinem in toto ſpectatum videri quidem multis partibus diſſimilem, ſed in particulis ſuis conſideratum habere in ſe, quod ſingulis partibus ſimile adeoque idoneum ad nutriendum exiſtit.

§. 76. Nec obſtat ſanguinis rapidior motus, quem Willis p. 100. ita comparatum ſtatuit, ut torrentis inſtar ripas, quas interfluit, ſuo decurſu magis atterere, quam iisdem quicquam affigere videatur.

§. 77. Quantumvis enim motus ſanguinis in arteriis velocior ſit ob cordis pulſum, ſegnior tamen eſt, quando per partium nutriendarum poros transcolatur, atque in venas regurgitat. Deinde ipſum ſimile huc minus quadrat, etſi enim unda fluminis levius arenoſumque litus eluat, ſaxeum tamen atque firmius immotum manet ac ſæpius novo terræ advectæ cumulo augetur. Similiter & fibroſa partium ſtamina a ſanguinis appulſu minus detrimenti patiuntur, plurimum autem emolumenti capiunt.

§. 78. Sed hæc de nutrimento dicta ſufficiant; videamus nunc cujusnam naturæ ſubjectum nutritionis ſit, quidque ſub alendis partibus intelligatur.

§. 79. Nimirum ſi Divinum Hippocratem ſequimur partes noſtri corporis tres dicendæ ſunt, continentes, contentæ & impetum facientes, ab aliis ſolidæ, humores & ſpiritus, a Laurentio nutriendæ, nutrientes & impellentes dictæ.

§. 80. Non ignoro a plerisque humores atque ſpiritus e partium numero excludi, qui ſolidas ſaltem dici proprie partes contendunt. Vid. Diemerbroeck. p. 6. & Bartholin. in Anat. p. 2. Rationes autem illorum nullius momenti ſunt. Quis enim inficiari poteſt e. g. aquam thermoſcopii aut clepſydræ partem eſſe, non obſtante, quod cum vitro per continuitatem non cohæreat. Eodem etiam jure ſpiritus atque humores requiſitæ ac neceſſariæ corporis partes dicendæ ſunt.

§. 81. Sepositis ergo his nugis, accuratius paulo, breviter tamen inquirendum est ac videndum, an omnibus æque an quibusdam magis nutritio competat.

§. 82. Partes quidem solidas quod concernit, ossa, cartilagines, musculos &c. vix credo quenquam dari, qui has a nutritione excludat, præsertim cum in iis augmentum manifestius deprehendatur. Quotusquisque enim sine admiratione cum sua statura confert tenellulos infantum articulos, quos indies quasi sub manu nostra crescere atque augeri cernimus.

§. 83. Nihilo secius, si cum aliis nutritionem per restitutionem ejus, quod deperditum est, definiamus, a nutritione partes solidæ omnino excludendæ sunt, utpote quæ nullo modo consumuntur, adeoque nullam expetunt redintegrationem.

§. 84. Quamvis enim vel a sudatione nimia, vel diarrhœa colliquativa aut tabe corpus summe emaciatum sit, solidæ tamen omnes, si adipem excipias, suam servant structuram, nisi quod sanguis his affusus paulatim deficiat.

§. 85. Partes proinde liquidæ ex hac hypothesi potius nutriendæ forent, sanguis imprimis, cujus jacturam maxime notabilem quotidie patimur; si verum est uncias quadraginta & ultra per occultam perspirationem secundum naturam spatio unius noctis evacuari juxta Sanctorii Medicinam staticam, quæ sect. 1. aph. 59. videri potest.

§. 86. Reliqui quoque humores, bilis videlicet atque lympha, quibus nemo nostrum carere potest, similiter conservandi sunt, ut in debita quantitate & qualitate perpetuo maneant, nec unquam usus, quos præstant, egregii corpus destituant.

§. 87. Cum autem nostri corporis humores non tam propter se quam propter cæteras partes nati sint, probabile est, nec horum nutritionem primario intendi a natura, sed tantum secundario & indirecte.

§. 88.

§. 88. Præ cæteris autem in ſpirituum noſtri corporis conſervatione ſollicita eſt natura, nobiliſſimam ac ſubtiliſſimam ſanguinis portionem reſtitutioni horum impendens. Qua ratione id fiat & quanam in officina, explicare jam non vacat, meretur enim id ſpecialiorem tractationem, quam forte alia occaſio ſuppeditabit.

§. 89. Hoc tantummodo addendum nunc eſt, eosdem hos ſpiritus e ſanguine & ſeipſos & reliquas nutrire partes, veramque eſſe ac ſolam efficientem cauſam univerſæ nutritionis.

§. 90. Nec mireris tam diverſis inter ſe partibus nutriendis unicum præeſſe ſpiritum. Quid enim de igne tibi videtur, cujus ope alia quidem figuntur, alia volatiliſantur, alia reſolvuntur, coagulantur, præcipitantur, ſublimantur, ac mille modis alterantur.

§. 91. Eundem in modum ſpiritus alias quidem particulas ex ſanguine pro oſſium, alias pro muſculorum, alias pro humorum nutritione eligentes, tamdiu easdem digerunt, donec ſimilem cum parte nutriente naturam atque formam acquiſiverint.

§. 92. Habes enim in his ſpiritibus ſolis, quod alii per innumeros ſingularum partium Archeos atque ſpecifica fermenta vix explicare poſſunt.

§. 93. Et quemadmodum in fœtus generatione hi ſoli univerſas corporis partes efformare ſolent; ita nec unquam ſua poſtmodum relinquunt opera, verum ſtrenue in augenda, perficienda, & ſuſtentanda hac fabrica pergunt, cujus fundamentum in generatione factum eſt.

§. 94. Scias enim, ſpiritum genitalem eundem eſſe cum naturali, vitali & animali, cum inſito & influo, adeoque omnium functionem in nobis autorem exiſtere. Inhabitat hic univerſam corporis ſtructuram, atque hinc ejus quoque ideam ac ſpeciem refert, quæ, cum in perpetuo fluxu ac diſſipabilis ſit, continuo reficienda eſt ſpiritibus influis.

§. 95. Influunt autem hi ſpiritus e cerebro, cerebello, ac medulla ſpinali per nervos, unde ſi quando nervus aliquis lædatur, ſufflaminatur illico debitus eorum influxus ob intercepram viam. Quid igitur mirum eſt, ſi propter diſſectum nervum manus & motu privatur & marceſcit. Neceſſe enim eſt præ impedito ſpirituum animalium concurſu, nutritivam facultatem otiari, licet nutrimenti copia ſufficienter per arterias adducatur. Conf. Hieron. Barbat. de Sangu. & Sero p. 22.

§. 96. Nec obſtat, plures eſſe manus nervos, quorum alii facile unius jacturam reſarcire & ſpiritus afferre ac diſtribuere poſſent. Notandum enim eſt, hos omnes in unum coire plexum in principio ſtatim, antequam per manum diſtribuantur. Neſcio autem, unde ſingularis ille nervorum conſenſus oriatur, qui læſo uno alterum huic connexum ſimilem in modum afficit, niſi ſtatuam in communi hac convulſione poros nervorum ſic coarctari, ut ſpiritibus nutritioni ac motui deſtinatis tranſitus præ dolore ac influxus denegetur.

§. 97. Quicquid proinde ſpirituum influxum impedit eosdemque diſſipat, v. g. animi pathemata, mœror, amor &c. lucubrationes item, labores nimii & ſimilia, id omne nutritionem laudabilem impedit. Et contra, quæ ſpiritus reſtaurant ac colligunt, plurimum eandem juvant. Ita enim vinum & quævis analeptica, nec non ſomnus ſvavior facile obeſos nos reddit, ſi modo alia impedimenta id non prohibeant.

§. 98. Sed jam ad finem nutritionis propero, quem in definitione conſervationem vitæ dixi. Explicandum ergo erit, in quonam vitæ noſtræ ratio conſiſtat, quidque ad hanc ſuſtentandam conferre ſanguis queat.

§. 99. Statuunt autem vulgo, vitam conſiſtere in calido innato & humido radicali, illudque ſe habere inſtar accenſi ellychnii, cujus pabulum ſit humidum hoc primigenium.

§. 100.

§. 100. Eadem quoque mens Hippocratis esse videtur, quando in Libr. de Diæt. 1. p. m. 182. & II. p. 229. omnia ex igne & aqua constitui atque conservari asserit; Ac proinde multum errat Tachenius, dum in locum principiorum Hippocraticorum suum surrogat acidum & alcali, quorum tractationem alium potius in locum servare potuisset, ubi non tam de principiis rerum quam saporibus, agendum esset.

§. 101. Propius accedunt ii, qui flammulam aliquam vitalem, a qua lumen atque calor ope arteriarum in omnes diffundatur partes, cordi inhabitare volunt, eandemque sanguine vel nervorum succo nutriri, vid. Jac. Holstius de flamm. Cord. & Bartholini Epistola ejusd. argumenti.

§. 102. Nec parum plausibilem reddit hanc de cordis igne opinionem, biolychnium illud, ex sanguine humano paratum juxta Burggravium p. 87. quod semel incensum tamdiu ardet, donec is moriatur e cujus sanguine factum est, tunc enim eodem momento cum homine extinguitur. Adeo enim accurate hæc lampas respondet vitæ, ut & animi atque corporis pathemata, obscuro lumine, motuve tremulo designet, citra hæc autem flammulam exhibeat luculentam magis atque tranquillam.

§. 103. Sepositis tamen his omnibus, vitam concipio non aliter, quam per unionem spirituum & corporis organici. Tamdiu enim vivere dicimur, quamdiu spiritus hos artus regit; Mori autem, quam primum idem spiritus nostrum deserit corpus.

§. 104. Usus itaque nutritionis in servanda vita hic est, ut jam dictam unionem, adeoque non modo corpus organon ac domicilium animæ, sed & ipsam conservet animam. Nam & hæc (rationalem præscindo) usque ad mortem crescit & decrescit, juxta Hippocratem lib. VI. Epid. sect. 5. p. m. 810.

DISPUTATIO XXIX.

DE

TABE SCORBUTICA.

PROOEMIUM.

QUi circa nutritionem Corporis Humani occurrunt errores, triplicis existunt generis: aut enim Nimia est & Excessiva, aut Parcior atque Insufficiens, aut Depravata & Illaudabilis. Nimia est, quando Corpus ultra modum pinguescit in Obesitate nimia, aut etiam carnes majorem in molem accrescunt, quod Corpulentiam nimiam, aut habitum Corporis Athleticum vocant. Deficit autem Nutritio in Tabe potissimum, quando Corpus non modo non augetur & accrescit, sed & decrescit notabiliter, ita ut carnes cum pinguedine quasi absumantur, relictis ossibus cute arida tectis. Depravata autem videtur in Cachexia, Anasarca & ubicunque partibus assimilantur particulæ alimentorum non laudabiles sed heterogeneæ atque impuræ. Liceat mihi ex his eligere Tabem potissimum, sepositis aliis, quæ circa Excessivam vel Depravatam Nutritionem notari possent. Et quandoquidem plures observantur Causæ Tabificæ, quas recensere singulas, nedum examinare, instituti mei

ratio

ratio non permittit; ſatis erit, ſi e multis unicam mihi eligam Thematis loco, tanquam Materiam Diſputationis non ignobilem. Videlicet Tabes præ cæteris Scorbutica dignior mihi viſa fuit, cujus Naturam & Signa, Cauſas atque Curam examinarem paulo penitius. Quod ipſum ut feliciter eveniat, ante omnia Divinum Sanctiſſimumque Numen ſupplicibus veneror precibus, Ejusque clementiſſimæ directioni & huncce conatum meum & me totum commendo humillime.

§. 1.

Est alias Tabis nomen ſatis uſitatum, ſignificans lentum quendam rerum interitum, ita ut non modo de Animalibus ac Viventibus, ſed & inanimatis dicatur. Nam & arborum Tabem dixit Plinius, cum ſtirpes paulatim exareſcunt; & Tabem liqueſcentis Nivis Livius.

§. 2. Si de Animalibus ſermo ſit, idem eſt atque Phthiſis vel Atrophia; ſiquidem Hippocrates non uno in loco extenuationem omnem a φθέω corrumpo, φθίσιν vel φθόην appellat, ampliata vocis ſignificatione. Alii non incongrue Galenum ſecuti vocarunt ἀτροφίαν a τρέφω nutrio, quod ſcilicet Nutricio deficiat in hoc affectu.

§. 3. Et quanquam Latina non deſint verba, quibus uti liceret, e. gr. Macies, Extenuatio, Ariditas vel Aritudo, quam his temporibus communiter Ariduram pronunciant; nihilominus tamen & Græcorum dictiones Phthiſis & Atrophia civitate Latina donatæ, ſatisque frequenti ſunt in uſu.

§. 4. Cumque Atrophia his diebus de contabeſcentia partis alicujus oculi v. gr. manus pedisve, wenn Hand oder Fuß ſchwindet:

bet: Phthiſis de corporis totius extenuatione ob ulcus pulmonum communiter dicatur, die Lungenſucht: non male Tabis titulo inſignire licebit die Schwindſucht/ quoticescunque Corpus emaciatur absque ulcere pulmonum.

§. 5. Id vero fieri poteſt multis ex cauſis, deficiente nimirum alimento laudabili: ſi appetitus ac digeſtio prima defecerit: ſi a lumbricis nutrimentum laudabile præripiatur: ſi viæ chyli fuerint impeditæ: ſi cum ſanguine particulæ alibiles non diſtribuantur debite: ſi facultas ipſa in nutrimento aſſimilando defecerit, & ſi quæ aliæ hic allegari merentur.

§. 6. Mihi hoc in loco, uti præmonui, propoſitum eſt de Tabe ſaltim diſſerere, quatenus a Scorbuto naſcitur, ſiquidem non infrequentia ſunt eorum exempla, qui non modo appetitu ſtimulantur vehementiori etiam, qui Stomachum ſaturare ac explere non deſinunt, & quævis ingeſta digerunt absque mora vel difficultate, interim tamen contabeſcunt in totum, aut certe ob cauſas ſpecialiter concurrentes in hac vel illa parte tantum.

§. 7. Non opus eſt autem, ut prolixe in ſigna Tabis vel Atrophiæ inquiram, cum oculis obvium ſit, quando vel univerſum Corpus Puerorum aut etiam Adultorum, confertur cum aliis ejusdem ætatis, vel membrum aliquod cum reliquis; tum enim neminem latere poteſt, ſi non in principio, certe in progreſſu ac præſertim in ſtatu, quando cutis vix oſſibus hæret, carnesque atque pinguedo quaſi evanuerunt.

§. 8. Quapropter ut cauſæ morbificæ ſigna potius attendamus neceſſum eſt, quotiescunque morbus in ſe manifeſtus ac evidens exiſtit. Itaque advertendum eſt probe, ſi quæ Scorbuti appareant indicia. Ubi enim Stomacace concurrit ſ. gingivarum eroſio: ſi maculæ potiſſimum in cruribus brachiisque rubræ vel fuſcæ appareant: ſi dolor dorſi artuumque vel totius Corporis, præſertim ſi a motione incaluerit, pungitivus ægrum affligat: ſi ante-

antecedens victus ratio, aut hæreditaria diſpoſitio ſuſpicionem gignat Scorbuti præſentis, & ſi quæ ſimilia ſunt.

§. 9. Atque ideo nec difficilis erit Prognoſis. Id enim fere proprium eſt morborum chronicorum, quibus Tabem accenſere Scorbuticam non immerito poſſumus, quod difficilia quidem curatu, aſt non æque lethalia ſint. Et quemadmodum Scorbutus inveteratus vix ac ne vix quidem eradicatur in totum; ita & Tabes inde nata difficilem omnino medelam admittit, præcipue ſi ab initio cura neglecta malumque non amplius recens fuerit.

§. 10. Cauſam ſi ſpectemus, quam Scorbutum dixi, non erit abs re Naturam ejus paulo altius repetere. Fatendum autem eſt, apud Veteres ne quidem nomen ejus legi, ac fere primum Scelotyrbis ac Stomacacis mentionem feciſſe Plinium Nat. hiſt. lib. 25. c. 3. His temporibus ubivis terrarum pene graſſatur malum, aliis ſubinde ſymptomatibus ſtipatum, vide Eugalenum, Dravvitzium, Sennertum, aliosque.

§. 11. Nimirum in eo conveniunt omnes, quod Scorbutus quædam ſit ſpecies Cachexiæ ſive impuritatis ſanguinis; verum ubi ejus indoles ſpecialius determinanda eſt, diſſenſio naſcitur non levis. Si Williſium audias, accuſanda erit ſanguinis ſuccique nervoſi dyſcraſia ſulphureo-ſalina, aut ſalino-ſulphurea, h. e. excedente ſulphure rancidita, vel ſale abundante craſſities vino pendulo non diſſimilis, de quibus vid. Ejusdem tract. de Scorbuto cap. 1.

§. 12. Huic ſeſe opponit Le Chameau in peculiari tractatu de Scorbuto, Londini 1683. edito, aſſeritque Scorbutum, ipſum non niſi ſanguinis diſſolutionem eſſe contagioſam, quæ diu multas Corporis partes, modo una vice, modo ſucceſſive, afficiat male, a ſale acri & ſubtili orta, confer. Act. Erud. Lipſ. Ann. 1683. p. 544.

§. 13. Verum & huic prorſus contrariam ſententiam fovet Stephanus Blanckardus in tractatu de Scorbuto, dum morbum hunc potius incraſſationem ſanguinis ſtatuit, & quidem duplicem,

quarum una oriatur a pituita ſive viſciditate, altera ab acido particulas volatiles figente, ita ut hac ratione differentia emergat duplex Scorbuti nimirum calidi ab acido, frigidi a pituita.

§. 14. Ut ingenue dicam, quid mihi videatur; exiſtimo inter ſe conciliari omnes poſſe haud difficulter, ſi modo ex propoſitionibus univerſalibus fiant particulares. Nec enim videtur veritati conſonum, omnem Scorbutum conſiſtere in craſſitudine ſanguinis: aut omnem naſci ab ejus diſſolutione: aut etiam ab exceſſu particularum ſalinarum vel ſulphurearum. In particulari tamen enarratas cauſas admittere ſuo modo nihil impedit.

§. 15. Videlicet Cauſæ antecedentes longe diverſiſſimæ ſunt, ita & productum inde Malum varii deprehenditur generis. Qui acidis abutuntur in cibo potuque, in his acido etiam infici & primas vias & univerſum corpus, mirum non eſt: Qui ſalſis, carnibus v. g. ſale conditis fumoque induratis veſcuntur quotidie, in iis procul dubio ſalſedo magis prævalet. Quidſi vero acida & viſcida, acida & ſalſa & acria omnis generis, cum vel ſine viſcidis ingerantur ſine delectu, quam putas inde oriri poſſe chyli ſanguinisque temperiem?

§. 16. His ex Cauſis accidit non raro, ut alium quidem Scorbuticum videas exſuccum fere, alium inflatum potius aut ſero mucove turgidum; quid? quod in uno eodemque ſubjecto partes ſuperiores, Caput cum Thorace atque manibus, exareſcunt nonnunquam, partibus inferioribus abdomine puta pedibusque a Tympanite, Aſcite, ac Oedematoſo tumore inſimul correptis.

§. 17. Satius proinde videtur, ſi quis in Scorbuto peccare acrimoniam eamque inſignem ſtatuat; id quod perpetuum eſt: illam vero modo acidam, modo ſalſam, vel acido-ſalſam, admixta vel pituita vel etiam bile inquinatam, nihil refert. Nec quicquam impedit, quo minus credam, interdum etiam vermes concurrere, a cujus progenie ipſa corrumpatur Maſſa ſanguinea, ſiquidem Hiſtoriæ teſtantur, hoc Morbi genere affligi navigantes, tum maxime, cum

cum propiores Æquatori nihil adeo, quicquid etiam cibi potusque assumendum est, ab illa putredine verminosa immune servare possunt. Vide Americ. P. 3. c. 4. Dionys. Carli Lib. 1. c. 4. Piso Hist. Nat. Lib. 2. c. 16.

§. 18. Sufficit pro intentione mea, si Tabem ex Scorbuto deducere queam ita, ut postmodum qua Methodo procedendum sit in ejusdem curatione appareat itidem. Atque ita non vanam existimo theoriam hujus affectus aut ætiologiam fore, si demonstravero Experimenta & Observationes Autorum circa hunc Affectum hucusque annotata, egregie quadrare, si modo secundum circumstantiarum varietatem in simili casu applicentur cum judicio.

§. 19. Posito igitur acrimoniam peccare in Scorbuto, quæritur quamobrem vel Corpus ex toto vel membrum saltim aliquod contabescat? Id vero multis modis accidere mihi persuadeo. Primo: si acidum in ventriculo nimium dominetur, existimo equidem famem non modo integram, sed & excessivam adesse posse: imo & assumta non difficulter digeri. Attamen dubito hac ratione illa in chylum converti laudabilem, sed loco liquoris lactei serum potius minus laudabile ad vasa lactea pervenire.

§. 20. Quamobrem id credam, hæc me impellit ratio: videlicet cum videam Emulsiones ex oleosis seminibus paratas, itemque lac ipsum præcipitari protinus, quamprimum acidum aliquod, succus citri v. g. acetum, spiritus salis, vitrioli aut simile fuerit instillatum; inde non male colligo, si acida unionem particularum oleosarum atque pinguium cum aqueis turbant & impediunt, quid fiet? si in digestione prima simile quid admisceatur alimentis.

§. 21. Notum est adversus Obesitatem nimiam aceti potum valere plurimum, qualem Historiam refert Isaac Cattierius obs. Med. 13. Quodsi vero Nutritio & incrementum Corporis ulterius non modo ab ejus usu impeditur, sed & pinguedo habitusque

Corporis craſſior ad 87. libras ut in præſenti caſu minuitur, facile apparet, hoc pacto alimentorum facultates penitus fuiſſe deſtructas, atque ideo Naturam ipſam in ſupplementum eas deprædatam eſſe particulas pingues carneasque, quas antehac abundante laudabili nutrimento collegerat.

§. 22. Confirmat me magis Obſ. 1. Henr. ab Heers, quæ ab intempeſtivo potu aquæ Spadanæ Tabem obortam memorat. Nec dubium eſt idem notari circa reliquas acidulas, quotiescunque ventriculus acido jamjam repletus, a potu earum magis confirmatur in ſua dyſcraſia, præſertim cum univerſum Corpus ob continuatum ad plures dies uſum, etiam immodicum, coaceſcat neceſſario. Confer Ettmull. Prax. Cap. 1. de Phthiſi.

§. 23. Secundo: Ponamus ab acrimonia vel auſtera vel ſalſa Tartarea vel quacunque alia muco perfuſa viſcido, naſci obſtructiones in Meſenterio, ita ut chyli via fuerit ex inteſtinis tenuibus ad communem ductum thoracicum impedita. Non loquor hic de fictitiis obſtructionibus, quas ante inventa lactea in omni fere Morbo chronico accuſabant Veteres: ſed quas Anatome confirmat in glandulis potiſſimum Meſenterii conſpicuas.

§. 24. Talem a glandulis Meſenterii ſcirrhoſis & exulceratis productam Tabem notavit D. Mangolt, ut ex communicatione refert Theophil. Bonet. Sepulchret. Lib. 2. ſect. 7. Obſ. 129. & Gregor. Horſt. Obſ. Med. Lib. 4. Obſ. 22. Marcell. Donat. in Hiſt. Med. mirabil. Lib. 7. cap. 5.

§. 25. Etiamſi enim optima quævis, evchyma evpeptaque fuerint ægro exhibita, etiamſi ventriculus quoque ſuo fungatur munere, nil tamen emolumenti Corpori accidere poteſt, ſi tranſitus chyli per vaſa glandulasque huic negotio deſtinatas a Natura non permittatur libere, ſed & ipſe laudabilis chylus cum fecibus alvinis ejiciatur fluxu, quem vocant Cœliacum.

§ 26. Nam & Tertio ſatis eſt, ſi modo partes ventriculo ac inteſtinis vicinæ, ut Hepar, Lien, Pancreas &c. ab iſtiusmodi materia

ria feculenta obſtruantur & doleant. Ita enim ipſe Hippocrates jam olim ſuo tempore notavit lienoſos extenuari propter inediam ciborumque faſtidium Lib. de intern. affect. ſect. 33. & 37, It. Aretæus de Cauſis & ſignis diuturn: Affect. lib. 1. cap. 14.

§. 27. Naſcuntur autem ejusmodi vitia Lienis, prout ex allegatis jam locis apparet communiter ex Scorbuto, ſicuti & Hepatis ſcirrhus & ipſum Hypochondriacum Malum. Atque ideo ſi nulla occurrat alia cauſa, hæc ſola ſufficit, quod propter dolores continuos diurnos nocturnosque appetitus ſomnusque deficiat, vires que totius Corporis proſternantur notabiliter.

§. 28. Quemadmodum vero ſi alvus ſupprimatur, ut ſolet in ejusmodi affectibus, dolore conficiuntur ægri: ita ex altera parte ſi alvi fluxus ac præſertim Lienteria concurrat, ob impatientiam ventriculi atque inteſtinorum, & conſenſum cum vicinis uti dixi partibus, neceſſario alimentum deficit requiſitum, uti egregie docet Jacobus Bontius Hiſt. Natural. & Medic. Lib. 2. cap. 11. p. 26.

§. 29. Quarto: Nec alii deſunt modi, quibus Scorbuticorum corpora exhauriuntur, ſic primis viis ad Maſſæ ſanguineæ ſerique & hinc oriunda partium ſolidarum vitia reſpiciamus. Præterquam enim, quod ſanguis eandem cum chylo unde paratur, naturam habet, & conſequenter ineptus ad nutriendum exiſtit ob defectum particularum oleoſarum: Saltim acrimonia, quam ſecum vehit inſignis, nutritionem impedire varia ratione valet. Ubi enim particulæ ſalinæ acres, fibras corporis ſenſu præditas lancinant & rodunt, dolor producitur in partibus nervoſis membranoſisque capitis, dorſi, artuumque, quem fere continuum ſuo cum damno experiuntur ægri.

§. 30. Ita enim Quinto: Hæmorrhagiæ inſignes narium, atque in fœminis uteri, quibus Scorbutica Subjecta pene diffluunt, eandem agnoſcunt cauſam, quatenus accelerato cordis motu ſanguinis orgaſmum excitat acrimonia modo dicta, tum maxime, cum vel corporis commotio aut etiam ſpirituum excandeſcentia

in ira eandem extimulet. Fluit autem sanguis eo lubentius quo magis serosus est, qualis in hoc passu ob allegatas modo causas deprehenditur.

§. 31. Hinc Sexto in Mulieribus, data occasione fluxus menstrui consueti, fluor albus nascitur, sexum sequiorem divexans mire ac enervans. Dum enim Natura sese a pravis humoribus liberare per illam excretionem nititur, fieri non potest, quin ob affluxum continuum seri acrioris, partes huic excretioni destinatæ arrodantur & exulcerentur, aut certe ita disponantur, ut indesinenter stillent liquamen, quale alias in Gonorrhæa Virorum excerni solet.

§. 32. Septimo: Nec illud prætereundum, quod acrimonia Scorbutica non modo æstum excitare hecticum, sed & sudorem colliquativum queat. Id enim fere solemne Scorbuticis est, ut inter dormiendum & plus justo incalescant, & sudore maneat copioso, non sine insigni virium prostratione.

§. 33. Possem Octavo similiter demonstrare, quomodo ipsa Phthisis stricte sic dicta, originem ducat ex eodem principio. Notamus enim tota die subjecta Scorbutica tussi quod laborare sæpe ferina, catarrhi acres sive serum laryngem humectans cum aspera arteria continuo stimulet; hinc vero non pauci tandem a nimia concussione & ruptura vasorum Hæmoptysin primum ac paulo post etiam ulcus pulmonum incurrunt. Verum de hac specie Tabis dicendum hac vice non est, cum ea peculiarem omnino tractationem requirat.

§. 34. Itaque ultimo loco de Atrophia potius particulari quædam adjiciam, quam Oculi, Manus Pedesve interdum sentiunt. Et frequentissime quidem crura emaciantur ac debilitantur, ob dolores inimicos nervis ad hos artus excurrentibus. Quid enim frequentius quam quod Malum Ischiadicum transeat in scelotyrben. Quemadmodum enim luxationem alias Aritudo excipit non infrequenter, ob dolorem concurrentem ad tempus: Ita multo magis a dolore Ischiadico fere perpetuo ita stringuntur ner-

nervi, ut ſpirituum diſtributio & influxus ad crura penitus impediatur, quorum tamen præſentia in opere Nutritionis æque neceſſaria eſt, ac in ſenſu vel motu illorum.

§. 35. His præſuppoſitis, videamus quænam Remediorum genera requirantur ad Tabis Scorbuticæ curam, & qua ratione operentur, quæ ab aliis tanquam experta commendari ſolent. Nec enim promiſcue omnes omnia juvant, ſed & quandoque optimum quod inſtar miraculi hunc vel illum reſtituit, aliis inutile aut nocivum etiam deprehenditur: procul dubio, quod in eodem morbo variantibus circumſtantiis cauſisque, varia quoque via incedendum ſit.

§. 36. Quodſi proinde certo nobis conſtet ventriculum eſſe repletum humoribus acribus, acidis, bilioſis pituitoſisque, ſed viſcera incorrupta, tum vero vomitorium erit optimum, imprimis ex Ipio vitæ paratum, aut gutta Cambodia. Unico enim Emetico plus evacuari poteſt quam ſex purgantibus, modo vires ferant, aliæque circumſtantiæ non prohibeant. vid. Williſ. tract. de Scorbut. cap. 7. & Joh. Dolæus Encyclopæd. Lib. 2. cap. 4. de Phthiſi pag. 309.

§. 37. Ubi Vomitoria tuto propinari haud poſſunt, ſubſtitui in locum eorum debent evacuantia per inferiora, non fortiora quidem ſed mitiora monente Ballonio Lib. 1. conſil. 65. fol. 372. & Epidem. p. 58. Solent quippe acriora purgantia laudabiles humores una cum pravis ejicere; laxantia vero blande ſaltim ſubducunt alvum, atque ideo cum alterantibus aut permiſcentur commode, aut adhibentur tum demum, cum vitia humorum fuerint jamjam correcta.

§. 38. Quæ alterant humorum acrimoniam varia exiſtunt. Diluitur nimirum per Aquea non parum. Nec opus eſt ut cum cura excipiatur Aqua fluviatilis ex ore bibentis Equi generoſi manans, quam Gruling: Medicin: Lib. 5. part. 3. cap. 16. pag. 581. commendat; vel deſtilletur ex ſanguine ſuillo, cochleis ranisque,

de

de qua Cardan. M. M. sect. 3. curat. 4. Fonseca Tom. 1. consult. 56. Hartmann. prax. chym. cap. de Atrophia. Etenim in genere quæ humectant bilemque ac pituitam una cum Salibus diluunt, hic locum habent. Atque ideo bolus panis aqua imbutus, & omni mane assumtus optime profuit in corporis gracilitate observante Isaac. Cattier. observ. p. 44.

§. 39. Qui debiliore sunt ventriculo ita, ut vel frigidæ potum tolerare nequeant, iis præscribatur Thermarum potus, vel Thee quotidie parabilis. Præterquam enim quod bilioſa atque viscida hoc pacto diluantur sufficienter, non parum certe Salium cum Sudore ac lotio educunt sine difficultate aut virium dispendio.

§. 40. Præterea temperant pinguia, oleosa, resinosa & incrassantia serum acrius insigniter, atque ideo exhiberi potest Emulsum amygd. seminumque refrigerantium ex consilio Scultz. M. N. C. A. 4. Obs. 46. vel Decoct. Strobil. pin. cum Glycyrrhiz: vel passulis vid. Michael Apparat. Formul. pag. 606. Pinguedo Canis aut Viperarum præeunte Clariss. Wedel. confer. M. N. C. A: 2. Obs. 125. vel oleum commune vid. Zacut. Lusit. prax. Med. admir. Lib. 3. Obs. 124.

§. 41. Antequam autem hæc ipsa Ægris permittantur, dixi destruendum esse acidum, id quod Præcipitantia omnis generis præstant. Præ ceteris Terræ pingues atque sigillatæ, Goldbergenses, Strigonienses, Lemnia, Bolus alba & Armen: Marga, atque Lac Lunæ laudem hic merentur debitam: nec contemnenda sunt Saxea illa & Lapidosa, Alabastr. Crystall. mont. Corall. ut & partes Animalium duriores Lap. 69. CC. Ebur integrum ac ustum, & si quæ similia: imo & ♂lia, ut limat. ♂is, & hæmatit. vid. Fonsec. Tom. 1. Consult. 2.

§ 42. Possunt quandoque præter ♂lia in usum vocari Aperientia reliqua etiam acria & amara, Cochlear. Nasturt. Beccabung. Tri-

Trifol. fibrin. & ſimilia vid. Simon. Pauli Quadripart. Botan. Claſſ. 2. pag. 157. Adde his Lieni Hepatique dicata, ſi ſc. ea viſcera inſimul afficiantur obſtructionibus.

§. 43. Pertinent huc quoque Salia volatilia & Alcalia fixa. Ita enim Boyle de Utilit. Philoſ. Experim. pag. 225. & 237. commendat, Spiritum Sanguinis Humani atque ☐næ; nec dubium eſt, quin ☉ia volat. Oleoſa v. g. ♌☉ ammon aniſati; & ſimilia egregie ſint profutura, ſi quotidie inter prandendum cœnandumve aſſumantur, ad corrigendam digeſtionem primam.

§. 44. Potentius deſtruunt Acidum ☉ia fixa, imprimis ☉tartari vel ſuccedaneum ejus Cineres Clavellati, ſi nimirum poſt calcinationem fortiorem aut ſponte deliqueſcant aut Aqua ſolvantur; ita enim loco ☉ volatilium in hauſtu cereviſiæ aſſumi poſſunt magis commode, quam ſi præſcribantur in forma ſalis.

§. 45. Et quandoquidem ſpirituoſa, ſi vires defecerint, ſtomachum imbecillorem egregie roborant, ita ut Hartmann. in prax. chym. ♌m Formicarum hoc nomine approbet: crediderim meliore cum ſucceſſu adhiberi Tincturam Tartari, quippe quæ ſi Acidum peccet in corpore, magis conveniens erit, quam ♌ Formic. de acido participans.

§. 46 Interim notandum eſt probe, non poſſe iſtiusmodi Acria promiſcue quibusvis Tabidis porrigi, ſiquidem Bruno in Lexic. Med. ſub titulo Phthiſis recte annotavit nonnullos ſibimet ipſis & aliis imponere Ægrisque acria & alcalia commendare cum præſentiſſimo vitæ periculo. Nimirum diſtinguendum puto inter Phthiſicos atque Tabidos: Phthiſici ſive quibus Pulmones exulcerati ſunt, iſtiusmodi acria nullatenus tolerant, quoniam Tuſſis vehementior atque Hæmoptyſis ſupervenire ſolet: ubi vero illæſis viſceribus ex Scorbuto Corpus contabeſcit, nihil eſt, quod uſum eorum prohibeat.

§. 47. Quod de Pulmonum Ulcere jam dixi, eodem modo intelligendum arbitror, ſi vel in Meſenterio vel in reliquis partibus

bus exulceratio contigerit: in Scirrho autem & Obſtructionibus, imo & Lienteria atque Fluxu Cœliaco abſque ſimili viſcerum læſione exhiberi non modo ſecure poſſunt, ſed etiam debent, tanquam optima Aperientia, ſtomachica &c.

§. 48. Nec opus eſt ex altera parte, ut Adſtringentia fortiora præſcribamus, quando Hæmorrhagiæ aut Fluor albus Mulierum Corpora extenuat. Satis eſt ſi ♂lia & ♃æ pingues in uſum vocentur; nam & Adſtringentia illa, ſi fluxionem iſtiuſmodi conſvetam ſubito ſupprimamus, impune dari nequeunt, ſed longe pejora Symptomata inferunt, e. g. Cephalalgiam atrociſſimam, dolores artuum &c.

§. 49. In Atrophia particulari hujus vel illius membri, e. g. Cruris, cum dolor ut ſupra expoſui ab acrimonia Scorbutica natus Nervos afficiat ita, ut ſpiritus ad Nutritionem requiſiti, libere influere haud queant; itaque præter Medicamenta hactenus laudata ſpeciatim requiruntur & Anodyna & Nervina. Anodyna & quidem interne adhibenda ſunt Crocata, ſem. papav. alb. aut Fl. papav. errat. ſambuc. & chamom. cum ſummitat. aneth. Rad. Altheæ Lil. alb. Chinæ, ſarſaparill. &c. Poſſunt etiam Crocata, Opiata, vel fortiora Narcotica urgente neceſſitate applicari externe, ſed non niſi cum appropriatis diſcutientibus atque Nervinis.

§. 50. Hunc in finem ſeligi poſſunt plantæ aromaticæ omnis generis, Roſmarin. Lavend. Majoran. Serpill. Thymus, Origan. Salvia, Satureia &c. vel in vino decocta, vel cum Sp. V. Juniperi aut Frumenti deſtillata in Aquam Antapoplecticam vel Antiparalyticam quales Officinæ jam ſervant. Quid enim Nervina Spirituoſa valeant in tali caſu, ſatis expoſuit Weickard. tract. pract. Lib. 4. pag. 582.

§. 51. Nihilo ignobilior uſus eſt ſanguinis calentis vituli, quem Haffenreffer Noſodoch. Lib. 3. cap. 2. commendat. Vidimus enim non ſemel ſanguinem Tauri Porcique Atrophiam brevi ſanaſſe, illam etiam quæ Luxationi aut Fracturæ ſupervenerat, ſi ſaltim

tim ſanguini adhuc ferventi pars læſa immergeretur aliquandiu. Videtur enim hujusmodi Remedium non parum juvare calorem nativum, atque ideo & vi diſcutiendi ac leniendi convenire in ejusmodi caſu.

§. 52. Nam & Frictiones, Veteribus majore in uſu, non ſunt de nihilo, cujus Exemplum videri poteſt apud Foreſt. Lib. 10. Obſ. 97. incaleſcunt enim exinde partes non ſecus ac ſi virgis aut urticis cæſæfuerint. Conver Simon. Pauli Quadripart. Botan. claſſ. 3. pag. 518. Eadem ratio eſt Cucurbitularum abſque ſcarificatione impoſitarum. Vid. Joh. Muys pr. Chirurg. decad. 5. Obſ. 8. vel ſuctionis, beneficio ſaltim oris inſtitutæ, mediante Cucurbitula cornea juxta Hild. C. 1 Obſ. 80. & Tulp. Obſ. Lib. 3. Cap. 49.

§. 53. Videntur enim in eo convenire illa omnia, quod inſtar veſicatoriorum vellicando atque dolorem excitando ad uum uberiorem affluxum concitent; Id vero in Atrophia non minus conveniens erit quam in Paralyſi; ſiquidem & hi duo Affectus frequentiſſime concurrunt, & raro Paralyſis abſque Atrophia, raro Atrophia doloroſa abſque Paralyſi eſt.

§. 54. Sed nunc quoque de Diæta competente quædam adjicienda ſunt. Apparet autem ex ſupra dictis non obſcure, quid partim faciendum, partim omittendum ſit. Si enim Scorbuti Cauſam dedit inordinata victus ratio, abuſus acidorum, nimium ſalitorum, neceſſum eſt ut ab his atque ſimilibus abſtineat Æger. Quam difficulter autem a conſuetudine quamvis prava, deſiſtant plerique, hoc unicum ſatis evincit, quod innumeri pene Scorbutici dentur incurabiles, ſaltim ob victus rationem illaudabilem, non corrigendam.

§. 55. Quapropter ſi cui Sanitas cordi eſt, eo potius allaborandum, ut per Temperata & Evchyma emendetur Acrimonia Humorum. Id vero præſtant, nullo negotio Piſtacia, Pineæ, Amigd. dulc. it, Rad. Carotæ vel Rapar. paſſar, & in genere Lacticinia

nia quævis, Oriza, Milium in lacte cocta; & si quæ alia chylum suaviorem præbent.

§. 56. Nam extremum optimumque non semel Remedium Lac præbuit Bubulum, si sc. ejusdem potus ad aliquot dies continuetur, ad imitationem Acidularum. Cujus in locum Lac etiam Caprillum substitui potest, vid M. N. C. A. 1. Obs. 22. Binning. C. 2. Obs. 12. & C. 3. Obs. 86. si lubet adhibitis etiam plantis antiscorbuticis ad Capræ pastum, jubente Sennerto prax. Lib. 3. part. 5. sect. 2 cap. 7. aut si mavis Muliebre vid. Binnig. C. 5. Obs. 44. Platerus prax. tract. 3. Lib. 1. cap. 5. pag. 548. River. prax. Med. Lib. 6. M. cap. 6. vid. Forest. Lib. 4. Obs. 5. p. 116.

§. 57. Saltim cautione opus ne propinetur prius, quam Acidum in primis viis fuerit correctum; Id enim nisi fiat, coagulum ejus stomachum occupans appetitum destruit omnem ita, ut intra paucos dies ab intempestivo Lactis potu penitus exarescant Corpora.

§. 58. Et hæc quidem de Tabe Scorbutica pro Ratione Instituti mei hac vice dicta sufficiant. Te vero, Benevole Lector, in chartam quæ breviter conjeci, æquo animo ut accipias, obnixe rogito. Soli Deo sit Laus, Honor & Gloria in nunquam terminanda secula.

DISPUTATIO XXX.

DE

PARALYSI SCORBUTICA.

PRÆ-

PRÆFATIO.

QUi Scorbutum, his noſtris in terris ſic ſatis frequentem, Lernam innumerorum malorum dixerit, non aberrare a vero videtur; ſiquidem Autores, quotquot hactenus de hoc affectu ex profeſſo egerunt, uti SEVERINUS EUGALENUS, GEORGIUS HORSTIUS, JOHANNES DRAVVITZ, BALTHASAR BRUNNERUS, DANIEL SENNERTUS, JOHANNES ECHTIUS, MATTHÆUS MARTINI, HENRICUS BOTTERUS, GVALTERUS CHARLETON &c. quanquam plurimas inde oriundas ægritudines longa ſerie recenſeant, fateri tamen neceſſum habent, adhuc non paucos ſupereſſe affectus, maxime complicatos, qui vix ac ne vix quidem explicari aut enumerari queant. Quemadmodum autem dato uno abſurdo ſequuntur plura; ita non difficulter dato quodam humorum vitio & univerſum corpus & partes ejus variæ hinc inde male afficiuntur, atque ſic ex una quaſi radice morboſa, copioſiſſimi propullulant ſtolones vitiati ſimiliter. Ex illis omnibus liceat mihi hac vice unicum eligere Thema, pro Diſputationis materia, PARALYSIN nempe natam ex SCORBUTO. In cujus Tractatione primum Naturam Scorbuti atq; Paralyſeos, dein Cauſas illorum atque Signa, tandem etiam Curationem proponam, ſed breviter. Etiamſi vero dignitati hujus materiæ ſatisfeciſſe o-

mni ex parte Tibi L. B. non videbor, animo tamen hunce conatum meum feres, & quæ desunt, æque ex ingenio facile supplebis Tuo. Deus vero T. O. M. cui me totum semper commendo, hisce laboribus quoque meis ex alto benedicat, ut omnia feliciter eveniant.

§. 1.

QVo melius natura Paralyseos Scorbuticæ intelligatur, necessum est, ut conveta methodo, antequam ad realem tractationem progrediar, pauca quædam præliminariter moneam circa nomen hujus morbi, ne ambiguitas vocum in sequentibus impedimento sit.

§. 2. Nimirum dicitur Græcis Παράλυσις a verbo παραλύεσθαι, i. e. resolvi, Germ. die Lähme/ quoniam nervi vel potius musculi, quibus inseruntur, a debito suo tono ita resolvuntur, sive relaxantur, ac enervantur, ut ad motum voluntarium exercendum fiant plane inepti. Est enim Teste Galeno III. de loc. affect. cap. ult. Paralysis maxime τῆς κινήσεως ἀπολεία, h. e. motus exitium.

§. 3. Alio nomine audit Paresis & Paraplegia, ac parum abest, quin cum ipsa etiam Apoplexia confundatur, ita enim Aretæus cap. 7. de morb. chronic. Apoplexia, Paraplegia, Paresis, paralysis omnia genere eadem sunt. Aut enim motionis, aut tactus, aut utriusque defectio est, interdum etiam mentis, interdum quoque reliquorum sensuum.

§. 4. Melioris tamen distinctionis ergo Apoplexiam appellabo totius, Paralysin partis cujusdam, præsertim cum Cornel. Celsus de Re Medic. Lib. III. cap. 27. testetur, veteres autores hoc sensu voces illas accepisse; quamvis non diffitear Hippocratem Galenumque vix satis distincte iisdem usos fuisse.

§. 5.

§.5 Clarius: in Apoplexia ceſſant, præter uſum rationis ſenſus omnes atque motus voluntarii: in Hemiplegia utpluri mum ſenſus omnes atque motus lateris vel dextri vel ſiniſtri: in Paraplegia motus & ſenſus quidem totius, illæſo tamen capite: in Paralyſi motus atque ſenſus partis affectæ. Itaque in manu ac pede ſaltim tactus motusque deficit, in Paralyſi oculi ceſſat viſus, in Paralyſi linguæ guſtus &c.

§.6. Atque ita ſe res habet in Paralyſi perfecta ſive exquiſita: interdum tamen aliquis ſupereſt ſenſus, deficiente inſimul omni motu libero, quod vocant Paralyſin imperfectam vel ſpuriam, vid. Gorrhæus Definit. Medic. pag. 359. Dantur enim revera gradus quaſi Paralyſeos, ſiquidem nonnulli conqueruntur de Impotentia motus tantum: quidam de dolore in eadem parte ſatis acerbo ſimul: alii denique de ſenſu motuque prorſus abolito.

§.7. Hic loci admitto equidem jam recenſitas tres Paralyſeos ſpecies; aſt ex rubrica Diſputationis liquet, me non ſolicitum eſſe circa varias hujus morbi cauſas, ſed unice de ea quam in Scorbuticis non infrequenter notamus.

§.8. In genere igitur definio Paralyſin Scorbuticam, quod ſit impotentia quædam hujus vel illius partis in corpore humano, cum flacciditate conjuncta, propter quam moveri pro lubitu non poſſit, abacrimonia ſanguinis Scorbutica proveniens.

§.9. Generis locum occupat impotentia, quæ opponitur potentiæ ſive facultati motivæ; atque in hoc convenit Paralyſis cum cœcitate, ſurditate, impotentia virili ſimilibusque functionibus abolitis. Ubi tamen notandum eſt, ſub nomine impotentiæ non tantum intelligi motum penitus deficientem, ſed & admodum impeditum ſive infirmitatem. Quemadmodum enim plures alii morbi, antequam ad ſtatum perveniant, minus atroces deprehenduntur: ita & ab initio & in progreſſu Paralyſis non æque gravis eſt, quam ſi ad ἀκμὴν aſcenderit: i.e. alia eſt Paralyſis inchoata, & alia conſummata ſive perfecta.

§.10.

§. 10. Dixi autem impotentiam in motu, quo ipso cum spasmo convenit, quia & in hoc pars immota manet, sed rigida, cum in Paralysi flaccida potius observatur. Id quod dubio procul Avicenna quondam ejusque interpretes adverterunt, quando eam per Mollificationem exposuerunt, non quod revera mollior sit nervus, aut musculus, sed quod talis appareat ob atoniam & relaxationem fibrarum.

§. 11. Reliqua vero differentia desumta est partim a Subjecto, partim a Causa. Subjectum dicitur pars aliqua corporis humani, e. g. manus, pes, oculus, linga &c. Si enim totum corpus aut plures partes simul fuerint affectæ, non amplius Paralysis, ut supra dictum, sed Apoplexia, vel Hemiplegia, vel Paraplegia rectius appellatur.

§. 12. Quandoquidem vero in Definitione Causam allegavi sub nomine acrimoniæ scorbuticæ, eam sic explico. Nimirum Scorbutus est nihil aliud, quam insignis acrimonia humorum in primis viis atque massa sanguinea seroque, alias innominata. Imitantur enim Medici hoc ipso Iureconsultos, quibus sub titulo Stellionatus crimen alias innominatum venire solet. Ad hunc enim modum acrimoniam, quæ ad Luem Veneream, Scabiem, Podagram, Catarrhum similiaque mala referri non potest, Scorbutum appellare non dubitarunt.

§. 13. Nec enim facere possum in hac parte cum Dan. Sennerto, qui Libr. III. Part. V. Sect. II. cap. 4. Sanguinem ichorosum & vitiosum, vel naturaliter deorsum vergere ad crura, vel a natura ad extrema & ignobiles corporis partes amandari ac præterea ligamenta & tendines, ac ossa, naturali quadam inclinatione crassiorem sanguinem ad se trahere atque sic ad motum impotentia reddi arbitratur. Ut enim nihil dicam de inclinatione illa naturali, quam frustra fingit, saltem non video, quamobrem ligamenta musculosque magis attentet, quam nervos.

§. 14.

§. 14. Willisium si consulamus, constat ex Pathol. Cerebr. Tract. II. de Scorbut. cap. 4. pag. 165. & 166. tres ab eo recenseri causas, quæ modo conjunctim, modo divisim hunc morbum producant, scilicet (1.) inopiam Spirituum animalium ob succum nervosum depauperatum: (2) Spirituum animalium impuritatem propter particulas heterogeneas & quasi narcoticas succo nervoso admixtas: (3.) Viarum obstructionem, qando particulæ crassiores & terrestres nervorum corpora cum succo irriguo subeunt, quæ dein alicubi circa plexus nerveos aliosque anfractus coacervatæ, ductus in tantum infarciunt, ut Spirituum in hoc aut illud membrum irradiatio prorsus inhibeatur.

§. 15. Verum ut ad singula respondeam, concedo (α) à Spirituum defectu nasci Paralysin; succus autem nervorum nulla urgente necessitate allegatur, cum tamen de ejus Existentia non immerito dubitetur: (β) Spirituum natura non admittit ejusmodi inquinamenta sive commixtionem particularum heterogenearum, siquidem id, quod vitale non est, cum spiritu nostri corporis purissimo non confunditur, atque ideo nec (γ) metuendum, ne in poros nervorum, circulationi Spirituum a natura destinato, admittantur particulæ crassiores atque terrestres.

§. 16. Alios non adducam, sed exponam paucis quid verosimilius videatur. Præsuppono autem (1.) motum omnem tam voluntarium, quam involuntarium in nobis fieri principaliter à principio vitali sive spiritibus, tanquam causa efficiente unica: (2.) motum omnem fieri à fibris carneis vel in certos collectis fasciculos, quos musculos vocant, vel expansis in tunicam panniculumve carnosum, tanquam ab organo adæquato: (3.) Præter Spiritum insitum, qui à nativitate cunctis inest partibus, alium adhuc influere per nervos in supplementum ejus, qui hinc inde absumitur.

§. 17. Triplici proinde modo lædi potest motus, nempe (a) Spirituum, (b) Musculorum, (c) Nervorum culpa. Hinc enim & motum depravatum vel involuntarium, uti sunt Tremor mo-

rusque convulsivi, ut & motum ex Spasmo deficientem, itemque Apoplexiam atque Paralysin non difficulter deducere licet. Verum hoc in loco videamus saltim quid ad Paralysin conferant.

§. 18. Videlicet Spirituum animalium inopia evadunt Paralytici Senes præ Junioribus; nam & secundum naturam tandem impotentia laborant, quæ genuina species est Paralyseos, nempe Genitalium. Eandem ob causam qui morbis chronicis diu detenti vires perdiderunt omnes, nec Urinam, nec alvi excrementa continere possunt, id quod Paralysin Sphincteris Vesicæ atque Ani vulgo appellant.

§. 19. Musculorum vitio accidit Paralysis, si scilicet non modo dissecentur, sed & ab affusis humoribus serosis viscidisque ad motum plane inepti reddantur. Quemadmodum idipsum in vulneratis, hoc vero in hydropicis ac pedum tumore œdematoso laborantibus manifeste apparet.

§. 20. Nervorum denique culpa idem nascitur malum, quandocunque vel obstruuntur circa ortum è cerebro, cerebello & medulla oblongata, ut nihil exinde ad partes distribui queat; vel quando penitus lacerantur & dissecantur. Obstructio autem non tam ab humore viscido, uti jam dictum §. 15. fieri videtur materialiter, quam virtualiter, ab omnibus, quæ nervis infensa eosdem ad strictiuram fortiorem atque tubulorum clausuram omnimodam disponunt.

§. 21. Qua ratione id fiat in Subjectis Scorbuticis porro videndum, siquidem nec illa spirituum inopia, nec musculorum nervorumque læsio enormis hic facile metuenda; Superest igitur ut nervos examinemus, & quamobrem Spiritus per canales hos non influant debito modo.

§. 22. Si fictioni locus, dixerim Θια in hoc passu peccare, austero vel adstringenti sapore prædita, sive Vitriolica cum Quercetano Redivivo Tom. III. p. 184. Willis de Anim. Brutor. c. 9. & Theophil. Bonneto in Sepulchret. Lib. I. Sect. 15. p. 287. §. 23.

§. 23. Quamcunque vero ſtatuamus acrimoniam in Scorbuto, ſive acidam ſive ſalſam, ſive acido-ſalſam, ſive vitriolicam, ſive quamcunque aliam, ſatis erit, ſi modo concipiamus eam vellicare atque arrodere nervoſum genus. Quemadmodum autem hoc ipſum præ aliis partibus magis exquiſite ſentit, ita ſe contrahit fortius, eoque ipſo poros ſeu viam Spiritibus deſtinatam præcludit.

§. 24. Arridet hac in parte non parum opinio Joh. Baptiſt. van Helmont in Tract. de Lithiaſ. c. 9. §. 62. & 82. qui Paralyſin aſſerit partium ſenſitivarum contracturam; addit tamen illam à terrore ſolo produci. Quanquam vero à terrore quandoque natam eſſe Paralyſin non negem, tanquam à cauſa occaſionali & antecedente, ſi ſcilicet corpus prædiſpoſitum ad hoc malum inclinet; non poſſum tamen univerſaliter eam admittere tanquam ſolam & unicam, quoniam præter terrorem proprie dictum, plures aliæ Paralyſeos cauſæ allegari poſſunt.

§. 25. Id enim ſolenne fibris eſt ſenſatis, ut ſi quid moleſtum accidat, ſe ſtatim contrahant, prout hyberno tempore cutem criſpari à frigore cernimus. Atque ita in Scelotyrbe plerumque dolor præcedit Iſchiadicus, quem ſequitur ſtupor pedis ac tandem perfecta Paralyſis.

§. 26. Etenim ſi adverſamus, Paralyſin quandoque fieri ſubito & in momento quaſi, interdum etiam evaneſcere ſimiliter aut per intervalla redire atque ceſſare viciſſim; nemo eſt qui non facilius ſibi concipere queat per ſpaſmum modo remittentem modo recurrentem intercipi viam Spiritibus, quam ſi viſcidum aliquod, ad motum fluxumque minus aptum, in nervis ſtatuamus, quod nec per tubulos anguſtiores nervorum expelli, nec motu retrogrado verſus originem eorum regurgitare poteſt.

§. 27. Dicis: hac ratione citius Spaſmum quam Paralyſin excitari: verum ſciendum eſt, in Spaſmo vellicari atque corrugari muſculos ipſos, in Paralyſi nervos potius. Nec enim rarum eſt in

Subjectis Scorbuticis modo Spasmum, modo Paralysin in iisdem aut diversis partibus notari. Imo & Paralysin quandoque cum Spasmodicis affectibus motibusque convulsivis concurrere. Id enim testantur Observationes non paucæ, vid. Eugalenus multis in locis & Riverius Cent. I. Observ. 74. it. Cent. II. Observ. 98. Wolfgang. Gabelchoverus Curat. Med. Cent. III. Cur. 16. & Cent. IV. Cur. 61

§. 28. Quid mirum? si ex Colica per metastasin humorum nascatur Paresis. Ubi enim humor acris, quamdiu in primis viis hæret, cruciatus graviores Spasmumque intestinorum excitans, ad Massam sangvineam defertur, sive id ægrorum culpa sive Medicorum fiat, clarum est quomodo nervosum genus exinde affligatur vel arrodatur.

§. 29. Hactenus de causis: nunc quoque Signa affectus hujus considerandæ veniunt. Sunt autem illa vel mali ipsius, vel causæ ejus morbificæ. Affectus præsentis signa, Scorbuti enim tanquam nimis prolixa, omnibusque nota lubens hic supersedeo, desumuntur primario à motu læso, deinde vero & à sensu plus minus deficiente ac tandem ex frigore vel contabescentia partium. Nimirum Pathognomicum, quod unice sufficit ad cognoscendam Paralyseos præsentiam, est motus abolitus. Et quandoquidem impotentia hujus accessus non semper subitanea est, sed & aliquando successiva, idcirco expectare Medicus non debet statum, sed vel in principio morbi, ubi tantum pars aliqua robur suum naturale aimttit, instare Paralysin judicabit,

§. 30. Nec facile quisquam hoc malum cum reliquis vitiis motus confundet, si modo advertat, uti superius monitum, quæ pars affecta fuerit; si enim totum corpus aut latus alterutrum sit resolutum, non amplius pro Paralysi stricto sensu dicta est habendum.

§. 31. Cætera si concurrant signa, certiores nos reddere possunt de prognosi, majus certe periculum imminet, si una cum motu cesset omnis insimul sensus; si membrum actu frigidum tabidum-

bidumque notetur. E contrario si adhuc aliqua motus vestigia supersint, si tactu non careat pars affecta & calore naturali: si neque colorem mutet, neque vel contabescat vel tumeat præter naturam: ex his enim omnibus tuto colligere possumus, morbum nec pertinacem adeo, neque difficilem curatu futurum.

§. 32. Nam & in Juvenibus Virisque robustis felicior sperandus est eventus, quam in Decrepitis & ex alio morbo infirmis; atque ideo Paralysis superveniens febri, arthritidi, chronicisque aliis longe difficiliorem admittit curam.

§. 33. Ut autem certi simus de causa Paralyseos, necessum est advertere ventriculi statum. Si enim appetitus fere insatiabilis ægrum vexet, vel ructus acidi vomitusque similes notentur, dubium nullum est, quin humor acidus peccet. Accedit consueta victus ratio, si æger delectetur acidis dulcibusque. Secus judicandum, si bilis acrior eructetur vel evomatur: si pingvibus salsisque abutatur æger, atque sic porro.

§. 34. Explicatis hactenus Paralyseos Scorbuticæ Causis, Signis, & Symptomatibus, reliquum est, ut curam quoque annectam. Et quandoquidem duo sunt in hoc affectu notanda, nempe Malum ipsum atque Causa ejus morbifica, itaque & duplex hinc nascitur indicatio: prima est motum deficientem esse restituendum; secunda scorbuticam sangvinis acrimoniam esse corrigendam, ita enim symptomata, si quæ forte concurrunt, evanescunt sua sponte.

§. 35. Motus partium vel debilitatus vel sublatus omnino, maxime postulare videtur roborantia nervina (non tamen neglectis illis externis, de quibus inferius,) eamque in gratiam Aquæ Spirituosæ antapoplecticæ & antepilepticæ Aqua Reg. Hungar. ∇ Carfunc. Anhaltin. Veltheimian. Magnanimitatis, Vitæ mulier. &c. vel etiam Hb. Lavend. Salv. Origan. Saturej. Serpill. Majoran. in Vino decoctæ pro fotu applicari solent. Nec inconvenienter olea ex his plantis aromatibusque aliis destillantur at-

que sub specie Balsami inunguntur nuchæ, temporibus, naribus, præcipuè in Paralysi ejus.

§. 36. Committitur autem non levis error in usu horum remediorum externorum, prout id jam olim notavit Galenus Lib. IV. cap. 5. de Loc. affect. Solent enim plerique ipsi parti affectæ e.g. cruribus applicare modo laudata nervina, sub specie pediluvii similive pacto, sed frustra. Recte igitur suadet in regione lumborum ea potius adhibenda esse, eoque in loco ubi nervi è medulla spinali ad crura excurrunt.

§. 37. Nihilominus & hac observata cautela pars quandoque immota manet, videlicet quod causa morbifica continens non fuerit prius sublata. Quapropter primus ubique labor erit eandem quantocyus removere, antequam parti læsæ robur conciliare velimus. Videamus ergo qua ratione id fiat.

§. 38. Quodsi proinde certi fuerimus de causa hujus Paralyseos & acrimonia sangvinis Scorbutica, eo allaborandum est, ut acrimonia ista corrigatur, vel etiam educatur e corpore. Ante omnia igitur detur emeticum, nisi ægri constitutio illius usum impediat. Quanquam enim primo intuitu vomitorium non videatur conveniens in affectu adeo à primis viis remoto; constat tamen per experientiam, in artuum doloribus aliisque morbis, nullum remedii genus æque potenter operari ac eadem hæc evacuantia.

§. 39. Cumque Purgantia reliqua in Subjectis Scorbuticis vires suas vix satis commode exerant, quia acidum communiter in iis peccans easdem non aliter destruit, ac si Rad. Hellebor. Esul. Asar. Rhabarb. &c. in aceto macerentur; magis ergo consultum est præscribere Vomitoria ♁ialia, imprimis ☿ vitæ, quippe qui de acido ipse participat.

§. 40. Ubi vero talia exhibere non licet, in subsidium vocanda sunt purgantia, præmissis tamen alterantibus. Ita enim recte monet Francisc. de le Boë Sylvius Prax. Lib. I. cap. 7. §. 53. à purgantibus cavendum antequam temperati fuerint humores acidi

acidi & ad ſeri naturam deducti, quos tunc demum redundantes per hydragoga educi nil obſtet.

§. 41. Sunt autem Alterantia in acrimonia acida convenientiſſima I. ♂tialia, Hæmatit. Crocus ♂tis, & maxime Limatura Chalybis, ſolvitur enim non difficulter à quovis etiam acido mitiſſimo, atque tum convertitur in liquamen Vitriolicum, ſed dulce, abſtergendi & aperiendi virtute præditum. 2. Lapidoſa, Cryſtall. montan. L. lineis, Corall. rubra & alba, quæ acidum ſaturando in Salſum mutant diureticum. 3. Terrea, uti Bol. alb. & Armen. Marga, Terræ Sigillat. omnis generis, quæ magis adhuc acidum temperant, propter pingvedinem ipſis adjunctam. 4. Duriores animalium partes, uti Lap. 69. Mater perlar. Oſſa ſep. Corn. Cerv. Alcis & Rhinocer. Ebur. Unicorn. Dens Hippopot. atque ſimilia; quæ non modo particulis quaſi arenoſis, ſed & gelatinoſis & ſale volatili quo gaudent adverſantur acidis. 5. Salia volatilia ex his parata, ☉vol. CC. Ebur. Urin. ☉ amm. nec non fuliginis, & quæ à curioſioribus è plantis educuntur. 6. Salia fixa, Abſinth. Centaur. min. Cardb. ☉ Tartari &c. quæ ☉na præ cæteris id peculiare habent, quod ſi concurrant cum acidis, ſudorem non minus, quam urinam moveant.

§. 42. Et quandoquidem, ut ſupra monitum, plerumque viſcidum cum acido concurrit in hoc affectu; itaque acriora etiam antiſcorbutica, ut Rad. Armorac. Hb. Cochlear. Naſturt. Beccabung. Trifol. fibrin. in uſum quoque vocanda ſunt. Quamvis enim cum iis facere non poſſum, qui eadem abundare ☉e vol. ☐ſo arbitrantur, ſiquidem vidi nec ſuccum eorum recentem, aut per aliquot dies aſſervatum, nec ▽m deſtillatam aut ☁um inde paratum colorem Syrupi violarum mutaſſe ullo modo; ineſſe tamen ☉ quoddam volatile, ſui generis, quod neque ad acidum, neque ad urinoſum referri poteſt, atque ideo mixtæ potius naturæ videtur. Nihilominus & hic acris ſapor non minus contra viſci-

dita-

ditatem ſangvinis, quam adverſus atoniam partium & Paralyſin una cum reliquis nervinis exhibetur commode.

§. 43. Habebunt autem utilitatem longe majorem, ſi pro ſcopo alterandi ac diluendi humorum acrimoniam & viſciditatem aquea inſimul fuerint adhibita; Quo nomine Thermarum uſus ac Thee potus, hoc tempore ſatis uſitatus commendari ſolet. Si quid enim Thermæ valent, id externe fovendo calorem partium, interne attenuando viſcida & temperando acria præſtant; atque ideo Carolinæ aliis præferendæ ſunt merito, quæ impune potari nequeunt. Dolendum ſaltim eſt nec ubivis terrarum ſimiles haberi aquas medicatas, nec omni die iisdem licere uti. Confer Quercetan. Art. Med. Pract. Tom. III. de Paralyſ. p. 188.

§. 44. Præferendus idcirco Thee potus videtur, quem quisque omni hora ſibi parare poteſt. Et quamvis nihil adeo peculiare in foliis Thee lateat, quod a plantis indigenis non æque ſperandum; ſiquidem ſapore leviter amaricante atque adſtringente id ſaltim agit, ut majore in copia ventriculus aquæ hauſtum toleret, certum tamen eſt Salia Scorbutica hoc pacto feliciſſime cum lotio educi.

§. 45. Solent alii pro eadem hac intentione diætam lactis commendare, aut ſerum lactis; quemadmodum autem ſi acidum peccet in corpore, plus damni quam emolumenti exinde reſultat, ita poſt uſum lapidoſorum & ♂tialium ſimiliumque præcipitantium acido in Salſum converſo, aut diætæ culpa prædominante ſalſedine egregiam merentur laudem, quoniam & ſerum humectat ſolvitque Salia, ac educit per alvum viasque Urinæ ſecretioni dicatas, & portio pingvis dulcisque lactis demulcet acrimoniam præternaturaliter collectam.

§. 46. Hæc dum fiunt, non negligenda ſunt remedia externa, & quæ Chirurgia ſubminiſtrat. Videlicet Venæ Sectio præmittenda eſt, ſi æger plethoricus fuerit aut proclivis ad hæmorrhoidum aliumve ſangvinis fluxum, cujus rei inſigne Teſtimonium præbet Zacut. Luſitanus Libr. I. Prax. Medic. Adm. Obſ. 39. & Fran-

Franciſc. Valleriol. Libr. IV. Obſ. 4. Notum enim eſt, alias non raro abundante ſangvine artus obdormiſcere atque ſtupore tentari; longe frequentius id accidit Scorbuticis propter Orgaſmum & ebullitionem Sangvinis crebriorem; itaque nec parum levantur miſſione ſangvinis.

§. 47. Verum Venæ Sectioni hoc in caſu nullatenus cedit Scarificatio & Ventoſæ manibus pedibusque, affectis etiam, applicatæ. Præterquam enim quod Sangvinem ſufficienter evacuent, accedit quod dolorem, ſi multa cum flamma fuerint appoſitæ, ſatis notabilem excitent, quem tamen variis modis intendimus ob cauſas modo dicendas.

§. 48. Aut enim pars inſenſata eſt, aut dolore vexata ſic ſatis moleſto: ſi prius accidat, ſollicitamus naturam, ut quam deſeruit partem, iterum tueatur: ſi poſterius occurrat, ſupprimitur dolor præternaturalis ab eo, quem ars producit de induſtria; ita enim Hippocrat. Sect. II. Aphoriſm. 46. recte notavit duobus doloribus ſimul inſtantibus à vehementiori obſcurari alterum.

§. 49. Nam & hanc ob cauſam Veteres quondam Ligaturas & Frictiones adhibuerunt, in Apoplexia, Paralyſi, Catarrho ſuffocativo, ſimilibusque morbis repentinis gravibusque, ſcilicet ut excitato hac ratione doloris ſenſu motum Spirituum diverterent. Nec enim leves tantum ſed fortiores etiam, ſi opus, fieri jubebant; vocatis non raro in auxilium Dropace ſive Picatione, Sinapiſmo & Phœnigmo, donec partes aut rubefierent ſatis ac dolerent, aut veſicis excitatis ſerum profunderent acrius.

§. 50. Similis virtus eſt Urticarum recentium, quibus cædere membrum torpens, ſummamque cutem exaſperare jubet Cornel. Celſ. Libr. III. cap. 27. Idem Experientia confirmatus docet Epiphanius Ferdinandus Hiſtor. 47. adjecto tamen hoc monito non

contemnendo, ne id fiat prius quam corpus purgatum sit sufficienter à pravis humoribus.

§. 51. Instar omnium sint Vesicatoria, quorum vires in Paralysi Scorbutica crurum singulares notavi. Miles erat, cujus dextrum crus penitus immotum insensatumque fere ad annum fuerat, siniſtro ex malo Ischiadico similiter dolente ac stupescente, consilium implorat meum; itaque præmissis præmittendis præcipitantibus & evacuantibus Empl. Vesicatorium acrius ex cantharidibus apponere jubet semori, atque tum prima statim nocte sentit æger calorem quasi per modum halitus inspirari, cum antehac pes frigidus, nec laterem calefactum, nec quicquam sentiret aliud: sequenti mane redit sensus in ea parte motusque aliqualis unius atque alterius digiti; successu temporis, renovato Vesicatorio, continuatoque usu tialium, nervinorum & antiscorbuticorum, non neglectis evacuantibus, favente divina gratia perfecte convaluit.

§. 52. Hæc sunt fere potiora remediorum genera, qualia vel Pharmacia suggerit, vel Chirurgia; reliquum est ut paucis quoque regulas adducam diæteticas; præsertim cum Scorbutus vel hoc nomine incurabilis videatur in non paucis, quod suo indulgentes genio consuetudinem, hactenus usu confirmatam, vix unquam deserant, etiam moniti.

§. 53. Imprimis acida cane pejus & angue fugienda sunt omnibus, tanquam nervoso generi admodum inimica. Absint ergo à mensa procul acetaria, & quicquid acetum, succumque citri sapit, itemque dulcia, saccharo melleque condita, quæ in ventriculo acidis referto facillime acescunt.

§. 54. Speciatim Vini plus minus acidi potus admodum exitiosus Scorbuticis in hoc passu. Testatur enim Wepferus Miscell. Nat.

Nat. Cur. Ann. II. Obſerv. 39. Pareſin poſt Colicam ex Vini ejusmodi potu frequentiſſimam in Alſatia, ad Lacum Acronium, in Ducatu Würtenbergico aliisque in locis, ubi quotidie vino utuntur pro potu ordinario.

§. 55. Circa Cereviſiam itidem notandum, hordeaceam, amaram ſive lupulatam, quales ſunt Ileburgenſis, Torgavienſis, Wurzenſis, magis convenire ſcorbuticis; ſed dulcem & facile acescentem, ex tritico vel avena quæ paratur, uti Breyhahn/ Weißbier / Keiterling / Duchſtein / vix ſine manifeſta læſione a quoquam hauriri.

§. 56. Aër, quantum fieri poteſt, temperatus eligatur. Quemadmodum enim frigus nervis admodum infenſum, Scorbutica ſubjecta maxime affligit, præſertim ſi quæ pars deficiente Spirituum influxu debito calore naturali careat, aut dolore vexetur continuo: ita e contrario æſtus quoque intenſior obſervatur iisdem nocivus, quoniam ſerum aucta tranſpiratione minuitur nimis, unde neceſſario & viſciditas & acrimonia intenditur magis magisque.

§. 57. Atque ideo motus etiam corporis non niſi moderatus eſt permittendus. Certum enim eſt, ſi corpus hinc incaluerit modice, bene ſe habere iſtiusmodi ægros & alacriores reddi; verum ſi ad ſudorem usque commoveantur, laſſitudinem exinde longe graviorem illos ſentire, ac ſi forte inter ſudandum evanuerit dolor, eum plerumque redire magis acerbum.

§. 58. Cavendum autem iis eſt maxime ab animi pathematibus, ira cumprimis atque terrore. Quamvis enim aliqua legantur exempla eorum, qui a Paralyſi fuerunt liberati per iram vel terrorem, qualia refert Franciſc. Valleriol. Libr. II. Obſ. Med. 4. & Joh. Nicol. Pechlinus Lib. III. Obſ. Med. 26. non videntur tamen temere imitanda, cum per Experientiam conſtet Apoplexiam et-

iam, similiaque graviora mala non aliunde magis, quam ab his affectibus provenire.

§. 59. De cætero haud opus est, ut pluribus exponam, quomodo se gerere debeat Paralyticus in somno & Vigilia, in Excretis & Retentis. Cum enim vires labefactatæ jamjam existant, quivis intelligit abstinendum esse a cunctis, quæ Spiritus dissipant ac enervant corpus: ac potius robur vitale esse conservandum omnibus modis. Atque hæc sufficiant.

DISPUTATIO XXXI.

DE

HYDROPE.

PROOEMIUM.

SErum non minus ac reliquos corporis nostri humores fluxu agitari continuo, quamdiu perfecta fruimur sanitate, id quidem nemo post inventam sangvinis circulationem amplius in dubium vocabit. Verum idem motus p. n. variis læditur modis. Vt reliqua taceam, hac vice sal-

ſaltem de ſeri motu vitiato & quidem in hydrope mihi ſermo erit, quippe qui tantas ſæpe moleſtias ac difficultates ægro pariter atque Medico creat, ut ab anteceſſoribus quibusdam non ſine fundamento inter ſcandala Medicorum fuerit relatus. Quicquid ſit, non tamen vereor morbi præſentis naturam atque curam ſub examen pro ingenii mei modulo vocare. Faxit SUMMUS RERUM MODERATOR, ut omnia cedant feliciter!

§. 1.

HYdropis origo etymi ratione communis eſt cum plurimis morbis, quatenus nempe primos natales ex Græca lingva ſortitus eſt. Derivatur enim a nomine ὕδωρ, quod aquam denotat, non quaſi hac ratione cum aqua conmmuni quoad ſingulas qualitates coincidat; verum quatenus ex parte fluiditatem illi analogam obtinet. Hanc etymologiam ſervantes Germani per vocem Waſſerſucht exprimunt. Cumque interdum flatus, ventrem diſtendentes hydropem mentiantur, inde hydropem ſiccum dixere, commodius lingva Germanica die Windſucht.

§. 2. Juxta Plinium dicitur hydropiſis, Dieterichum vero n. 857. ὑδερῶ· ſeu aqua intercus. Aliquando tamen vox hydropis ſumitur pro ipſo ſero & ichore juxta Hippocrat. lib. 4. de morb. nonnunquam vero denotat copioſam ac crebram mi-

ctionem, quæ Latinis dicitur hydrops ad matulam vid. Pancrat. Brunon. Caſtell. renovat. pag. m. 684.

§. 3. Verum miſſa ὀνοματολογία propero potius ad realem hydropis definitionem tradendam. Eſt autem nihil aliud quam tumor vel corporis totius, vel ſaltem partis alicujus, a præternaturali ſeri plus minus viſcidi ſtagnatione aut flatibus etiam obortus.

§. 4. Generis locum obtinet tumor, adeoque in eo cum omnibus coincidit tumoribus, quod habitus corporis aut pars ejus determinata in majorem accreſcat molem, quam veteres morbum in magnitudine aucta vocarunt. Differentia vero ſpecifica a ſeri collectione p. n. facile deſumitur, unde ab inflammationibus, herniis, imprægnatione item, tumoribusve aliis ſenſuum externorum beneficio haud difficulter diſcerni poteſt.

§. 5. Porro ratione materiæ hydrops alius dicitur humoralis, qui pravorum in corpore ſuccorum abundantiam, aut lymphæ etiam laudabilis extravaſationem motumque vitiatum præſupponit; alius ſiccus ſeu flatulentus, a flatibus in abdomine potiſſimum contentis, dependens, cum hoc tamen diſcrimine, quod priori magis proprie denominatio hæc competat, minus vero & analogice tantum poſteriori affectui. vid. Ettmuller. Prax. part. 2. pag. 29.

§. 6. Ulterius à collectionis loco diverſo alius dicitur univerſalis, alius particularis; per illum Practici habitum corporis tumidum pallidumve indigitant, qui alias anaſarca vel leucophlegmatia audit; hunc vero pars affecta determinat, ita enim aſcites dicitur, quando abdominis cavitas ſero plus minus pituitoſo turget. Quodſi vero thorax, caput, ſcrotum, uterus aut pedes

à ſe-

à ſero ſtagnante diſtendantur, tum dicitur hydrops thoracis, uteri, hydrocephalus, hydrocele ac tumor pedum œdematoſus. Quibus annumerare licet hydropem omenti ab Horſtio Obſ. lib. ac peritonæi à Job van Meeckeren Obſ. Chir. allegatum.

§. 7. Declarata ſic morbi ſede progredior nunc ad ſymptomatum tam concomitantium quam inſequentium recenſionem. Ubi ſciendum pro cauſarum diverſitate alia quidem in momento, alia ſucceſſive ſeſe prodere. In momento quaſi intumeſcit abdomen cum tenſione ac dolore ex diſruptis vaſis lymphaticis, quod alias tractu demum temporis obſervatur.

§. 8. Ita namque facies matutino imprimis tempore a ſomno intumeſcit, coloremque floridum cum pallido ac livido commutat. Hunc modo præcedit, modo inſequitur tumor pedum œdematoſus, maculæ & abſceſſus in cruribus ſuperveniente gangræna non raro lethales; febris lenta circa veſperam manifeſtior; ſitis nonnunquam intolerabilis cum omnimoda appetitus proſtratione, præcordiorum anguſtia, ſpirandique difficultate, præſertim ſi ſcalas aſcendant aut etiam decumbant. Vid. citatus Ettmul. l. 4.

§. 9. Ne vero credas modo enarrata conjunctim ac in eodem gradu hydropicos omnes affligere; ſiquidem alii mitius, alii gravius decumbunt: quidam plura ſimul aut pauciora etiam: alii leviora, alii funeſtiora patiuntur ſymptomata, quanquam allis eadem ad ſalutem vergant prout in hydropico epilepſia correpto annotavit Ballon. lib. 1. Epid. eph. pag. m. 27.

§. 10. Sequuntur jam ſigna hydropis quæ vel ſunt diagnoſtica vel prognoſtica. Quoad diagnoſin certum eſt beneficio viſus, tactus, atque auditus plurimas hydropiſeos ſpecies videlicet aſci-

aſcitem, leucophlegmatiam, hydrocelen &c. cognoſci poſſe, attamen cum hydrocephalus partium magis reconditarum ſigna adeo manifeſta haud admittat, hinc è re erit interdum ad palpebrarum ac ſuperciliorum tumorem, ſenſuum hebetudinem & torporem doloremve tenſivum advertere.

§. 11. Facilius hydrocephalus partium externarum ex tumore evidenti, molli, pellucido omniſque doloris ac coloris experte cognoſcitur, qualem Hildanus pene incredibilem lib. 1. Obſ. 10. annotavit. Hydropem vero thoracis ex difficultate ſpirandi tuſſique ſicca tanquam ſignis pathognomonicis cognoſcendum vult C. Piſo lib. 1. ſect. 3. cap. 7. & River. Pr. lib. 7. Cap. 5. Dubium tamen eſt, quomodo in hydrope tali tuſſis accidere ſicca poſſit: adhæc eadem illa ſigna non infrequenter obſervantur in aliis morbis, ubi nil minus quam hydrops locum habet.

§. 12. Quapropter ut certo nobis de hoc affectu conſtet, ſciendum, fluctuationem intra thoracis cavum eundem potius manifeſtare, dummodo quædam advertantur circumſtantiæ. Scilicet cum eadem fluctuatio in empyemate thoracis occurrat, attendenda erit ejusdem diverſitas, quatenus in illo fluidior, materia citius de loco in locum movetur quam in hoc ob ſpiſſiorem conſiſtentiam. Ut taceam præcedentem aut etiam concurrentem ſanguinis puriſque ejectionem per ſcreatum, empyicis familiarem, qualem in hydrope hoc correptis vix obſervare licet.

§. 13. Quæ aſcitem manifeſtant, ſunt præter ſigna hydropis generaliora abdominis tenſio ac intumeſcentia, aliquando adeo inſignis, ut Williſius Pharm. Vat. part. 2. ſect. 2. cap. 3. ſe doliolum quindecim congiorum ſeu quadraginta quinque menſurarum capax, aquis hydropicæ cujuſdam repletum vidiſſe teſtetur. His acce-

accedit partium ſuperiorum contabeſcentia ac marcor, præſertim ubi nulla leucophlegmatiæ indicia apparent. Eandem intumeſcentiam ſcrotum fovet, quandocunque ſerum in abdomine fluctuans per vaginam, vaſa ſpermatica involventem, eo usque deſcendit.

§. 14. Cum aſcite coincidit ferè tympanites, niſi quod ratione cauſæ diſtendentis hujus intumeſcentia ab aſcite differat; quatenus non tam ſerum, quàm flatus cavitatem abdominis & ſcroti implent, unde tumor magis conſtans, renitens, ac percuſſus ſonum, typani ad inſtar tenſi edens, obſervatur. *Vid. Willſ. Pharm. rat. part. 2. ſect. 2. cap. 4. p. m. 173.*

§. 15. Anaſarcam denique, ſeu leucophlegmatiam concludimus ex habitu plus minus pallido, carnium mollitie ac laxitate, ita ut poſt preſſionem fovea remaneat, facilè diſparens ſi ſerum fluidius, ſed diutius permanens, ubi viſcidius fuerit; quemadmodum & tumores pedum œdematoſi hac ratione commodiſſime cognoſcuntur.

§. 16. Circa prognoſin non adeò prolixus ero, ſiquidem ſuſpecta ſemper, malique ominis in hoc affectu habetur *à Williſio l. a.* Quodſi tamen ipſi locus in præſenti morbo concedi debet, vix accuratius eventum portendere poterimus, quam ſi partem affectam intueamur. Ita enim tumores pedum œdematoſi præ cæteris ſanantur facilius: aſcites præ hydrocephalo ac thoracis hydrope majorem reſtitutionis ſpem admittit, cum modo dicta mala omnium periculoſiſſima obſerventur ob generis nervoſi ac viſcerum vitalium læſionem graviorem. Deinde facilioris curationis obſervatur anaſarca præ aſcite, ſi nimirum à ruptione vel eroſione vaſorum lacteolymphaticorum ille proveniat juxta *citat. Willſ. l. a.*

§. 17. Nec periculo vacat tertio febri acutæ ſuperveniens aqua intercus juxta *Hippocrat. Progn. t. 8.* §. 1. indicat enim vel ſanguinis enormem dyſcraſiam aut virium defectum. Accedunt his quarto ſymptomata atrociora in progreſſu morbi occurrentia v. g.

alvi fluxus immodicus, ita ut juxta eundem *Hippocrat. 4. de morb. t.* 34. §. 10. illi sentientes ac loquentes moriantur. Quinto recidivæ iisdem ut plurimum lethales existunt, vid. *Schenk. Obs. pag. m. 456. & Sennert. Pr. lib. 3. pag.* 723. Sexto tandem absessus & maculæ in hydropicorum cruribus erumpentes duobus ægris mortem intulisse, allegatus *Hippocrat. 7. Epidem.* annotavit.

§. 18. Delibatis sic signis tam diagnosticis quam prognosticis, progredior nunc ad causarum recensionem, ubi tritam in proximam ac remotam illam divisionem scopo huic nostro applicare conveniet. Quoad priorem sciendum, in reddendis causis immediatis Recentiores à Veteribus maximam partem discedere. Hi enim viscerum intemperiem frigidam v. g. hepatis, Autore potissimum Galeno, pro genuina hydropiseos causa venditabant ex hoc fundamento, quod hepar in statu naturali sanguificationis munus gereret, adeoque, multis modis debilitatum, non sanguinem laudabilem, sed hujus loco laticem aquosum pituitosumque produceret, qui successive corpus inundaret; cui hypothesi quoad anasarcam adstipulatur *Riverius Prax. lib. 11. cap. 6. p. 326.*

§. 19. Enimvero & Hippocrates ipse jam suo tempore epatis dyscrasiam hoc in affectu accusavit, quando videlicet *lib. 2. Prorrhet.* diserte asserit, hydropem fieri ab hepate. Attamen ex parte tantum vitium hujus visceris admittit, secus ac Galenus ejusque asseclæ; alio enim in loco, nimirum *lib. 4. de morb. & lib. 1. de morb. mul.* hydropem ex vitio lienis aliarumque partium itidem describit.

§. 20. E recentioribus *I. B. van Helmont tract. ignot. hydr. pag. m 509. & seq.* hydropis causam à vitio renum solitarie deducit, eo quod illi lotium, secundæ digestionis recrementum, debito modo ac quantitate proportionata haud secernant, adeoque serum hocce ad sanguinis massam regurgitare faciant. Hanc ut probet sententiam, varia corporum dissectorum adducit exempla, in quorum renibus cruor coagulatus tubulos obstruens, repertus

fuit,

fuit, unde archeus renum in furorem raptus muneris ſecretorii rationem plane neglexit.

§. 21. Utramque nihilominus hypotheſin dubiam reddunt primo falſum, ne dicam vanum, veterum ſuppoſitum, quo nimirum hepati hæmatoſin attribuebant: lacteorum namque vaſorum ductuſque thoracici inventio, bigæ Anatomicorum Celeberrimæ Aſellii atque Pecquetti debita, idem ab officio ſanguificationis dejecit, publicasque illius exequias duxit. Secundo frequenti cadaverum, hydrope interemptorum, inſpectione edocemur, interdum vix ac ne vix quidem in jecoris parenchymate occurrere, quod ſtatum ipſius naturalem cum p. n. commutarit. Ex quo capite etiam motus Sylvius Duncanus, Medicus quondam Romanus, ut circa initium ſeculi hujus libellum ediderit, cujus titulus: *Hydropem non ſemper à jecore fieri.*

§. 22. Helmontii quod ſpectat hypotheſin, vix adeo ſtabilita eſt, quin dubium aliquod adverſus eandem moveri queat. Haud equidem negandum eſt, ex vitio renum aliquando contingere hydropem, quatenus primo exulceratio illorum ad hujus productionem aptiſſima videtur, quemadmodum *Plater. Prax. tom. 3. pag. m. 217. & obſ. pag. 640. & 648.* obſervavit: ſecundo reliquorum organorum, collectioni urinæ dicatorum, culpa idem obortum fuiſſe malum experientia teſtatur, v. g. ob ureterum exulcerationem *Plater. l. a.* veſicæ vero eroſionem *Dodonæus obſ. cap. 34. ac Plater. l. a. p. m. 222.*

§. 23. Nihilominus cum hæc vitia inter particulares tantum cauſas referri mereantur, tantum abeſt, ut ubique organa urinaria juxta Helmontium accuſemus, ut potius aliquando eadem tanquam inſontia dimittamus. Non dicam jam, autorem hujus hypotheſeos commiſiſſe hic fallaciam non cauſæ ut cauſæ, culpamque tribuiſſe renibus, quæ tamen vitio ſanguinis ac viſciditati lymphæ potius adſcribenda erat, unde etiam apparet, quare leucophlegmatici parum mingant, ſcilicet quod fluidum per tubulos, ſe-

ro viſcidiore obſtructos, tranſcolari ac tempore debito excerni nequeat.

§. 24. Accuratius ergo illi agunt, qui cauſam hydropis continentem ſtatuunt lymphæ plus minus viſcidiæ extravaſationem aut ſtagnationem vel in univerſo córpore vel hujus parte quadam. Atque hæc lympha ut plurimum immediate nulloque interveniente alio poros vel cavitates majores replet, rarioribusque accenſendum, quod *Schenk. obſ. lib. 3. obſ. 115. Horſtius lib. 10. de Pharm. pag. 513.* annotarunt, ſcilicet aſciticorum aquam innumeris veſiculis incluſam, totum inteſtinorum tractum occupaſſe, atque ſic aſcitem mentitam fuiſſe.

§. 25. Quoad colorem ſeri hujus ſtagnantis, variat is pro circumſtantiarum diverſitate, adeo ut modo viridis, modo luteus, modo inſtar loturæ carnium appareat, prout ex *Sennerto Prax. lib. 3. pag. 717.* conſtat. Quod ſi vero ipſi flatus in majori copia combinentur, aut abdomen ſimilesve cavitates iisdem turgeant, de cauſa tympanitis immediata omnibus jam conſtat.

§. 26. Cauſa remota hujus extravaſationis atque inflationis multifaria obſervatur. Aut enim vitio ſanguinis ipſius aut partium ſolidarum, aut etiam ſpirituum contingere poteſt. Quoad ſanguinem ex phyſiologicis hic præſuppono duo potiſſimum ad integritatem illius conſtituendam præeunte OCULATISSIMO MALPIGHIO concurrere, ſubſtantiam nimirum ſeroſam ac fibroſam, vel juxta alios gelatinoſam ac globoſam, iſtiusve quantitatem hujus molem longe ſuperare, adeo ut Celeberrimus BOHNIUS *Circul. Anat. Phyſiol. Progymn. 13. pag. 190.* poſt omnimodam ſeri à reliquo ſequeſtrationem vix duodecimam partem cruoris ſuperſtitem fuiſſe teſtetur.

§. 27. Hæc cum ita ſe habeant, conſtat porro, ſanguinem, aut potius ſerum ejus triplici ratione peccare, quantitate videlicet, qualitate, ac motu. Vitio quantitatis producitur hydrops, quando aut plus lymphæ in corpore redundat, quam quæ ad functio-

nes

nes præſtandas requiritur, aut excedens illius portio accumulatur ob deficientem cohibitamque tranſpirationem à frigore externo, vel imminutam urinæ ſecretionem atque excretionem. Prioris exemplum refert *Borell. Cent.* 1. *obſ.* 70. & *Schenk. obſ. lib.* 3. *pag.* 434. poſterioris vero *Helmont. l. a.* §. 16. & 20.

§. 28. Ratione qualitatis pariter non uno modo vitiatur idem latex. Aut enim aquoſior juſto exiſtit ob errorem ſex rerum non naturalium manifeſtum à potu v. g. immodico juxta *Schenk. l. a. pag.* 447. Aut acrimoniam modo acido-ſalſam ex relatione Gabelchoveri: modo acidam tantum, contraxit; ſiquidem & ſudor hydropici cujusdam lac coagulaſſe viſus eſt in *Act. Med. Haffn. vol.* 4. *pag.* 174.

§. 29. Atque hæc lymphæ qualitas mutata potiſſimum ab errore diætæ dependet. Frequentiſſimum certe eſt, ab uſu acidorum nimio aquam intercutem naſci v. g. ex abuſu acetarii, & cucumerum ſale conditorum, qualem in non uno ſubjecto annotavi, quæ tamen iterum, Fortunante DEO remediis appropriatis brevi temporis intervallo, ceſſit. Hinc quoque mirum non eſt, ſi ſubjecta ſcorbutica ac hypochondriaca ob acidum prædominans, ſimili præ cæteris tententur affectu.

§. 30. Idem non raro malum tertio patrat motus ſanguinis ac ſeri depravatus, jam in corpore, jam extra corpus. Motus in corpore vitiatur, quando vel tardius ſolito per partium poros circulatur, adeoque ſerum, reliquo cruori laxius combinatum, ſecedit; vel ejusdem per venas refluxus à partium adjacentium tumore ſcirrhoſo, aut fibrarum ſtrictura ſpaſmodica, intercipitur. Quod ipſum ſicuti quotidiana comprobat experientia, ita *Williſius l. a.* ætiologiam hanc experimento ſequenti manifeſtavit: Scilicet ligatis venis jugularibus canis caput per modum hydrocephali, aqua ſtagnante, ob dictam jam rationem tumuit, quale quid cum eodem ſucceſſu *Lovverus de Corde cap.* 2. *pag.* 123. in alio tentavit ſubjecto.

§ 31. Porro motus sanguinis ac seri in corpore læditur ob consistentiam eorum tenaciorem ac spissiorem, quando videlicet sanguis per arterias quidem ad partes defertur, minime vero circulationis lege sub proportionata quantitate à partibus versus cor. Hinc evenit, ut propter diuturniorem moram in ipsis partium poris & leucophlegmatiæ & reliquis hydropis speciebus ansam præbeat. Vid. *Sylvius Prax. Med. append. tr. 6. pag. m. 566. & seq.*

§. 32. Denique notabiliter idem sufflaminatur, quando corpore exæstuante largior ac intempestivus potus ingurgitatur, adeo ut ex haustu copioso aquæ frigidæ post nimium æstum in febre tertiana hydropem progenitum *M. N. C. Dec. 1. Ann. 6. pag. 85. Panaroll. Obs. Med. Pent. 3. Obs. 42. Fonseca lib. 2. Cons. 39. & Riverius Cent. 2. Obs. 65. &c.* testentur.

§. 33. Extra corpus vero vitiatur hic motus, si vel deficiat, vel intendatur. Defectus certe non vanum aquæ intercutis metum injicit, quando evacuationes, sexui præprimis sequiori solennes, intempestive supprimuntur, aut plane non succedunt. Ita enim ex mensium suppressione *Schenk. Obs. lib. 3. pag. 447.* fluoris albi *Riverius Obs. Cent. 3. Obs. 86.* aut in utroque sexu à fluxu hæmorrhoidum intercepto *Rhodius Obs. Med. Cent. 3. Obs. 5.* hydropem enatum fuisse perhibent.

§. 34. Econtra nec rarum est, quamvis hæmorrhagiam nimiam aut etiam crebrius repetitam ad malum hocce disponere miseros; frequenti namque Practicorum observatione constat, aliam post mensium fluxum immodicum, alterum post sputum sanguinis copiosum, hydropis contraxisse labem, de quibus vid. *Helmont. l. a. pag. 551. & Riverius Obs. Cent. 3. Obs. 33.*

§. 35. Quomodo vero & quibus de causis hydrops siccus seu tympanites in corpore generetur, prolixius in præsenti inquirere non vacat; sufficiet binis indigitasse verbis, ad flatuum generationem communiter abusum cibi potusque flatulenti facere: quanquam suppressio alvi plerumque ad flatuum retentionem plurimum confert.

§. 36.

§. 36. Progredior nunc ad partium ſolidarum vitia atque læſiones, quarum quidem non paucæ occurrunt, ſingulæ tamen ad hydropiſeos productionem aptiſſimæ. Præ cæteris vero viſcera abdominis nobiliora, à ſtatu naturali recedentia, ſymbolum hic ſuum conferunt, quando vel ſcirrhoſa evadunt, aut variis [illegible] cauſis exulcerantur, prout de ſcirrho hepatis, pancreatis, glandularum meſenterii *Rondelet. Prax. cap.* 35. de harum vero exulceratione *Tulpius lib. obſ.* 32. annotârunt.

§. 37. Quid dicam de irruentibus externis, læſione puta atque vulnere, ſimilive concuſſione violenta? quale quid de pectinis concuſſione *Helmont. l. a. pag.* 511. de caſu in abdomen *Plater. Prax. tom.* 3. *pag. m.* 224. *& Bartholinus Cent.* 2. *Obſ.* 74. denique de hepatis vulnere, ſclopeto inflicto *M. N. C. Ann.* 6. *pag.* 145. referunt.

§. 38. Scilicet hujus extravaſationis cauſa non alia eſſe videtur quam ruptio vaſorum lymphaticorum, aut ductus etiam thoracici: Qui enim eorum texturam tenerrimam conſiderat, is facile perſpicere poteſt, quomodo à levi conquaſſatione lacerari queant. Quapropter non eſt quod miremur, haſce cauſas hydropis occaſionales Veteres latuiſſe, ſiquidem tum temporis de ductibus lymphaticis altum apud ipſos ſilentium erat, donec ſub medium circiter ſeculi hujus primus Franciſcus de le Boe Sylvius, ingens quondam Ordinis Aſclepiadei lumen, circa cyſtidem felleam quædam detexit, atque præſentibus quamplurimis Philiatris ad oculum demonſtrávit, prout *diſſ.* 6. §. 1. id teſtatum facit. Poſt eum Olaus Rudbeckius ac Bartholinus plura addiderunt, adeo ut his temporibus Doctrina hæc ſub Anatomico oculatiſſimo ANTONIO NUCK, Profeſſore Academiæ Lugduno-Batava Excellentiſſimo Famigeratiſſimoque, ad ſummum tendere vigorem videatur; quod aſſertum tractatus hujus laudati Autoris de adenographia, cedro digniſſimus, egregie confirmat.

§. 39. Superest, ut nunc quoque ſpirituum attingam vitia; quod

quod equidem nonnullis paradoxum videri posset, eosdem in causarum revocare censum, eo quod hydrops tanquam morbus humoralis ad spiritus vix pertineat. Nihilominus mirari desinent, quando & spiritus suo modo ad aquæ intercutis productionem conferre [illegible]larabo.

§. 40. Scilicet præsuppono hic iterum ex physiologicis auram hanc vitalem singulas in corpore functiones, chylificationem, lymphæ secretionem &c. primario efficere, organa harum actuando fluoremque humoribus conciliando: stante ergo hac theoria, nec difficile mihi erit demonstrare, quibus modis concurrere ad hujus productionem valeant.

§. 41. Spirituum certe inopia non parum confert, dum fatiscunt actiones quæcunque, loco chyli ac sanguinis laudabilis alimenta assumpta in liquamen crudum & acre convertuntur, multisque modis motus sanguinis circulatorius depravatur. Quale quid potissimum sequitur excretiones humorum, nimias nunc *p. n.* v. g. dysenteriam juxta *Thonerum in obs.* aut ptyalismum pertinacem juxta *Bonet. Sepulchr. lib. 3. sect. 20. obs. 18.* nunc arte factas, v. g. abusum catarcticorum juxta *Poter. cent. 2. cap. 29. ac Ferdinandum hist. 98.*

§. 42. Atque sic perlustrata theoria, progredior nunc ad ipsam praxin, quæ duobus absolvi punctis non incongrue poterit. Ita ut primum respiciat humorum p. n. stagnantium remotionem, secundum eorundem scaturiginem, seu causarum correctionem. Quæ priori indicationi satisfaciunt, sunt præprimis evacuantia, tam ex fonte Pharmaceutico quam Chirurgico deprompta. Posteriori vero convenient alterantia sic dicta varii generis.

§. 43. Quoad evacuantia, ea primo nobis suggerit Pharmacia, ita ut modo per superiora, modo per inferiora, modo per diaphoresin, modo per diuresin desideratum præstent effectum. Ventriculum exonerant promptissime vomitoria, eaque antimonialia, v. g. infusum vitri antimonii, cujus beneficio hydropicus aliquando,

do, referente *Schenkio*, *obſ. lib. 2. pag.* 447. liberatus eſt, aut crocus metallorum abſynthiacus valdopere ab *Hadriano à Mynſicht. Armament. Chym. pag.* 14. laudatus, aut etiam reliqua ex antimonio pro hoc ſcopo præparata, uti ſunt tartarus emeticus ac mercurius vitæ.

§. 44. Atque generoſa hæc præſidia nonnunquam cum euphoria uſurpantur, præſertim circa morbi initium & augmentum, ubi virium adhuc robur adeſt, ſiquidem ab horum tempeſtivo uſu *Foreſt. lib.* 19. *Schol. ad obſ.* 29. *de hepat. ac lien.* & *M. Donatus hiſt. mirab. lib. cap.* 21. non ſemel hydropem unico exhibito emetico ſublatum fuiſſe perhibent. Nam & per motum naturæ criticum aquam aſciticorum ad ventriculum delatam, tandemque cum morbi declinatione per vomitum redditam multoties obſervavit ſagacisſimus naturæ ſcrutator *WEDELIVS Pathol. Dogmat. ſect.* 1. *cap.* 5. *pag.* 62. Tunc enim locum habet Divini Senis HIPPOCRATIS effatum *ſect.* 1. *aph.* 21. ſcilicet: *Quæ ducere oportet quo maxime vergunt, eo ducenda per loca convenientia.*

§. 45. Hæc excipiunt ſecundo purgantia hydragoga communiter dicta nunc fortiora nunc mitiora. Fortioribus accenſentur ſuccus rad. ireos, quem *Gordonius lib. Med. part.* 6. *cap.* 5. ad expurgandum ſerum omnibus præfert, modo humana manu curabilis exiſtat. Item decoctum laureolæ *à Raſi lib. contin. cap.* 2. *pag.* 158. ut euporiſton laudatum, ob acrimoniam tamen fere cauſticam rariſſimi hodie uſus. Gratiola *à Fr. Joele l.* 5. *Pract. ſect.* 1. valde commendata, ac denique elaterium, quo ſolo Lindanus centum hydropicos curaſſe dicitur vid. *Ettmull. l.* 4. *pag.* 40. & jalappa Borelli ad hydropem arcanum juxta *cent.* 2. *obſ.* 23.

§. 46. Pertinent huc ex luna parata, remedia cæteris paribus non contemnenda. Magnam certe ſpem à lunæ tinctura hoc in caſu ſibi promittit *Agricola in Popp. tr. de argent. pag.* 155. eo quod Aſciticorum aquam vix ſenſibiliter cum euphoria tamen educat. Fortius vero operantur ejusdem cryſtalli ad mentem *Angeli Salæ*

vel *Illuſtris* olim *Boyle in uſu Philoſoph. experiment.* cum ſpiritu vitrioli paratæ, atque ideo cum judicio exhibendæ.

§. 47. Eidem ſcopo inſerviunt mercurialia decantata hydropis remedia; ut taceam præparatum illud ex mercurio dulci ac vitæ præeunte *Hartmanno in Prax. Chymiatr. pag. 25. edit. Cardiluc.* magnæ efficaciæ; ſaltem mercurium dulcem ſingulare quid præſtitiſſe in duobus aſciticis refert *Foreſtus lib. 4. Obſ. 32. & Spontonus diſcurſ. de pulv. viperin. pag.* 198. Caute tamen ac non niſi probe ponderatis circumſtantiis, mercurialibus utendum eſt; ubi enim viſcera jamjam corrupta ſunt, mortem facile accelerant.

§. 48. Mitiora longe ſunt rhabarbarum ac mechoacanna nihilo tamen deteriora in iis præſertim ſubiectis, quorum vires ex morbo labefactatæ, draſtica minime ferunt. Etenim obſervatum eſt à non paucis rhabarbari uſum reiteratum, nullo alio interveniente, præſentaneum hydropicis fuiſſe remedium, quemadmodum ex *Adolpho Occone lib. 2. conſ. & Epiſt. p.* 269. *& Riverio obſ. comm. obſ.* 15. conſtat. Simile quid de mechoacanna refert *Tidicæus ex obſervationibus à Scholtzio communicatis.* Quæ recenſita ſi opportuno tempore exhibeantur omne curationis punctum ſæpiſſime abſolvunt.

§. 49. Reſtant inter evacuantia pharmaceutica diaphoretica ac diuretica, quæ ideo combinare volui, quoniam inter ſe quoad operandi modum maximam partem conveniunt. Sunt vero ex his per experientiam probatæ aquæ deſtillatæ flor. ſambuc. galegæ, card. bened. aquilegiæ &c. vel decoct. ligni ſancti juxta *Valeriolam lib. 2. obſ. 5.* aut ſaſſafras juxta *Act. Med. Haffn. vol. 1. pag.* 146. aut etiam ſcorzoneræ radix ſub ſimili forma exhibita ad mentem *Simon. Pauli Quadripart. Botan. part. 3. pag.* 480.

§. 50. Quodſi illa non ſufficiant in auxilium vocanda erunt vel fixiora & antimonialia v. g. ebur, unicornu verum, C. C. integr. ac uſt. antimonium diaphoret. ſimplex & Martiale, Antihecticum Poterii, Bezoardica omnis generis, minerale, ſoviale, lunare,

nare, ſolare &c. vel volatilia, uti ſunt ſpiritus C. C. eboris, fuliginis, ſal. ammoniaci, urinæ, viperarum, millepedum, verbo ſingula quæ ſanguinis maſſam ad profuſionem usque ſudoris exagitare valent.

§. 51. Diuretica longe plura ſunt, atque ideo & frequentius hoc in paſſu in uſum trahuntur. Ex his valdopere ſeſe commendant vegetabilia & primo quidem rad. pimpinellæ quæ *Turnheiſero hiſt.* der influentiſchen Wirckungen *lib. 1. cap.* 12. toto vitæ tempore ab hydrope præſervare dicitur. Idem præſtat rad. vincetoxici juxta *Craton. conſ. med. conſ.* 337. *pag.* 991. *M. N. C. Ann.* 1. *obſ.* 42. & *Wierum obſ. med. rar. p.* 72. ac radix petroſelini ex obſervatione *Riverii obſ. communicat. obſ.* 5. His addi poſſunt rad. quinque aperientes majores ac minores, rad. glycyrhizæ, altheæ, chinæ, bardanæ &c.

§ 52. E floribus laudantur flores chamomillæ ac geniſtæ, quos *Cardanus in Conſil. pro difficult. ſpirandi pag.* 566. non ſine ſucceſſu exhibitos refert. Quibus vero foetida magis arrident, illi voluptatem ac emolumentum ex allii uſu continuato capere poſſunt, ſiquidem non una obſervatione conſtat idem inſigniter abdomen per vias urinarias depleviſſe, prout hoc *Wierus obſ. lib. Bartholinus cent.* 1. *hiſt.* 74. & *Foreſt. lib.* 19. *obſ.* 27. confirmant.

§. 53. Alcalia tamen palmam his præripere, non eſt ut prolixius probem, etenim experientia quotidiana id loquitur, adeo ut *J. C. Claudinus de ingreſſu ad infirmos lib.* 2. *cap.* 15. *pag.* 255. ſale fixo geniſtæ nil præſtantius reperiri aſſerat, quale quid de reliquis diureticis alcaliſatis pariter intelligendum. Ita enim egregias exerit vires ſal abſynth. juxta *Borell. cent.* 3. *obſ.* 33. ononidis, dipſaci, ciner. clavellat. ſal tartari cum tinctura ejus, ſal juniperi, cuius oleum mirum in modum extollit *Wallæus Med. Pract. lib.* 2. *cap.* 17.

§. 54. Inter mineralia eminet præ cæteris nitrum, magnarum quippe virium in movenda urina, adeo ut nitrum fixatum

Claud. Deodatus Panth. Hygiaſt. lib. 3. cap. 35. ad ſtuporem usque hydropiſi mederi, lapidem vero prunellae cum euphoria aquam aſciticorum extra corporis pomeria eliminaſſe *Riverius obſ. com. obſ. 2.* teſtetur. Non inferioris notæ ſunt exinde parata v. g. arcanum duplicatum, nitrum antimoniatum &c. Et quid dicam de ſpiritu aperitivo Penoti, cuius facultates nunquam ſatis laudandæ omnibus conſtant, & quid denique de acidulis, quarum energiam præ cæteris *Geringius de fontibus acidulis cap. 7.* hoc in affectu tradidit.

§. 55. Quæ tandem ex regno animali deſumuntur diuretica ſunt potiſſimum bufones exſiccati juxta *Wierum de præſtigiis dæmonum lib. 3. cap. 35. Solenandrum ſect. 5. Conſ. 15. Hildanum Inſtit. Chirurg. epiſt. 69. ac. Camerarium ſyllog. memorab. cent. 7. part. 8.* Lumbrici terreſtr. ex commendatione *Hoefleri Herc. Med. lib. 3. pag.* 146. decoctum canc. fluviatil. ad mentem *Hoffmanni M. M. lib. 1. cap. 19. pag.* 339. urina pueri *à Valeriola lib. 1. obſ. 2. & M. N. C. Ann. 2. pag.* 320. aut lac ebutyratum, à cujus potu largiore aſciticus quidam, referente *Franciſco Tidicæo* penitus convaluit. Adde his aſſellos præparatos, lap. cancror. teſt. ovor. cocchinil. &c.

§. 56. Atque hæc medicamenta interdum plenariam ægris ſalutem præſtant, nonnunquam vero in caſſum propinantur. Quæritur ergo quid tum agendum? Profecto alia ineunda erit via, magisque generoſa imploranda, ſcilicet præſidia ex fonte Chirurgico petenda. Ubi ab initio tentandum an mitioribus malum cedat, ſcarificatione puta juxta præceptum *Galeni lib. 9. de compoſit. Med. per loca & Celſi lib. 3. cap. 21.* quippe qua multos in integrum reſtituit *C. à Vega art. Med. lib. 3 ſect. 8. cap. 13.* Secundo ſetaceis juxta *Reuſner. obſ. 88.* vel fonticulis præeunte *Weikardo cap. 12.* denique cauteriis in pede applicatis ad mentem *Hoffmanni lib. 2. conſ. 30.*

§. 57. Quod ſi vero & illa non ſufficiant ad paracenteſin tanquam ſacram anchoram confugere miſeros oportet. Quo tempore

pore autem & quo in loco quibuſve inſtrumentis ac encheireſibus illa perficienda ſit, mei jam inſtituti haud eſt prolixius exponere, ſiquidem ſingula requiſita, ad hanc operationem neceſſaria, ex Chirurgia ſuppono, plura tamen qui cupit, adeat Scriptores Chirurgicos in ſpecie *Alex. Bened. lib.* 15 *cap.* 40. & *Johann. van Horne, microtechn. pag.* 68. 130. 142. & *ſeq.* Cavendum vero ſedulo ne ſimul ſerum educatur omne, alioquin in vitæ periculum conjiciuntur ægri, prout exempla varia *Ant. Muſa Braſſavola Comment. ad lib.* 6. *aph.* 27. *Hippocrat. Paſchalius lib.* 1. *cap.* 44. *meth. curand. morb. ac Timæus Obſ. pag.* 31. annotarunt.

§. 58. Cum autem totius curæ cardo non ſolum in aquæ extravaſatæ remotione, ſed viſcerum quoque corruptorum ſimiliumque correctione verſetur; hinc paucis expediam quæ circa alterantia monenda reſtant. Scilicet dictum eſt in antecedentibus cauſas occaſionales non unius eſſe generis, ſed modo à ſanguinis vitiata craſi, modo partibus ſolidis læſis, modo etiam à ſpiritibus deducendas eſſe, quapropter & medicamenta ita dirigenda erunt, ut ſingulis proſpiciant.

§. 59. Si ergo ſanguinis vitium vel quantitate vel qualitate in culpa ſit, ejus quantitas e. g. poſt ſuppreſſionem menſium unica eaque larga Venæſectione: qualitas vero pro indicatione diverſa appropriatis corrigi poteſt. Ponamus enim ventriculum maſſamque ſanguineam humoribus manifeſte acidis repletam eſſe, tum profecto vix alia quam abſorbentia & præcipitantia locum habebunt. Huic ſcopo lap. nephriticus & Judaicus, corallia, mater perlar. & ſuperius laudata fixiora atque alcalia inſerviunt item Martialia probatiſſima alias ad deſtruendum acidum & hoc in morbo remedia de quibus prolixius *Act. Med. Haffn. vol.* 5. *obſ.* 119. *b. Etmull. l. a. ac Rhumelius Baſil. Chym. p. m.* 12. videri poſſunt.

§. 60. Seroſitatem nimiam ex cohibita tranſpiratione aut imminuta urinæ ſecretione tollunt ea, quæ cauſam ſuppreſſionis harum excretionum removent, de quibus ſuperius, ubi de diapho-

reticis ac diureticis actum. E contra viſciditatem reſolvunt ſic dicta reſolventia, pariter jam tradita.

§. 61. Ubi vero à conſuetis excretionibus interceptis hydrops naſcitur, danda erit opera, ut motus hic naturæ ſolennis per convenientia medicamenta promoveatur v. g. menſium & lochiorum ſuppreſſio per emmenagoga, hæmorrhoidum vero per ſpecifica.

§. 62. Tympanitis cura abſolvitur carminativis v. g. rad. galang. zedoar. fol. menth. thymi, flor. chamomill. ſumm it. aneth. bacc. laur. ac juniper. cort. item citri atque aurantior. &c. varia ſub forma exhibendis, non neglectis tamen iis quæ cauſas illius tollunt.

§. 63. Viſcerum obſtructiones, v. gr. ſcirrhus hepatis, lienis, glandularum meſenterii &c. deoppilantibus ſeu aperientibus reſerandæ ſunt, v. gr. chelidonio majore card. bened. marrub. alb. fumar. ſcolopendrio, de cujus efficacia ſingulari vid. *Borell. Cent. 2. Obſ. 53.* rad. cichor. aperientibus item majoribus ac minoribus, abſinthio juxta *Ettmull. l. a.* & *Febrium libro ſing. de abſinth. pag. 116.* addi his poſſunt modice laxantia v. g. rhabarbarum & folia ſennæ ut & tartarea, cremor tartari ac cryſtalli tartari, ſpir. tartari ad mentem *Agricol. in Popp. de tartar. pag. 624.* tinctura item ejus nec non terra foliata tartari ac tinctura Martis tartariſata Ludovici.

§. 64. Exulcerationes v. eorundem ſicuti & lymphaticorum rupturæ ſui mundificationem ac conſolidationem poſtulant, quod utrumque per vulneraria abſtergentia ac balſamica commode obtineri poteſt. Eminet præ cæteris ex obſervatione *Borelli l. a. pag. 46.* terebinthina juxta *Lud. Mercatum tom. 3. lib. de int. morb. curat. cap. 6.* ſuccus denique plantaginis *Varignana tr. 12. cap. 4.* quæ tanquam efficaciſſima uſuque probatiſſima ab his laudantur Autoribus. Ejusdem commatis erunt rad. ariſtoloch. rotund. conſolid. major. ulmar. biſtort. herb. agrimon. alchimillæ cherefol. flor. hyperic. balſamus ſulphuris terebinthin. aniſat. balſamus Peruvianus & Copayba.

§. 65.

§. 65. Spirituum defectum reſarciunt analeptica quæcunque v. g. ſpir. roſarum, rubi idei, pomorum dulcium, aqua magnanimitatis, & reliquæ confortantes, vinum generoſum &c. externe proderit in tumoribus pedum œdematoſis ſpiritus vini cum linteo triplicato aut quadruplicato pedibus applicatus mirum enim in modum fibras, ob ſpirituum defectum antea flaccidas, ad tonum reducit priſtinum, diſcuſſo ſcilicet ſero, inibi ſtagnante.

§. 66. Externe tandem proſunt oleum ſcorpionum abdomini illitum ad mentem *Williſii pharm. rat. part.* 2. *pag.* 129. aut cum lapide bufonio ſæpius adornata frictio ſuper idem juxta *Lemnium* vel bufo diviſus regioni lumborum ubi renum ſitus eſt applicatus juxta *Varignanam tr.* 12. *cap.* 4. *in addit.* Huc faciunt in hydrocephalo epithemata ex ſalvia ad mentem *Fabri univerſ. ſapient. lib.* 3. *cap.* 8. vel fotus ex aqua calcis vivæ, ſcabioſæ cum ſpiritu vini juxta *Aquapend. de operat. Chir. pag.* 176. vel denique ſulphur tritum *à Mercurial. lib.* 1. *Med. cap.* 3. laudatum. Gangrænæ vero nec non ulceribus pedis proſpiciunt topica ſelecta, quæ vide *in M. N. C. Ann.* 6. *append. pag.* 110.

§. 67. De cætero debitum ſex rerum non naturalium regimen probe obſervetur: diæta imprimis talis ſit, quæ cauſas remotiores nullatenus foveat, potum nimium cane pejus & angue fugiant, à cujus quippe abſtinentia ſola ruſticum hydrope curatum eſſe *Claudius Deodatus obſ. Med. pag.* 146. refert, quod & de reliquis pariter intelligendum. Atque hæc de hydrope dicta ſufficiant. DEO iuterim T. O. M. devotiſſimas pro conceſſis viribus perſolvo gratias, eique ulterius ſtudia mea commendo. A Te vero Lector Candide benevolam expecto cenſuram.

DISPU-

DISPUTATIO XXXII.
DE
ISCHURIA.

J. D.

NOn unum eſt, quod circa mictionem notare licet vitium. Quosdam vexat Ardor Urinæ, ut ſummos inter mejendum perſentiſcant dolores: alios ſtranguria, qui urgente continuo urina guttatim hanc reddunt atque acrem ita, ut ferme urethram erodat. Alii ſanguinem ſimul & pus cum lotio excernunt in mictione cruenta. Nonnulli pene diffluunt Diabete, atque crebrius copioſiusque urinam reddunt, ut plus urinare, quam potare videantur. Aliis Diamnes ſ. urinæ incontinentia ſumme moleſta eſt, qui eam citra dolorem quidem emittunt, at ſæpius quoque citra ſenſum, ut non modo inter dormiendum, ſed & inter vigilandum vix animadvertant egreſſum lotii. Denique urina ſupprimitur, quibusdam ex parte tantum, quando non libere, ſed parcius reddi poteſt, in Dyſuria nonnullis dicta: aliis ex toto ſupprimitur, ut nec guttula excerni queat, quem affectum vocamus Iſchuriam. Atque hanc ipſam in præſenti Diſſertatione tractare, nobis propoſitum eſt. Deus T. O. M. benedicat laboribus noſtris ex alto!

§. 1. Qui-

§. 1.

EQvidem me non latet, multos cum Ætio *Tetr.* 3. *ſerm.* 3. *cap.* 21. Iſchuriam habere pro affectu veſicæ proprio, quandocunque ſcilicet urinam hæc ipſa colligit nec reddit: quo ſenſu Gorræus *in Def. Med. p.* 199. aperte docet, iſchuriam proprie dici urinæ in veſica retentionem, aſt à vulgo Medicorum ejus ſignificationem ampliari, ut illam quoque urinæ ſuppreſſionem comprehendat, quæ vitio renum contingit, vacua omnino veſica.

§. 2. Nec ignoro hinc ortam diviſionem in Iſchuriam veram, ſive legitimam & notham ſ. ſpuriam; quæ diſtinctio paſſim occurrit apud Trincavellium, Foreſtum, Sennertum, Riverium, Cardiluc. *in Hartm.* aliosque. Intelligunt autem per Iſchuriam veram, urinæ ſuppreſſionem, quæ fit veſica plena; per notham, quæ fit veſica vacua.

§. 3. Nihilominus placitum eſt nobis, ſub titulo Iſchuriæ, omnem in genere urinæ ſuppreſſionem complecti, ſpreta pariter iniqua Gorræi cenſura, & qua vulgo utuntur Iſchuriæ diviſione jam recenſita.

§. 4. Etenim nec vocis origo repugnat, nec uſus vocabulorum tyrannus. Componitur nimirum ἰσχυρία, ex ἴσχω contineo & οὖρον, Urina, adeoque idem ſonat, quod urinæ retentio. Hinc etiam non pauci recentiores cum Hœchſtettero, *p.* 661. omnem in genere lotii ſuppreſſionem, iſchuriam vocant, ſiquidem & ipſe Galenus, *lib.* 1. *de part. aff. Cogn. cap.* 1. expreſſe aſſerit, iſchuriam non tantum vitio veſicæ, ſed & renum atque ureterum naſci, & *lib.* 3. *Sympt. Cauſ. cap.* 2. addit, ob defectum vocabulorum, ei quoque urinæ retentioni, quæ fit veſica vacua nomen iſchuriæ omnino concedendum eſſe.

§. 5. Quamobrem vero iſchuriæ diviſionem rejiciam, hæc eſt ratio: videlicet fundamentum ejus nullius valoris exiſtit, ſive id à diverſitate partis affectæ, ſ. cauſæ morbificæ petant, utrinque tamen defectus apparet inſignis. Sit ita, iſchuriam vitio veſicæ na-

tam dici legitimam, hinc si differentiam partium affectarum tradere velis, non satis est opponere ischuriam, quæ vitio renum atque ureterum accidit, quorsum enim referenda est ischuria vitio sanguinis oriunda, in qua renes pariter & vesica, ac caeterae partes urinariae illaesae sunt.

§. 6. Deinde nec satis est alias numerasse causas ischuriæ veræ, alias nothæ, quid si enim causa communis renes simul & vesicam corripiat, e. g. fieri potest, ut sanguis congrumatus, calculi vel similia, partim quidem ad vesicam deveniant, partim vero in renibus remorentur, atque sic non tantum supprimant urinam in vesica jamjam collectam, sed & ulteriorem per renes transcolationem impediant. Hæc sane ischuriæ species, nec absolute vera est, nec spuria, sed potius mixta; ac proinde longe convenientius videtur, communi nomine ischuriæ quamcunq; urinæ suppressionem salutare.

§. 7. Sed ad rem. Urina nil aliud est, quam serum per renes è Massa Sanguinea separatum. Dum enim sanguis per arterias emulgentes renibus infunditur, fieri non potest, quin pars aquosior transeat per renum substantiam, ex innumeris tubulis confectam, tanquam per filtrum, reliqua sanguinis parte magis oleosa pinguique interim refluente per venas renales ad cavam; Serum autem isto modo sequestratum, per ureterum canales depluit continuo in vesicam, ibidemque colligitur, donec contractis vesicæ fibris, per urethram excernere lotium placet.

§. 8. Quis igitur non videt, modis innumeris, naturam in hoc negotio impediri posse, quo minus urinæ secretio ex voto contingat, scilicet vel vitio sanguinis, s. materiæ secernendæ, vel vitio organi secernentis, s. renum male affectorum, vel vitio viarum s. ureterum, vel vitio vesicæ, vel etiam urethræ.

§. 9. Sic Platerus *lib.* 3. *Obs. pag. m.* 564. refert glandem penis à præputio ita fuisse occlusam in recens nato infante, ut ne guttam quidem lotii reddere potuerit. Similes historias vide in Boneti sepulchreto, p. 1237. Nec dubium est simili urinæ suppressio-

ne

ne urgeri fœmellas, quas atretas vocant, ſi vel à nativitate, vel alio errore vulva occludatur in totum.

§. 10. Idem malum contingit aliis in calculo urethræ impacto, viamque lotii tranſituri intercipiente, quorum exempla vide, in Zacut. Luſit. *Pr. adm. lib.* 2. *Obſ.* 75. 76. & 77.; aliis à caruncu-lis urethræ cavitatem occupantibus, cujus hiſtoriam refert Riverius, *Obſ. Cent. I.* 81.

§. 11. Veſicae autem culpa iſchuria naſcitur, quando vel cervix ejus obturatur à calculo, quod Bartholinus. *Cent.* 2. *Ep.* 86. annotavit, aut ſanguine congrumato, vid. Galenus. *l.* 6. *c.* 4. *de loc. aff.*, aut quando inflammatur, juxta obſervationem Laelii à Fonte *in Conſult.* 108. aut ſaltem fortius comprimitur, e. g. à fecibus nimium induratis, quod Schenckius teſtatur de Iſchuria *l.* 3. *Obſ.* 8. *pag.* 485. vel quandocunque Veſica ſe contrahere atque lotium expellere nequit. Ita enim Pareus *Op. Lib.* 16. *c.* 48. narrat urinam totaliter ſuppreſſam in Juvene, qui diutius eam ex verecundia retinuerat.

§. 12. Ureterum vitio accidit Iſchuria, ubi vel calculo obſeſſi aut reſiccati fuerint, quod utrumque obſervavit Vidus Vidius, *l.* 10. *cap.* 17. *de Curat. Memb.* vel etiam ſi quando ſanguis congrumatus, materia fabuloſa & viſcida, atque ſimilia ureteres occupaverint, annotante Zacuto Luſitano. *P. H. Lib.* 2. *c.* 15. *Obſ.* 5. *p.* 442.

§. 13. Denique renibus male affectis lotium ſupprimitur; ſcilicet nunc ob eorum inflammationem, uti teſtatur Lotichius *Obſ. lib.* 4. *fol.* 376. nunc propter obſtructionem vel à calculo, quod frequentiſſimum eſt, aut muco viſcidiore, quod ante biennium obſervavimus. Nimirum aſſumſerat pro jentaculo Vir quidam, de cœtero ſanus caſeum, quem vocamus Hollandicum, ad ſatietatem, cereviſiam tenuem ac Diureticam (Reuterling) ſuperbibendo: elapſis aliquot horis, urina citra ullum Veſicae renumve dolorem ſupprimitur, ut ne guttam quidem excernere ad tertium usque diem potuerit. Tunc vero noſtrum petens conſilium Spi-

ritum accepit è millepedibus ac teſtis ovorum urinoſum, quo ſumto mucoſa craſſaque prodiit urina, atque ſic liberatus eſt ab Iſchuria.

§. 14. Curioſum autem eſt, illaeſis omnino partibus urinae dicatis, nihilominus iſchuriam quibusdam contingere. Memoratu digna eſt prima Salmuthi obſervatio, habita circa ſectionem pueri, poſt omnimodam urinae ſuppreſſionem demortui. Etenim aperto hujus abdomine, mirum erat totam ejus cavitatem aqua fuiſſe repletam, at circa renes, ureteres atque veſicam nullum apparuiſſe vitium. Cauſam tamen rei ulterior viſcerum inquiſitio detexit, ſiquidem inſigne circa ſtomachi pylorum occurebat foramen, è quo exſtillans potus, nec ad inteſtina quidem, multo minus ad renes atque veſicam pertingebat.

§. 15. Quid vero dicam de obſervationibus Lovveri atque Williſii, quas hic ipſi *in Pharm. Rat. p.* 103. recenſet. Sane, dum omnia in corpore ſalva, ſine ullo impedimento lotii repererunt, quid judicare licuit aliud, quam vitium magis in ſanguine, quam organo latitaſſe, cauſamque iſchuriae dediſſe lethali. Eſt enim ſatis probabile, ob defectum ſeri, deficere urinam, & quem ſanguinis maſſa nimis compacta intime permixtum habet, laticem aquoſum è ſinu ſuo aegre dimittere.

§. 16. Neſcio tamen, an haec Williſii aetiologia locum inveniat apud Riverium. Videlicet ſi quis caſus in hujus *Cent. I. Obſ. I.* & 89. annotatos penitius intuetur, is certe nec omnino excuſare ſanguinis vitium poteſt, cum juxta *Obſ.* 89. urina ſubnigra reddita fuerit poſt ſolutam iſchuriam, nec ſeri defectum accuſare aut ſanguinis compagem nimis ſtrictam quandoquidem aegrorum uterque multum potavit ante ſuppreſſionem urinae, ac deinde quoque plures urinae libras excrevit, curata per venae ſectionem iſchuria. Riverium itaque parum emendavit Williſius nec enim abſurdum erat in corporibus plethoricis inſtituiſſe plebotomiam, aſt quomodo hujus beneficio compages maſſae ſanguineae firmior reſolvatur nondum liquet.

§. 17.

§. 17. Cogitandum proinde nobis erit de alia illius iſchuriæ cauſa, quam fortaſſis ita concipio. Notum eſt alias læſo rene uno alterum inſimul in conſenſum rapi, ſic, ut e. g. ren ſiniſter tantum à calculo occupatus urinæ fluxum ex toto impediat, quantumvis dexter ſit integer ac ſalvus, videatur Verzaſcha *Cent.* 1. *Obſ.* 2. Atqui conſenſus iſte procul dubio propter nervorum renalium communicationem & complicationem oritur, quemadmodum ſtomachus atque teſticuli utplurimum à calculo renali per conſenſum male habent, ita multo major eſt renum ſympathia. Quod ſi vero nervorum vitio iſchuria naſci ſolet in uno latere, quando alterius lateris ren ex calculo dolens renem ſocium convellit, quid obſtat alia de cauſa utrumque ſimul renem ſpaſmo corripi, & hoc pacto canales urinæ ſecretioni dicatos corrugari atque occludi.

§. 18. Hujus rei teſtimonium inſigne nobis nuperrime dedit ex caſu ab alto decumbens. Cum enim hic ipſe ob dolorem lumborum lateris ſiniſtri variis cruciaretur motibus convulſivis, redeunte per vices aſthmate ſicco, ſingultu vehementiſſimo, inani vomendi conatu, tremore artuum atque epilepſia nunc ſaltem caput, vel brachium pedemve, nunc totum corpus horrendum in modum torquente; tum vero alvus inſimul & urina ſupprimebatur, usque donec anodynis & antiſpasmodicis largiter inuncta renum ac veſicae regio, clyſterque ejusdem virtutis applicatum eſſet. Credidiſſes iſchuriam hanc à ſanguine congrumato, renes forte obſtruente fuiſſe ortam, at eventus aliud monſtravit, ſiquidem non modo prima, quae tunc prodiit urina, omnino clara fuit, ſatisque copioſa, ſed & poſtmodum, quae per totum morbi decurſum colligebatur, ne veſtigium quidem cruoris dedit, quanquam inter ſcreandum plurimam quantitatem ſanguinis, partim floridi, partim nigricantis & quaſi deſiccati per plures dies rejiceret aeger & hoc pacto convaleſceret favente Numine.

§. 19. Proinde, ſi quis in Iſchuriae cura, felicem optat eventum, neceſſum eſt ante omnia, ut partem affectam, cauſamque

morbificam probe noscat: Non satis est Empiricorum more ad urinae suppressionem dedisse diuretica omnis generis. Utut enim nonnunquam aeger quidam servetur, exhibito forte cum innumeris ineptis unico appropriato; reliquos tamen omnes, hac ratione mortuos culpa medentis, i. e. negligentia ac imperitia ejus interiisse, palam est. Equidem homines sumus, quibus non semper licet ad intimiora naturae ac morborum penetrare, aut stupiditatem suam, plus quam asininam occultare sub artis Medicae pallio, hujusque imperfectionem praetendere velle, non sufficit undique. Ecquis non videt, vesica vacua frustra inungi abdomen, incepte in urethram adigi candelam ceream vel catheterem, & ab affixa cucurbita, si calculus in uretere haereat, plus damni, quam emolumenti aegros sentire, uti & à fortioribus diureticis, si quando calculus major aut saltem asperior viarum angustias obturet.

§. 20. In gratiam igitur tyronum, breviter, attamen clare, lubet exponere, quomodo non tantum ischuriae causa cognosci, sed & ipsum malum per convenientia remedia tolli queat. Videlicet affectus ipse cognitu non est difficilis, aut ut cura cum judicio atque fructu instituatur, attendendum est ad quasvis circumstantias, tam antecedentes, quam consequentes.

§. 21. Ex antecedentibus occasio morbi addisci potest, quandocunque intelligimus aegrum, vel antehac laborasse calculo, vel ab alto cecidisse, vel insignem in victu errorem commisisse, vel diutius retinuisse urinam, atque sic porro: Ad haec multum refert nosse, utrum subito suppressa sit urina, an vero paulatim defecerit; item qualia fuerint ultimo excreta, numquid forte sanguinis grumosi, vel materiae mucosae, vel fabulosae una prodierit.

§. 22. His praecognitis ad statum aegri praesentem animadvertendum & imprimis considerandum est, num doleat, an non, qua in parte, & quomodo dolorem percipiat, numve alia concurrant symptomata, aestus, vomitus, stupor cruris, paralysis aliarum partium, vel spasmus, aut motus convulsivi &c. Cumque non

non raro in gravidis quoque urina supprimatur, ultimo gestationis tempore, quandocunque scilicet uteri moles cervicem vesicae versus os pubis comprimit, moneo in his omnibus circumspecte agendum esse ac prudenter, ne fortassis accusando calculum, aliamve ischuriae causam calumniandi occasionem praebeat Medicus.

§. 23. Ut paucis rem omnem expediam; Qui à nativitate urinam non emittunt, iis vel vulvam clausam, vel si pueri fuerint, glandem penis imperforatam esse, per inspectionem constat. Similiter & in oculos incurrit, si cui post vulnus inflictum vel ulcus coaluit foramen urethrae, aut saltem praecluſum est, à superinducto praeputio calloso, prout in phimosi ex Lue ꝙ ea quandoque accidit.

§. 24. Quod si vero dolor in urethra observetur, tunc si adsit inflammatio, dolor magis ardens atque pulsatorius, si calculus, dolor acutus, pungens & quasi lacerans aegrotum cruciat: alius est dolor minusque acerbus, quem ex caruncula urethram obstruente aegri persentiscunt; si quis tamen certior esse velit, is saltem tenuissimam candelam ceream oleo imbutam immittat in urethram, ubi enim obstaculum erit mollius, caruncula, ubi durius, calculum adesse, tuto colligere poterit; Verum urethrae inflammatio, sive cum calculo, vel caruncula concurrat, sive sola ischuriam pariat, praeter dolorem ardentem ac pulsantem, signa praebet satis manifesta, nam & rubor & durus tumor eam clare indicant, ut in illa cognoscenda nemo amplius haerere queat.

§. 25. Ubi autem nil horum observetur in aegro, ac nullibi via lotii è vesica impediatur, haec tamen turgeat, quod vel manu apposita deprehendi ex ejus duritie, vel etiam observari oculis, ex illius eminentia atque abdominis elevatione, potest, tunc vitium haerere in vesica ipsa extra dubium est. Atque sic ex aegri relatione intelligimus, si forte diutius quam par est retinuerit urinam, aut sanguinem congrumatum collegerit ex lapsu. Si vero spasmus vel motus convulsivi observentur aliis in partibus, tum simili

vitio

vitio veſicae ſphincterem corripi probabile eſt. Aſt calculus cervicem veſicae occupans optime cognoſcitur, ſi juxta §. antecedentem, per candelam ceream aut catheterem exploretur ac removeatur, lotiumque tunc ſabuloſum ac limoſum effluat.

§. 26. Aſt vacua veſica, dolor nunc deſcendit per abdomen verſus veſicam, quando in ureteribus calculus, vel humor viſcidus ac ſabuloſus hæret, tunc plerisque ſimul crus ſtupet ac in viris utplurimum dolet lateris affecti teſticulus: nunc vero dolor in lumbis reſidet, isque ſi renes inflammati fuerint, ardens ac pulſans, ut & in extima ſuperficie rubor conſpici, æſtusque admota manu ſatis percipi queat, imprimis in nephritide paulo vehementiori. Ubi vero calculus renes perrumpere conatur, tum juxta diverſitatem calculi majoris, vel minoris, aut aſperi vel lævis, dolor modo intenſiſſimus, acriter pungens & lacerans, modo remiſſior aut ſaltem gravativus eſt.

§. 27. Sed difficillimum tandem erit judicare de Iſchuria, quando nullus ullibi dolor in ægroto notatur, quod tamen rariſſime contingit. In tali igitur caſu omnino expedit juxta §. 21. accuratius examinaſſe ſingula antecedentia, imo & præſentia, imprimis humorum atque nervoſi generis ſtatum, unde ſanguinis viſciditas, renumque ſpaſmus percipi ſatis poteſt.

§. 28. Et nunc ipſam aggredi curam iſchuriæ nil vetat, poſtquam de cauſa ejus ac ſede certiores facti ſumus. Scilicet quibus urinæ via impedita eſt, propter membranam vel præputium urethram occludens, iis per decentem ſectionem facile medemur, & ubi opus eſt, cannulam plumbeam immittere licet, ne iterum vulnus coaleſcat.

§. 29. Si calculus in urinario meatu hæreat, non conſultum videtur, vel diuretica fortiora interius propinaſſe, vel intruſo ſtylo aut catheteræ lapidem commoviſſe, ſiquidem his modis & dolor exacerbatur, & propter dolorem fibræ ipſius urethræ ſatis ſenſatæ ſtringuntur arctius, calculumque magis firmiter amplectuntur

ac

ac detinent. Cum enim æqualis ſit urethræ amplitudo, non video quamobrem calculus in medio illius hæreat, nec pergat ulterius & excernatur, niſi quod in progreſſu offendens cum dolore ſpasmum excitet, atque ſic viam ſibi ipſe præcludat. Optimum igitur eſt, anodyna cum antiſpasmodicis adhibere, vel ſub forma liniménti, vel fotus, vel inſeſſus. Si ope forcipis, quam roſtrum gruinũ vocant, apprehendi, communi ac extrahi poſſit, liberatur in momento æger, uti bis in diverſis ſubjectis feliciſſime ſucceſſit, meo juſſu. Tandem, his nihil proficientibus, urethræ ſectio inſtituatur, cujus beneficio lapis eximi è cole non difficulter poteſt. Vide inter alios Tulpium *Obſ. Lib. 3. cap. 8. & Lib. 4. cap. 34.* Aſt nemini Autor ero, ut juxta Zac. Luſ. *P. M. A. L. 2. Obſervationem 67.* violenta manu ſibi opem ferre, id eſt percuſſione fortiori calculum virgæ impactum comminuere velit; vereor namque ne durior lapis plagam eludat, atque tum non ſperata ſalus, ſed atrociſſimus dolor ſequatur.

§. 30. Sed caruncula ſeu caro ſpongioſa in urinario meatu enata paulo aliter tractanda venit. Equidem Cardanus *in Comm. ad Hipp. aph. Lib. 7. 43.* teſtatur, beneficio catheteris perforatam carunculam, effuſoque ſanguine ſimul & pure, quendam fuiſſe reſtitutum; at quod uni feliciter, pluribus ſiniſtre poteſt evenire ob metuendam doloris ac inflammationis exacerbationem. Tutius eſt itaque juxta Amatum Luſit. *Cent. 4. Curat. 19.* per Medicamenta Salina paulatim erodi carunculam. Paravit autem ex viridi æris auripigmento, vitriolo & alumine, in Sole calcinatis, probeque cum aceto tritis, addito oleo roſaceo & lythargyrio emplaſtrum, quod extremitati tenuis candelæ cereæ affixum in canalem urinarium adegit, ibique per tres horas reliquit: ita enim renovato quotidie emplaſtro, caruncula intra ſex vel octo dies abſumitur, uti pluribus experimentis id confirmavit Borellus *Cent. 1. Obſ. 79.*

§. 31. Alia eſt ratio curandæ inflammationis, quæ urethram, vel cervicem veſicæ, vel etiam renes ipſos occupat. Externe qui-

dem remedia Saturnina, & quæ alias usitata sunt, contra inflammationes adhiberi possunt: Vena secetur, si corpus plethoricum fuerit, atque interne simul assumantur Nitrata, quippe quorum excellens est Virtus refrigerans pariter atque diuretica. Similis est succus cancri, cum aceto vel vino contusi, item emulsio sem. cucurbitæ, quam singulari experimento, contra ischuriam jam olim commendavit Ætius *Tetr. 3. serm. 3. cap. 21.* Quandoquidem vero inflammatio sæpe non adest sola, sed vel cum calculo, vel cum caruncula, aut etiam vulnere concurrit, igitur his in casibus non inflammatio tantum, sed & reliquæ circumstantiæ notari omnino debent.

§. 32. Porro si calculus cervicem vesicæ occupet, tunc ut lapis à meatu dimoveatur, vel æger concutiendus est resupinato corpore, quod in junioribus potissimum locum habet, præeunte Galeno, *Lib. 6. cap. 4. de loc. aff.* vel potius tenuissima candela cerea per urethram immitti potest, aut etiam catheter, quem, ubi paulo durior videbitur argenteus, ex balænarum setis vel corio parare docet Fr. d. le Boe Sylvius. *Op. p. 117.* At nunc iterum fluente urina non quiescendum, sed omnibus allaborandum est modis, ut calculus atteratur ac educatur quantocyus, ne vel in vesica ad majorem molem accrescat, vel sæpius urinam supprimat. Hunc ergo in finem jubet Sylvius l. c. decoctum graminis Spiritu nitri vel simplici, vel dulci parumper acuatum in vesicam injicere per Syringam; cum vero nec Autor ipse hanc Methodum in usum revocarit, malim istam inventionem seponi, siquidem ab injectione tali ardorem urinæ summum oriri, atque vesicam citius quam calculum erodi certum est. Cui tamen hic modus vesicæ calculum solvendi arridet, is & petroleum in quo lapis lyncis ebullierit, juxta Joh. Baverium *Conf. Med. p. 36.* & solutionem Ocul. Cancrorum in Spiritu Urinæ factam, qua, notante Sachsio *in Gammarol. p. 75.* Pansa feliciter usus est, loco decocti graminis acidulati recipere potest.

§. 33.

§. 33. Sanguis vero congrumatus, quacunque is de cauſa in veſicam devenerit, reſolvendus eſt iterum per inunctiones vel fotus ex abrotano, chelidon. Min. Majorana, ſem. aniſi, atque ſimilibus ſanguinem congrumatum reſolventibus. Præ ceteris ſtercus vaccinum recens, partibus obſcœnis inunctum, quo auxilio non unum ex grumo iſchuria correptum feliciter reſtituit, commendat Zacut. Luſ. *Pr. M. Adm. Lib.* 2. *Obſ.* 74. Et præterea ſi forte cruor grumoſus ureteres ſimul atque renes repleat, & urinam intercipiat, tum non modo externa, ſed & interna requiruntur auxilia; inſtar omnium eſſe poteſt decoctum rubiæ tinctorum, vel oc. 69. cum aceto mature propinati.

§. 34. Ubi ab induratis alvi excrementis urina ſupprimitur, clysmata ex emollientibus parata, conducunt, nec non balnea ad imitationem Dodonæi *Obſ. Med. Cap.* 47. quandocunque ſcilicet feces duræ, inteſtinum rectum occupantes, ne quidem canaliculum clyſteris admittunt; quem in finem parietaria, violaria, malva, cum chærefolio, petroſelino atque ſimilibus non inepte recipiuntur.

§. 35. Prægnantibus autem, ſi ab uteri mole cervix veſicæ comprimatur, non neceſſe eſt plura præſcribi, cum in iis urinæ ſuppreſſio facile tollatur, quando in lectum ſe recipientes, vel cruribus cum abdomine pauliſper elevatis, vel devoluto in quoddam latus corpore pondus veſicæ incumbens aliquandiu declinent.

§. 36. Si propter urinam diutius cohibitam fibræ veſicæ nimia extenſione enervatæ fuerint, conſultum eſt, manu impoſita abdomini, lotium exprimere, quemadmodum in ſeipſo expertus id laudat Foreſtus, *Lib.* 25. *Obſ.* 14. Adhæc cathetere immiſſo, viam aperire licet urinæ, qua ex parte ſaltem effuſa, vires veſicæ redeunt, ut amplius nullo ſit opus medicamento.

§. 37. Si ſpaſmus ſphincterem veſicæ, vel etiam renum tubulos arctius contrahendo, urinæ fluxum impediat, antiſpasmodica externe pariter ac interne præſcribantur. Huc enim pertinet

ruta, salvia, Origanum, thymus, hypericum, castoreum atque succinum, quibus jam olim veteres locum inter diuretica concesserunt.

§. 38. Habent eadem hæc antispasmodica adhuc multiplicem usum in ischuria, quæ contingit à calculo: Nam & in uretere, si detineatur, nil magis convenit, quam antispasmodica cum anodynis adhibuisse, uti ex inunctione olei scorpionum, petrolei, olei succini atque rutæ, cum oleo liliorum alborum, papaveris vel hyoscyami aliquoties expertus sum.

§. 39. Imo si vel maxime in ipsis renibus adhuc dum resideat calculus, sola hæc sufficere possunt. Nimirum vidi non semel, quanquam omnis generis diuretica per plures dies exhibita fuissent contra calculum renum, ne granulum tamen cum urina prodiisse; at dolore sedato, postquam per plures dies atque septimanas incesserunt, nil metuentes, excreverunt lapides satis magnos sine ulla molestia. Itaque neglectis omnino calculum frangentibus ac pellentibus, anodyna postmodum aliis propinavi unice, sive suppressa fuerit urina, seu libere mejerint, & profecto ubique, etiam infantibus convenientissima ac efficacissima deprehendi. Atque hoc sensu Crocus, opium cydoniatum atque similia, diureticis quoque annumerari merentur.

§. 40. Interim nec prorsus ea rejicio, quæ arenulas mucumque renum expellere valent; sicut enim in urinæ suppressione à calculo solum, si dolor urgeat, anodyna, mixta cum diureticis, si mediocris sit dolor: ita sola diuretica, si absque dolore supprimatur urina, præscribere sum solitus. Sunt autem hæc ipsa remedia, multum inter se diversa, alia quidem acida, ut succus limonum, Spiritus nitri, Salis, & qui omnes superat Spiritus Vitriol. Philos. vulgo dictus: alia sunt naturæ alcalinæ, inter fixa Sal Tartari, ononidis, juniperi, stipitum fabarum, è volatilibus liquor urinosus Oc. 69. testarum ovorum atque millepedum: alia sunt Salsa, e. g. Nitrum, Sal ammoniacum Tartarus vitriolatus. Huc referri potest

liquor

liquor nephriticus Michaelis, syrupus crystallorum, ex harum solutione in succo limonum addito saccharo paratus; alia sunt ex animalibus desumpta, partes duriores uti lapis manati, os aurium balenæ, Oc. 69. mandibul. Luc. pisc. testæ ovorum calcinatæ, quas omnibus aliis præfert Barbette in Praxi, *p. m.* 211. Hæc sunt potiora Diuretica, quibus contenti esse possumus, cui placet, addat lignum nephriticum, cochenilliam tinctorum, alkekengi, virgam auream, folia ribis nigræ, raphanum item allium atque animas halecum ex Platero, cerebrum picæ ex Riverio, medullam pennarum ex Crollio, motacillæ cineres atque sanguinem leporis ex Ferrario, sangv. hirci ex Scal. urinam hirci ex Grülingio, atque caballi stercus ex Foresto.

§. 41. Videlicet hæc omnia quidem in totali urinæ suppressione jamjam experta sunt, existimo tamen, salva auctorum authoritate paucis selectis, cetera seponi posse citra ægroti damnum.

COROLLARIUM.

Jucundissimum fuit spectaculum, quod in præparatione Tinctura tartari nuper observavimus, postquam collocata in arenam phiola ignem subjectum auximus, donec ebullitio accelerata fuerit: nempe in superficie salis tartari apparuerunt bullæ exacte rotundæ, quarum plures conglomerata uvas egregie repræsentarunt humi prostratas, succedentibus continuo bullis in altum quasi accrescentes, præsertim cum combinationem earum feliciorem commoto pauliſper vitro juvare placuit.

DISPU-

DISPUTATIO XXXIII.
DE
DIABETE.

VIx toleranda Veterum quorundam consuetudo fuit, servaturque hodienum à nonnullis Practicorum, ægrotos omnes, quos Venæ sectio, purgatio crebrius vehementiusque repetita, sudorifera similiter ac diuretica non juvarent, desperatos pronunciare ac incurabiles. Experti sunt idem fatum diabetici, dumque varie tentarentur hisce præsidiorum generibus, ac nihilominus laberentur in universi corporis tabem ac ariduram, tandemque morerentur, pro deploratis sunt habiti, adeo, ut & *Duretus in Holler. pag.* 447 simpliciter neget, veram diabetem unquam esse curatam. Auxit nempe curæ difficultatem ipsius affectus raritas. Cumque idem Medico, alias sat negotioso, vix una aut altera vice occurreret in praxi, aliorum autem observationes ac experimenta deficerent, factum sæpius inde est, ut obvia quævis ac incongrua præscriberentur, donec supremus ægro dies vitæ non minus quam curationis tædia finiisset. Hæc autem ut me terreant, tantum abest, ut potius eandem mihi Diabetem seligam tanquam non indignam dissertationis materiam. Tradam ergo, sed breviter, quid vero similius circa naturam, causas, curamque hujus morbi videatur. Faxit Divinum Numen, ut ex voto succedat.

Thes. I.

Thesis I.

Diabetes vox origine græca est, à διαβαίνω seu transeo, eo quod potus per urinam cito reddatur; retenta dein ac Latio donata est, quemadmodum plura alia morborum nomina, dysuria, diarrhœa, nephritis &c.

II. Sortita est interim & alias appellationes, tum à Græcis, quas collectas videbis in *Galeni l. VI. loc. Aff. sect. 3.* tum à Latinis sequioris cumprimis ævi, qui eandem Urinæ profluvium sive hydropem matulæ, diarrhœam in urina seu nephriticam, it. urinæ profluvium vocant. *Conf. Forestus lib. 24. Obs. 4. in schol. p. m. 444.*

III. Sed missa ὀνοματολογίᾳ, realem Diabetis tractationem ordior. Nullatenus autem in examinandis aliorum definitionibus multum immorari placet; saltim, qua ratione hanc arbitrer definiendam, paucis explicatum dabo.

IV. Diabetes est mictio crebra & copiosa, ex defectu particularum, quas Sulphureas nonnulli vocant, & inde nimia sanguinis fluiditate orta; quam comitatur sitis, siccitas oris, ac vehemens æstus, tandemque totius corporis contabescentia.

V. Generis locum occupat mictio. Atque in hoc convenit cum stranguria & dysuria seu mictionibus dolorosis, & diamne sive mictione involuntaria, à barbaris sic dicta, referente *Job. Angl. in Ros. Angl. p. 516.*

VI. Reliqua definitionis verba constituunt differentiam; quæ partim desumta est à tempore, partim à quantitate excreti, partim à causa, partim à materia, partim ab adjunctis symptomatibus.

VII. Ut ergo quis diabeticus nominetur, necesse est, dicta hæc requisita concurrant. Etenim non sufficit quenquam crebrius aut copiosus mingere (idem namque & potatorum mos est) nisi & æstum ac sitim cæteraque patiatur symptomata, quæ uno intuitu depre-

deprehendes recenſita ab *Hor. Augenio Epiſt. & Conſult. Med. Lib. 3. p. m. 425. 10.*

IIX. Notavit ſane *Henr. Snetius* non ſemel ſe poſt parcum potum largius ac copioſius minxiſſe (videſis ejusdem *Miſcellanea Medica p.* 586.) Hunc autem urinæ fluxum potius criticum quam ſymptomaticum dicerem eo, quandoquidem cum euphoria & præter jacturas virium contigit. Quare nec hæc paſſio pro diabete venditanda eſt.

IX. Porro dum diabeticorum crebriorem dico mictionem, nolo hanc cum continua atque involuntaria confundi. Vana proinde ac moleſta ægro erit *Gvalt. Bruele* curioſitas, qui *in Praxi Med. Th. & Emp. p. m.* 162. *b.* ne fœtor lecti aut braccarum oriatur, coli adaptari veſicam ſuillam, ante oleo emollitam, jubet, ut hac arte, quicquid elabitur urinæ, excipiatur.

X. Quamvis enim non deſit renibus, quod continuo trajiciant & veſicæ reddant, hæc tamen incontinentiæ crimine ideo non ſtatim accuſanda venit. Teſtantur potius contrarium obſervata Medicorum; retinuiſſe ſcilet plus juſto quosdam urinam, licet id non impune tulerint, ac exinde teſtium, lumborumque tumorem paſſi ſint. *Vid. idem Bruele p.* 160. *b. Aretæus lib.* 2. *cap.* 2. *& alii.*

XI. Copiam urinæ quod concernit, moneo, eandem non in omnibus eſſe parem. Refert *Paſchaſius lib.* 1. *de cur. morb. cap. L. p.* 155. puellam Mediolanenſem per ſingulos ſexaginta dies ſexdecim matulas urinæ mictu impleviſſe, cum biberet circiter tres ampullas. *Hollerius in ſchol. p.* 444. memorat urinæ quendam ſex quotidie pintas Lutetianas excreviſſe. Conferatur *Dodonæus in Obſ. cap.* 42. *p.* 74. atque *Schenkius obſ. lib.* 3. *p.* 301. Satis eſt, ſi modo plus mejant, quam potent, aut liquidorum aſſumant.

XII. Quantitatem hanc urinæ dum metimur, ſiſtit ſe ſimul ejusdem qualitas. Atque ſic quisquam non immerito quæſitaret, qualenam iſtud ſit, quod diabetico fluxu excernatur, ſive qualem ſaporem coloremve habeat.

XIII.

XIII. Circa ſaporem ſolus, quod ſciam, *Williſius in Pharm. ration. p.* 105, notavit, eundem in diabeticorum urina quaſi ſaccharatum aut mellitum, adeoque dulcem deprehendi.

XIV. Variant autem in determinando urinæ colore Practici. Quidam eandem tenuem aſſerunt, aquoſam, crudam & ſine ſedimento; Videatur *Sennertus Pr. lib.* 3 *p.* 6. *Sect.* 2. *cap.* 2. Econtra negat *Theod. Collado in Adverſ. Tom.* 2, *p.* 327. adverſus Palmarium & Dodonæum ullo modo alterari potum, ſed nec ſubſtantia, nec colore, nec odore, nec ſapore immutatum reddi aſſerit.

XV. Alii hac de cauſa diſtinguunt diabetem in veram & notham. Illam dicunt copioſam potus non transmutati mictionem; Hanc vocant colliquativum urinæ profluvium, quæ tamen diverſa ſit ab aſſumtis potulentis. Vid. *Dunc. Liddelius Pathol. lib.* 2. *cap.* 13. *p. m.* 258. & *Pereda c.* 1. *p.* 155. Aliter eandem diſtinctionem explicat *Hieron. Capivaccius in Pract. Med. cap.* 27. *pag.* 734. & 737.

XVI. Rectius autem diſtingueretur diabetes in inchoatam & conſummatam. Inchoatam forte haud injuria quis vocaverit, quam alii notham dicunt: atque ſic nemo inficias ibit, in morbi principio potum omnino alterari; progreſſu vero temporis, ubi omnes jamjam digeſtiones deſtructæ ſunt, concedi poteſt aſſumta non æque immutari poſſe; tunc ergo conſummatam verius, quam veram diabetem nominaveris.

XVII. Eadem & mens Sennerti fuit, qui & hoc ſuperaddit, diſtinguenda eſſe aſſumta, aliaque facilius alia difficilius mutari. Aqua igitur, cum adeo mutari non neceſſe habeat, mirum non eſt, ſi eadem colore & ſapore, qualis aſſumta fuit, rurſus excernatur, alius vero potus, v. g. lac aut emulſio ſeminum, non æque crudus excipiatur matula.

XIIX. Deveniendum nunc quoque eſt ad explicandam diabetis cauſam. Reperio autem tot ferme ſcriptorum ſententias, quot mihi libros evolviſſe contigit. Reſtanti fortaſſis non eſt ut

inutiliter chartam ac tempus teram. Paucis: Veterum alii renum intemperiem calidam, alii frigidam, alii modo hanc, modo illam accusant. Quidam vim renum attractricem laborare in excessu, quidam in defectu asserunt. Addunt his alii calidum epar, alii laxitatem ventriculi. Alii plura.

XIX. *Paracelsus* autem, prout undique aluminosa, nitrosa ac vitriolica salia in morbis supponit, ita hoc quoque in affectu, sal quoddam acre nitrosum, renibus inhabitans, massam sanguineam fundere, cæteraque invehere symptomata statuit. Vid. *de Tart. lib.* 2. *Tr.* 3. *cap.* 2.

XX. *Fr. de le Boe Sylvius* vitiosæ renalium caruncularum constitutioni deberi secretionem urinæ copiosiorem asserit, atque hinc roborantia saltim & adstringentia præscribit, pro coarctanda scilicet canalium laxitate, vitioque substantiæ caruncularum emendando. Vid. *Pr. Med. lib.* 1. *cap.* 52, 11. & 73.

XXI. Propius vero accessit *Willis*, dum causam in ipsa massa sanguinea quærit. Erraſſe tamen in eo videtur, quod colliquationem sanguinis ab acri acido fieri velit. Tantum enim abest ut acida resolvant sanguinem, ut potius eundem coagulent. Deceptum autem Willisium similitudine lactis suspicor, quod hinc inde cum sanguine componit.

XXII. Dicam ergo, quid mihi persuasum habeam pro determinanda diabetis causa. Præsuppono nimirum sanguinem constare varii generis particulis, salinis, oleosis, aqueis ac terreis. Et harum quidem mixtura sub certa proportione requiritur in statu naturali, ut stylo veterum exinde optimum nascatur temperamentum. Quoniam vero victus, quo utimur, adeo varius est, rarissime impetramus aut servamus diu justam sanguinis temperiem: potius, si graviores in diæta errores committantur, perit illa, prædominantibus modo his, modo illis particulis.

XXIII. Speciatim oleosæ abundant interdum particulæ, præcipue in nimium obesis; qua de causa quoque vix ullis moventur sudo-

ſudoriferis aut diureticis, eo, quod iſtae lentore ſuo impediant, quo minus ſanguis, ſerum dimittat.

XXIV. Abundant ſimiliter in iſchuria ſeu omnimoda urinæ ſuppreſſione, quando nec calculus, nec inflammatio aut ſimile impedimentum reperitur in ſectione cadaveris, cujus exempla collegit *Willif. c. l. p.* 102.

XXV. Eadem hæc atque non alia videtur cauſa ſanguinis adeo craſſi quaſique coagulati, qui non, niſi vulnere trium transverſorum digitorum longitudinis inflicto, elici potuit à Chirurgo; quod *Borellus* notavit *Hiſt. & Obſ. Cent.* 4. *obſ* 93. *p.* 347.

XXVI. Deficiunt contra eædem particulæ in tabe, item hæmorrhagiis quibusdam ſpontaneis, cumprimis malignis in febribus; evidentius tamen in diabete, quod ſic demonſtro.

XXVII. Urinæ à ſanguine ſecretionem non aliam credo, quam hanc: Affluit ſanguis ad renes per emulgentes arterias; quod ſeroſum eſt renum ſubſtantiam tubuloſam quaſi filtrum tranſit, ulteriusque ad veſicam ablegatur; quædam tamen lymphæ pars per lymphatica renum regurgitat. Craſſiores autem ſanguinis partes regrediuntur iterum per venas ad cavam.

XXIIX. Quo plus autem ſeri continetur in ſanguine, hoc major copia ſecernitur in renibus. Contra, quo pinguior, aut, ut nonnullis loqui placet, magis butyroſus ac ſulphureus eſt ſanguis, eo minus tranſcolari aptus eſt, adeo, ut & ne gutta quidem ſecedat, ſi totus oleoſus fuerit.

XXIX. Par etenim ratio ſanguinis eſt ac generoſi vini, quod ubi purum eſt, linteoque guttatim inſtillatur, non niſi vi quadam accedente trajicitur; ſi vero aqua adulteratum fuerit, hæc ſtatim linteum permeat, collecta ſuperius oleoſa vini parte.

XXX. Cum itaqua renes in tranſcolanda urina paſſive ſaltim ſe habent ac inſtrumentaliter, nihilque efficienter conferant ad ſanguinis ſeroſitatem, hinc in diabete renes à culpa abſolvendos

omnino judico, veram autem causam in materiæ dispositione quærendam esse.

XXXI. Positivam ergo ac materialem diabetis causam in definitione dixi fluiditatem sanguinis. Defectus autem particularum pinguiorum siue sulphurearum hujus fluiditatis causa est efficiens, aut verius deficiens.

XXXII. Possem hic varias diabeticorum historias excutere, quavé ratione particulæ sanguinis oleosæ destruantur v. g. diureticis nimium assumtis ac lithontripticis, aquisque thermalibus; item ex abusu cotoneorum (quale quid Alfonso Neapolitano Regi contigisse tradit *Paschasius c. l. p.* 155. *b.* Conferatur & *Schenkius Obs. Med. lib.* 3. *fol.* 501.) item ex nimio vini & cretami usu, esuve farciminis piperati, quod annotavit *Amatus Lusitanus Obs. Med. p.* 336.

XXXIII. Cum vero probé sciam, quanta fides observationibus ejusmodi tribuenda sit, ac quousque nos credulitas sæpe nimia deducat; satius esse duco, relinquere incerta, quam prolixius tradere. Committuntur namque quotidie fallaciæ non causæ ut causæ in medicina, non minus in designandis morborum occasionibus, quam in ipsa pharmacorum censura. Sæpius enim in minimis curiosi sumus, iisdemque effectum tribuimus, debitum aliis ac manifestius quidem operantibus.

XXXIV. Rarum ac peculiare quid est, quod *Duretus in Holler. p.* 448. de seipso scribit, nempe animalculum quoddam, millepedem forma referens reni inhabitasse, sitimque, profluvium urinæ ac reliqua diabetis symptomata produxisse.

XXXV. Simile quid ex Galeno recenset *Liddelius c. l. p.* 258. diabetem fieri à morsu dipsadis serpentis. Sed quamvis cum in aliis tum in *Aretæo lib.* 2. *c.* 2. *de sign. & caus. morb.* item in sæpius citato *Dureto p.* 448. inexplebilem sitim inde oriri videam, nullibi tamen veram diabetem. Quapropter hæc ipsa suis relinquam Autoribus.

XXXVI.

XXXVI. Dicam interea paucis, quæ mea sit de diabetis causa opinio. Notavi scilicet in omnibus, quotquot vidi diabeticos, acidum in primis viis insigniter abundasse. Vero simile igitur est à prædominio hujus impediri debitam particularum oleosarum cum aquosis unionem; quemadmodum cernimus lac & emulsiones quasvis ab affuso acido statim præcipitari. Quoniam vero loco chyli lactei non nisi serum mere aquosum per vasa lactea transit, necessum est ipsam quoque massam sanguineam tandem nimis dilui.

XXXVII. Sitis alias præcipuum diabetis symptoma est, ut & eadem de causa dipsacus nominetur, referente *P. Ægineta p. m.* 467. *H. Bertino p. m.* 338. aliisque. Diversa tamen in diversis subjectis ea observatur; plerumque inexplebilis ac intensissima, rarius remissior ac tolerabilis.

XXXIIX. Reddo autem hujus symptomatis duplicem rationem. Nasci enim potest, vel ex defectu salivæ, cujus materiam subducunt crebræ mictiones, atque tunc de ariditate linguæ simul queruntur ægri: vel ex defectu particularum gelatinosarum in saliva. Contenta namque in hac ipsa (quæ vulgo audiunt) salia, quod minus temperata sint, acrius fauces linguamque feriunt, adeoque sui ablutionem continuo poscunt.

XXXIX. Originem æstus, quod alterum symptoma diabeticorum dixi, si quis desiderat, eidem auctum acceleratumque spirituum ac sanguinis motum nomino. Jacturam etenim in renibus passam, sanguinisque defectum dum natura laborat restituere, velocius mittit arteriosum sanguinem; unde fieri non potest, quin sanguis æstuet, calorque præcipue in regione lumbari percipiatur.

XL. Restat adhuc contabescentia corporis, cujus mentionem in definitione feci. Latere autem neminem fons hujus mali potest, qui cæterarum excretionum excessum, v. g. sanguinis, seminis, lactis ac fecum, attendit, in quantum emaciare hominem ac debilitare possint.

XLI. Accedit & hoc, quod sanguis diabeticorum ineptus ad nutriendum sit, eo quod prorsus serosus, butyrosis autem, ut ita loquar, ac viscidis particulis destituatur.

XLII. Atque hæc sunt, quorum ad declarandam diabetis naturam meminisse placuit. Signa quod spectat, ne nulla eorum hoc in affectu fiat mentio, sufficiat indicare, hæc ipsa sic satis plana & extra omnem fere difficultatem aut dubitationem posita esse.

XLIII. Dignoscet nempe diabetem quivis facillime, atque vix unquam confundet cum cæteris mictionum generibus, qui modo dicta superius in definitione rite pensitaverit. Prae cæteris copia assumtorum & excretorum satis turam dabunt diagnosin, non neglectis tamen circumstantiis reliquis.

XLIV. Prognosticum autem suppeditabunt vires tum morbi, tum naturae. Si quando morbi violentia indies crescat, vel saltim ad plures dies continuetur; ægroti contra vires prostratae sint, nec iterum surgant, mors certo expectanda venit.

XLV. Itaque ut naturae opitulemur, mali vero robur frangamus, recta medendi ratio instituenda est. Emendari videlicet intemperies sanguineae massae, eidemque pristina conciliari debet consistentia. Quo facto, reliqua sponte cessabunt symptomata.

XLVI. Veterum autem quidam ad effectum potius respexere in cura, quam ad causam. Cum enim copiam cernerent urinae collectam, id laborarunt unice, quo seri abundantia minui, ejusque affluxus ad renes intercipi, revelli, atque per alias vias evacuari possit.

XLVII. Optimum inde ex mente Aretaei *Ætius Tetr.* 3. *serm.* 3. *c.* 1. *p. m.* 547. judicat, si ipsa materia per sudorem divertatur. Suadet itaque ad exudandum in dolio factam evaporationem, eo modo, ut caput promineat, frigidumque aeger attrahat aërem, reliquum vero corpus probe calefiat.

XLIIX. Repetit hoc ipsum auxilii genus *Trincavellius de rat. cur.*

cur. part. aff. lib. 10. *cap.* 11. *p.* 301. *b.* neve majori apparatu ac ornamento careat, flores rosarum, violarum, atque similia suaveolentia naribus objicienda jubet; scilicet ut odor reddat, quas sudor vires deprædatur.

XLIX. Nec inutilia esse purgantia judicat idem *Trincavellius p.* 302. *A.* praesertim ex mente Avicennae aloëtica aut ex rhabarbaro parata, quibus mel aereum, cassiam fistularem, tamarindos, diaprun. s. scamm. syrupum rosar. solutiv. &c. addere non dubitavit *Vidus Vidius lib.* 10. *de Cur. membr. C.* 26. *p.* 618. Videatur & *Foreſtus l. p.* 445. & *Capivaccius Pr. lib.* 3. *c.* 27. *p.* 736.

L. Lubentius forte adhibuissent hydragoga fortiora, quo facilius serum deplere ac ad posteriora revellere possent, si vires permisissent aegri. Mitioribus ergo ac minus nocivis tales tractasse sufficit.

LI. Nec omittendum erat universale praesidium, Venae sectio. Praescripserat eam Avicenna & Aëtius, nec Ægineta improbaverat, nempe in principio, antequam morbus invalesceret. Hanc etenim jecur ac universum corpus refrigerare, averteréque humoris impetum ad renes sperabant. Nec defuere postmodum, qui eandem repeterent cantilenam. Videatur *Georg. Bertinus Med. lib.* 20. *cap.* 46. *p.* 770. *D. Bruele p.* 161. *b. Vidius p.* 618. &c.

LII. Difficultate tamen hoc ipsum laborare consilium, desecanda in morbi principio vena, recte notavit *Trincavellius c. l. p.* 301. *B.* Vix enim quisquam affectus hujus initium attendit, multo minus Medici opem exposcit prius, quam vehementia symptomatum crescat, ac vires inde labascant.

LIII. Maximum porro diabetis remedium credidit *Aëtius c. l.* si frigidus potus illico revomatur. Nimirum turpe foret in morbo adeo periculoso quoddam auxilii genus, vomitorium non tentasse. *Capivaccius* ergo, ne hoc in passu defeciisse videatur, *c. l. p.* 737. ad libras quatuor frigidae aquae propinat aegro, provocat-

vocatque inde has iterum vomitu, tum in revulsionis gratiam, tum sitis levamen.

LIV. Miror interim, neminem adhuc consuluisse diabetico, ut se totum immergeret flumini, sic enim & potum saepius ac vomitum reiterare, simulque sitim levare ac aestum liceret; praesertim, cum id ipsum non sine successu expertus sit juvenis, cujus historiam recenset *Zacutus Lusitanus Prax. Hist. lib. 2. p. 446.*

LV. Quicquid sit. Censuram Medendi Methodi ac Practicorum mihi non sumo. Id cum Sennerto fateor, citra omnem vomitus, fecum, sudoris ac sanguinis profusionem, tutius diabeticum sanari, si modo illa adhibeantur remedia, quae indicationes postulant.

LVI. Dixi autem supra, sanguinis consistentiam esse destructam, adeoque id allaborandum esse, ut iste pinguiorum particularum defectus resarciatur, sanguinique debita reddatur crasis.

LVII. Praestant hoc, ex vegetabili regno, resinae ac gummata, rejectis tamen acrioribus. Optimo proinde consilio thus, gummi arabicum, & Tragacanthum ab *Arnold. de Villa nova & Gu. Bruele* praescribuntur. Mastiche prae caeteris commendatur à *Fiorovanto*. His addo nostrarum arborum, pruni ac cerasi gummata.

LIIX. Nec contemnendus est amygdalarum dulcium ac pinearum usus: conducent similiter sem. portulacae, papaveris albi, lactucae, sem. 4. frigid. similiumque emulsiones, ut & sem. cydoniorum ac psyllii mucilagines. Conf. *Vidius p. 619.* Reteleris huc ipsum Laudanum opiatum ad gr. 1. aut sem. subinde praebitum.

LIX. In regno animali solum lac sufficereret, uno ore ab omnibus depraedicatum. Attamen lac ebutyratum aut oxygalam Galeno dictam ipsi praeteleris haud immerito quando lactis usus minus conveniens erit. Suam quoque laudem merebitur Gelatina C. C. Nec incongruum foret fortassis leporis cerebrum, quod

ipsum,

ipſum, ut & veſicam porci coctam pulveriſatamque, tanquam ſpecificum ac occulta proprietate diabeticis conferre ſcripſit *Jac. Fontanus Med. Pract. lib. 3. cap. 34. p.* 205. Quæ tamen nihil peculiare præ ichtiocolla ſimilibusque incraſſantibus habent.

LX. Si libet, ſtercus capræ exiccatum in furno & pulveriſatum in offa ſumere licet, ex conſilio *Philippi Grülingii*, qui videatur im Deutſchen Artzney-Buche *pag.* 346. Etſi & hic uſus ſit conſulendus.

LXI. Ex minerali regno aqua Calcis vivæ, adeo à *Williſio* commendata, atque terræ ſigillatæ, Boliq; optima ſunt: palmam tamen omnibus aliis præcipiunt martialia, hæmatites videlicet ac limatura chalybis, utpote cujus ſolo uſu non ſemel diabeticos ad miraculum reſtitui.

LXII. Diætæ tandem ratio ne omittatur, recte veteres incraſſantem victum præſcripſiſſe monendum eſt. Non enim inutile erit, oryza, mylio, alica, it. capite ac pedibus vituli ſuumque veſci, ſimilibusque, quæ videantur in *Augenio c. l. p.* 285. *Vidio p.* 617. *Eraſto. Conſ. Med. 5. p.* 195. 55.

LXIII. De cætero potus detur non diureticus, aër eligatur frigidior, vitentur animi pathemata, non neglecto ſomno, quietam æger vitam agat.

DISPUTATIO XXXIV.

DE

ABORTU.

SUnt certe quam plurimi ſequioris ſexus morbi, a quibus viri deprehenduntur omnino immunes. Non dicam de menſtruo fluxu, alias tædioſo ſatis,

quippe qui, cum cæteroquin perfecte sanis conveniat ex ordine naturæ, non minus naturalis esse fœminis videtur, quam excretio urinæ, fœcum alvinarum &c. Saltem si, quæ gestationis tempore gravidis accidunt, advertimus, variæ occurrunt calamitates, non molestæ tantum, sed & periculosæ, matri pariter atque soboli. Hac vice sufficiat, loco Disputationis Inauguralis, considerasse *Abortum*, tam frequens mulieribus malum, imo & quibusdam adeo habituale, ut exinde turpem quoque sterilitatis notam contrahant non paucæ. Faxit Æternum Numen, cujus Gratiosæ directioni omnia mea studia unice committo, ut hic quoque conatus vergat in ejusdem divini Nominis Gloriam, pluriumque salutem!

§. 1.

ABORTUS vocabulo procul dubio vox aboriri originem dedit, videturque Abortus ita dictus, quasi frustra vel per errorem ortus, quemadmodum alias absonum, v. g. sonus est à concentu harmanico alienus: item abusus, quem in usu rerum legitimo committimus, error.

§. 2. Hippocrati olim φθορὰ vel ἀποφθορὰ, aut διαφθορὰ, aliis Græcorum appellabatur ἀμβλωσις; Nostratibus: Es gehet der Frau unrichtig vel etiam Eine unzeitige Geburth.

§. 3. Est autem duplex Abortus significatio; aut enim matri tribuitur, innuitque actum intempestivi partus: aut proli, & indicat fœtum ipsum ante maturitatem exclusum.

§. 4. Priori sensu accipitur hoc loco, unde non inconvenicns

eris erit, si Abortum definiamus per *ejectionem imperfecti fœtus*, vel quod perinde est, *per intempestivam fœtus immaturi exclusionem.*

§. 5. Nimirum genere convenit cum partu Abortus; siquidem utroque in casu ejicit vel excludit fœmina, quod utero gestavit. Unde in Abortu quoque ultimis præsertim ingravidationis mensibus, conatus doloresque simillimi sunt iis, quos puerpera in legitimo partu sustinet.

§. 6. Aft differentiam satis notabilem suggerit fœtus, quippe qui ad debitam perfectionem non pervenit, sed quasi adhuc immaturus expellitur in Abortu.

§. 7. Equidem *Aristot. lib.* 7. de histor. animal. tres constituit terminos in gravidis probe distinguendos. Primus absolvitur septem à conceptu diebus, & quæ interea contingit jactura, vocatur ἔκχυσις; secundus extendit se ad quadragesimum, tuncque ἔκτρωσις nominatur embryonis deperditio: Tertius à quadragesimo ad legitimam usq; partu horam excurrit, quo tempore ἀποφθορὰ proprie locum habet.

§. 8. Ad ejus imitationem latine alii dixerunt *effluxionem*, quæ primis diebus: *aborsum*, qui primis mensibus: *Abortum*, qui ultimis mensibus fit corruptio. vid. *Ludov. Bonacioli Enn. Muliebr. c.* 6.

§. 9. Plerique vero aborsum & abortum vel abortionem pro uno eodemque habent; effluxionem tamen ab illo distinctam volunt. Ita sentit *Ambrosius Paræus de Hom. Generat. c.* 30. *Aliud Abortio*, inquiens, *aliud Effluxio est. Abortionem vocant fœtus jam formati & vitalis præcipitatam ante maturitatis tempus exclusionem: Effluxionem vero seminum commixtorum & jam per aliquot dies coagulatorum dilapsum, membranarum & concreti sanguinis ac informis carnis quadam specie, obstetrices nostrates Falsum Germen appellant.*

§. 10. Et sunt aliquæ, ut cum *Sennerto* loquar, *Abortus tem-*

poris & magnitudinis fœtus ratione, differentiæ. Aliquando enim quod ejicitur, parvum plane est & globosum, instar uvæ acini, ut in eo caput, brachia, crura, vix à trunco discerni possint, quale quid primis statim diebus ejicitur: interdum quod ejicitur, digiti longitudinem æquat, interdum spithamæ longitudine imperfectus ejicitur: interdum abortivum non multum à perfectione abest.

§. 11. Interim tamen nil impedit, quo minus sub eodem abortus titulo complectamur omnem partum, qui ante legitimum tempus accidit, præsertim cum nomen effluxionis non tam informis massæ, quam liquoris seminalis, utpote magis fluidi excretionem innuat.

§. 12. Sane definitus certusque pariendi terminus, uti reliquis animalibus, ita homini quoque à Creatore præfixus est. Et quidem triginta novem septimanæ, sive novem menses ordinarie ad humani fœtus in utero formationem requiruntur, quo elapso temporis spatio justus ac naturalis instat partus. Sicuti vero præter naturam nonnunquam diutius, quam par est protrahitur terminus in partu retardato: ita frequentius longe acceleratur in Abortu.

§. 13. Saltem dubium erit, quid sentiendum de iis, qui septimo vel octavo mense, aut etiam circa initium noni nascuntur. Non me latet, olim septimestrem partum pro vitali, sed octimestrem non æque fuisse habitum; quid vero de hac controversia judicandum sit, videri potest in *Beati Annuanni Irenico pag. 68. & seq.*

§. 14. Ita mihi videtur, multos haberi pro septimestribus aut octimestribus, qui tamen revera tales non sunt. Quidli enim matris vel ignorantia vel nequitia seducat patrem? utpote qui minus de puncto conceptionis certus esse valet. Nam ad eundem modum decipitur Medicus, non aliunde, quam ex relatione securus,

§. 15. Attamen posito, fœtum fere septimestrem supervivere, quid tum censendum? Respondeo distinguendo inter forum

JCto-

JCtorum & Medicorum. Sit ita, partum ſeptimeſtrem dici legitimum intuitu hæreditatis, aliusve juris competentis; nondum tamen ſequitur, ergo & legitimus eſt ſtylo Medico, id eſt legitimo natus tempore. Quid obſtat abortum ſupereſſe? Quam enim in utero expectare non potuit perfectionem a Natura robuſtiore nanciſcitur, poſtquam è matris ſinu prodiit; prout e. g. non rarum eſt, pyra, pomaque ſuam demum impetrare maturitatem, quando ab arbore divulſa & aliquandiu aſſervata fuerunt.

§. 16. Sed transeat litigium hocce omnino vanum, potius progredior ad examen cauſarum, quibus abortus excitari ſolet; his enim probe perſpectis, non amplius obſcurum erit, quale gravidarum regimen tenendum, quo minus perdatur embryo.

§. 17. Nec vero ſua, ſed matris culpa expellitur fœtus; ſiquidem ad mentem Galenicorum, irritata uteri expultrix facultas, vel quod idem eſt, uterus impatiens, ubique cauſa exiſtit abortus proxima, quatenus non ſponte ſua elabitur, ſed conatu motuque uteri proprio ejicitur partus intempeſtivus.

§. 18. Quæ autem ſub titulo cauſarum remotiorum veniunt, plurima ſunt; multis namque modis irritari uterus ad abortum poteſt. Ut qualiscunque tamen earum ordo ſit, lubet illas revocare ad tres claſſes; ſcilicet ad vitia ſpirituum, humorum, & partium ſolidarum.

§. 19. Primum quidem vitio ſpirituum contingit abortus vel propter defectum, vel propter commotionem illorum nimiam. Defectus ſpirituum ſi gravidæ accidat ab inedia & vigiliis diuturnis, vel à morbo quodam vires deprædante, mirum non eſt, embryonem perire; id enim commercium præ oviparis omnes in genere viviparæ habent, quod fœtui ſuo commune cum matre largiantur & alimentum atque, ut ſic dicam, vitam. Itaque quicquid ſpiritus ſive vires gravidarum deſtruit, illud fœtum quoque debilitat notabiliter, necatque, ſi defectus fuerit enormis.

§. 20. Quid frequentius eſt, quam ab Ira, Terrore, Mœro-

re anxio, similique spirituum commotione abortum fieri? Scilicet, dum hujusmodi animi affectu spiritus turbantur materni, necesse est, vel eosdem avocari ab utero, vel eundem irritare, vel in consensum rapere spiritus embryonis. Dum avocantur, infirmus deseritur fœtus, levi superveniente causa intereundus; dum irritant uterum ejusque motum vehementiorem excitant, non potest non abortus subsequi: ubi vero spiritus tenelli corporis simul exagitantur, accidunt utplurimum motus convulsivi, aut lethales illico, aut certe post partum etiam habituales, data quacunque occasione, recrudescentes.

§. 21. Deinceps vitio humorum & inspecie sanguinis materni sequitur abortus, triplici ex capite, videlicet si abundantior sit & fœtum suffocet; si parcior sit & insufficiens ad nutritionem fœtus: si corruptus sit & cacochymicus, adeoque minus nutritioni aptus.

§. 22. Sane Plethora gravidarum non semel fœtum extinguere visa est. Quod si enim in adultis & robustioribus tam varium inde malum nascitur; multo magis periculosa pusillo erit, cujus corculum ad propulsandum sanguinem, undique restagnantem, nullatenus sufficit.

§. 23. E contrario si sanguis deficiat, contabescit fœtus, moriturque ob alimenti penuriam. Itaque ab Hæmorrhagia insigni præcipue uterina id fieri crebrius solet. Nam & per fortiora emmenagoga, qualia sunt *Sabina*, *Myrrha*, *Castoreum*, *Camphora*, similiaque abortum excitare nemini arbitror ignotum. Huc refer radicem *Filicis*, quæ assumta non fœtum tantum ejicit, sed & sterilitatem penitus infert, ac proinde **Huhren-Wurtz** quibusdam dicta, notante *Joh. Hisk. Cardilucio in Offic. Sanit. p.* 772.

§. 24. Quid fœminarum Cacochymia valeat, si scilicet universam sanguinis massam pravi corrumpant humores, id quidem quotidiana loquitur experientia. Et quemadmodum istiusmodi subjecta per consuetam purgationem menstruam tantisper levantur:

tur: ita & hæc suppressa, non desinunt eosdem humores vitiosos ad uterum amandare. Quantum vero embryoni damnum hinc enascatur, nemo non intelligit. Ut taceam, morbos è tali cacochymia natos, quicunque illi fuerint, non tam à fœtu superari facile, quam à matre magis robusta.

§. 25. Tandem sub vitio partium solidarum intelligo ipsius uteri affectus, sive hi per essentiam, seu per consensum tales fuerint. Secundum *Galenum* tres causæ sunt, uterum proxime afficientes, *moles* nimirum, *pondus*, ac *morsus*. Moles, ubi amplius distendi uterus nequit, sed propter angustiam fœtum grandiorem non tolerat. Pondus, cum, quod in utero continetur, ejus vires gravitate sua nimium superat. Morsus ab acrium humorum in uteri cavitatem effusorum vellicatione oritur, unde ad ejectionem ejus, quod molestum est, irritantur fibræ.

§. 26. Clarius; in antecedentibus asserui, causam abortus proximam esse uterum impatientem, à quo fœtus expellatur: Quicquid ergo uterum immediate stimulat ad fœtus ejectionem intempestivam, abortus causa antecedens vocatur. Inter hæc autem sunt quæ immediate uterum afficiunt, sunt item alia, quæ fœtum potius adeoque saltem consequenter & mediate uterum attingunt, quæ nomine causarum remotarum veniunt. De his, quæ fœtum extinguunt aut inquietum reddunt, ac eatenus abortum faciunt, satis jam dictum; restat igitur ut nunc quoque videamus, quæ uterum immediate feriunt.

§. 27. Horum autem alia hærent in uteri cavo; alia saltem extra adveniunt: Quas itaque *Galenus* recenset abortus causas, molem scilicet, pondus, morsumque, in ipsa uteri cavitate hærent. Intelligitur autem sub mole non tantum magnitudo fœtus, præsertim gemellorum, ad quam capiendam uterus nonnunquam inhabilis est, sed & mola præter naturam inibi nata, sive unica fuerit major, seu multiplex. Præterquam enim quod non parum alimenti convertat in sui augmentum, & vel ipso ponderemolesta sit mo-

la5

la; saltem dubium non est, quin embryoni eatenus quoque noceat, quatenus spatium occupat eidem debitum, in cujus defectu, nec formari aut enutriri, nec moveri commode potest. *Confer. Bartholini Cent. 3. hist. Anatom. 1. Th. Kerkringii Spicileg. Anat. Obs.* 38. & 95. *aliosque.*

§. 28. Pondus tunc præcipue à gravidis observatur, quando vel mola major vel fœtus mortuus in utero residet. Sicut enim cadavera & quæ morti proxima sunt, ab omnibus habentur pro gravioribus: ita profecto tantam non fœminæ sentiunt molestiam ab embryone grandiore, quantam experiuntur à mola vel fœtu mortuo longe minori.

§. 29. Morsus autem, uti ab aliis humoribus acribus, in uterum effusis, nascitur, ita tum maxime naturam stimulat, quando per putredinem resolutus in saniem quasi deliquescit mortuus embryo. Fortassis & hoc ex pacto fluor albus in subjectis scorbuticis causam præbet abortui, quod affluens acrimonia omnino inquietum reddat uterum.

§. 30. Atque hi modi sunt, quibus immediate uterus ad abortum irritatur, & quidem causa hærente in ejusdem cavo. Non aberrabit tamen à vero, qui jam enarratis addere motus embryonis nimios & præternaturales velit. Quotusquisque nescit ab ira vel terrore gravidarum sæpius epilepsiam oriri embryonum? Si tum ab intolerabili concussione ac jactatu, placenta uterina à sede sua abrumpatur, uterusque reddatur inquietus, jamjam præsto abortus est.

§. 31. Cæteræ causæ, uterum exterius afficientes sunt vel magis externæ, hoc est extra corpus: vel minus tales, i. e. extra uterum, sed non extra corpus constitutæ. Magis externæ sunt, quæ abdomen una cum ipso utero feriunt, uti casus, ictus, compressio nimia, oneris gravioris gestatio &c.

§. 32. Ad magis externas pertinet quoque odor fœminis infensus, unde hystericæ passiones excitari solent. Itaque Ambra, Mo-

Moschus, Zibethum & fragrantiora multis nociva: aliis castoreum, odor extinctæ candelæ ac fœtentia quævis. Quo nomine *Camphora* quoque notatur *à Borello Cent. 2. Observ.* 98.

§. 33. Sed minus externæ sunt, quæ extra uterum hærent in partibus vicinis, eundem tamen in consensum rapiunt. Ita enim calculo vesicæ vel renum non raro natum abortum testantur Medicorum observationes: similiter ab alvi vel obstructione nimia vel fluxu, præsertim si Dysenteria vel Tenesmus accidat.

§. 34. Idem valent ferina tussis, vomitusque difficiles. Et quamvis gravidarum non paucæ quotidiano fere vomitu satis vexentur sine damno embryonis; non tamen adducor, ut emetica gravidis proficua, ne dicam tuta, credam. Etenim à Pharmaco magis impetuoso, imo & inanis interdum sequitur conatus: quæ vero sua sponte accidunt vomitiones, plerumque facillimæ sunt.

§. 35. Saltem duplex à sumto Vomitorio vel purgante fortiori periculum imminet. Ratione matris scilicet, metuendum ne mensium fluxus concitetur intempestivus, quod ab istiusmodi medicamentis fieri non raro solet: item ne alimentum subducatur Embryoni, neve uterus irritetur. Ratione autem fœtus, præsentissimum erit damnum si facultas medicamenti purgans, ad massam sanguineam delata, ipsum corpus tenerrimum aggrediatur. Et quemadmodum in nutrice lac quoque catharcticum redditur à sumto pharmaco, quid obstat, simile quid ad placentam uterinam, fœtumque transire?

§. 36. Verum jam satis dictum de causis abortus, pergo ad signa ejusdem. Non autem necessum erit, pluribus differere de Abortu jam facto; quis enim fœtum immaturum non distinguat à perfecto? Potius de imminente Abortu judicandum est accuratius, ne perdatur, quod ulla ratione servari potest.

§. 37. Suntque instantis Abortus signa juxta *Hippocratis* Sect. 5. Aph. 37. *mammæ subito flaccescentes.* Cujus rationem qui desiderat, aliam forte non impetrabit à me, quam quod infirmitas to-

tius in fœminis hinc appareat, non aliter atq; in viris ex genitalium languore; id quod aniculæ cum cura obſervant in pueris ægrotantibus, malum ſcil. omen eſt, ſi ſcrotum deprehendatur flaccidum: Nimirum vanæ ſunt, quas inter uterum mammasq; vaſorum anaſtomoſes ad declarandam harum partium ſympathiam fingunt. Quid enim opus eſt, ut ad occultam vel potius imaginariam confugiamus cauſam, cum ex doctrina ſpirituum ſine difficultate hujusmodi conſenſus demonſtrari queat.

§. 38. Certiora magisque propinqua ſigna præbet dorſi acutus dolor & abdominis, verſus pudenda deſcendens, qualis alias in fluxu menſium ſcorbuticis quibusdam accidit. Quod ſi conatus egerendi ſupervenerit, qui parturientibus eſt proprius, abortus jamjam imminet, præſertim ſi venter inſimul deſcendat, ſitu ſcilicet fœtus, ad egreſſum ſeſe inclinantis, mutato.

§. 39. Interea disruptis membranis effluit ex utero aqua, & ſi placenta quodammodo divulſa fuerit ab utero, ſanguis plus minus copioſus. Equidem ſciendum eſt, ex hæmorrhagia ſola non prædici abortum tuto; quid, ſi enim in plethoricis natura ſeſe levare ab onere abundantis ſanguinis velit? Si vero cætera concurrant, periculum inde imminens non vani auguramur.

§. 40. Sed peſſimum eſt, ſi quæ prodeunt, fœtida ſint acſaniosa, quoniam hoc ipſo ſatis apparet, embryonem aliquandiu mortuum putridumque jamjam exiſtere. Id vero, quemadmodum nullam ſpem ſervandæ prolis ſupereſſe ſinit, ita etiam matri damnoſum eſt utplurimum.

§. 41. In genere quidem Abortus omnis fœminæ magis periculoſus eſt, quam partus legitimus, ſcilicet propter concurrentem abortus præternaturalem cauſam; Ita enim obſervamus ſponte ſua decidere fructus maturos &, dehiſcentibus ſiliquis antea firmiter clauſis, effundi ſemina, quæ ad perfectionem pervenerunt debitam: cum ante maturitatem ſine violentia quadam vix decerpi aut erui queant.

§. 42.

§. 42. Speciatim, si fœtus fuerit extinctus, hic difficilior partu vivo existit, quod inter pariendum embryo motum nec situm sibi commodum ad egrediendum quærat, nec uterum excitet juvetque suo motu. Aſt longe pejor metuendus est status, si fœtus computruit: quo enim diutius gestatur, eo magis quoque uterum corrumpit, ne dicam, universum corporis habitum. Hinc enim aut morbos graviores, aut saltem sterilitatem ortam fuisse, quotidiana loquitur experientia.

§. 43. Quod tandem Curam attinet; ea potissimum præservatoria est, cum cavendum sit omnibus modis, ne abortus fiat, id quod non aliter fieri potest, quam si respiciamus ad causas. Quapropter si defectus adsit spirituum, gravidaque viribus destituatur, conveniunt Analeptica, spirituosa & aromatica; quo nomine usitatissimus est *balsamus embryonum*, cochleatim sumtus, aut saltem externe cum pane mellito aromatibusque variis applicatus ventri. Eundem in finem præscribitur *Confectio Alkermes*, sed incompleta, quoniam Ambræ, Moschique usum non paucæ reformidant.

§. 44. Dubito autem, an tanta sit virtus granorum Kermes, in se spectatorum, vel, quod *Hæfero in Herc. Med. l. 7. cap. 3. p. 398.* placet, serico Kermesino, si ad scrupulum detur minutim incisum. Nihilo meliora sunt ovorum germina sive gallaturæ, a mulierculis ad superstitionem usque æstumatissimæ; siquidem nec spiritus hoc pacto corroborantur commode, nec tanta est gallaturæ præ ovo reliquo prærogativa.

§. 45. Dubio procul ex eodem fundamento, ut spiritus vitales gravidæ restituantur, a *D. Michaele in Pr. Clin. p.* 273. commendatur Cor pulli è vivo extractum & adhuc palpitans; cui sane tantam facultatem tribuit, ut & tunc temporis convenire queat, quando jamjam sanguis imminente abortu ex utero stillat. Sed fides sit penes Autorem.

§. 46. De vino interim quæritur, quid sentiendum, cum non pauci cum *Hartmanno in Pr. Chym.* Malvaticum quidem

concedant gravidis, reliquum omnino prohibeant? Respondeo, recte quidem vinum denegari, & quidem quodcunque, si abortu instante hæmorrhagia jam adsit, si calor febrilis aut alia concurrant, quæ vini usum dissuadere possint. De cætero *vinum omne, generosius* potissimum, non minus quam balsamus embryonum, *aqua vitæ mulierum* & reliqua spirituosu vel aromatica confortativa erunt admodum laudabilia, si ex summa virium prostratione, v. g. ab inedia similibusque ex causis abortum metuamus.

§. 47. Par erit medendi ratio, si a terrore spiritus consternati fuerint; nam & *spiritus liliorum convallium*, *aquæ antapoplecticæ omnes*, *aqua contra terrorem* Schröderi, & quicquid contra terrorem alias exhiberi solet, optima sunt, nisi a superveniente vel æstu vel hæmorrhagia itidem prohibeantur: Tum enim egregius erit succus astacorum, summe laudatus ab *Hartmanno cit. loc.*

§. 48. Contra, si ab ira spiritus omnisque Massa Sanguinea commoveantur & æstuent, prosunt refrigerantia cum hypnoticis, sed temperata. Præ cæteris hic arridet *Emulsio seminum frigidorum & papaveris albi cum julepo violarum*: item *specificum cephalicum Michaelis & Cinabarina similia*, cum opiatorum modico.

§. 49. In sanguinis abundantia Venæsectio locum habet. Quanquam enim nostratium consuetudo, juxta quam gravidis in genere circa medium gestationis tempus venam secari jubent, approbari penitus non possit, cum in subjectis minus sanguineis, præsertim si mittatur largius, abortus provocetur, juxta *Hippoc. l. 5. aphor.* 31. Nihilominus si constet, fœminam esse plethoricam adhibeatur V. S. secure i. e. partitis vicibus. Nam & ad hunc modum liberatæ sunt ab abortu futuro, quæ antea aliquoties propter plethoram abortum fecerunt, cum crebrius reiteraretur V. S. vid. *Panarol Pent. 1. Obs.* 10. *River. Cent. 1. Obs.* 53. *Bernh. Verzaschæ Cent. 1. Obs.* 82. *Corn. Stalpartii van der Wiel. Cent. Pr. Obs.* 65.

§. 50. Si vero ab Hæmorrhagia sanguinis defectus metuendus sit, adstringentia dentur, quem in finem *Bistortæ ac Tormentillæ*

& radix, semen plantaginis, sanguis draconis, hæmatites & similia hinc inde commendantur: omnibus palmam præripiunt *corallia rubr. præparata.* Frustraneus autem aut nocivus magis eorum usus erit, si fœtus fuerit mortuus, aut si placenta omnino divulsa est ab utero; tum enim nulla spes retinendæ prolis supererit.

§. 51. In Cacochymicis potissimum ad vitia primarum viarum respiciendum est. Peccante acido, quod in primis utero inimicum, dentur absorbentia sive præcipitantia sic dicta, *Corallia, Mater perlarum, Ebur, lapides cancrorum, &c.* Hic enim usus est ejusmodi remediorum genuinus adversus abortum. An vero tanta sit utilitas hinc desumptorum amuletorum, si ætites s. *Lapis Aquilæ*, vel *Magnes, lapis stellatus*, vel qui reperitur in vulva, corde, aut intestinis cervarum, è collo suspensus gestetur, dubito magnopere. Meo quidem judicio aut nihil valent, aut si quid præstant, operantur saltem phantastica impressione, hoc est, molliores fœminas erigendo, dum scilicet his confisæ præsidiis, nihil timent, magisque præsenti animo, quicquid forte obviam venerit, eludunt.

§. 52. Habent autem modice laxantia, *folia sennæ* puta & *rhabarbarum cum cremore Tartari* hic quoque laudabilem usum in Cacochymia, si biliosa vel pituitosa etiam gravidis infensa sint. Tantum enim abest, ab his lædi prægnantes, ut potius pessima quævis symptomata sc. inappetentiam, vomitus atque sodam, agrypniam cum æstu nocturno, palpitationes cordis ac Cephalalgiam ab ejusmodi laxantium usu legitimo mirabiliter sæpiusque sublata viderim.

§. 53. Quodsi porro suspicio adsit concurrentis molæ, quæ tamen admodum incerta erit, naturæ totum committendum est negotium; siquidem nulla excogitari possunt remedia molam expellentia fœtumque simul custodientia. Interim probe observandum, ne naturam impediamus, si quando cona tu laudabili ejicere molam velit, in iis scilicet, quæ gravidæ per errorem putan-

concedant gravidis, reliquum omnino prohibeant? Respondeo, recte quidem vinum denegari, & quidem quodcunque, si abortu instante hæmorrhagia jam adsit, si calor febrilis aut alia concurrant, quæ vini usum dissuadere possint. De cætero *vinum omne, generosius* potissimum, non minus quam balsamus embryonum, *aqua vitæ mulierum* & reliqua spirituosa vel aromatica confortativa erunt admodum laudabilia, si ex summa virium prostratione, v. g. ab inedia similibusque ex causis abortum metuamus.

§. 47. Par erit medendi ratio, si a terrore spiritus consternati fuerint; nam & *spiritus liliorum convallium*, *aquæ antapoplecticæ omnes*, *aqua contra terrorem* Schröderi, & quicquid contra terrorem alias exhiberi solet, optima sunt, nisi a superveniente vel æstu vel hæmorrhagia itidem prohibeantur: Tum enim egregius erit succus astacorum, summe laudatus ab *Hartmanno cit. loc.*

§. 48. Contra, si ab ira spiritus omnisque Massa Sanguinea commoveantur & æstuent, prosunt refrigerantia cum hypnoticis, sed temperata. Præ cæteris hic arridet *Emulsio seminum frigidorum & papaveris albi cum julepo violarum*: item *specificum cephalicum Michaelis & Cinabarina similia*, cum opiatorum modico.

§. 49. In sanguinis abundantia Venæsectio locum habet. Quanquam enim nostratium consuetudo, juxta quam gravidis in genere circa medium gestationis tempus venam secari jubent, approbari penitus non possit, cum in subjectis minus sanguineis, præsertim si mittatur largius, abortus provocetur, juxta *Hippoc. l. 5. aphor.* 31. Nihilominus si constet, fœminam esse plethoricam adhibeatur V. S. secure i. e. partitis vicibus. Nam & ad hunc modum liberatæ sunt ab abortu futuro, quæ antea aliquoties propter plethoram abortum fecerunt, cum crebrius reiteraretur V. S. vid. *Panarol Pent. I. Obs.* 10. *River. Cent. I. Obs.* 53. *Bernh. Verzaschæ Cent. I. Obs.* 82. *Corn. Stalpartii van der Wiel. Cent. Pr. Obs.* 65.

§. 50. Si vero ab Hæmorrhagia sanguinis defectus metuendus sit, adstringentia dentur, quem in finem *Bistortæ ac Tormentillæ*

& radix, semen plantaginis, sanguis draconis, hæmatites & similia hinc inde commendantur: omnibus palmam præripiunt *corallia rubr. præparata.* Frustraneus autem aut nocivus magis eorum usus erit, si fœtus fuerit mortuus, aut si placenta omnino divulsa est ab utero; tum enim nulla spes retinendæ prolis supererit.

§. 51. In Cacochymicis potissimum ad vitia primarum viarum respiciendum est. Peccante acido, quod in primis utero inimicum, dentur absorbentia sive præcipitantia sic dicta, *Corallia, Mater perlarum, Ebur, lapides cancrorum, &c.* Hic enim usus est ejusmodi remediorum genuinus adversus abortum. An vero tanta sit utilitas hinc desumptorum amuletorum, si ætites s. *Lapis Aquilæ*, vel *Magnes*, *lapis stellatus*, vel qui reperitur in vulva, corde, aut intestinis cervarum, è collo suspensus gestetur, dubito magnopere. Meo quidem judicio aut nihil valent, aut si quid præstant, operantur saltem phantastica impressione, hoc est, molliores fœminas erigendo, dum scilicet his confisæ præsidiis, nihil timent, magisque præsenti animo, quicquid forte obviam venerit, eludunt.

§. 52. Habent autem modice laxantia, *folia sennæ* puta & *rhabarbarum cum cremore Tartari* hic quoque laudabilem usum in Cacochymia, si biliosa vel pituitosa etiam gravidis infensa sint. Tantum enim abest, ab his lædi prægnantes, ut potius pessima quævis symptomata sc. inappetentiam, vomitus atque sodam, agrypniam cum æstu nocturno, palpitationes cordis ac Cephalalgiam ab ejusmodi laxantium usu legitimo mirabiliter sæpiusque sublata viderim.

§. 53. Quodsi porro suspicio adsit concurrentis molæ, quæ tamen admodum incerta erit, naturæ totum committendum est negotium; siquidem nulla excogitari possunt remedia molam expellentia fœtumque simul custodientia. Interim probe observandum, ne naturam impediamus, si quando conatu laudabili ejicere molam velit, in iis scilicet, quæ gravidæ per errorem putan-

tur. Nimirum si mola fuerit sola, juvandus potius naturæ conatus est, ut eruatur lolium. Si vero mola cum fœtu accrescat, satius est expectare messem seu legitimam partus horam, ne cum lolio perdatur triticum, quod obiter addimus, licet ad Dissertationem nostram stricte non pertineat, uti etiam subsequentes theses.

§. 54. Sed fœtus mortuus, quid impedit, quo minus ejiciatur? Cautione tamen opus est, ne pro mortuo habeatur, qui saltem debilior exiistit. Videlicet experientia testatur, eadem signa, quæ fœtum mortuum indicant, nonnunquam in gravidis deprehendi, fœtu superstite. Fieri hinc potest, ut horror parturientem invadat, dum inter sudandum refrigeratur, similibusque ex causis. Si tum per aliquot dies non moveatur fœtus langvidior, prægnansque male se habeat, nemo est, qui embryonem non statuat mortuum, sed perperam; vidimus enim non semel eundem postea vivum prodiisse.

§. 55. Itaque nisi jamjam putrida ex utero effluant, satis certi de interitu fœtus esse non possumus. Hic vero demum salva conscientia fœtum pellentia fortiora v. g. *oleum succini atque sabinæ, camphoram, castoreum* & similia exhibere licet, nempe si embryo in situ ad egressum commodo constituatur. Sin minus, tandem ad auxilium deveniamus Chyrurgicum, extrahendo fœtum, etiam in partes divisum, ubi integer educi nequit.

§. 56. Solet autem embryonis putredo plerumque matrem inficere, ut supra dictum; atque ideo peculiarem hoc in casu præ reliquis puerperis curam requirit fœmina. Danda nimirum opera est, ut repurgetur uterus per convenientia balsamica, putredini resistentia & antifebrilia: erunt igitur maxime appropriata remedia, *lapides cancrorum, flores sulphuris, & diaph. martiale, Antihecticum Poterii*; & ex regno vegetabili *carduus benedictus, artemisia, petroselinum, Aristolochia, myrrha, crocus* & similia.

§. 57. Hæc potiora sunt, quæ circa curam abortus monenda duxi. Plura superaddi possent, præcipue causas externas concernen-

nentia; sed cum nulla ferme his difficultas insit, lubens eadem praeterire malui, brevitatis studio. Ecquis non intelligit remedia non tam uterina, quam omnis generis adstringentia, stomachica, becchica, imo & anodyna requiri? quando per consensum cum aliis partibus abortus imminet.

§. 58. Nec denique necessarium arbitror, prolixe hic tradere methodum tractandi foeminas, postquam abortum jamjam fecerunt; non enim aliter tunc temporis considerari possunt, quam puerperae, unde parem quoque postulant Medicinam. Diaetam brevitatis causa omittimus; poterit tamen secundum causas ex remotioribus non naturales, abortum inducentes & superius recensitas adornari atque institui, ne immoderatus rerum non naturalium usus magis magisque noceat, atque abortum aceleret.

DISPUTATIO XXXV.
DE
MORBIS HÆREDITARIIS.

QUanquam plerorumque morborum Autor ipse sibi sit homo, suoque vitio quisque plectatur ac pereat, quandocunque ob graves in diaeta errores, quotidianam crapulam, vinolentiam & voracitatem, immodicum Veneris abusum, iracundiam, vel aliam quamcunque causam incidat in podagram, tabem, febres omnis generis. Sunt tamen aliquae adhuc ægritu-

cudines, quas aliena patimur culpa, non æque in arbitrio noſtro ſitæ, atque ideo vix evitandæ, quamvis omnem in iis averruncandis operam curamque adhibeamus, uti ſunt vulnera ab hoſtibus illata, & quæ a Veneficis fiunt incantamenta, faſcinationes &c. Ecquis vero credat nec tutum exiſtere quenquam ab iis, quibuscum familiariter converſatur & amice; atqui Scabies ſimileve contagium haut felicius propagatur, quam per Societates atque Communitates vitæ. Aſt peſſimum omnino eſt, innocentes penitus liberos ægrotare ac etiam interire parentum culpa. Hujus generis *Morbos* vulgo nominant *Hæreditarios*, cognitu atque curatu admodum difficiles, ac proinde dignos, qui examinentur penitus, & materiam præbeant Disquiſitioni publicæ. Faxit ſupremum Numen, ut omnia ſuccedant feliciter.

§. 1.

SI vocis Originem ſpectemus, unde dicantur *Hæreditarii Morbi*, ſatis apparet, quibus ex cauſis id nomen impetrarint, ſcilicet quod liberi nonnunquam ægritudines parentum patiantur, ſuccedantque in has non minus, ſæpe prius, quam bona vel jura ipſis relicta. Cumque alias hæreditatem nemo adeat, niſi poſt Mortem teſtatoris; nil tamen obſtat, viventibus adhuc majoribus tranſire malum aliquod in poſteros, recenſque natos.

§. 2. *Hippocrati* Græcisque reliquis olim nominabantur ξυγγενέα νοσήματα, vel σύμφυτοι νόσοι, i. e. congeniti connative morbi: *Paracelſo* (a) *ægritudines ſpecificæ, ſpecifica lepra, pinguedo, ma-*

creds

(a) *Paramir. l. 2. c. 7.*

Macredo &c. Rectius fortaſſe dixiſſet familiares aut domeſticas vel originales: & ſi ſpecialius determinandae ſint, maternas alias, alias paternas, alias avitas.

§. 3. Poſſent itidem uterinae dici, quod intra uterum ſtatim adoriantur embryonem tenerrimum; verum cum facile confundi queant vel cum paſſionibus matricis, vel etiam cum naevis maternis, ſatius eſt vocem retinere uſu receptam: Quemadmodum Germani quoq; die Erbkranckheit/Erbgrind/ angeerbte Schwachheit/erbliche Steinbeſchwerung ꝛc. non incongrue diſtingunt à caeteris congenitis, blind oder ſtumm gebohren/angebohrner Taubſucht oder ſchwere Noth/Muttermahlen/oder was ſonſt vor ein Gebrechen die Kinder mit aus Mutterleibe gebracht.

§. 4. Ad hunc ergo modum *definirem Morbos Hæreditarios*, videlicet, *quod ſint ægritudines à parentibus ſimiliter affectis translatæ in ſobolem.* Ita enim exiſtimo me paucis dixiſſe, quod fortaſſe alii vix pluribus; Qui tamen prolixiorem Definitionem deſiderat, adeat *Mercatum*, (b) cui *Morbus Hæreditarius nil aliud eſt quam qualitas, character, ſigillatio, modus ſubſtantiæ, proportio quædam aut diſpoſitio vel impreſſio præter naturam in uno, pluribus, aut omnibus Membris geniti impreſſa, à ſuo ortu ex viſeminis parentum, avorum aut proavorum à ſimili affectu in eorum aliquo membro aut membris præter naturam quoque præexiſtente: quo veluti inſtrumento natura vel cauſa alia utitur, ut natos ſibi ſimiles & eadem labe fœdatos gignat.*

§. 5. Dari autem ejusmodi Haereditarios Morbos, prolixe mihi probandum haud eſt, cum hinc inde obſervationes practicorum eos abunde confirment, & jam olim *Hippocrates* (c) ipſe aſſerat ex pituitoſis pituitoſos, ex bilioſis bilioſos, ex calvis calvos, ex caeſiis caeſios, ex diſtortis diſtortos, ex macrocephalis macrocephalos, in genere a Morboſis morbidos naſci.

(b) *Tom. II. p. 672.* (c) *Tom. II. edit. Lindan. de Morbo ſacr. V. p. 329. Tom. I. de Aer. Aqu. & Loc. XXXVI. p. 348.*

§. 6. Quæritur saltem, *an promiscue omne Malum, quod parentes affligit, in liberos traducatur?* Mihi videtur ita sentiendum: Omne id equidem fieri posse, at necessario non debere. Quamvis enim morbi Chronici atque confirmati secundum *Avicennam*, & *Cardanum* (d) potiori jure transeant in posteros, reliqui tamen excludendi haud sunt: acuti etiam; cum tempore gestationis mater ad minimum eo affecta, similem quoque propensionem ad morbum fœtui queat imprimere, quamvis in graviore ejusmodi morbo vir ad generandum fit inhabilis. Praeterea cum *Fr. Ranchino* (e) & *Joh. Alb. Sebizio* (f) respondeo, non necessum esse ad morbi Haereditarii productionem, ut generans laboret actu, dummodo possideat dispositionem; sicut enim arthritici & calculosi extra paroxysmos generant, ita etiam epileptici, apoplectici &c.

§. 7. Enim vero perpetuum non est, ut a podagrico vel phthisico nascatur similis proles; cujus rei haec est ratio, quod patris e. g. defectum supplere robustior possit mater, vel contra genitor matris: it. quod victus ratio, aëris mutatio atque diaeta conveniens stricte observata propensionem haereditariam supprimat vel extinguat penitus. Felix, quem cautum faciunt aliena pericula, quem dolor podagricus, tortura Nephritidis, similiaque graviora mala parentibus infensa cautius mercari docent, atque de mutando vitae genere, de intemperantia, vitandisque animi affectibus immodicis admonent.

§. 8. Quod si vero in universum conferamus historias hinc inde a variis Autoribus recensitas, apparet manifeste, morbos universales pariter ac particulares, Spirituum, Humorum, solidarumque partium, capitis, pectoris, abdominis, artuumque certis familiis quasi domesticos ac haereditarios extitisse. Videamus potiores, quae sufficere poterunt intentioni meae, quanquam in ea sim opinione, vix nominari posse affectum, qui aliquando non conti-

(d) *l. 1. de Venen. c. 12.* (e) *Opusc. p. 143.* (f) *Exercit. Pathol. p. 52.*

contigerit, aut in posterum occurrere possit tanquam hæreditarius in una alteraque familia.

§. 9. Talem Epilepsiam memorat *Brunnerus* (g) & *Hollerius*, (h) Maniam *Willis*, (i) Melancholiam *Foreſtus*, (k) ſtultitiam *Hœferus* (l) & *Platerus*, (m) Ulcus narium *Salmuth*, (n) oculorum hebetudinem ipſamque Cataractam *Bartholinus*, (o) & ſi vera ſunt, quæ narrat *Plinius*, (p) *fuerunt familiæ quædam effaſcinantium in Triballis & Illyriis, pupillas binas in ſingulis oculis habentium genusque Thibiorum in Ponto, quorum nota fuit in altero oculo gemina pupilla, in altero equi effigies.*

§. 10. Frequentius ac fere quotidianum eſt, *Phthiſin ſeu Ulcus Pulmonum* propagari, notatuque dignissimam exiſtimo hiſtoriam, quam *Valleriola* (q) refert ſex liberos eodem hoc morbi genere deceſſiſſe, quo pater interiit; Imo juxta *Fernelium* (r) *ſæpe id malum in omnes ejusdem familiæ graſſari ordine ad quintam ſextamque generationem usque; quosdam* teſte *Fracaſtorio* (s) etiam eadem mortuos ætate. Curioſum eſt obſervante *Borrichio* (t) puellam tribus mammis inſtructam è matre ſimili fuiſſe natam, quemadmodum in ſexu maſculo triorches, quos ex certa familia oriri contigerat, notarunt *Joh. Fernelius*, (u) *Th. Bartholinus* (x) & *Cælius Rhodiginus*. (y)

§. 11. *Lienis Vitia* ſimiliter traduci, ex *Hippocrate* (z) jam ſupra notavi. *Calculum vero renum ac Veſicæ* aliis accidere vitio hæreditario vel hoc evincit, quod recens nati primis etiam diebus ſabulum cum lotio reddant, antequam ulla naſcatur ſuſpicio erroris

(g) *Conſ. 16. p. 104.* (h) *Cent. 2. Curat. 47.* (i) *de anima brut. c. 12.* (k) *l. 10. obſ. 13. & 15.* (l) *Herc. Med. l. 1. c. 7. p. 47.* (m) *Obſ. l. 1. p. 2.* (n) *Cent. 2. Obſ. 81.* (o) *Act. Haffn. T. 4. obſ. 70.* (p) *Hiſt. nat. l. 7. c. 2.* (q) *l. 3. obſ. 6.* (r) *Pathol. l. 5. c. 10.* (s) *l. 2. de morb. Contag. c. 9.* (t) *Bartholin. Ep. Cent. 4. Ep. 38.* (u) *Pathol. l. 1. c. 8.* (x) *Anat. Ref. l. 1. c. 22.* (y) *lib. 24. c. 4.* (z) *de Morb. Sacr. T. 2. pag. 329.*

ris ab infantibus commissi, *conf. Miscell. Nat. Cur.* (a) *cum Schenkio* (b) *aliisque.* Quin & infantem masculum ex nephritica matre natum esse retulit mihi Clariss. D. *Fred. Dekker*, in cujus vesica, calculum ovum columbinum jam superantem, invenit. Nec inelegans est observatio *Paullini*, (c) qui memorat *quendam fuisse, cui commune cum paterna familia erat, vix intra sex vel octo dies urinam emittere, quod absque sanitatis dispendio & citra molestiam equidem fiebat.* Hinc pene dubium nasci potest an hoc exemplum ad morbos pertineat hæreditarios, cum in eadem familia nemo laborarit unquam stranguria vel calculo. Quoniam vero probabile videtur Renum conformationem non fuisse naturalem, sed propter exilitatem vel nimiam tubulorum angustiam, aut vasorum arteriosorum exilitatem, aut errorem similem, serum per organa illa non fuisse debite secretum, itaque non immerito mentionem ejus hic inferre visum fuit.

§. 12. De Arthritide res nota est: Non præterire tamen possum observationem *Bartholini*, qua novit (d) *Magistrum organi pnevmatici anno ætatis* 36. *in utraque manu motum digitorum amisisse, cujus parens eodem ætatis anno simili afflictus infortunio fuerat. Borellus* autem refert (e) *fuisse fratres binos prope Tholosam sponte anno ætatis* 15. *luxationem passos genuum, claudosque factos, quod pater eorum ista ætate antehac casu expertus esset simile.* Ita gibbum circa quintum ætatis annum sese exeruisse demum, nullo prius ejusdem vestigio prægresso in pueris ex gibboso natis plus vice simplici animadvertit *Cl. Wedelius* (f).

§. 13. Servant quoque liberi similitudinem vitiosam parentum, si cutem externaque spectemus. Guttam rosaceam recenset *Timæus*, (g) Scabiem hæreditariam *Hannæus*, (h) Luem Veneream

(a) *Dec. 2. An. 5. obs. 63.* (b) *l. 3. Obs. Med. 5.* (c) *M. N. C. Dec. 2. An. 5. Obs. 8. p. 11. in append.* (d) *Act. Haffn. T. 4. obs. 70.* (e) *Cent. 1. obs. 7.* (f) *Pathol. Med. Dogm. p. 285.* (g) *l. 6. c. 21.* (h) *M. N. C. Dec. 2 An 8 p. 254.*

ream *Fort. Fidelis* (i) Plicam in Polonia judicat *Helvvig*, (k) Hirsutos ex toto pilisque obsitos matrem peperisse satis formosam ex patre admodum piloso narrat *Platerus*, (l) qui alibi (m) omnem pilorum constitutionem, sub qua etiam calvitiem, tricas, capillos crispos nigrosque (quales æthiopum) aliterve coloratos rariores densioresque comprehendit, à seminis paterni maternique dispositione derivare non dubitat.

§. 14. Quid? quod verrucæ, nævi, & cicatrices vulnerum ulcerumque in certis servantur familiis. Et quod majori admiratione dignum est, ipsæ externæ parentum maculæ certis partibus corporis inhærentes in eandem fœtus partem propagantur, veluti Olera, Pisa, Lentes, à quibus integræ familiæ, Cicerones, Pisones, Lentuli, nomina sua mutuatæ sunt. (n) *Fuerunt & in quibusdam stirpibus gentilitia quædam signa, ut Seleuco ejusque posteritati anchoræ imago in femore, Spartis Thebanis lancea, quibusdam stellæ, Thyesti cancer, innata & insita statim ab ortu: Quæ interdum extincta & tecta in filiis proximisque nepotibus, longo post tempore in remotis posteris veluti revivisceren. vid. Delechampius.* (o)

§. 15. Et quamquam *Argenterius* (p) neget, læsiones fortuitas transire in liberos, nihilominus *tale quid vel tertia prole regeneratum est, ut, cum quidam suo in brachio puncti notam haberet, filius non retulit, sed nepos ea corporis parte nigritiam quandam habens confusam prodiit juxta Aristotelem.*

§. 16. Hæc & plura alia, hic prolixe haut alleganda, si conferantur inter se, apparet non omnium eandem esse rationem. Nec enim ortus idem est, nec modus propagationis, scil. a patre quidam, a matre alii, nonnulli etiam a majoribus, avis praovisque

(i) *l. 3. Sect. 3. c. 1. p. 298.* (k) *Obs. Phys. Med. 37. in Scholiis p. 135.* (l) *l. 3. Observat. pag. 554.* (m) *Prax. T. 3. l. 1. pag. 16.* (n) *Dav. von der Becke in Exper. circa rerum nat. princip. p. 198.* (o) *Comment. in Plinii Hist. Nat. l. 7. c. 12. p. m. 412.* (p) *Comm. in Art. Med. Gal. 11. de Sign. p. 416.*

que utriusque sexus descendunt in posteros morbi. De patre non est dubium, quin cum spermate inter coëundum communicetur ejusmodi vitium: Aſt fœmina toto gestationis tempore, sicuti alias fœtum signare potest, ita nihil prohibet, quo minus ipsi tunc accidens malum in sobolem quoque transferat, cum nutrimento, qualecunque demum id supponamus.

§. 17. Quo pacto id fiat, jam videndum est. Arbitror autem duplici ratione id concipi posse, videlicet propagari malum vel materialiter vel idealiter. Quæ vitia sunt humorum, Lues Venerea, Elephantiasis, Lepra, Scabies, scorbutus atque similia, in spermate parentum vel materno sanguine materialiter latitare quid obstat? ac potest equidem non difficulter explicari negotium, si vel parva illius initia per modum fermenti alicujus s. ad mentem aliorum, seminii verminosi multiplicentur & augeantur. Nam & in sanguine pariter atque semine dari ejusmodi vermiculos, testis est *Levvenhœck* (q) quanquam alia de his sententia sit Autoris.

§. 18. Quid si ponamus seminium hujusmodi e. g. Elephantiasi proprium non tam sub specie vermiculorum, sed ovulorum etiam quiescere in subjectis mediis, data vero occasione excludi, vires que suas exerere postquam per generationem traducta sunt in nepotes, si verum est, quod *Valescus de Taranta* (r) scripsit, *hoc Morbi genus ad posteros transisse mediis salvis*. Quod enim supprimatur per curam præservatoriam, ubi metus est illius pravæ dispositionis, non obscurum est intellectu, prout inferius declarabo.

§. 19. Cui hæc Theoria minus arridet, ac fortasse magis placet fermentorum saliumque doctrina, poterit eodem jure salia multiplicare, si commoda ipsis suppeditetur materia, ad imitationem aceti, quod ex Rhodani aqua in cado aceti solis ardoribus expositio factum testatur Helmont. (s) Poterit similiter vim salium ad tempus infringere in quodam subjecto, ut nullum inde patiatur

(q) *Anat. p. 194. & seqq.* (r) *in Philon. cap. de Elephantiasi.* (s) *Sext. digest. 59.*

tut damnum; Quæ tamen in natis accedente cumprimis errore diætæ, posthabitoque regimine debito, rursus virulentiam acquirunt pristinam.

§. 20. Interim cum *Dem. de Meara* sentire non possum, qui *Quercetanum* secutus, (t) *non aliam hæreditatis morbosæ causam, præter Sal fixum morbosum* agnoscit, *nullumque morbum fieri hæreditarium* putat, *qui de natura salis non participat; ac proinde morbos in specie hæreditarios non esse, quandoquidem non omnes de salis natura participant.*

§. 21. Præterquam enim quod seminia talium morborum materialia propagantur, dantur etiam, ut modo dictum, quæ materiam quidem non excludunt, sed omnino pro subjecto agnoscunt, in quo habitent; nihilominus in eo videntur distinguendi, quod sub conceptu salium, seminii verminosi, similisque materiæ corporeæ comprehendi nequeant; sed in spiritibus longe subtilioribus hæreant sub specie idearum morbificarum.

§. 22. Tales ideas archæi generantis autores morborum Hæreditariorum non male nominat *Helmont.* (u) quem sequitur *Marcus Marci*, (x) qui tamen paulo liberalior videtur, dum eos in genere, atque ideo & podagram, calculum, Luem Veneream &c. non alia ratione quam idealiter inesse posse arbitratur, quod credat corrumpi sperma, si peregrina quædam tanquam causæ occasionales materialiter inessent. Cui forte jam allegatus *Helm.* ansam dedit, quando alibi (y) contra Galenum pugnans *Calculi causam in recens natis negat esse lotii particulam semini admixtam, siquidem ne pilum initiis generationis permisceri absque toto ali ejus internecione,* cum tamen largiatur *patrantem, si pesticam urina repletam sub generando habeat, sobolem calamitati Duelech pronam suscitare, quod fracedo detenta diutius urinæ, fermentaliter inolescat vicino semini translabenti.*

§. 23.

(t) *Pathol. Hered. c. 9.* (u) *Tr. Progred. ad morb. c. 12. p. 429.* (x) *Phil. vet. reflit. part. 4. p. 413.* (y) *Tr. de Lithiasi 30. 31. p. 681. & 82.*

§. 23. Hanc *idealem ſ. ſpiritualem* morborum propagationem neceſſum eſt monente *Mœbio* (z) amplecti eos, ubi de morbis paternis ſermo eſt, qui cum *Harveo* (a) ſentiunt, nec materialiter ſed virtualiter tantum concurrere ſperma virile ad negotium generationis exiſtimant. Quemadmodum autem nec idea eſt, quæ non in ſpiritu vel Archeo, impetum faciente *ſtylo Helmont.* (b) reſideat, & cum eo transferatur, ita nec fracedo, nec fermentum aut contagium concipi poteſt absque materia; ita ut hærere ſibi aquam in hoc determinando puncto libere profiteatur *Harveus.* (c)

§. 24. Proinde media mihi arridet via. Ut enim clarius eloquar, quid ſentiam, arbitror ſeminium morboſum conſiſtere vel in *humorum*, vel *ſpirituum* vitio. Ad *humorum* vitia non requiritur quantitas inſignis adeo, quorſum inclinat *Hennick* (d) quoniam tantillum etiam fermenti ſufficere poteſt; ſed morboſa potius qualitas aut diſpoſitio ſalina, verminoſa, vel quæcunque ſimilis p. n. adventitia. Spirituum autem vitia ſunt: Propenſio ad furorem, torpor atque ſimiles inclinationes erroneæ.

§. 25. Sicuti enim *equorum alii natura generoſi, alii non item ſunt*, (e) *& inter canes maxime diſcrimen hoc apparet, quorum alii venatici, alii domeſtici, tantum ad allatrandum apti, in quibus ad venandum nulla aptitudo:* Ita nullum eſt dubium, quin fortes etiam inter homines creentur fortibus, debiles infirmis, timidi meticuloſis, iracundi furioſis, laſcivi ſalacioribus, ſtupidi ſtultis &c.

§. 26. Ecquis miratur Liberos faciem aut ſtaturam coloremque referre patris matrisve, vel majorum etiam, id enim quotidianum eſt. Nec refert, quo artificio e. g. macrocephali facti ſint parentes, certum tamen eſt teſte *Hipp.* (f) non diſſimiles fuiſſe naturâ, quos generarunt. Atqui nulla unquam ſimilitudo ejusmodi corporum, vultus, capitum, naſi &c. daretur, niſi ſpiritus genitalis

(z) *Fundam. Med. Phyſ. pag. 484.* (a) *de gen. animal.* (b) *p. 434.* (c) *de concept. p. 575.* (d) *de Panacea p. 18.* (e) *conf. Plateri Obſ. l. 1. p. 2.* (f) *de Aer. aqu. loc. 35.*

talis vi plastica instructus talem ipsis conferret formam. Idem si applicemus ad ideas spiritibus fortiter impressas Epilepsiæ, Maniæ, Melancholiæ, nihil est, quod impediat, quo minus cum semine, vel etiam cum nutrimento communicentur cum embryone.

§. 27. Ut autem certius constet, qui morbi vere sint Hæreditarii, cum alias non pauci communes cum parentibus habeant liberi, quos tamen hæreditarios haud esse omnio constat, iubet aliqua Signa recensere ad Dignotionem eorum utilia. Equidem *Zypæus* (g) existimat *valde dubium esse asserere morbum quendam à parentibus ægrum acquisivisse, quia ex proprio vitio illi subortus esse potest, ideoque ad summum ex sola suspicione, quod parentes simili morbo laborasse sciamus, quenquam hæreditarii morbi accusari posse.* Veruntamen si circumstantias omnes rite pensitemus, non deerunt argumenta, quorum beneficio dijudicare hoc morbi genus à reliquis non hæreditariis licebit.

§. 28. Etenim *primo*, si statim à nativitate aut saltem teneris annis, antequam infantes culpa propria sibi morbum quendam accersere valeant, nihilominus morbus infestet eos absque ulla evidenti causa, tunc omnino secure pronunciare possumus vitium esse Hæreditarium. Si enim e. g. in lucem editus infans primis etiam diebus cum urina sabulum reddat, quod in familiis calculosis non semel vidi, item si quadriennis filia ex Arthritide contracturam patiatur, qualem historiam *Sim. Schultzius* (h) memorat, aut si pueri atque juvenes minores Podagræ leviculam aliquam quasi velitationem persentiant, quemadmodum in nonnullis observavit *Sydenh.* (i) non levis oritur suspicio hæreditatis pravæ; sed jam firmum, ut arbitror, argumentum erit, si parentes commune cum iis malum experiantur, quemadmodum *Lentilius* (k) adducit *puerum 11. annorum, aliquoties jam passum fluxus hæmorrhoidum, cujus parens vexatissimus erat eodem malo, ac exhaustus fere.*

(g) *Fundam. Med. p. 271.* (h) *M. N. C. Dec. 1. An. 8. obs. 12. p. 21.* (i) *Tr. de Podagra p. 14.* (k) *ibid. Dec. 2. An. 9. obs. 124.*

§. 29. *Secundo*, si malum ejusmodi domesticum plures infestet natos, quemadmodum *Schneiderus* (l) narrat *ex relatione D Jani, Podagram a matre in tres filias, novennes adhuc & decennes, derivatam. Borellus* (m) autem *Virum rectum, qui tres duxit uxores itidem illæsas, & tamen omnes ejus filii fuerunt claudi, vitio avorum in his resurgente.*

§. 30. *Tertio*, si quod vitium constanter servetur apud successores, quemadmodum *idem Schneiderus* (n) refert *fœminam quotannis paroxysmo laborasse podagrico ter hæreditario.* Superius ex *Fracastorio* annotatum fuit, quasdam familias usque in quintam & sextam generationem omnes eadem Tabis conditione periisse. Quanquam enim casu fieri possit, ut filius cum matre commune malum sustineat, e. g. ut ex vini ignobilioris potu in podagram incidant; attamen si absque manifesta causa id fiat, filiusque temperans nihilominus paternum sentiat morbum, tunc sane genitor vix carere culpa videtur.

§. 31. *Quarto*, cum frequentius accidat ut a malo Endemio vel Epidemio plures insimul, ac tantum non omnes ejusdem urbis pagive incolæ corripiantur, necessum est ut in plurimis ædibus parentes cum liberis infestentur ægritudine: Si quis vero malum accusare velit hæreditarium, ridiculus foret, quoniam injuste parentes accusantur, ubi alia quædam causa communis manifeste se prodit: Si vero tale quid non nisi certæ cuidam familiæ fuerit domesticum, non male colligimus, hæreditarium esse, v. g. Scorbutum, Strumas &c.

§. 32. *Quinto* respiciendum est ad morbi genus: Qui enim vulgares sunt admodum, levique contrahuntur errore, huc pertinere non videntur. Exemplo sint mihi *calculi copiosi pulmonum deprehensi ab Huldenreichio* (o) *in Juvene, quibus antehac ejus parens similiter vexatus interierat.* Tale quid si acciderit lapicidæ, calca-

(l) *de Catarrh. p. 686.* (m) *Obs. 7. Cent. 1.* (n) *l. c. p. 691.* (o) *M. N. C. Dec. 1. An. 6. & 7. obs. 221.*

calcario, cæmentario, qui tota die pulverem saxorum calcisque inspirant, mirum haud foret; ast studiis consecratum atque alienum ab omnibus ejusmodi externis injuriis idem pati, non leve præbet argumentum inquinamenti connati.

§. 33. *Sexto*; Quamvis affectus alias etiam frequentior sit, possunt tamen circumstantiæ quædam occurrere in eo, quæ non sunt contemnendæ. Pervulgatum est apud omnes malum Cephalalgia. Ecquis vero dubitet eam pronunciare congenitam, si non modo parentes cum liberis invadat frequentius, ad minimum singulis mensibus; sed etiam levissima causa occasionali accedente, quæ anorexia & prostratione virium insigni comitata ordinarie terminetur vomitu, qualem Historiam suggerit *Muralt.* (p)

§. 34. Hæ sunt potiores circumstantiæ, quæ in dignoscendis morbis attendi debent, si una ex his non suffecerit solitariè, sufficere tamen poterit concursus earum, ita, ut quo plures in eodem casu concurrant, hoc magis certi de vitio hæreditario esse queamus. Missis ergo *Signis Diagnosticis*, videamus nunc etiam *Prognostica*, ut appareat, quid in Cura ejusmodi morborum sperare liceat.

§. 35. Consentiunt in hoc præeunte *Hippocrate* (q) plerique Autores, quod difficillimæ Curationis sint hujusmodi morbi, utplurimum penitus incurabiles. Ita sentit *Bruno Seidelius* (r) & cum eo *Rod. a Castro* (s) Epilepticos infantes ex epilepticis parentibus genitos rarissime vitales, aut diu admodum superstites esse; idem etiam de calculosa ac podagrica dispositione affirmat, quæ etsi aliquando summa cura & victus accuratissima observatione nonnihil sublevata esse videatur, nunquam tamen proclivitas ad ista mala penitus eximitur, quin levissimo etiam errore commisso redeant.

§. 36. Ita est, incurabiles omnino sunt, si quod Sensorium, oculus, auris, lingua &c. aut pars alia solida in utero materno rite

(p) *M. N. C. D. 2. Ann. 8. obs. 12.* (q) *prædict. II. 11. 3.* (r) *de Morb. incurab. p. 8.* (s) *Med. Polit. l. 3. c. 18. p. 175.*

conformata non fuerit, si stupiditas paterna in prole se exerat, nam & infirmitatem illam quæ in tremore peculiaris est, novi quibusdam familiis ita infensam, ut non seniores demum, sed prima etiam atque virili ætate cunctos affligat, quicquid etiam ad ejus curam fuerit adhibitum. In genere, qui actu connati & in utero perfecte acquisiti sunt, vix ac ne vix quidem extirpantur.

§. 37. Verum quamdiu saltem dispositio morbosa in genere natorum latitat, antequam morbus se manifeste prodat, tamdiu spes adhuc affulget, fore ut si omnem præscindamus occasionem, ad minimum gliscentes sub cineribus igniculi supprimantur, si non extinguantur penitus.

§. 38. Videamus ergo *quo pacto instituenda sit Cura?* Nimirum si à matre contaminetur statim in utero fœtus, scorbuto, lue venerea, elephantiasi, lepra, scabie &c.. optimum est, si post partum ilico alteri tradatur nutrici perfecte sanæ robustæque; ita enim fieri potest, ut congenitum illud humorum vitium paulatim emendetur beneficio lactis nobilioris. Confirmat id egregie Observatio *Eugaleni.* (t) Familiarissimum Embdæ pueris & infantibus malum, convulsionem notat scorbuticam, iis imprimis, qui à parentibus hoc malo infectis nascuntur, vel obstetricis hoc morbo infectæ lac sugunt. Idem cum filiolum prehenderet, nullaque medicamina satis prodessent, jussu medici nutrix quæsita fuit sana, nulloque morbo contaminata, quo facto intra triduum motus convulsivi cessarunt penitus.

§. 39. Quodsi dispositio saltem morbosa connata, morbusque nondum perfecte factus fuerit, opera danda est, ut evitentur cuncta, quæ juvare aut promovere illam quadantenus valent: Vicissim omnis labor dirigendus est eo, quo in adversam partem trahantur mature. Nec enim expectandum est, usque dum morbus altiores egerit radices, ita enim Plutarchus (u) scribit, filios post mortem parentum longo confirmatoque morbo defunctorum, illico medicorum Curæ ab ætate ineunte fuisse concreditos. §. 40.

(t) *de scorbut. 26. p. 119.* (u) *lib. de sera numinis vindicta.*

§. 40. Scilicet ante omnia diſpiciendum eſt, quorſum inclinent liberi, & quid metuendum ſit ex vitio primarum viarum, humorum aut ſpirituum ataxia vel infirmitate. Ponamus exhiberi nobis, quorum parentes Melancholia fuerint affecti. Hic vero non conſultum eſt, ut ſeſe ſtudiis profundioribus conſecrent, aut ſedentarium vitæ genus eligant, ſed à teneris annis aſſuefiant converſationi honeſtæ, muſices culturæ, & ſi quæ alia mentem exhilarant, cujus rei exemplum in Ammanni Medic. Crit. (x) habetur.

§. 41. Maniacorum vero poſteri, quod natura ſint ferociores, & ad iram proclives, audaces, contumaces, quantum fieri poteſt ab omnibus defendendi ſunt, quæ occaſionem iſtiusmodi animi motibus præbeant. Vini quoque uſus immodicus & ebrietas cane pejus ac angue vitanda ſunt, proſtant enim hinc inde Obſervationes (y) eorum, qui graviſſime afflicti fuerunt hoc errore commiſſo. Interim ad humorem acidum, ſicubi peccet, deſtruendum exhibeantur præcipitantia, limat. chalybis, corall. lap. 69. Ebur, Terra Goldb. &c. non neglecto vomitorio, ubi quantitas pravorum humorum in corpore abundans id exigit; aut ſaltem purgante appropriato ex rad. helleb. nigr. fol. ſenn. atque polypodio. Et quandoquidem vigiliæ melancholicis pariter ac Maniacis admodum nocivæ ſunt; ita viciſſim crocata, papaverina ſimiliaque hypnotica, imprimis mitiora, non parum præſervant juvantque illos. Nam & V. S. inſtante ſanguinis orgaſmo inſtituenda, imo repetenda quotannis erit, ſi opus.

§. 42. Qui è familia lipporum, myopum nyctalopumque ſunt, abſtinere debent à cunctis aciem oculorum obtundentibus; atque ideo ad artem docimaſticam, chemicamque haut admittendi; officit enim aſpectus lucidioris flammæ non minus quam rerum minutiſſimarum: unde patet facile, quid de lucubrationibus ſentiendum ſit, duplici videlicet nomine nocivis. Interea eſus ceparum, allii, armoraciæ, interdicendus ipſis eſt; è contrario

(x) *p. 399.* (y) *M. N. C. Ann. 17.*

ad potum quotidianum paretur vinum vel cerevisia medicata ex Euphrasia, ruta, fœnic. betonica atque Valeriana.

§. 43. Ad Pthisin proclives vexantur ab initio communiter catarrho acri, unde primo vehementior ac diuturna tussis, post sanguinis sputum ac tandem exulceratio pulmonum nascitur. Quid ergo aliud sibi volunt, quam anticatarrhalia, uti sunt Tragacantha, Gum. arab. Mastiche, Oliban. Styrax, Terræ pingues, semina dulc. & oleosa, gossypii, melonum, cucurb. pineæ, pistac. amygd. radices mucilaginosæ altheæ, Malvæ, lil. alb. glycyrrh. amylum, & quæ alias ingrediuntur pulverem Haly, non contemnendum in phthysi remedium, si modo recenter paratus fuerit. Quo præmisso egregium quoque usum habebit diæta lactis, ut vocant, i. e. aliquandiu continuandus potus lactis vel bubuli vel caprilli, vel asinini etiam, aut humani, si mavis.

§. 44. Calculosorum liberis præ cæteris imperandus est motus & exercitatio corporis quotidiana, quippe quæ vix patitur arenulas in renibus aut vesica colligi. Potus iis convenit tenuis ac diureticus, sed casei usus cane pejus & angue vitandus. Maxime vero custodiendi sunt à frigore circa regionem præcipue lumbarem; siquidem experientia testatur id summe infensum iis esse vel quod irritando fibras in spasmum sensum lapillorum hactenus quiescentium excitet in renibus: vel quod ipsum etiam lotium turbet, tartareasque particulas in eo dissolutas secedere faciat, non sine obstructionis metu.

§. 45. Ad Arthritidem proclives ante omnia sibi temperare à vini, præsertim illaudabilis, potu, necessum habent. Quid ira valeat in producendo hoc affectu, in vulgus notum est. Sed quam pauci sunt inter homines, qui æquo ferant animo, si quid adversi ipsis acciderit vel injurioſi. Ut nihil dicam de abusu veneris, ad quem stimulantur ipso jubente morbo, acrimonia videlicet humorum ad lasciviam eos irritante.

§. 46. Hæc speciminis loco commemorasse sufficiant, quan-

quam

quam alia plura non difficulter revocari huc potuiſſent ex ampliſſimo, ut ab initio monui, morborum Hæreditariorum numero. Itaque hic pedem figo; nec quicquam ſupereſt, quam ut abs Te L. B. veniam mihi exorem, ſi quæ fortaſſis minus accurate dicta deprehendas: DEO autem immortali, pro præſtito auxilio, viribusque conceſſis ſit in æternum ſoli Laus, Honor, Gloria.

DISPUTATIO XXXVI.

DE

MORBIS ENDEMIIS.

SI ægros inter ſe conferamus, conſtabit luculenter, plurimos eorum plane diſſimilibus laborare morbis, interdum tamen non paucos etiam ſimili vel eodem affligi malo. Id morborum genus *Hippocrates* olim dixit σποράδας νόσους, h. e. ſparſos, oppoſuitque τοῖς κοινοῖς ſeu communibus. a) Communium autem duas iterum claſſes conſtituit, b) quarum una complectitur ἐπιχωρίας i. e. morbos regioni cuidam peculiares atque vernaculos, altera παγκοίνους ſive omnibus communes, vel etiam ἐπιδημίους ſive populares, quos peculiariter VII. Libris expo-

a) *In Libro de Victu acutorum Sect. III. Edit. Lind. Tom. II. Op. pag. 270.* b) *in Tract. de Aere Aquis & Locis Tom. I. p. 331.*

posuit. c) Eandem rem, saltem vocibus quibusdam mutatis, *Galenus* quoque tradidit, d) siquidem κοινοὶ Hippocratis, ipsi etiam πάγκοινοι ἢ πάνδημοι vocantur, ἐπιχώριοι autem ἔνδημοι ἢ ἐνδήμιοι, sed σπράδες & ἐπιδήμιοι significationem retinuerunt antiquam. e)

Secuti postmodum plures sunt Galenum, græcisque terminis in Latinum versis, dixere morbos Sporadicos, Pandemios, Endemios & Epidemios. f) Missis jam reliquis, è genere communium hac vice mihi *Endemios* selegi, ut thema suppeditarent Disputationis haud ignobile.

Quandoquidem vero hujus materiæ dignitas prolixam postulare tractationem videtur, quam tamen instituti mei ratio non permittit; Veniam L. B. mihi dabit, ut spero, si loco speciminis è multis pauca saltim recensea, qualia forte obviam venerunt. Ita vero me geram in sequentibus, ut Capite primo Naturam & Varietatem Morborum Endemiorum proferam; Secundo Causas illorum examinem; Tertio denique Curandi rationem adjiciam.

Cui meo conatui, ut infinita sua Gratia clementissime adesse ac præesse velit Æternum Numen, humillimis supplicibusque oro ac obtestor precibus, quo cuncta cedant in Sui Divini Nominis Gloriam, proximique salutem.

CAPUT

c) *Tom. I. p. 653. seqq.* d) *Comment. I in Libr. de Victu acutor. Aphor. 9.* e) *Conf. Gorræi defin. Med. p. 148.* f) *Videatur Fernelius de abdit. rer. caus. L. II. c. 11. & Sennert. Instit. Medic. Lib. II. Part. I. cap. 9.*

CAPUT I.

De Natura & Varietate Morborum Endemiorum.

§. 1.

QVos vulgo Endemios vel Endemicos, aut etiam vernaculos, Patriosve aut Nationales vel Regionales atque Gentilitios vocant, morbi sunt certæ cuidam Regioni admodum familiares, ita ut incolarum plures iis affligantur, & quidem ob causam Communem & Indigenam.

§. 2. Nimirum Tria sunt requisita ut morbus dicatur *Endemius*. Primum est ratione Subjecti, ut multos in eadem urbe vel regione afficiat: alterum ratione Causæ, ut ortum suum habeat à causa quadam communi, & quidem non aliunde illata, sed innata: tertium ratione Durationis, ut malum illud perpetuum sit, aut certe diuturnum, ita ut ad plures annos extendatur.

§. 3. Convenit enim in illo morbus *Epidemicus* cum *Endemio*, quod in utroque plures simul eodem corripiantur malo; ast in hoc differunt, quod *Epidemicus* à Causa quadam alienigena & adventitia producatur, & quidem ad tempus saltem determinatum: *Endemicus* à Causa patria & indigena. Ubi tamen notandum est, Causam Endemiorum quandoque fuisse adventitiam ab initio, postmodum vero ubi per plures annos in eodem loco fixa permanet, indigenis non immerito annumerari; ad quem modum advenæ in ordinem civium recipiuntur, quando in urbe aliqua sedem fixam sibi elegerunt, non æque illi, qui certis saltem diebus mensibusve inibi commorantur peregrinatores.

§. 4. Res in exemplis clarissima erit. Et quandoquidem in tanta multitudine facilis contingit confusio, meum erit, potiora & notatu digniora tantum recensere hac vice; ita tamen ut Primo loco nominem Affectus Capitis Collique Endemicos: Secun-

do Pectoris: Tertio Abdominis: Quarto Artuum: ac denique Quinto Totius Corporis, internos externosque.

§. 5. Quod I. ad Capitis Affectus. Inter eos notissima se sistit *Plica Polonica*, sive horridum intricatumque capillitium, cujus Descriptionem, Ortum & Progressum satis docet Epistola *D. Laurentii Starnigelii*, Rectoris Academiæ Zamoscienſis, ad Professores Academiæ Patavinæ Medicos, A. 1599. data. g) Nimirum inter Ungariam & Pocutium, provinciam regni Poloniæ, primum A. C. 1287. * istiusmodi Cirrhi observabantur; paulo post per totum regnum Poloniæ divagatum est idem malum. Russos itaque, Ungaros Polonosque ab initio, deinceps & alios vicinos longiusque remotos prehendit. h)

§. 6. Oculorum vitia, *Ophtalmia*, *Hebetudo visus*, & *Cæcitas* frequentissima sunt in Maltha, i) item in Ægypto & Cairo præcipue k) ubi æstivo tempore vix decimus quisque immunis est à tali ægritudine. Similiter & inter Armenos in Erzero, l) ut & in Indiis, ita ut etiam inter navigandum versus Amboynam, Bandam & Moluccas visu non pauci priventur. m)

§. 7. Peculiaris morbus Peruvianis est, potissimum circa Portum veterem, faciem enormiter deturpans: Solent enim excrescentiæ quædam rubicundæ indolentes ad magnitudinem nucis juglandis, sicuti reliquo in corpore, ita inprimis circa frontem, nasum, genas mentumque prorumpere; atque illæ non solum incolis, sed & advenis infensæ sunt admodum. n)

§. 8. *Strumæ* sive Tumores glandularum insignes in Collo, pluribus accidunt gentibus. Asiaticis nempe in Regno Boutan & Ti-

g) *Vid. Sennert. Praxis L. V. P. III. Sect. II. cap. 9.* * *M. N. C. D. I. A. VI. Obs. 138.* h) *Jo. Schenck. Lib. I. Obs. Med. fol. 6.* i) *Thevenot. Itin. Or. Part. I. L. I. c. 5.* k) *Id. P. I. L. II. c. 80.* l) *Tavernier Itin. Part. I. L. I. cap. 2.* m) *Jac. Bontius Lib. II. Hist. Nat. & Med. cap. 16.* n) *Hoc in se ipso experta testatur Hier. Benzo L. b. III. Part. VI. Americ. p. 50. & ex eo* [illegible] *Acosta L. IV. c. 9. p. 87.*

Tipra; o) Europæis in Hiſpania, p) Italia, ſcil. in quadam agri Bergomenſis parte, q) & oppido Fabriano, r) ut & montium Pirenæorum Alpiumque accolis, & qui Stiriam Carinthiamque inhabitant; s) ac denique Tingœſis in Moſcovia. t)

§. 9. E Pectoris morbis II. nominandis, *Phthiſis* ſe offert, ſive Pulmonum Ulcus, frequens in Anglia *, ita ut plures incolarum gregatim regiones Galliæ auſtrales petant, aut ad minimum è fumoſis urbibus in villas confugiant, aëris liberioris captandi ergo: u) Idem malum Luſitanis Endemicum aſſerit *Fernelius l. c.* Præ cæteris autem videtur noſtris in terris quaſi domeſticum atque proprium iis, qui mineralia è fodinis eruunt funduntque; vv) quippe quibus pulmones non modo exulcerantur, ſed & deſiccantur quandoque, non aliter ac ſi in fumo ſuſpenſi aliquandiu fuerint. x)

§. 10. *Pleuritis* etiam ſive Inflammatio thoracis cum febre tuſſique, quibusdam in locis Endemia deprehenditur, quamvis alias Epidemica frequentius eſſe ſoleat. Ita enim in nova Hiſpania y) Mexicani maxime huic affectui ſunt obnoxii, ut plures eo jugulentur: ſive aeris vitio, ſeu pravæ conſuetudinis culpa, prout inferius declarabo.

§. 11. Sed III. Abdominis morbi quoque notari merentur. Qui circa lacum Thraſimenum habitant in Italia, *Tumores* patiuntur vel *Hepatis*, vel *Lienis*, vel reliquarum partium naturalium. z) In Indiis autem *Oppilationes* illæ *hypochondriacæ* adeo frequentes ſunt, ut inter morbos populares nulli magis dominentur, pluresque è medio tollant. a)

o) *Tavern. P. II. Lib. III. cap. 15. & 16.* p) *Fernel. de abd. rer. cauſ. L. II c. 2.* q) *Hier. Fabr. ab Aquap. P. I. c. 42.* r) *Horat. Augerius de Febr. L. VI c. 5.* s) *Ortelius ad Tab. 92. it. Furerus Itin. p. 117.* t) *Appendix. ad Belgar. Navigat. Boreal. III. p. 64. in T. I. Nov. Belg.* * *Goarencier de Angl. flag. paſſim.* u) *Williſius in Pharmac. Rat. Sect. I. cap. 6.* vv) *Paracelſus Op. T. I. p. 643. & ſeqq.* x) *Schenck in Epiſt. Barth. Cent. IV. Ep. 72.* y) Gottfried *Hiſt. Antip. Part. III. p. 608. & 610.* z) *Hor. Augen. de Febr. L. VI c. 5.* a) *Gv. Piſo Hiſt. Nat. & Med. L. II. c. 6. Bontius L. 2. c. 7. & 11.*

§. 12. Nec infrequentia inibi ſunt Inteſtinorum vitia; *Colica* nempe, cujus quatuor ſpecies, ſub quibus Vomitus etiam atque Cholera comprehenduntur, Portugalenſibus Mordechin dictas, recenſet *Thevenot:* b) item Alvi fluxus, & Dyſenteria. c)

§. 13. *Nephritis* autem, ſive Inflammatio Renum doloroſa, ut & eorundem atque Veſicæ *Calculus* in Franconia * & Auſtria d) potius, cæterisque regionibus circa Danubium ſitis e) graſſantur, nec non in Italia, ſiquidem id ipſum de Civitate Anxur, quæ hodie Tarracina vocatur, aperte aſſerit *Augenius* loc. cit. Quid? quod & in vicina Thuringia Misniaque ipſa ſic ſatis frequentes occurrunt hujusmodi affectus, ita ut non tantum plerisque ſenibus familiares, ſed & recens natis quandoque infenſi deprehendantur.

§. 14. Huc etiam *Herniæ* referendæ ſunt, quæ itidem nationes quasdam præ aliis affligunt: & ſpeciatim quidem *Sarcocele* ſive Hernia teſticulorum carnoſa in Ægypto f) vulgaris eſt admodum, non minus quam *Hydrocele* ſive ſcroti aquoſus tumor; g) alias & in Narbonenſi h) Gallia non rarus.

§. 15. Transeo ad IV. Claſſem morborum Endemicorum, qui artus potiſſimum afficiunt, ac inter eos primo loco *Arthritidem* nomino, ſive articulorum dolores atque tumores in Podagra, Gonagra, Chiragra &c. perquam familiarem Rheni accolis, i) Auſtriacis, k) Hungaris, l) Neapolitanis m) aliisque vini quotidiano potui aſſuetis.

§. 16. Sed minus vulgare malum eſt, quod in oppido D. Thomæ

b) *Itinerar. Part. III. Lib. II. c. 10.* c) *Piſo L. II. c. 9. & 12. Bont. L. II. c. 3. Lindſchottus Ind. Or. Part. II. c. 34.* * *Libavius in Ciſt. Med. Hornungi Ep. 38.* d) *Joh. Jac.* Waldſchmidt *Inſtit. Medic. Rat. L. II. c. 2.* e) *Jo. Hisk. Carulucius in offic. Sanit. cap. 143. p. 614.* f) *Theven. P. II. L. I c. 9.* g) *Id. P. I. L. II. c. 80.* h) *Fern. l. c.* i) *M. N. C. D. I. A. II. Obſ. 39. Jo. Dolaus Encyclop M. Th. Pr. L. III. c. 14.* §. *10.* k) *Gregor. Horſtius Append. ad L. II. P. II. Tr. de Scorb. Sect. I.* §. *5.* l) *M. N. C. D. I. A. II. Obſ. 28. Dolaus l. c.* m) *M. N. C. D. I. A. VI. Obſ. 138.*

mæ ad littus Coromandel à *Lindſchotto* n) annotatum legimus, incolas videlicet utriusque ſexus pede alterutro naſci craſſo, velut elephantis. Nec dubium eſt, quin in vicina Malabar ſimiles deprehendantur homines, ſiquidem & in Cochin talem conſpexit *Thevenot.* o)

§. 17. Ad Extremorum vitia referendi quoque ſunt *Pernio*nes, ſive dolores, Tumores & Exulcerationes à frigore contractæ, Zonam frigidam inhabitantibus ſolennes, ita ut in Ruſſia p) non rarum ſit, digitos manuum pedumque, aures ac naſum ab aëris iſta inclementia tolli.

§. 18. Supereſt ut V. Morbos Totius etiam attingam, è quibus febrium varia genera prolixe recenſere poſſem, ſed ea lubens prætereo brevitatis amans. Et hæreo certe, an non *Peſtis* ipſi dici queat Turcis in Cairo & Byzantio q) Endemia, quanquam id contra *Herculem Saxoniam* ſtrenue impugnet *Sennertus:* r) Quid enim impedit, quo minus morbus aliis Endemius, aliis Epidemicus etiam ſit?

§. 19. Recenſendus hoc in loco etiam videtur Sudor Anglicus, quem pro Endemio habet *Willis,* s) eumque ortum affirmat An. 1485. circa initium menſis Auguſti, duraſſe usque ad finem Octobris, poſt ſpatio 66. annorum quater rediiſſe, videlicet A. 1506. 1507. 1528. 1551. & vix unquam ultra ſex menſes deſæviiſſe, atque hoc ſeculo currente non amplius conſpici. Verum ex ipſa hujus morbi deſcriptione t) ſatis apparet, potius Epidemicis, quam Endemiis eum eſſe annumerandum. Nam & *Hippocrati* jam olim nota u) atque ab eodem Epidemicis annumerata fuit febris ſuda-

n) *Ind. Orient. T. II. cap 15. & ex eo Adam. Olearius Comment. in Mandelsloh Itiner. Orient. L. III. p. 196.* o) *Part III. Lib. 2. cap. 1.* p) *Ad. Olear. Itin Perſic. Lib. III. c. 2.* q) *Hercules Saxonia Lib. de Phœnigmis Sect. II. cap. 1 & 2.* r) *Inſtit. Med. L. II. P. I c. 11. & de Febr. L. IV. c. 1.* s) *Pharm. Rat. P. I Sect. V. cap. 3.* t) *Sennert, de Febr, L. IV. cap. 15.* u) *Hipp. in Prædict. l. 7. & Coac. Prænot. IV.*

toria, quam ὑδροπυρετον nonnulli dixerunt. x) Et inter alios teſtatur *Fernelius*, eandem Luem in omnem inferiorem Germaniam, Galliam Belgiumque pervagatam ſimiliter. y)

§. 20. Ejusdem conditionis eſt morbus Hungaricus, quem An. 1566. maxime obſervarunt, a) ſcil. in Hungarica Maximiliani ſecundi expeditione contra Turcam. Certe iſta febris peſtilentis ſpecies ab eo tempore ſæpius aliis etiam in locis graſſata eſt Epidemice, e. g. in tractu Würtenbergico A. 1611. & 1620. b) & Ingolſtadii A. 1632. 1633. & 1634. quo tandem in ipſam atrociſſimam peſtem converſa eſt c).

§. 21. De cætero *Febres Ardentes* omnis generis in Indiis d) eſſe quotidianas non miror. *Purpuratas* autem hic Lipſiæ pro Endemiis haberi, quid obſtat, cum ab A. C. 1652. & quod excurrit, e) quo primum apparuerunt, plures quotannis, præcipue puerperas affligant vel etiam è medio tollant.

§. 22. Eſt autem *Scorbutus*, quem in purpura communiter accuſant, regionibus ſeptentrionalibus f) maris Balthici accolis, iisque qui Germanico adjacent Oceano, Flandriae, Brabantiæ, Zelandiæ, Hollandiæ, Friſiæ, Daniæ, Norvvegiæ, Sveciæ, Curlandiæ, g) Pomeraniæ, Weſtphaliæ finitimisque populis malum Endemium & vernaculum, imo & hodie in Misnia, Bohemia, Moravia, Sileſia, Boruſſia, Haſſiaque non raro reperitur.

§. 23. Affinis huic malo eſt *Lues Indica*, quae *Mia* a Braſilianis appellatur: h) Aſiaticis, i) Afris, k) & Americanis l) indigena,

x) *Fernel. L. II. c. 11. de abd. rer. cauſ. p. 198.* y) *Id. c. 12 p. 213.* a) *Senn. de Febr. L. IV. c. 14.* b) *Gabelchoverus Cent. V. obſ Cur. I. II. & ſeqq.* c) *Höferus Herc. Medic. L. VI. cap. 2.* d) *Lintſch. Ind. Or. II. cap 34.* e) *Welſchii Diſſ. de novo Puerperar. morbo ipſis dicto* der Frieſel. f) *Sennert. Pr. L. III. P. V. Sect. II. c. 1.* g) *Roſin. Lentilius Mercur. Curl.* h) *Piſo Hiſt. Nat. L. II. c. 16.* i) *In China Lintſch. Ind. Or. P. IV. p. 67. Inſula Amboyna & Moluccis Bont. H. N. L. II. c. 19. Java majore Franc. Draco Addit. I. ad P. VIII. Americ. p. 18. Goa, Man'elsl. Itin. Or. L. II. cap 5. it. Lintſch. Ind. Or. P. II. c. 34. in Perſia, ubi p. cujusdam nomine Schemet Kaſchi*

na. Inde vero ab Hiſpanis militibus m) cum Chriſtophoro Columbo ex India occidentali redeuntibus An. 1493. vel 1494. in Europam allata eſt. Cum enim eo tempore Carolus VIII. Galliarum Rex Neapolin obſideret, in qua ſtipendia faciebant milites jam dicti, ob annonae caritatem, gentem inutilem, ſcorta ab illis infecta, & formoſiſſima quidem, clam exurbe expulerunt, ut corrumperent hoſtem, atq; ita factum eſt, ut infrenes juvenes cum iis coëuntes ſimili afficerentur malo; cui poſtmodum *Neapolitani* nomen; à Gallis autem cum in Germaniam diſſeminaretur, morbus eodem jure *Gallicus* dictus fuit.

§. 24. Non diſſimilis *Arabum* eſt *Lepra*, Graecis *Elephantiaſis* dicta, de qua *Lucret.* L. VI.

Eſt Elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur, Ægypto in media, neque praeterea unquam.

Verum tranſiit & hoc malum ad Italos temporibus Pompeji Magni, uti teſtatur Plinius: n) poſtmodum o) ad Hiſpanos quoque ac Gallos, p) imo & Germanos: q) quanquam his noſtris in terris tantos progreſſus non faciat, ut in Africa, r) vel etiam in Indiis, s) & ſpeciatim in Java. t)

§. 25.

ab urbe Kaſchan dicitur; Olear. Itin. Perſ. L. V. c. 7. k) *In Congo, ubi Chitangas appellatur, Auguſt. Caſſiodorus. Deſcr. Cong. L. II. c. 7.* l) *in Florida, Americ. P. II. Tab. 20. Puna & Portu Veteri, Americ. P. VI. c. 19.* m) *Nic. Monardus Simplic. Medicam. Hiſt Cap. XX. Gabriel Fallopius Tr. de Morb. Gallic. c. 1.* n) *Nat. Hiſt. L. XXVI. c. 1.* o) *Pareus Chirurg. L. XIX. c. 6.* p) *In plerisque enim Vaſconiae locis praecipue apud Bigerrones & Benearmenſes frequentiſſimum eſſe ſcribit Merula Coſm. P. II. L. III. c. 38. p. 446.* q) *ſuo tempore Endemium & peculiarem Germaniae morbum aſſerit Roder. à Fonſeca T. I. Conſ 66. & Bavaris potiſſimum infenſum teſtatur Jo. Joach. Becherus in Phyſic. ſubterr. L. I. Sect. V. cap. 1. n. 34.* r) *Pareus l. c.* s) *Eſt Impetiginis Indicae ſpecies, quam Incolae Courap. indigitant, quaeque ſaepius in Elephantiaſin tranſit. Bont. H. N. & M. L. II. c. 17.* t) *Diſſert. Epiſtolic. Jo. Chr. Menzelii ad Cleyer. ſub Praeſid. B. Albini de Elephantiaſi Javae nova.*

§. 25. Vermes autem nasci in corporis partibus carnosis quasdam apud gentes rarum non est. Eos Arabes, praecipue Avicenna, *Venam Medinensem* Arabiae appellarunt, scil. quod plurimum quidem generetur in Medina quanquam etiam in terra Corasceni & Ægypto multiplicetur. u) Hodie non minus in Insula Ormo, vv) it. in Gamron, x) & Laar, y) apud Persas notantur: imo & apud Afros in Gvinea, z) potissimum castello Nassoviae. a) Rectius proinde *Dracunculos* nominabimus, quod Vermium genus aliis etiam in animalibus plantisque observatur. b)

§. 26. Magis adhuc periculosus est *serpentum* & *Viperarum morsus*. Quanquam enim omnibus eadem non sit virulentia, c) quod de Melitensibus, à S. Pauli naufragio innoxiis, d) perhibetur; nutrit tamen illos humani generis hostes hinc inde tellus, e) ita ut praeter Asiam, f) Africam, g) & Americam, h) Europa i) quoque nostra iisdem non careat.

§. 27.

u) *Avic. L. III. Fen. III. Tr. II. c. 21.* vv) *Lindsch. Ind. Or. T. II. c. 6. p. 28. 29.* x) *Theven P. II. L. III. c. 5. p. 200.* y) *Id. l. cit. cap. 4. p. 193. it. Mandelsl. Itin. Or L. I. c. 6.* z) *Geo. Hier. Velschius Exercit. de Vena Medin. c. 1. p. 39. & c. 12. p. 314. seqq.* a) *Sam. Braun. Ind. Or. T. I. App. Itin. 3. pag. 25. & 33.* b) *Velsch. l. cit. cap. 5. p. 134. seq.* c) *Dapper. Descr. Afric. p. 351. Amer. L. II. c. 16. Velsch. de Ven. Med. c. 8 p. 215.* d) *Id. l. c. & Thev. P. I. L. I. c. 5.* e) *Viperæ inveniuntur in Asia, it. in Indiis, Hispania, Italia &c. Jo. Jonstonius H. N. de Serp. L. I. Tit. II. cap. 1. artic. 1.* f) *Thev. P. III. L. II. c. 9. Mandelsl. l. 1, c. 17. Robert. Knox Descr. Ceyl. L. III. cap. 11. O. Dapp. Descr. Assyr. p. 210.* g) *Ind. Or. T. I. c 10. O. Dapp. l. c. In Africa prærltas induunt ocreas agricolæ, ne à serpentibus, qui ibi copiosi, appetantur. Jonst. de Serp. L. I. Tit. I. pag. 6. sic in Numidia morsibus eorum venenosis quotannis plurimos mori, ex Leone Afric. refert idem l. c.* h) *in Batavia nova O. Dapp. Descr. Amer. L. II. c. 3.* i) *in Hispania; Ita enim quædam ejus Insula ob serpentum frequentiam Ophiusa sive Colubraria dicta, inhabitabilis facta est, referente Plin. H. N. L. III. c. 5. In Gallia quoque occurrere concludi potest ex experim. D. Charas, quæ recens. in Act. Philos. Angl. mens. Dec. 1669. in Italia; Thessalia enim in tantum abundat serpentibus, ut nisi à ciconiis vorarentur, incolas sedibus pellerent. It. in Lombard. &*

§. 27. Et quemadmodum k) Amyclas in Italia deletas à ſerpentibus, ita late deſertam regionem citra Cynamolgos Æthiopas, à *ſcorpionibus* & *ſolpugis*, extincta gente, narrat *Plinius*, l) *ſcorpionem* vero dirum animal Africæ, m) in Italiam ſæpius quæſtus cauſa illatum à Pſyllis, ibidem deprehendi quidem, attamen rariorem ac fere innocuum, ſed intra Siculi cœli regionem vivere nequiviſſe n) his temporibus notatur etiam in Aſia, ſcilicet Amadabat, & potiſſimum in India, Java majore, nec non in Perſia, o) inprimis circa urbem Kaſchan, ſatis frequens ac perniciosus.

§. 28. Eodem hoc in loco *Tarantulas* quoque obſervare licet, p) quæ alias in Sicilia, Italia, Calabria, & Apulia, q) potiſſimum prope Tarentum, unde nomen ſuum ſortitæ ſunt, valde ſæviunt: ita ut ab earum puncturis varii atque mirabiles effectus producantur, in aliis curſus continuus, in aliis ploratus, clamores, in quibusdam ſomnus profundior, r) item in aliis ſaltationes, aliaque delirantis Phantaſiæ genera. s)

§. 29. Denique *animalcula pulicibus* non diſſimilia commemoranda veniunt, quæ Americæ incolas pariter atque advenas mire vexant. In Hiſpaniola nominantur *Nigua*, Braſilianis *Cac*, vel etiam *Attun*, aut *Tunga*, à Luſitanis *Bicchios*. Vivunt autem illa in pulvere & ſordibus, unde proſilientes ſub unguibus manuum pedumve ſe occultant, atque carni ulterius inſinuant, ſanguinemque aſſugunt, in principio quidem ſine manifeſto doloris ſenſu, tum vero pruriginem excitant non levem, ac niſi confeſtim educantur, piſi magnitudinem acquirunt, ſummoque cum dolore

agro Ferrar. multæ ſpecies inveniuntur teſt. Scalig. Jonſt. l. c. in Helvetia; it. in locis Septentr. ib. & ſpeciatim in Norvvegia viſi ſunt ab Olao Magno Jonſt. L. I. T. II. c. 1. p. 23. k) *Cives Oppidi S. Viti in monte Apuliæ Gargano alio migrare coëgerunt ſerpentes, ut ap. Leandr. leg. Jonſt. H. N. de Serp. L. I. Tit. I. p. 6.* l) *Nat. Hiſt. L. VIII. c. 29.* m) *Id. L. V. c. 7.* n) *Id. L. XI. c. 25.* o) *O. Dapp. Deſcr. Ind. p. 239.* p) *Olear. Itin. Perſ. L. IV. c. 35. p. 495.* q) *Id. l. c. p. 496.* r) *Ibid.* s) *Athanas. Kircherus Art. Magnet. L. III. P. VIII. c. 2.*

extrahuntur. Imo si nimium increverit malum, membra rescindere oportet affecta, quod & primum advenientibus Hispanis, utpote hujus rei tam periculosæ tum temporis adhuc ignaris accidit, & etiam hodie Numidiis, Hispanorum mancipiis, cum nudis pedibus communiter incedant, omni die contingit. t)

§. 30. Sufficiant hæc; quanquam longe plurima hic commemorari possent exempla: nam & pauca modo recensita intentioni meæ satisfacere videntur, cum in animo habeam non investigare numerum Endemiorum, qui hactenus observati fuerunt, sed Naturam potius, Causasque illorum, de quibus in Capite sequenti.

CAPUT II.

De Causis Endemiorum.

§. 1.

SI quis primo loco in *Plicæ Polonicæ* Causam inquirere, eosque, qui ex Natione illa de hoc affectu scripserunt, consulere velit, vix aliam notabit allegari, præter potum Aquarum a) fluviatilium, ob glutinosam ac tenacem materiam, quam vehunt, capillos ad hunc modum implicantium. Nam & exinde Plica videtur dicta Weichsel Zopf/ quod ex Vistula fluvio, (Weichsel) hujusque brachiis ad Ruthenam rubram, & Pocutii atque Hungariæ confinia extensis, originem duxerit; quanquam non diffitear, successu temporis id malum insigniter auctum esse, ac propagatum in liberos, vel per traducem, vel solius imaginationis b) maternæ viribus.

§. 2. Aliæ sunt Causæ *Ophthalmiæ*, *Cæcitatis*, similiumque Visus læsionum. Etenim quod vulgo asserunt, excellens sensile

t) *Americ. Part. III cap. 31. P. IV. sive Benzo L. I. Nov. orb. nov. Hist. c. 29. p. 133 seqq. & Dionysius Carli Missionar. Descr. Memorab. Itin. sui L. I. c. 5. ut & Pison. N. & M. L. V. c. 12.* a) *Videatur Stanislaus Solsky in Geom. & Architection. Pol. Occup. 3. Sect. 2.* b) *J. Abr. a Gehema in literis ad Corn. Bontekoë de Plic. Polon.*

file lædit ſuum ſenſorium, id oculi maxime ſentiunt, à candore nivis, arenæ, vel aquarum radios ſolares fortius reflectentium. Qui à nivibus occœcantur, appellantur Schneeblind / quale quid non paucis cum *Jo. Baptiſt. Tavernier* c) circa Erzeron iter facientibus contigit. Pariter a terra candida in Inſula Maltha d) oculi continuo dolent plerisque, & in Ægypto e) cœci numeroſiſſimi ſunt, partim ob Solis Ardorem, partim ob Sabuli à vento elevati copiam. Nec dubium eſt, quin aſpectus undarum marinarum a Solis fulgore reſplendentium navigantibus exiſtat nocivus; quamvis & Victus ratio, ſcil. Oryzæ calidæ quotidianus eſus, ſuam conferre ſymbolam queat, uti *Bontius* f) experientia edoctus aſſerit, ad quem modum equi juniores largiore avena enutriti occœcantur frequentius, daß ſie ſich blind freſſen.

§. 3. Unde vero Excreſcentiæ illæ, quas Americani, præſertim in Portu Veteri, geſtant copioſas in vultu ac reliquo corpore, non æque traditum ab Autoribus reperio. Satis probabile tamen videtur, naſci easdem per modum verrucarum ex impuris humoribus Aquis, ſiquidem defectu aquarum dulcium laborare hanc terram, & ſæpe fœtentem aſportari teſtatur *Benzo.* g)

§. 4. Ita etiam exploratum eſt certo, *Strumas* in Collo, quas vulgo *Bronchocelen* vocant, iis frequentius accidere, qui alpium h) puteos, ſimilesque aquas ut ſic dicam tartareas ac lapideſcentes bibunt. Idem hoc malum Sudetum accolas in Sileſia, in tractu Schmidebergenſi, pago Steinſeiffen alibique non parum torſit, apud quos tamen jam fere deſiit, dum fontibus quibusdam, quos Cauſam ejus eſſe ſenſerunt, nunc abſtinent. i)

§. 5. Sed Aeris culpa naſcitur *Phthiſis & Pulmonum contabeſcen-*

c) *Itin. Perſ. Lib. I. c. 2.* d) *Theven. It. Or. P. I. c. 5.* e) *Id. P. II. cap 80.* f) *Hiſt. Nat. & Med. L. II. c. 16. & L. 1. Dial. 3.* g) *Americ. Tom. VI. cap. 18.* h) *Varenius Geogr. Gener. p. 202. Mercurialibus aquis præcipue id tribuit Jo. Langius L. I. Epiſt. 43.* i) *J. C. Beckmannus Hiſt. Orb. Terr. Cap. IX. Sect. II. de Charact. Ext. gent.*

beſcentia, quotiescunque ab Exhalationibus & fuliginibus nocivis,* quas inſpirant, inquinantur. Itaque Londini non rara ſunt *Pulmonum ulcera* ob Lithanthracum k) uſum: metallarii l) autem ab effluviis arſenicalibus, antimonialibus, mercurialibus, vitriolicis, aluminoſis ſimilique aura peſtilenti, ſi non enecentur ſubito, lenta nihilominus tabe paulatim conſumuntur; prout vegetabilia quaſi aduri cernimus in ſuperficie terræ, ſi quæ mineralia in ſinu ſuo abſcondant. m)

§. 6. Diximus antehac oculorum vitia creberrime oriri ab arena in aërem elevata: nunc & illud adjiciendum eſt, lædi ſimiliter Pulmones atque Pectus, ſi ejusmodi pulvis copioſe inſpiretur. Notum eſt alias in Arabia deſerta locisque vicinis non raro homines etiam a vorticibus ſabuloſis obrui; n) quid mirum? ſi alibi *Vomicas Pulmonum*, *Peripneumoniam*, *Pleuritidemque* producat arenoſus aer, quod in nova Hiſpania, potiſſimum in urbe Mexico, notatum legimus, o) præſertim cum æſtus ibidem intenſior corpora deſiccans, & Balneum frigidum intempeſtivum p) contribuant plurimum.

§. 7. Porro quæ ſint Cauſæ *Obſtructionum in Epate*, *Liene*, *Pancreate*, *Glandulis Meſaraicis*, *aliisve partibus*, non difficulter eruere licet, ſi modo advertamus, easdem fieri a tenaci crudoque Humore, cum ſangine arterioſo ad viſcera delato, inibique hærente atque impacto vel agglutinato. Viſciditas autem illa vel in bile notatur, unde frequentius *Epatis ſcirrhi*, vel in ſero, unde communiter *Glandularum reliquarum obſtructiones* fiunt. Itaque non modo alimentorum, Bilem Pituitamque augentium vitio, ſed & Climatis fervori, humores nimium inſpiſſanti, adſcribendum omnino

* *Chr. Bennetus Th. tab. Veſtib Cap. 7. p. 31.* k) *Becm. l. c. p. 357.* l) *Mengring. Diſſ. de morb Metall.* m) *Georg. Agricola de Re Metall. L. 2. p. 26. & F. G. Löhneyß Part. 1.* de: Bergordnung *pag. 14.* n) *Dion. Carli Itin. L. 2. c. 12. & 15.* o) Gottfried *Hiſt. Antip. Part. 3. pag. 608.* p) *Id. l. c. p. 600.*

omnino eſt, quod adeo familiares Indis ejusmodi obſtructiones deprehendantur; inprimis cum potus Spirituum Ardentium, præcipue maledicti q) Arac, quod Chinenſes admixtis Holothuriis r) omnino cauſticis parant, interiora fere adurat, ac erodat, ut non raro etiam *Dyſenteria* hinc producatur. s)

§. 8. Nihilo feliciores ſunt, qui ad Æſtum compeſcendum nimium abutuntur Refrigerantibus, uti ſunt Melones t) Cucumeres, u) Ficus Indicæ, atque ſimilia; ſolet enim *Alvi Fluxus & Dyſenteria* ut plurimum ſupervenire, nonnunquam & *Cholera*. x) Idem de *Colica Torminibusque ventris* judicandum: adde Mutationes Tempeſtatum quotidianas, y) hos atque plures alios generare morbos, ſiquidem & ſub Æquatore, quam Zonam olim torridam prorſus inhabitabilem credebant; noctes ſatis frigidæ z) diurnum ſequuntur æſtum; unde aliter fieri non poteſt, quam ut corpora præſudore pene diffluentia, ſi denudata inter dormiendum fuerint, a ſuperveniente nocturno frigore a) alterentur inſigniter, quando juxta *Horatium*: Matutina parum cautos jam frigora mordent.

§. 9. *Calculi* & hinc oriundæ *Inflammationis Renum* Cauſa, inter cæteras frequentior eſt potus vini minus laudabilis, materiam calceam cretaceamque vehentis, quod prope b) Danubium creſcentibus magis eſt ſolenne quam Rhenanis. A vino autem oriri calculum, ſatis evincit, quod in Perſia, ubi lege interdicitur vini potus, Calculus atque Podagra vix ac ne vix quidem notentur,

q) *Bontius L. II c. 7.* r) *Id L. I. Dialog. 3.* s) *Id. L. II cap. 3.* t) *Olear. Itin. Perſ L. IV. c. 34.* u) *Bontius l. c.* x) *Piſo L. II. c. 11.* y) *Linſch. Ind. Or. P. II cap. 34.* z) *Joſephus de Acoſta in Americ. L. II. c 9 & 10. è quo fortaſſe Linſchot. Americ. P IX. L. II. c 9. & 10. Marggravius de Braſilia Cap. 7 p. 17.* a) *Piſo L. II c. 4.* b) *Cardilac. in Offic. San Cap. 143 pag. 614. id fundo tribuit tartareo, ſiquidem ipſi compertum eſt, ſilices in Danubio repertos, ab aqua ſoloque ita diſpoſitos, ut per calcinationem in veram convertantur calcem vivam, quod in Rheno reperti etiam diutiſſime cremati minime præſtant.*

nisi quod Armeni c) quandoque illo affligantur, scilicet qui plus vini quam aquæ potant.

§. 10. Unde *Herniæ* in Ægypto nascantur omnis generis, ad anguriæ magnitudinem & ultra, satis expositum *Alpinus.* d) Quod enim in genere de Causis Endemiorum in Ægypto pronunciat, cum ibi plurimi malo victu utantur, aërisque inæqualitate & venere immoderata, mirum non esse, eos quoque in multos morbos incidere; id aptissime ad hoc genus *tumoris aquosi sicri hoſive* optime applicari potest. Quid enim magis cacochymica reddere poterit corpora, quam cibus piscium salitorum semiputridus, Aquæ cœnosæ potus insatiabilis, etiam nocturnus ob æstum illius loci nimium, &c.

§. 11. De *Arthritide* fortassis nemo ambigit, eandem Endemicam fieri a potu Vini, & quidem fortioris; quod enim aquosus est, inflammationem adeo dolorosam non facile poterit excitare. Sed de ea modo dictum occasione Calculi.

§. 12. Quod ad Thomanos crassipedes, ut sic dicam, attinet, videtur verosimillimum, id vitium esse conformationis, adeoque non nisi hæreditario Jure, ut ita loquar, transire ad liberos. Vulgo equidem tradunt a maledictione illud profectum esse, cum sint posteri eorum, qui S. Thomam Apostolum interfecerint, sed fabulæ suspicionem habet, monente superius allegato *Becmanno.*

§. 13. Quomodo autem Frigus intensissimum, extincto Calore partium nativo, *Perniones* inferat, explicatione non indiget; siquidem ipsa etiam vita plurimum inde periclitatur. Ubi enim per plures menses ne quidem sol spectatur, quod in Groenlandia, Nova Zembla & Spitsberga fieri solet, ibi certe necessum est, Aeris inclementiam prorsus intolerabilem fore, prout suo damno experti sunt, quibus loca illa visitare fuit volupe. e)

§. 14.

c) *Tavern. P. I. L. V. c. 15.* d) *de Medicin. Ægypt. L. I. c. 13. & 14. p. 23. & 26.* e) *Ind. Or. P. III. pag. 190. & seq. Rudolf. Capel. descript. Septentrion. passim.*

§. 14. Propero ad Morbos Totius: & circa *Peſtem* quidem Ægypto familiarem velim notari, eam revera naſci, non ex fati f) quod Turcæ ſtatuunt, neceſſitate, ſed ex Cauſis indigenis. Solet enim quotannis ineunte g) Septembri menſe invadere populum, atque ſævire tamdiu, donec Junio ſol in Cancri ſignum ingrediatur: vel quod probabilius, quando incrementum Nili paludoſam corrigit putredinem, hoc namque tempore iterum deſinit, teſte ipſo, quanquam hæſitante, *Proſpero Alpino*. h) Interea graſſatur æque lethifer morbus, quem *Demmuge* appellant, notante *Furero*, i) cujus non alia reddi poteſt cauſa, quam quod duo venti, perniciosiſſimi certis temporibus exſurgant, quorum alter calidiſſimus Oſtrabi nomine, alter Garbini, homines extingvant. Equis vero non dixerit Morbum Endemium? cujus Cauſæ manifeſtæ in Aere, Aquis, Locisque ipſis reperiuntur.

§. 15. Eodem jure *Febres Ardentes*, noſtris in terris nonnunquam Epidemicæ, certis regionibus propriæ & Endemiæ ſunt, quatenus, quæ nobis ſaltem aliquando ab injuria tempeſtatum accidit Cauſa Morbifica, ipſis perpetua eſt. Etenim qui loca inhabitant Eervidiora, non poſſunt non inflammari accedente leviſſimo errore, quoniam ab Æſtu nimio, Bilis Humoresque reliqui neceſſario inſpiſſantur & acuuntur. Præ cæteris tamen hic allegari merentur Febres Tymorenſes, k) quas patiuntur cummuniter, qui cædendarum Santali arborum gratia in Inſulas Solor & Tymor navigant; nullus enim dubito, quin & ipſe odor Santali plurimum contribuat, facileque afficiat laborantes ac cædentes ligna duriora, æſtuante Aere, ſiquidem non niſi decem circiter gradibus ab Æquatore verſus meridiem ſitæ ſunt nominatæ Inſulæ.

§. 16. De *Scorbuti* & hinc oriundæ *Purpuræ* Cauſis, non eſt, ut plura verba faciam, ſiquidem in hoc fere omnes conſentiunt, quod ex Aerium, Acidorum, Salſorum aliorumque pravorum alimen-

f) *Alp. de Med. Ægypt. L. I. c. 5.* g) *Id. c. 17.* h) *loc. cit. cap. 18.* i) *Itiner. p. 20.* k) *Bontius H. N. & M. L. II. c. 15.*

mentorum abuſu, id malum naſcatur. Ita enim legimus paſſim in Hiſtoriis, navigantes in Indiam Orientalem & Americam, vel quæcunque loca diſſita, l) ſi Aqua deſtituantur dulci, Alimentisque laudabilibus, illico infeſtari Scorbuto. Multiplicatur autem inſigniter hoc malum per propagationem in liberos; nec imbecillis aquilam generat columba: inprimis quando Mores etiam Parentum & prava vivendi Ratio, ſive neglecta Diætæ Cura in Poſteros inſimul transferuntur.

§. 17. Magis id manifeſtum eſt in *Lue, quam vocant Venerea.* Etenim ab initio enata fuit procul dubio inter Gentes omnino brutales, per laſciviam inexplebilem, ad quam natura propendent, juvante Aromatum inibi creſcentium uſu immoderato, Tranſiit poſtea hoc morbi genus per Contagium ad alias etiam nationes, ubi promiſcue alios quidem inſontes, alios ſua etiam culpa inficit.

§. 18. Verum *Elephantiaſis* à victu illaudabili minusque conſueto m) potius oriri videtur, atque ideo pauperes magis excruciat. Speciatim ab eſu carnis aſininæ illam produci teſtantur *Galenus,* n) *Avicenna* o) & *Ballonius;* p) & noviſſime obſervavit *Hunervvolffius* q) ſenem plebejum continuato eſu Cricetorum è terra effoſſorum abominabilem iſtam paſſionem expertum eſſe.

§. 19. De *Dracunculis* puto veroſimillimum, eorum Seminium vel cum aquæ potu deglutiri, vel etiam infenſibiliter per cutis poros admitti. Suppono tanquam notiſſimum, ſub Æquatore r) aliisque in locis calidioribus aquas ſcatere vermibus omnis generis, quatenus a radiis ſolaribus magis foventur & conſervantur, quam in locis frigidioribus: quid impedita ſitientibus, dum aquam avidius hauriunt, inopinato aſſumi. Adde conſuetudinem dormiendi

l) *Amer. IX. Addit. p. 16. 17. Ind. Or. P. III. p. 210.* m) *Alpin. de Med. Ægypt. L. 1. c. 14. p. 25. b.* n) *Lib. I. de Facult. Aliment.* o) *Fen. III. IV. Tr. III. c. 1.* p) *Lib. II. Ephem. p. 187.* q) *M. N. C. Dec. II. Ann. VIII. Obſ. 16.* r) *Americ. P. III. c. 4. Dionyſ. Garli L. I. c. 4. Piſo H. N. L. II. 16.*

di ſolennem in aquis, s) nec deerit occaſio, qua ſe inſinuare *Dracunculi* poterunt in corpus.

§. 20. Quid præterea hominibus à progenie iſtiusmodi verminoſa mali accidat, prolixe jam declarare non vacat; nec opus eſt, ut in *Morſus Serpentum, Scorpionum & Tarantularum Ictus* inquiram ſolicite, cùm ea omnia per ſe ſint clara. Et quemadmodum nulla eſt herba, quæ non peculiare genus inſectorum nutriat; ita nec male ad cauſas morborum Endemiorum refertur, ſi quæ terra ſingularia parit animalia, hominum ſanitati adverſa.

§. 21. Sed ut omnia in ſummam contraham, quæ in hoc capite dicta ſunt de *Ortu Endemiorum*. Inſcribitur ab *Hippocrate* Liber *de Aere, Aquis & Locis*, quo eandem hanc materiam pertractavit: nec mihi adeo erit difficile, ad enumeratas *Tres Claſſes*, tanquam potiores, cætera referre huc pertinentia.

§. 22. Nimirum *Primo Aeris* culpa producuntur Ægritudines variæ, quatenus vel nimium æſtuat, vel è contrario nimium friget, vel etiam per vices utramque ſuſtinet alterationem, ſive mutationem quotidianam. Et hæc ipſa ſub Æquatore notari omnino meretur, quanquam interdiu æſtus ordinarie ſit intenſiſſimus. Sub Tropicis calor quidem maximus furit, admittit tamen ſuas in anno vicisſitudines: ſed qui verſus utrumque Polum magis declinant, frigore vehementiſſimo exanimantur pene. Itaque à quibus ſol longiſſime abeſt, morbos patiuntur à frigore: quibus autem verticalis eſt, ii æſtu potius laborant aut etiam intemperie varia, ſi æſtum frigus excipiat ſubitaneum.

§. 23. Adhæc ab Exhalationibus Putridis, Fuliginoſis, Virulentis, Arſenicalibus atque ſimilibus aeris puritas nonnunquam depravatur; unde neceſſario alia erit conditio eorum, qui montes, alia qui valles, & paludoſa inhabitant. Sed de his dicendum, ubi de locorum diverſitate ſermo erit.

§. 24. *Secundo Aquarum* culpa naſcuntur morbi, quoties-

s) *Linſch. Ind. Or. P. II. cap. 6.*

cunque illæ à naturali ſtatu declinant ob admixta varia heterogenea; uti ſunt Sal, Bitumen, Effluvia putrida, Seminium Verminoſum atque ſimilia, qualia fortasſis aur fundus Putei, aut Fluminis Alveus ſuppeditat. Nocent autem ſicuti externo uſu, ita maxime uſu nterno pro potu ordinario.

§. 25. Sed *Tertio ipſius Loci* culpa generantur Endemii, ſi terra vel nimium Humida ac paludoſa, uti modo dictum, aut ſi Arenoſa ac ſitiens ſit admodum: item ſi a Mineralium inibi naſcentium admiſtione corrumpatur.

§. 26. Spectant ad hanc tertiam claſſem etiam incolarum vitia, damnumque ab Inſectis certorum locorum illatum. Errores ſane in victu, quibusdam gentibus proprii, ad morborum productionem non parum cònferunt. Dictum jam antehac fuit, quid Cibus valeat nimium Refrigerans, aut plus juſto Aromatiſatus, exceſſive Salitus, aut Incraſſans admodum, Crudusve ac ſemiputridus. Idem de Potu judicandum, non aquæ, cujus jamjam mentio facta eſt, ſed vini, acrioris præcipue, atque ſpirituum ardentium.

§. 27. Nec minus improbanda eſt prava quorundam conſuetudo, v. g. Balnei frigidi: aut intempeſtiva familiaritas in converſatione, unde Morbi Contagioſi maxime multiplicantur. Ne dicam infelici connubio mala hæreditaria derivari ad poſteros.

§. 28. Denique *Locus Culpa* non caret, ſi abundet Inſectis. Præterquam enim, quod generationi eorum commodum præbeat nidum, neceſſum eſt ut de convenienti pabulo iisdem proſpiciat, quo conſervari queant. Sed jam ſatis de Cauſis Endemiorum dicta arbitror, ſupereſt, ut de Cura quædam adhuc ſubjiciam.

CAP.

CAPUT III.
De Cura Endemiorum.

§. 1.

ANtequam ad ſpecialem curationem morborum ſuperius commemoratorum deveniam, non abs re fore arbitror, ſi quædam præmittam generaliora; præſertim cum manifeſtum ſit, dependere hujusmodi affectus à cauſa quadam communi, qua remota Endemii non amplius tales eſſe poterunt.

§. 2. Cauſæ vero in præcedaneo capite recenſitæ non unius ſunt generis, ſed aliæ dependent ex inevitabili quadam neceſſitate, aliæ ab arbitrio humano & voluntate cujuscunque libera. Vix evitari poſſunt, quæ climatis, aeris, aut ſoli culpa fiunt: aſt ex errore diætæ, cibi potusque vitio, prava conſuetudine vel converſatione quæ accidunt, minus difficulter declinantur.

§. 3. Quod ſi proinde malum aliquod cum ipſo loco arctiſſime connexum ſit ac inſeparabile, unicum ſupereſt conſilium, ſi fieri poteſt, ut locum mutemus: ubi hoc non licet, danda eſt opera, partim ut præſervemus corpus ac defendamus ab injuriis externis, partim ut ſuccurramus etiam ſtrenue, ſi jamjam male quis habeat ex illato damno.

§. 4. Circa loci mutationem & hoc adjiciendum eſt, eam equidem non omnem ilico morbi curam abſolvere, interim tamen eandem facilitare inſigniter, aut ad minimum præſervare hominem, ne porro a ſimili corripiatur malo. Circa præſervationem autem & curationem reliquam adhuc & illud addo, me data opera in ſequentibus non tradere ſingulorum morborum Prophylaxin aut Therapiam Methodicam, ſiquidem is labor alieniſſimus à mea intentione foret; ſed in eo acquieſcam, ſi adverſus Morbum Endemicum, remedium ſimile vernaculum, præſervativum, aut curativum, inibi vel natum, vel uſitatum ſaltem, ac crebrius expertum, invenero.

§. 5. In *Plica* igitur *Polonica*, irrito a) uſu venæſectionis atque purgantium tandem remedium inventum eſt indigenum in Lycopodio ſive Muſco clavato, hinc etiam plicaria dicto. Nam & interne in potu ordinario, ut & externe in unguentis, vel capitis lotione adhibitum, egregium præſtitit auxilium. b) Huic nullatenus cedunt Mercurialia usque ad ſalivationem præſcripta, quæ à *Fonſeca* c) primum commendata, poſtmodum à *Bernhard. à Berniz* reiterato experimento approbata fuerunt. d)

§. 6. Ubi *Oculorum Vitia* dominantur, ibi non minus circa præcautionem quam curam ſolliciti ſunt homines. De Melitæis Equitibus conſtat, eos viridibus vitris ſive perſpicillis ſuos cuſtodire oculos, e) ne a terræ candidoris nitore lædantur: & qui tempore hyberno inter nives iter faciunt, eodem modo ſe defendunt prætextis è nigro ſerico velaminibus, aut mitris lana caprina propendente exornatis. f) Nec leve ſentiunt levamen, ſi aqua ſæpius algida oculi laventur largiter, g) aut inter cibandum jecur Lamiæ piſcis ſumant, h) aut ejus liquorem oculis inſtillent. i)

§. 7. Adverſus Excreſcentias in Facie pendulas, non alio quidem opus eſt præſidio, niſi quod filo circumducto ligatura fiat, k) quotidie coarctanda magis, donec deſiccentur denegato nutrimento, ac decidant; ita enim levi negotio tolluntur, paucos intra dies, etiam absque dolore, ſi modo nodus nectatur non nimis fortiter, ſed pedetentim.

§. 8. A *Strumis* autem optime præſervantur corpora, ſi ab aquæ potu abſtineant, ſiquidem notarunt in Carinthia l) opulentiores, & qui lautius victitant, potuque generoſiore vini aut cereviſiæ utuntur, rarius eo malo infeſtari, quod alias incolis frequen-

a) *M. N. C. Dec. I. Ann. VI. Obſ. 138.* b) *Dec. I. Ann. II. Obſ. 52.* c) *Lib. I. Conſult. I.* d) *M. N. C. alleg. l. Obſ. 52.* e) *Theven. P. I. L. I. c. 5.* f) *Tavern L. I. C. 2.* g) *Alpin. de Medicin. Ægypt. L. I. c. 14.* h) *Piſo L. II. c. 3.* i) *Bontius L. II. c. 16.* k) *Benz in Americ. P. VI. pag. 50.* l) *Ed. Brown. Itiner. in Suppl. I. Act. Erud. p. 34.*

quentiſſimum eſt, itaut fere pro ſingulari ornamento corporis ab iis habeatur.

§. 9. Qui *Phthiſin* metuunt, ubi à fuliginibus & exhalationibus acrioribus aer infectus eſt, optime ſibi conſulunt, ſi domicilium ſuum cum aura liberiore ac puriore permutent. Quanquam enim fruſtra id fiat, cum malum jam inveteratum ſit, circa principium tamen, antequam profundiores radices morbus agat, non improbandum. Atque ideo nec miror, quod aliqui ſepulchra potius quam ſanitatem invenerint ruri, alii ad urbem confugerint tanquam ad Aſylum, cum tamen inſtar Barathri à non paucis metuatur. m)

§. 10. Eodem pacto a *Pleuritide* ſe præſervant Mexicani; dum enim à vento pulvis elevatur circa veſperam, nemo eſt, qui facile in publicum prodire auſit, niſi forte in villis ab ejusmodi tædio liberis degat. n) Sed qua ratione in Indiis curentur, poſt *ſuppuratam pleuritidem*, qui *Empyici* fiunt, docet *Bontius*, o) ſcil. per Paracentheſin Thoracis, applicato prius inter quartam quintamque coſtam ſupra diaphragma cauterio, eductoque paulatim pure, donec ulcus mundatum rurſus conſolidari queat.

§. 11. Si *Lien*, *Epar* aut *reliqua viſcera* fuerint *obſtructa*, nemo eſt, qui non confugiat ad Aperientia, inter quæ potiſſimum excellunt Martialia, ab Americanis quoque utiliter cum cortice Ligni Gvajaci Braſilienſis mixta. Obiter autem moneo, hunc corticem *Ibiraée* diverſum eſſe ab eo, qui ad nos affertur, ſiquidem dulcis & aromaticus dicitur *Piſoni*, p) cum vulgaris ſit amarus, & ingrati ſaporis, qualis ex Hiſpania nova cum ligno adducitur.

§. 12. Adverſus *Tormina ventris*, *Choleramque* domeſtico præ cæteris medicamento utuntur Americani, q) nempe pulvere Calumbac. ſive ligni Aloes ad ℈j. Indi ligno Colubrino, r) quorum

m) *Willis Pb. Rat. P. II. Sect. I. c. 6.* n) Gottfried *Hiſt. Antipod. P. III. pag. 608.* o) *Hiſt. Nat. & Med. L. II. c. 13. L. III. Obſ. 5.* p) *Hiſt. Nat. & Med. L. 2. c. 6 & L. 4. c. 18.* q) *Bont. H. N. & M. L. 4. c. 16.* r) *Garcias ab Orta L. 1. c. 44.*

rum alias remedium adversus dolores intestinorum vel simplices, vel cum Vomitu aut Diarrhœa conjunctos usitatissimum est, inurere calcaneum pedis beneficio styli candentis ferrei, qui pennæ anserinæ crassitiem habeat. s) Existimo autem hujus cauterii similem efficaciam esse quæ vesicatorii, v. g. in odontalgia vel cephalalgia, brachio aut pone aures applicati, i. e. a dolore subitaneo ac magis exquisito, per artem excitato, diverti naturam, atque ita non observari dolores alterius partis: t) interim materia peccans in corpore nec corrigitur, nec evacuatur debite.

§. 13. Meliori consilio egregioque cum fructu iidem utuntur Oryza in *Alvi fluxu & Dysenteria*, u) quatenus ab istiusmodi alimento medicamentoso Humorum Acrimonia intestina stimulans temperatur. Si opus ut abundans educatur Bilis, recipiunt Rhabarbarum, abstergens primum, dein adstringens non ignobile. Neque vero credendum est, extractum vel infusum rhabarbari idem valere, quod pulvis solet, siquidem vis adstrictoria hoc pacto non conservatur legitime; atque ideo nec mirum est, si rhabarbabarum in decocto tamarindorum infusum sæpe non prosit, sed & aliquando ægros in certam conjiciat perniciem. vv)

§. 14. In *Calculo renum* aut *vesicæ* quamvis lapidem frangentia sibi vix quisquam promittere queat, dantur tamen, quæ illius incrementum inhibent, si modo ægrorum diæta vivendique ratio consueta non reluctetur; tum enim natura ipsa paulatim minuit propellitque hostem sibi molestum. Saltem de ligno Nephritico x) certum est per experientiam, ejus infusum quamvis insipidum sit, contra hunc affectum optimo cum successu fuisse propinatum frequentius; sed dolendum, rarissime genuinum haberi posse album, quod ex Hispania Nova petimus, sed plerumque sub-

s) *Thev. Itin. P. III. L. II. c. 10. Tavern. Itin. P. I. L. V. cap. 15.* t) *Hippocr. Sect. II. Aphor. 46.* u) *Theven. loc. cit.* vv) *Bontius L. II. c. 3.* x) *Mynardus Hist. Simplic. cap. 27.*

ſubſtitui ſpurium obſcurioris coloris ex Braſilia. y) Quid ergo circa magis Acria & Corroſiva ſolliciti ſumus? cum & aquæ potus, ſed purioris, in hoc paſſu ſit utiliſſimus, qualem Niloticam expertus in ſeipſo eſt *Proſperus Alpinus*. z)

§. 15. Quomodo *Herniis* mederi ſoleant, ubi vulgatiſſimæ ſunt, ſatis expoſuit *Thevenot*, nempe in *Sarcocele* tuto reſcindi Tumorem p. n. teſticulo adnatum: a) in *Hydrocele* facta ſaltem inciſione levi, aquam educi omnem. b) Interea non negligitur uſus internorum convenientium, c) Aperientium puta vel Deſiccantium, inprimis ubi Aquoſum Scroti Tumorem Hydrops univerſalis concomitatur: tum enim & Lac Camelorum locum habet, quod ad menſuram unam quotidie per tres ſeptimanas potum, tanquam certiſſimum Hydropis Remedium deprædicat *Tavernier*. d)

§. 16. Alias Lactis etiam bubuli uſus in *Arthritide* notiſſimus eſt, ſiquidem peculiarem ea de re tractatum inter cæteros edidit *Greiſelinus*. e) Quid? quod plures exiſtunt, ut verbis *Alpini* f) utar, qui vini uſu omnino omiſſo, aquam frequentantes in potu, a Podagra aliisqve multis morbis præſervati ſunt. Verum apud quam plurimos potior eſt ratio conſuetudinis, quam ſanitatis. De Moxæ Sinenſis viribus in ſedando *Podagræ* dolore, ff) jam nihil dicam; qui enim in locum ejus ſurrogare Goſſypium nitratum ad imitationem *Hagendornii*, g) vel Ranunculi acris folia ex conſilio *Dolæi*, h) vel Funem igniarium voluerit, exemplo Turcarum; i) parum aberrabit à ſcopo, ex cauſis §. 12. dictis.

§. 17. Sed pedum tumor, qualis Indorum, ex prava conformatione natus, nullam admittit curam, imo nec poſtulat adeo, cum cæte-

y) *Deſcribit hoc una cum genuino Wormius in Muſ. L. II. cap. 18.* z) *de Med. Ægypt. L. I. cap. 12 p. 21. b.* a) *Itin. P. II. L. I. c. 9.* b) *P. I. L. II. c. 80.* c) *Piſo H. N. & M. L. II. c. 7.* d) *Itin. P. I. L. I. c. 11.* e) *Miſc. N. C. Ann. I. Obſ. 141.* f) *de Med. Ægypt. L. I. cap. 12. pag. 22.* ff) *Willis. ten. Rhyne Diſſ. de Arthritide p. 94. & paſſim.* g) *Cynosbatologiæ L. II. cap. 2. art. 5. p. 74.* h) *M. N. C. D. I. Ann. IX. Obſ. 128.* i) *Theven. P. I. L. I. c. 20.*

cætera sanus sit homo, ipsumque crus inter ambulandum ne quidem impediatur. k) Præservantur autem extrema contra vim frigoris beneficio integumentorum sufficientium, ut notum est; accedente inprimis motu, unde admodum mihi arridet Grœnlandorum inventio, qui quotiescunque sedent, Cylindrum quendam ligneum sub pedibus indesinenter circumvolutant, ne, si quiescant membra, necentur. l)

§. 18. Optimum tamen est adversus Aeris injurias, si nihil obstet, procul discedere: nam & hoc suadendum in *Peste*, si aër veneno infectus sit, id quod in Endemica Turcarum potius quam Epidemica fieri solet. Et quandoquidem in Asia æstivo tempore inter Mansilum & Guratam Indorum ventus pestilens, *Samiel* dictus, spirat, m) non male agunt, qui periculum hinc imminens ut effugiant, præ itinere terrestri, viam eligunt per fluctus etiam longiorem, sed magis tutam. Nam & eandem ob causam Hispani, quondam in America è Peru in regnum Chili per montes vallesque profecti, n) hodie navibus per mare pacificum vehuntur, ne ab aere inibi lethifero, uti antehac sæpius factum, intereant.

§. 19. In Cura *Febrium Ardentium* non discrepant Indi a nostra medendi methodo; etenim si opus & venam secant, & humores pravos evacuant, & temperant, & Soporifera denique adhibent. Sanguinem autem mittunt omni diei noctisve hora incisis venis, vel cucurbitulis corneis, præmissa scarificatione, applicatis. o) Evacuantur item Radice Ipecacuanhæ, Fructibus Anda, vel Ricini Americani majoris & minoris semine. Inprimis ad remedium quoddam Evporiston, ex aqua fontana, pauco saccharo, succoque limonum acerrimorum, ad consistentiam mellis inspissato confugiunt, tanquam ad sacram anchoram, nec male. Ubi vero vigiliæ perpetuæ dolorisque vehementia urgent, somnum conciliant

k) *Ind. Or. P. II. c. 15.* l) *Capel Descript. Septentr. P. II. cap 2.* m) *Theven. Itin. P. I. L. I. c. 42.* n) *Acosta in America L. III. c. 9. & Linschott, Amer. Part. IX. L. III. c. 9.* o) *Piso H. N. & M. L. II. c. 1.*

ant nunc per interna, nunc per externa varii generis, Urucatu, Carduum littoralem. &c.

§. 20. Quæ *Acrimoniam Sanguinis Scorbuticam* corrigunt, varii ſunt generis, ſiquidem alia videntur magis convenientia ſeptentrionalibus, alia his, qui loca inhabitant calidiora. Illis uſitatiora ſunt Acria, p) Cochlearia, q) Naſturtium, Rad. Armoraciæ, & Amara ſimul, Trifolium fibrinum, r) & Beccabunga. Qui vero æquatori propiores ſunt, rectius utuntur Acidis, Acetoſa, s) ſucco Citri & Aurantiorum, prunis acidis, t) vel adſtringentibus, quo nomine laudatur Herba Britannica *Plinio*, u) quam peculiari libro expoſuit *Abrah. Muntingius.*

§. 21. Ubi *Lues Venerea* graſſatur, ibi quoque remedia non deſunt familiaria. Certe America potiſſimum in Hiſpania Nova Lignum fert Gvajacum, a) in Florida & Braſilia, Corticem, Lignum & Radicem Saſſafras, b) in Honduras, Rad. Sarſaparillæ c) optimam: Aſia & quidem ex regno Sinenſi ſuggerit Rad. Chinæ d) nobiliorem, ex Coromandel Lignum ſantalum rubrum, ex Inſula Tymor ſantalum flavum albumque. e) Quæ omnia medicamenta egregia nunc etiam in Africa f) & Europa notiſſima & uſitatiſſima ſunt ad curam illius peſſimi affectus.

p) *Tales plantarum ſpecies in quacunque regione creavit Deus, quales hominibus & animalibus ibidem natis, temperatura convenirent, quod comperimentis ſæpenumero probatum eſt, ita ut ex ſola plantarum naſcentium frequentia animadverti poſſit fere, quibus morbis popularibus quælibet regio ſubjecta ſit. Ita apud Danos, Friſios, Hollandosque, quibus Scorbutus frequens, iſtius quaſi proprium medicamentum Cochlearia ſcil. copioſe provenit. Ger Mercator in Atlant. Maj. fol. 21.* q) *Ind. Or. P. 3 p. 211.* r) *Sim. Paulli in Quadrip. Botan. Claſſ. II p. 157. & Claſſ. 3 p. 217.* s) *hanc utiliter miſceri cum cochlearia egregia teſtatur Obſervatio Th. Bartholini. Act. Med. Vol. I. Obſ. 9.* t) Gottfried *Hiſt. Ant. P. II. p. 303.* u) *Hiſt. Nat. L. XXV. c. 3.* a) *Nic Monardus ſimpl. Medicam. Hiſt. cap. 20.* b) *Piſo H. N. L. IV. c. 18.* c) *Alpinus de plantis Ægypti c. 43. & Veslingius in Obſerv ad hoc caput p. 78.* d) *Chriſtoph. Acoſta Aromat. Libr. c 29.* e) *Garcias ab Orta Hiſt. Arom. L. I. c. 17.* f) *Aug. Caſſiodor. in Deſcr. regn.*

§. 22. Sicuti autem *Elephantiasis* à victus pravo communiter producitur, ita viciſſim per Diætam laudabilem non parum corrigitur; inventum tamen adverſus hanc alias pertinaciſſimam calamitatem remedium fuit, & quidem caſu. g) Cum enim vipera forte in lagenam vino plenam odorato illapſa eſſet, isque potus ab aliis pro venenato habitus, lepra correpto exhiberetur, factum eſt, ut paulo poſt tota cutis quaſi cruſtacea ſecederet, ægerque reſtitueretur perfecte. Ab eo tempore nemo eſt, qui non viperis utatur, ad extingvendum hunc peſſimum morbum. Ut nihil dicam de Radice Arboris Malabaricæ Moringæ, notiſsima Indis pro tali ſcopo. h)

§. 23. *Vermes* ſive ***Dracunculi***, quos in Gvinea *Ickon* appellant, quo pacto educantur è corpore, cum omnibus circumſtantiis requiſitis expoſuit *O. Dapper.* i). Vix enim attingunt eos ante, quam ſe ipſos prodant, & prævia puſtula exitum per cutem quærant, tum vero ſenſim extrahuntur, quotidie ſcil. quantum absque violentia licet, ligneo cuidam bacillo circumvolvendi, ne retroeant, donec toti egreſſi fuerint, ulcusque conſolidari queat. Inſtrumenta huic rei commoda, vide in *Veſſchio.* k).

§. 24. *Viperarum morſus* equidem olim ſanabant aliter; erat enim in Helleſponto genus hominum, quos Ophiogenes vocabant, *ſerpentum ictus* contactu levare, manuque impoſita extrahere Venena ſoliti, l) & in Africa gens Pſyllorum virus è vulnere labiis exſugentium. m) Hodie Lignum Colubrinum in Inſula Ceylon varii generis colligitur pro Antidoto. n). In Diu autem Regni

Congo c. 7. g) *Praeter hoc exemplum adhuc alia vide in Galeni Iſagoge cap. 12. de ſubfigurat. Schenkius L. VI de Elephantias. Obſ. I. Sictu linctuque ſerpentum in Caverna dicta La Grotta delli ſerpi curari Elephantiaces refert Jonſton. de Serp. pag. 6.* h) *Clr. a Coſta de Arom cap 35.* i) *Afric. pag. 462.* k) *de Vena Medinenſi cap. 12. p 310.* l) *Plinius Hiſt. Nat. L. VII. c. 2.* m) *Cornel. Celſus L. 5. c. 27.* n) *in horto Malabarico delineatum Par. VIII. Tab. 24. p. 47. & à Garcia ab Orta Aromat. Hiſt. L. I. c 44.*

Regni Gufurate, in Asia lapis conficitur Cobra ex radicum cineribus ac certo cujusdam Terræ genere, o) quivirusonine vulneris, non modo à viperis & animalibus venenatis, sed etiam telis inflictum imbibit. p)

§. 25. *Scorpionibus*, teste *Plinio*, q) adversatur insigniter Raphanus, itaque semen ejus præclarum contra venena, cum modo laudatis non incongrue miscetur. Alii Scorpionem enecant, imponuntque contusum parti affectæ, aut inungunt ol. Scorpionum. Tutissimum autem est, ferro candente quodammodo inurere partem læsam, & postmodum remota escharâ, affusoque ol. Scorpionum, denuo applicare cauterium. r)

§. 26. Ita enim *Puncturam Tarantularum* rustici Romani curant Scarificatione affigendo cucurbitulam. s) Quid Musica valeat, nempe amentes ad saltationem insatiabilem invitans, notum est; crediderim tamen plus tribuendum esse sudori inde largiter provocato, quam elegantiæ toni. t) In Persia vero hac copiosius propinant ægro, usque dum accedente motu quodam vertiginoso, vomitu reddatur, atque ita liberari eum à veneno existimant. u)

§. 27. Denique damnum, quod *Americana insecta pulicibus similia* inferunt, non difficulter declinare licet, saltem calceis tibialibusque muniendo pedes, aut etiam lavando, x) vel inungendo oleo ex immaturis glandibus, qui pomis Acaju adnascuntur: alii Lachrymam flavæ arboris Camacari admovent malo; gens nautica vero picis navalis vel piscium pinguedinis fœtore fugant eadem at-

o) *Terra ejusmodi venenis adversa creditur Hiberniæ, qua etiam conspersi Serpentes exanimari perhibet Jo. Jonstonus H. N. de Serp. L. I. Tit. I. p. 5.* p) *Thevenot Itiner. P. III. L. I c. 18.* q) *Hist. N. L. 20. c. 4.* r) *Dapper in Asia P. I. de Regno Mogol & Indiis. pag. 239.* s) *Th. Bartholinus Hist. Anat. C. VI. Hist. 35.* t) *Athan. Kircherus Art. Magn. L. III. P. 8. c. 2. Matthiol. in Disc. L. II. c. 75.* u) *Olear. Itin. Pers. L. IV. c. 35.* x) *Amer. P. IV. c. 29.*

que enecant! at si nihilominus irrepserint, statim eruenda veniunt, ne scintillula hæc insuper habita in longe majorem flammam excrescat. y)

§. 29. Hæc sunt L. B. quæ in medium proferre hac occasione volui, ea ut in meliorem partem interpretari velis, est quod obnixe rogito. DEO autem T. O. M. humillimas decerno gratias pro hactenus clementer concessis viribus. Benedicat idem Divinum Numen porro studiis meis factisque in sui Sanctissimi Nominis Gloriam!

y) *Piso H. N. L. V. c. 12.*

DISPUTATIO XXXVII.
DE
MORBIS ANIMATIS.

MEdicinam nihil aliud quam continuam ærumnarum humanarum contemplationem nonnullis jure meritoque audire, tot malorum myriades, quibus cum conflictari misera Mortalitas cogitur, satis credo ostendunt. Ut enim cætera sicco transeamus pede, quid non ab Animalibus solum imminet periculi? quæ ad nutum & ministerium Hominis olim creata, nunc unguibus dentibusque non nisi ad ejus perniciem armantur & fatale indicunt bellum. Non jam memorabo hiantes in sepulchri speciem belluarum Leonis tigridisque rictus, non Tauri cornua, nec aduncam

Scor-

Scorpii caudam, aut Serpentum, & quæ his abjectiora ad interitum noſtrum conſpirant, morſus ictusque funeſtos referam, ſiquidem hæc ab extra & aperto nos adoriuntur marte, ſed tantum in effingendis aliis, quæ magis per inſidias nos petunt, Naturæ novercantis mirari placet ingenium. Ubi ſc. infeſtas inſectorum vermiumque, ſenſus ſæpe fugientium, turmas corpori noſtro immittit, feralium ibidem Symptomatum auctores. Sic non Fœtus ſolum turpi hac progenie jamjam gravidos excludi, & ſuos ſecum afferre hoſtes, infantesque hanc plurium Morborum cauſam, & vivam in tenello corpore mortem alere videas; Sed adulti etiam conceptis intra Viſcera Animatorum ejusmodi miaſmatum Seminiis, in nulla non parte ingratos ſibi parturiunt hoſpites, qui Protheo mutabiliores, tam varia tragicaque in corpore noſtro ludunt dramata, & abunde docent, quid ſimus Homunculi, ſcilicet non ſolum *toti à Natura morbus*, quod Hipp. jam aſſeruit, ſed Vermium inſuper Eſca & fœcundum Seminarium. Ab his non poſt funera tantum in nihilum redigimur, ſed vivi etiam inter hos precariam animam ducimus. Verſipellem itaque contubernalium horum genium loco ſpeciminis examinabimus, & quatuor Capitibus, Morborum à vermibus orientium Hiſtoriam, Originem, Signa & denique Curam, quantum pagellarum patietur anguſtia, ſiſtemus. Faxit æternum numen ut cedat *Feliciter!*

CAPUT I.

Historiam Morborum Animatorum tradens.

I.

NE Titulum, quem fronte gerit Dissertatio nostra, *Morborum Animatorum* mirari cuiquam subeat, paucis, quid eo ipso innuamus, explicandum hic videtur. De scrupulosa tamen Etymi evolutione minus soliciti, indigitabimus tantum, venire nobis hoc nomine omne illud, quod homini præter naturam accidit, & à causa vivente, vermibus puta bestiolisque omnis generis, vel in corpore productis, vel ab extra incaute admissis, producitur, animatur quasi & fovetur.

II. Tanta vero Exemplorum ejusmodi apud Auctores occurrit farrago, ut ipsa multitudine laboremus, & ab iis adducta non tam in compendium redigere, quam rariora tantum delibare necessum habeamus. Fiet hoc commodissime tria hæc perpendendo puncta; sc. primo varietatem animalculorum in corpore nostro stabulantium, deinde sedem eorum diversam, ultimo, multiplex quod inferunt damnum.

III. Nimirum non uno sub schemate apparent, sed figuras varias affectant. Sunt eorum alia longe maxima aliquot cubitorum, quædam mediocris magnitudinis pedem vix superantis, nonnulla quoque adhuc minora, unciam unam vel alteram vix adæquantia, plurima vero omnium minima & vix sub sensus nisi probe armatos cadentia. Inter hæc quædam fere vulgaria sunt & quotidie conspicua, sunt itidem alias ignota atque monstrosa. Sed quæcunque demum fuerint, non inconvenienter ad duas revocare classes juvabit, ita ut altera complectatur serpentia pedibus destituta, altera pedata in universum omnia.

IV. Ad primam Classem pertinent Lumbrici teretes omnium frequentissimi ac pueris maxime familiares, & qui minores

sunt

ſunt Aſcarides non diſſimiles iis, quos caſeus recens nutrit. Ranores in hominibus obſervantur hirudines atque ſerpentes. Dracunculi vix noſtris in terris notantur; in Indiis occurrunt crebrius. Præter hos dantur etiam plani compreſſique, quos inter longiſſimus eſt Tænia, faſciæ quaſi ſpeciem habens, & cucurbitinus, ſic dictus, quod partes eum articulorum inſtar conſtituentes, figuram ſeminum Cucurbitæ quodammodo imitentur. Peculiaris & ab utroque genere teretium latorumque diverſa conformatio eſt Limacis, Cochleæ, Teredinis &c.

V. In alteram referendæ ſunt Lacertæ, Ranæ, Bufones, Mures &c. ut quadrupedia. Sex pedibus gaudent Pediculi, Cimices, Formicæ, Locuſtæ, ſcarabæi & inſecta volatilia omnis generis. Octo, Aranæ, pluribus adhuc Scorpiones, Erucæ, Aſelli ac ſimilia. Spectant huc quoque Acarorum minimi quibus tamen numerus pedum certus aſſignari haud poteſt, quod eorum quosdam ſex, alios octo pedibus inſtructos microſcopii ope viderit *Bonomus Ephem. Germ. Dec.* 2. *Ann.* 10. *App. p.* 35. & 45. Deſcribuntur hinc inde adhuc alia & magis inſolita, quæ tamen in hos ordines redigere quam longo catalogo hic enumerare facilius erit.

VI. Sedem horum animalium ſcrutanti, occurrent alia, quæ ubique domi, per univerſum peregrinantur corpus, alia, quæ in hac vel illa ſaltem parte ſedem ſibi fixam eligunt. Neque enim in tanta membrorum diverſitate unum facile reperias, quod ab iisdem immune, & quod non aliquando animatorum ejusmodi fuliginum matricem fuiſſe aut diverſorium, obſervationes medicæ loquantur. Sane Cerebrum à Scorpione obſeſſum notavit *Hollerius de morb. intern. l.* 1. *c.* 1. Cimices intra Meninges natos vidit *Cornel. Gemma. l.* 2. *Cosmocrit. c.* 4 *p.* 241. Vermes in Oculo, in Naribus, Auribus, in Lingua & alibi in ſuprema corporis regione repertos longa auctorum ſerie probat *Paulini Cynograph. cur. ſect.* 4. *cap.* 6. in exeſis Dentium cavitatibus, præter Sinones *Jonſtono de Inſect. l.* 3. *Cap. Art.* 3. dictos, atque à *Godof. Schultzio Ephem. Germ.*

Germ. Ann. 10. *Obſ.* 187. deſcriptos, alios vidit *Pechlin. Lib.* 2. *Obſ. Med.* 36. qui, ſi pedum ſeriem annulatamque corporis formam exceperis, à pediculis planioribus non multum abludebant. Mucum Dentium, qui in nonnullis putidam exhalat Mephitim, & transeuntem animam olidiſſimam ſæpe reddit, totum fere eſſe verminoſum affirmat *Leeuvvenhœk. Arcan. Nat. P.* 2. *p.* 43. & in ore unius hominis mediocriter illud curantis plures contineri vermiculos, quam in omnibus Provinciis confœderatis, homines, computat. Lacrimas verminoſas *Ephem. Germ. Dec.* 2. *an.* 4. *pag.* 32. Salivam *Dolæus ibid. Dec.* 1. *An.* 9. & 10. *Obſ.* 130.

VII. Nec Thorax ſuis deſtituitur inquilinis maleferiatis. Reperiuntur ibidem non Pulmonibus tantum infenſi hoſtes, quales Strobili nucleis ſimillimos cum tuſſi excretos deſcripſit *Thom. Rod. à Veiga Comment. in Galen. de loc. affect. L.* 1. *Sect.* 4. *p.* 225. Sed cordi etiam inſultantes & intra pericardium affixos refert *Schenk. Obſ. Med. L.* 2. *pag.* 272. In ipſis v. cavitatibus ſeu Ventriculis nidulantes *Bonet. L.* 2. *Med. Septentr. Sect.* 19. *cap.* 15. Ex Mammis vermiculos vidit minutiſſimos candidiſſimosque poſt ſævos diuturnosque dolores punctorios cum lacte emulſos, *Paullin. Ephem. Germ. Dec.* 2. *Ad.* 5. *Obſ.* 109.

VIII. Omnium tamen frequentiſſimum vermibus theatrum pandit Venter infimus. Præter lumbticos enim vulgo notiſſimos dantur hic alii plures. Sic è Ventriculo examen vermium octipedum ab uſu mercurii vitæ per os & alvum deturbatorum obſervavit *Joh. Paterſ. Hain. Eph. Germ. An.* 4. & 5. *Obſ.* 80. Alii Ranas, Bufones, Lacertas, narrant, prout ex variis auctoribus prolixe tradidit *Schenk. Obſ. Med. Lib.* 3. *p.* 339. *ſeqq. Qui alibi p.* 397. Vermes cornutos, hirſutos, Erucæ, Anguillæque ſimiles in inteſtinis repertos memorat. De Verme Umbilicali vid. *Senn. Prax Lib.* 3. *P.* 10. *c.* 4. Epar autem cæteraque infimi ventris viſcera infinitis ſæpenumero animaculis, vocato etiam in auxilium microſcopio vix cognoſcendis conſpurcari, teſtatur *Kerkring. obſ. Anat.* 93.

IX.

IX. Quid vero opus recenſere partes reliquas, & obſervatorum inibi Vermium hiſtorias cumulare, cum ipſe Sanguis eisdem ſæpe ſcateat, obſervante inter alios *Thom. Barth. Ephem. Germ. An.* 1. *Obſ.* 50. Ubi plura ex variis exempla ſubjungit *Sachſ. in Schol. Obſ. ejusd.* Neceſſum hinc vel univerſum laborare corpus, vel huic illive parti tantùm labem affricari, ſiquidem vitalis hic latex à corde ad omnes partes perenni derivatur flumine, & non poteſt non vitia ſua cum iis communicare; vermiculi autem loci commoditate aliisque circumſtantiis invitati hinc inde hærere, Menſtrua quoque Verminoſa à *Paullin. Ephem. Germ. Dec.* 2. *An.* 5. *pag.* 13, fuerunt annotata. Sudor *Ibid. An. eod. p.* 8. *app.* Vermiculos in ſemine deprehendit *Leeuvvenhœk. Anat. p.* 149. *& ſeqq.* alibique paſſim, quos tamen naturales non eſſe, multo minus fœtus primordia conſtituere, ut ille ratiocinatur, hujus loci non eſt fuſius deducere.

X. Quoad Damnum, certe nulla tam dira tam peregrina corpori accidunt ſymptomata, quin à doloſa vermium progenie ſimilia poſſe ſperari, multiplex docuerit experientia. Exempli loco liceat adducere *Pechlin. lib.* 1. *Obſ.* 65. Ubi faciem eorundem in omnes horas imo momenta mutabilem vivis depinxit coloribus. Et variat ſane multis modis, juxta varietatem tum animalculorum, tum partium quas inhabitant. In genere tamen videntur quædam magis humoribus, alia ſolidis magis metuenda. In primis viis qui hærent Lumbrici, chylo maxime inhiant, & abſorbendo quod eſt laudabile, vel Bulimum excitant, ut pediculi illi ventriculum occupantes à *Bonett. Sepulchret. l.* 3. *Sect.* 2. *obſ.* 9. deprehenſi; & alvi obſtructiones pertinaciſſimas, ob humidi ſc. defectum, totius corporis tabem & Cachexiam inducunt. Quod nempe nutrimentum debitum vel ſuis inquinent ſordibus, vel præripiendo meliorem ejus partem, præter bilioſos viſcidosque humores vix quicquam per vaſa lactea transcolandum relinquant conſalini impudentiſſimi,

XI. Idem fortassis agunt in partibus remotioribus Comedones intra cutem delitescentes, optimumque depredantes sanguinem, de quibus *Welsch. Exerc. de vermic. capillar. infant.* Ut nihil dicam de iis qui Bile, balsamo illo Helmontiano putredinis nescio victitant, ejusque gratia in ductibus Hepaticis vel ipso folliculo degunt ab *Hildano Cent.* 1. *Obs. chir.* 60. & aliis plurimis annotati; si quid enim ad sanitatem confert succus ille, id procul dubio subducitur ab esurinis hisce incolis, non sine insigni totius detrimento.

XII. Plura solidis minatur mala infestum hocce genus, quæ certe non uno vapulant modo. Sunt nimirum Sirones s. Acari ab *Ettmullero in Act. Erud. Lipsi. An.* 1. *p.* 317. descripti, qui molesta corpusculi pilis interdum cornubusque horridi agitatione, titillando fibras exquisitissime sensatas, cutis præsertim, prurigines excitant intolerabiles & difficulter compescendas. Sunt ascarides qui simile pariunt incommodum vel in ano ex *Pechlin. l.* 1. *obs.* 66. vel in muliebribus, prout in vetula septuagenaria notavit *Beker. Ephem. Germ. An.* 8. *Obs.* 75.

XIII. Dantur alii qui paulo vehementius pungendo plus minus acerbos gignunt dolores; Capitis v. g. siquidem Cephalæam per quinquennium pertinacissimam à vermibus rubicundis & pilosis recenset *Paullin. Ephem. Germ. Dec.* 2. *An.* 5. *Obs.* 101. *App.* & plura exempla citata vid. in *Ejusd. Cynogr. Sect.* 4. *cap.* 8. Dentes vero ab iisdem sævissime nonnunquam exerceri nec vulgus latet. Otalgiam similem notavit *Panarolli. Pentecost.* 4. *Obs.* 27. Ventriculi dolorem triennalem à Limace contento *Binningerus Cent.* 5. *Obs.* 63. Colicam & Hypochondriorum tormina *Thonerus l.* 3 *p.* 164. *seqq.* ipsam passionem iliacam inde ortam, præter infinitas Auctorum observationes, oculatus nuper fui testis. Renum Lumborumque diros cruciatus vidit *Holler. Lib.* 1. *de Morb. intern. cap.* 50. & 54. *in Schol.* & calculum accurate mentientes *Pechl. L.* 1. *Obs.* 4.

XIV.

XIV. Interdum Dolor hic cum eroſione atque exulceratione conjungitur. Sic erodentes ventriculum aliquando deprehendit vermiculos *Anton. de Bozzis Ephem. Germ. An.* 4. *Obſ.* 37. Inteſtina cum Dyſenteria & immenſis abdominis doloribus *Hunervvolff. ibid. Dec.* II. *An.* 5. *Obſ.* 19. Pulmonum ſubſtantiam exedentes in Phthyſi *Timæus à Guldenklee. Lib.* II. *Ep.* 5. Imo ſputa Phthyſicorum in vermes animari, ſe, vidiſſe retulit mihi quondam *Excell. Sandius P. P. Regiomontanus.* Hydropem ab iisdem notarunt, *Ephem. Germ. Dec.* II. *An.* 6. *p.* 7. In partibus v. externis ulcera ejusmodi verminantia, ſcorbuticis impr. ſ. Morbo Vareno affectis familiaria, mille teſtantur obſervationes, & curioſum eſt, quod advertit *Leuvvenhœk. in Ep. de die* 17. *Octobris An.* 87. *adſoc. Angl.* vermiculos ex ſanioſo Matronæ cujusdam crure deſumptos in muſcas ſeſe induere, & metamorphoſes reliquas his ſolennes experiri. In Luis venereæ candidatis, tubercula illa undique per corpus ſparſa, non rabo ſolum ſtillant virulentiſſimo, ſed una beſtiolas limaces minutiſſimos adumbrantes excludunt, uti obſervavit *Hauptm. referente Kirch. Mund. Subt. L.* 12. *Sect.* I. *cap.* 10. Et certe morbum hunc genuinam animatarum fuliginum ſobolem eſſe, multa haud invalidis argumentis perſuadem, adducta ex parte à *Paulin. l. c. cap.* 9. Imo Elephantiaſis, Lepra & alia hujus commatis, eodem metienda nobis veniunt modulo.

XV. Dum vero fibras corporis ſenſu plus minus exquiſito præditas lancinant beſtiolæ hæroduntque, plura neceſſum eſt ſequi mala, Spaſmum ſcilicet, motus convulſivos & Epilepſiam, Febres atque id genus alia. Nimirum quamdiu ſpiritus per nervoſa fibrarum ſtamina ſanguinis tubulis interſperſa inque muſculum collecta ordinate influunt, ſanguis jam ante ſpiritibus turgidus, inteſtina autem particularum minimarum agitatione magis quaſi rarefactus, latera dilatat, hæc vero, ceſſante ſpirituum ad par-

tem hanc determinatione, iterum detumescunt, tamdiu motus ex arbitrio nostro procedit. Quod si vero à spiculis v. g. salinis vermiculis aliaque re dolorifica, ad præternaturalem sui contractionem stimulentur sensiles Nervorum canaliculi, & spiritibus viam hic illic præcludant statim æquilibrium tollitur & præsto sunt motuum Anomaliæ, quales Praxis clinica in infantibus præcipue tota die exhibet. Notatu digna est mimica illa gesticulatio & saltus, sic dictam S. Viti choream æmulans, à vermibus, cujus meminerunt *Ephem. Germ. Dec.* II. *Ann.* 5. *p.* 10. *App.* Paralyses ex eodem fundamento deducendas observavit *Salmuth. Cent.* I *Obs.* 44. Pertinet huc etiam illud cæcitatis & aphonias exemplum quod habetur *Ephem. l. c. p.* 346.

XVI. Circa Febres scrupulus hærere posset, quomodo vermiculi in spiritus nostros adæquatum harum subjectum agere possint, facile tamen eximendus illi, qui nobiscum consideraverit, subtilissimum illud cerebri nervorumque fluidum motuum omnium quidem esse auctorem, diversimode tamen ab ipsis fibris, quas inhabitat, sic vel aliter affectis determinari, cujus luculentum satis testimonium sensus suppeditant. Si jam à vermibus v. g. aliaque re molesta, tubulata hæc fibrarum minutissimarum interstitia ad violentam sui corrugationem irritari contingat, spiritus per mutuam hanc parietum accessionem exprimi & ad interiora repelli necessum est. Et hinc omnia febrium symptomata, Frigus, cutis aspera, Pandiculationes, unguium livor, impedita insensibilis transpiratio & quæ sunt alia. Ubi vero sphærulæ spirituum elasticæ, ulterioris compressionis impatientes, summo nisu restitutionem suam intendunt, & tumultuarie huc illuc feruntur, viam sibi per coarctatos rubulos cum impetu paraturi, æstus sequitur & incalescentia. Interdum sine utriusque reciprocatione vel frigus continuum urget, quando Spiritus nimium compressi sese expandere nequeunt, vel æstus, quando a causa minus vehementi tremulus tantum fibrarum motus obtinet, ut spiritibus loco de-

depulſis ad ſtationem ſuam redire protinus liceat, & ſic continua quaſi oriatur lucta; Ortas vero à vermibus Febres vid. paſſim in *Ephem. N. C.* Imprimis Febrium malignarum, caſtrenſium & Epidemicarum cauſa, iisdem a multis adſcribitur, quos in ægrotantium capite non raro, notante *Aldrovando de inſect. p. m.* 655. crebrius in ventriculo, *Eph. Germ. Ann.* 4. & 5. *Anælect. p.* 288. nec non in reliquo corpore inventos legimus. Ipſam Peſtem *Kircherus in pec. Tract.* inde deducit.

XVII. Præ omnibus tamen hoc nomine male audiunt & ſemper fere monſtri aliquid alere obſervantur Febres ſic dictæ Exanthematicæ, h. e. cum cutis quadam efflorescentia puſtulisque conjunctæ. Et quemadmodum ſanguinem omnino verminoſum in ejusmodi morbis deprehendit *Rod. à Caſtro de Febr. punctic. Sect.* 1. §. 15. Ita Petechias in ſpecie a puncturis vermiculorum iſtorum non incongrue deducit *Hauptm. in Ep. ad Kirch. de viv. mort. Inag. p.* 200. Morbillos *Chriſt. Lang. in Diſſert. pec.* §. 55. In Variolis autem eos obſervavit *Zacut. Luſit. Prax. Med. adm. lib.* 3. *obſ.* 42. aliique. Confer. curioſam de his hiſtoriam in *Eph. Germ. An.* 6. *Obſ.* 3. Et aliam a *Cl. Schmiedio*, Civitatis patriæ famigeratiſſimo quondam Phyſico *ibid. An.* 8. *Obſ.* 85. relatam. In Scabie cæterisque Exanthematum generibus advertit & ſub teredinum nomine curioſe delineari curavit *Joh. Coſm. Bonomus E. G. Dec.* 2. *An.* 10. *App. p.* 35. Et militat ſane pro hac ſententia, præter medicamenta hic exhiberi ſolita, ſubita illa a frigore externo vel illitis amaris retroceſſio, vix aliunde ſine difficultatibus innumeris deducenda.

XVIII. Videlicet erumpunt Puſtulæ ejusmodi in ambitu corporis eadem ratione, qua in Tiliæ populi, aliarumque Arborum foliis morboſi illi tumores, Gallarum nomine Botanophilis venientes, luxuriant. Etenim ſive exterius adveniat, ſive cum Nutrimento interno afflúat progenies verminoſa, interdum ipſa aeris liberioris cupida, ob æſtum febrilem, vel humorum acri-

moniam, interdum vero per Medicamenta finibus his eliminata, intra cutem tamen & cuticulam hærere plerumque consuevit. Hic non desinit pungendo rodendoque capillaria arteriarum venarumque vascula lacessere, donec sanguinem serumque plorent, sæpe cuticulam colore tantum variegato maculisque purpureis distingens, sæpe in papulas (uti Celso dicuntur) majores minoresve, pro quantitate diversa, attollens. Sicut videmus in vegetabilibus alium proventum Gallarum, alium Cocci, Opuntiæ, Poligonive. Conf. *Act. Phil. Angl. n.* 176. & 293. *it. Pancovii Herbar. pag.* 319. Humor vero, qui ita secessit, raro cum reliquo corporis fluento in gratiam redit, aut eidem rursus admiscetur, sed brevi in pus fœdamque saniem coquitur, & sepeliendo ibi animalculo malifico hujus auctori inservit. Coloris interim varietas, qua hi cutis flosculi sæpenumero ludunt, & modo rubicundi, modo lividi, nigricantes flavique apparent, diathesi humorum plus minus vitiosæ, admistisque salibus peregrinis tribuenda videtur, quæ plerumque individuus morborum ejusmodi comes esse solet.

XIX. Neque insolitum est Tumores & Abscessus in glandulis partibusque carnosis, eosque satis grandes oriri a vermibus: Qui, dum vasorum texturam turbant, particulæ nutritiæ per arteriarum angustias adigendæ & continuato cordis pulsu poris quasi incuneandæ, ad latera deflectunt & qua data porta ruunt, unde cutis in monstrosos inflatur monticulos & carnei ejusm. propullulant appendices. Præter Bubones Pestilentiales qui simile quid arguunt, strumas animata colluvie prægnantes in *M. N. C. Dec.* II. *An.* 5. *App pag.* 8. pediculis refertas *ap. Foresl. l.* 8. *Obs.* 5. *in Schol.* Polypos narium in *Schenk. L.* 1. *Obs.* 12. *p. m.* 182. Abscessum umbilici *ap. Carbrolium obs.* 19. Similiaque plura hinc inde reperimus, quibus citandis merito hic supersedendum. Instar omnium consuli potest *Welsch. Exercit. de Vena Medinens.* Ubi quid Dracunculi valeant & quomodo effermatis per carnem cuniculis universum corpus Talparum more suffodiant, exponit. Ut non attin-

attingam id mali genus, quod præter inſecta pilos aliaq; magis peregrina fovet, non ſine incantamenti ſuſpicione, de quo *Fromann. Tr. de Faſcinat. Lib. 3. p. 6. c. 16.*

XX. Antequam v. caput hoc finiamus, monendum videtur non eſſe nobis Animum, omnes modo adductos morbos ab animalculis unice & perpetuo derivare, multo minus *Kirchero. Mund. Subt. Lib. 12. ſect. 2. c. 7.* aliisque calculum nos addere, qui in omni morbo inſontes ſæpe vermiculos & putredinem animatam accuſare conſueverunt, cum plurima ab his toto cœlo diverſa eandem in corpore noſtro ludere poſſe ſcenam non inficiemur, ſed eos tantum ut cauſam morbificam inter cæteras haud extremo loco ponendam, conſiderare, quod tot obſervationum teſtimonia ſufficienter evincunt.

CAPUT II.

De Origine Morborum Animatorum.

§. 1.

COntemplati hactenus ſumus Animalculorum in corpore humano varietatem, indagandum nunc porro, quis eorum ortus & qua via in abditiſſimos illos angulos penetrare queant. Dubium autem nullum eſt, quin quædam per aditus ſatis patentes ſeſe inſinuent & quidem in Aures. Muſcæ, Culices, Erucæ, Curculiones, Araneæ, Millepedes ſimiliaque uti *Stalpart. van der Wiel, Cent. poſt. part. pr. Obſ. 11. & Ruland. Cent. 10. cur. 82.* annotarunt. Similiter in os, præſertim inter dormiendum hians ingreſſos hirudines ſerpentesque refert *Joh. Dan. Horſt. Ep. Med. 7.* Sed magis mirum eſt talpam per anum ruſtici vigilantis irrepſiſſe de quo *Platerus Lib. 11. Obſ. pag. 457.* Alia nonnunquam pro Medicamentis propinat officiola mulierculanum ſuperſtitio, quæ poſtmodum ſuos ibi fœtus eniuntur & numero-

merosa prole in corpore perennant. Cujus ordinis sunt pediculi contra Icterum assumpti quorum meminit *Bonett. Sepulchr. L* III. *Sect* 2. *Obs.* 9.

II. Id vero cum rarissime tantum accidat, disquirendum haud immerito, quid de reliquis hoc pacto non admissis statuendum? Non hic in explodenda veterum generatione æquivoca oleum & operam perdemus, cum his diebus vix quisquam sit amplius, si *Bonan. Recreat. Ment. & Ocul. c.* 4. *pag.* 23. sufficienter tamen ab *Antonio Felice in Ep. ad Malpigh.* refutatum, excipias, qui eidem patrocinari non erubescat, postquam a lynceis minimorum naturæ indagatoribus *Fr. Redi de Generat. insect. Swammerd. Hist. insect. gen. p.* 3. *Listero de Cochleis p.* 107. *Rajus Synops. Method. de animal. p.* 14. *seqq. conf. Act. Erud. Lips. An.* 84. *p.* 274. & *Leeuwvenhœk. Ep. p.* 216. insecta omnis generis, Cochleas atque Limaces, & si quæ his adhuc viliora, cœno lutoque originem debere credidit antiquitas; ex ovulis non minus prodire, quam perfectissima quævis animalia, experimentis omni exceptione majoribus abunde demonstrarunt, & lites omnes reciprocis in utramque partem rationibus olim agitatas irrefragabili sensuum judicio diremerunt.

III. Diffitendum quidem non est, tam obscura sæpius esse generationis hujus initia, ut seminum exilissimorum pulviculos & tantum non atomos nullis sensibus assequi valeamus. Licebit tamen omnium hactenus notorum originem ex principio suo seminali constanter asserere, donec aliud tempora ventura docuerint. Et quid mirum ovula hæc conspectum nostrum fugere? cum in animalculis jamjam adultis, eorumque membris discernendis, oculi exquisitis etiam microscopiis muniti deficiant. Sane, qui considerat in piscibus v. g. genituram vix ad millesimam corporis sui portionem accedere, non difficulter judicabit quantula esse possit soboles acarorum aut vermium in lentore dentium à *Leuvvenhœk*, observatorum, qui millenario numero vix cen-

centesimam arenulæ partem adæquabant, & fatebitur nobiscum, naturam minutias vix animo nedum sensibus concipiendas, stupendo artificio moliri.

IV. Si vero ad hæc jam cæcutimus, quid de abstruso formationis negotio, quod omnem tam visus quam ingenii aciem eludit, dicendum? Quis ille partium omnium tam concinne & arte plusquam Dædalea ordinatarum Architectus? Torsit hoc omnis seculi philosophos, ut plerique divinum quid sapere illud, laudabili modestia concedant. Fœnerantur hic equidem multum luminis observationes in incubatis pennatorum ovis institutæ, Harvæi, Malpighii, aliorumque Clariss. Virorum, ad singula momenta, & naturæ in opere suo gradus attendentium; pleraque tamen alta adhuc involvuntur nocte. Pauca hic tantum & ipsa suis dubiis laborantia balbutire concessum. Videlicet ovulum omne etsi interdum cum quovis puncto indivisibili certare possit, in duas particularum classes dispescendum, alias activas & moventes, passivas & motui horum obedientes alias. Utræque in colliquamento seminis amico vinculo junguntur & placide juxta se mutuo quiescunt, illæ vero, spirituum nomine nobis venientes, per calorem externum postmodum à somno excitatæ, spartam sibi demandatam aggrediuntur, & omnes materiæ poros fulguris instar permeando, eandem secundum ideam sibi connatam mirificis cient motibus, usquedum liquoris hactenus homogenei nexus, intestino illo particularum dissidio solvatur, crassiora à tenuioribus separentur, & in subtilissima vasorum stamina ducantur, per quorum sinuosos meandros in suas singula stationes ablegari commode queant. Sic successive omnia in membrorum figuram distingui incipiunt, & tandem in animalculum omni numero absolutum concrescunt.

V. Facilius conceptu est, quomodo seminium tale verminosum hinc inde dispergi, rebusque variis adhærere, & harum adminiculo in corpus nostrum migrare queat. Valet enim hic illud

Ariſt. animarum plena ſunt omnia. Ordiamur ab his, quæ cum alimentis aſſumuntur, eorumque ductum ſecuta in totum dimanant corpus. Siquidem omne Potus Cibique imo Condimentorum genus, iisdem ſcatere deprehenditur frequentius. Aquæ profecto ſimpliciſſimæ unica guttula innumeram vermiculorum copiam continere viſa eſt *Bonett. Med. Sept. L. 3. ſect. 10. cap. 18.* Pluvialis ipſa, quæ radiorum ſolarium ope in vapores ſublimata majorem puritatis gradum acquirere creditur, nonnunquam illis abundat, ſicuti ex rubigine ſtirpibus infenſa manifeſte liquet *conf. Act. Erud. Lipſ. ſuppl. p. 425.* Ut pluviam illam in Africa frequentiorem, quæ cutem arrodere, & veſtibus excepta tineas vermesque producere obſervatur *Relation de la Nigritie pag. 89.* hic allegare neceſſum non ſit. Et quanquam *Kircherus Mund. ſubt. L. 12. Sect. 2. c. 8.* Fontanas non æque ac pluviales vermibus obnoxias aſſerat, contrarium tamen aliquoties vidimus, aquam horis matutinis eductam ſpectantes, quippe quæ vermiculos bicaudatos candidos & per aliquot dies in Scypho vitreo vivaces exhibuit. Et hæc forte ratio ſubeſt, cur *Muys in Prax. chir. ration. Dec. 1. Obſ. 2.* Aquæ uſum ad eluendos oculorum ſordes, longa experientia & frequenti hominum male inde habentium exemplo innixus, tantopere diſvadeat, ob metuendum ſcil. vermiculorum contagium, & ophthalmiam inde oriundam ad exemplum illius quam *Pechlin. lib. 2. Obſ. 35.* notavit; præſertim illis in terris ubi non alia ſuppetit, quam in ciſternis aſſervata & per longam moram vitium capiens.

VI. De Marina nihil dicam, quandoquidem nemo niſi ſumma adactus neceſſitate eandem haurit, tum vero copioſiſſimis refertam vermibus notarunt itinerariorum Scriptores; potiſſimum ubi extremos curritur ad Indos, & propius ad æquatorem vela ſunt facienda. Unde ratio non obſcura peti poteſt Scorbuti deſperatiſſimi, aliorumque Morborum, qui tum ordinarie ſupervenire ſolent. Peſſima inter omnes dubio procul eſt Aqua ſtagnans

ſtagnans paludis atque foſſarum, propter fœturam Animalium plus minus venenatorum ibi perpetuam. Cumque *Lycoſthenes Kirch. Mund. ſubt. Tom. 2. p. 352.* allegatus, Ann. 1549. in Hungaria, tria hominum millia ſerpentibus ranis ſimilibusque intra ilia ipſorum exortis periiſſe memorat, vero ſimillimum videtur Seminia ejusmodi cum potu aquarum hic loci undique putridarum ingurgitata fuiſſe. Id quod egregie confirmat Hiſtoria Ancillæ Altenburgenſis de qua *Reineſius ad Th. Barthol. Act. Haffniens. Vol. 2. p. 114.*

VII. Sed objiceret forte aliquis paucisſimos & non niſi anguſtioris fortunæ homines ſitim aqua lenire, plerisque vinum, cereviſiam, & quæ delicatioris palati pruritus excogitavit, alia ſuppetere. Verum ſciat nec hæc à vitio illo immunitatem nacta eſſe, Cereviſia enim per noctem ſervata vermes ſatis copioſos genuit. *Paulin. Cynogr. Sect. 4. cap. 3. pag. 169.* Unde facile patet quodnam exinde metuendum damnum, ſi quis heſterno potum affundat recentem. Dubitari etiam poſſet an pueri noctu potantes ſitiant propter Lumbricos, an hos potius producant ex hauſtu intempeſtivo. Ab hoc autem metu eximi nemo poteſt penitus, Nectare licet & Ambroſia utatur, ſiquidem ad minimum ex aqua eluendis poculis cyathisque dicata contrahi virus tale facillime poteſt.

VIII. Cibum ſi examinemus ſive crudus is fuerit, ſive arte paratus culinaria, nullibi deerit inſectorum funeſta proles. Quis enim illam deſideret in Pomis, pyris, prunis, moris, rubis, piſis aliisque fructibus horræis? Ex quorum avida incautaque ingluvie pueri fortaſis noxam ſæpe ſentiunt non levem, Scabiem puta, tineam capitis, aliaque hujus commatis mala. Graviora autem perpeſſus eſt ille, qui in *Eph. Germ. Dec. 2. An. 7. App. pag. 142.* cochlearum ovula cum uvis devoraverat. Et quis ignorat plantam omnem peculiarem ſibi vermiculum alere, cujus jucundum aliquando ſpectaculum in Herbis variis ad pu-

trefactionem, pro eliciendo inde sale volatili, sepositis, obtigit, ubi totidem fere diversissimæ figuræ animalcula volupe erat cernere. Cum vero tot nobis olera in alimentum cedant, quis liber ab eisdem erit? Similiter caseum tum recentem tum antiquum incolentes diversi generis Acari, vulgo notissimi sunt, & à pluribus in deliciis ponuntur. Lac ipsum insensibilibus animalculis plenum microscopia quandoque docuerunt; vid. *Kirch. Mund. sub. L.* 12. *Sect.* 2. *cap.* 1. Et quemadmodum Panis situ præsertim squalidus non raro verminat testimonio *Eph. Germ. Dec.* 2. *Ann.* 10. *Obs.* 171. ita carnes omnis generis, ferinæ potissimum, frequentius hoc malo tentantur, ut nec sale nec fumo præservari sufficienter queant, exemplo lardi ap. *Borell. Obs. microsc.* 14.

IX. Quoad condimenta, sal commune inter cætera usitatissimum suos fovere vermiculos ingenti observationum acervo adstrui posset, vid. imprimis *Transact. Angl. Mens. Mart. An.* 1682. Non minus quam Saccharum, consule *Act. Haffn. Vol.* 1. *Obs.* 54. Piper *ibid. Vol.* 2. *Obs.* 3. *& Act. erud. Lipsi. Ann.* 85. *p.* 590. Cariophyllos, Nucem myristicam aliaque in universum omnia *Ephem. Germ. Ann.* 10. *Obs.* 115. Aceto autem tam copiosæ innatant anguillulæ ut vel ipsam ejus acrimoniam ex numero vermium deducant nonnulli. Quam opinionem tamen falsitatis convincit *Leeuvvenhœk, in Arcan. Nat. p.* 4. non omne Acetum hyberno præprimis tempore iisdem scatere annotans.

X. Multa quidem ex seminiis his, rebus tantum non omnibus adspersis per coctiones varias alterationesque perire, negandum non est, quædam tamen etiam positis certis circumstantiis impune illas sustinere & in nobis posse resurgere integris viribus, plurima suspicionem faciunt; in quibus tamen fusius nunc explicandis desudare nulla necessitas cogit, cum pleraque easdem non experta ingerantur; sufficiet videre, quid periculi iisdem immineat ab alterationibus in corpore nostro subeundis.

Non

Non leve eſt illud quod in alimentorum ſolidiorum præſertim aſſumptione minatur Maſticatio, cujus tamen vim evadunt plurima & vel dentibus ipſis adhæreſcunt, malorum ſuperius recenſitorum fabri, vel una in ventriculum devolvuntur. Hic Salivæ & fluidis aſſumptorum partibus innatantia, per interpolatas ventriculi contractiones excutiuntur non raro & inteſtina amandantur citius, quam à ſpiritu, Digeſtionis omnis auctore, ſufficienter ſubacta fuerint, & fœcunditate ſua exuta; vel etiam duriorum & concoctu difficilium maſſularum cortice munita virtutem ejus ſubterfugiunt. Favent hic multum & Symbolum ſuum conferunt cruditates in Ventriculo collectæ, ejus actiones mirum quantum ſæpe debilitantes, imprimis pituita tenacior commodam iis præſtare poteſt matricem, qua incruſtata tamdiu forte latitant, donec animalculum inde excluſum, proprio robore ventriculi ſpirituumque impetum ſuperare aptum ſit. Et ut taceamus, ſpiritum noſtrum vitalem non facile aggredi illud quod etiam vitale eſt, quid mirum ovula ejusmodi hic aliquandiu deliteſcere incorrupta? cum grana Avenæ à milite deglutita germinaſſe ibidem aliquando, radicibusque actis in culmum & ariſtam ſurrexiſſe teſtentur *Nouvelles de la Republ. des Lettres. An. 85. p. 994.*

XI. In Inteſtinorum tubum elapſis à Bilis & ſucci pancreatici affuſione quid metuendum? Cum hic Salivæ analogus omni acrimonia notabili deſtituatur, illa vero particulis Sulphureis & Salſis inſuper donata, magis facilem ſe iis præbet, quam quidem voluit Helmont. quod innumera vermium ibi repertorum exempla teſtantur. Hinc alia cum fæcibus ulterius protrudantur & in inteſtinorum anfractibus cellulisque hinc inde hærent ovula, moleſtos inquilinos paritura, alia per velamenti bombycini vaſorumque lacteorum anguſtias trajiciunt, quod nemo in dubium vocabit, adſtructam ovulorum horum exilitatem ſecum reputans, & ſi pulveres medicamentoſi nunquam ad parem cum

his subtilitatem redigendi eas penetrant, multo magis his patebunt. Antequam vero viam consuetam ad cor usque absolvant, si commodum alicubi latibulum nacta fuerint, in medio itinere interdum divertunt & abscessus Mesenterii v. g. aliarumque partium cognatarum verminosos producunt. Sanguini autem affusa in omnes partes, quas fluentum hoc non interrupto circulo alluit, facile deponuntur, ibidem augentur & in vermiculos corpus exesuros abeunt.

XII. Nunc ad Aërem, cujus usurâ nec ad temporis momentum sine manifesto vitæ discrimine excludimur. Vehit autem hic innumera vermium semina, ut experimento facili demonstravit *Kirch. de Peste Sect.* 1. *c.* 7. exponendo scil. aquam puram vase aperto contentam aëri liberiori, ita enim post aliquot dierum intervallum, varias in ea deprehendit bestiolas, vase clauso non æque notandas. Tali seminio impregnatus Aër non modo pluviam sed & Nivem observante *Raygero Eph. Germ. An.* 4. *Obs.* 89. atque Rorem corrumpit. Neque opus ut ad mentem quorundam Panspermiam fingamus, ex concursu alimentorum, aut mirabili fortuitaque particularum subtilissimarum unione resultantem, cum vero longe similius sit, quod statuit *Cl. Philipp. Jacobus Hartmannus in Exerc. de Generat. Mineral. Vegetabil. & Anim. in Aëre. cap.* 4. minima corporum seminia cum vento elevari, atque ita quaquaversum dispergi.

XIII. Inspirata hoc mediante ovula, vel salivæ admiscentur, cum eadem per œsophagi canalem in ventriculum depluunt, & indicatam in antecedentibus viam emetiuntur; vel Tracheam asperam & pulmonum cellulas subeunt cum sanguine breviori via communicanda. Quid vero magis apte excogitari queat ad reddendas morborum Epidemicorum causas, eorum puta, quos ex Aëre vulgo deducunt, quam si statuatur vermium ejusmodi semina vel immediate inspirari atque ita Pulmones, cor, pectusque inqui-

inquinari, quemadmodum greges ovium phthisin exinde contrahere crebrius videmus; vel alimenta fructus arborum &c. ab iis conspurcata assumi, quæ ventriculum postmodum & intestina erodendo Dysenteriam producunt, qualem in castris Danorum grassantem describit *Paulus Brandius Act. Haffn. V. Vol. 5. Obs.* 31. aliaque hujus farinæ mala.

XIV. Supersunt adhuc, quæ diverso à prioribus modo per contagium scilicet corpori inferuntur. Sic notissimum est Scabiosorum chirothecas impune vix indui, lectum lue Venerea correpti tuto haud usurpari, & multo minus conversari familiariter cum leprosis, vel congredi cum infectis licere. Hic non absonum quidem est, ex recepta quorundam sententia, dicere, fermentum mali ex uno corpore in aliud ad hoc dispositum traduci per contactum, sicuti ex. gr. pomum putridum similiter corrumpit, quotquot attigerit. Quandoquidem vero moram id ipsum aliquam necessario requirit, arduum est quodammodo demonstrare, qua ratione in momento per osculum v. g. in consortium labis trahi possit corpus cæteroquin sanum. Ast magis plana res erit si quis credat eandem à vermibus sui generis produci, quales in Scabie Hispanica instar limacum invenit *Hauptm. l. sup. cit.* & tantæ fœcunditatis, ut intra dimium horæ, quod fidem fere superat, quinquaginta alios sibi similes partu effuderint. Nec difficile videtur explicatu, quomodo parva magnorum morborum initia tam late serpere, & in aliquot annorum tædia protrahi queant, multiplicata indies causa morbi continente.

XV. Accensenda his sunt Animalcula in vulneribus absces-sibusque citra sanguinis vitium aliquando prognata. Quid enim obstat, quin à muscis aut insectis aliis circa partes hasce morbosas obvolitantibus eo deportentur seminia ejusmodi, quod carnibus aliis, tam crudis quam coctis, accidere videmus; vel cum liquoribus medicamentosis, unguentis fasciisque affricentur? Nec incredibile adeo est, cute alioquin integra, ex processu uteri in tenuis-si-

iſſimum aculeum interdum deſinente, ipſis poris mandare fœtum ſuum inſecta poſſe, ſimili modo ac id in vegetabilibus fieri obſervavit *Freder. Schrad. in Ep. de Microſc. uſu.*

XVI. Hæc cum ita ſeſe habeant non miror amplius tam frequentes tamque varios occurrere morbos animatos, miror potius quemquam mortalium immunem eſſe ab hoc contagio. Neque neceſſum puto ut Cacodæmonis aſtum viresque in producendis iis quæ monſtroſa & inſolita prorſus apparent, accuſemus; ſiquidem nihil vetat, cum aromatibus, aliisque ex omni terrarum orbe allatis mercibus, ſemina quoque apportari eorum quæ antehac nunquam viſa ſunt. Ut taceam hybridas fortaſſe ex congreſſu diverſi generis inſectorum non difficulter oriri, quod vario illuſtrari exemplo poſſet ſi opus.

CAPUT III.

De Signis Morborum Animatorum.

I.

UT autem certiores de eo ſimus, num morbus quis ab iſtiusmodi Animalibus oriatur, neceſſum eſt ut ſigna eorum Pathognomonica examinemus. Enimvero unicum eſt, ut puto, infallibile & maxime firmum, ſi nimirum vermes aliæve beſtiolæ ſeſe conſpectui noſtro iſtant, & vel in ipſis ulceribus, abſceſſibus & exanthematibus apertis deprehendantur, vel per excretoria loca uti ſunt os, nares, alvus, urethra &c. prodeant vel ejiciantur vivi mortuique. Ita non male à vermibus deduxit *Stalpart. van der Wiel. Obſ. rar. Cent. poſt. Obſ.* 29. dolores ventris in puerpera poſtquam in partu unum alterumque enixa eſſet. Eventus enim demonſtravit rei veritatem, ſiquidem dato Anthelmintico poſt magnam cum lochiis excretam vermiculorum copiam reſtituta fuit.

II. Et

II. Et quandoquidem fieri potest ut qui vermes intestinorum alit, ex alia quacunque causa ægrotare queat, ex. gr. ab aëre frigido contrahere febrem, pleuritidem aliumve morbum, qui ad lumbricos nequaquam attineret, nihilominus, si pro scopo purgandi aperiendi vel quocunque alio, amara acria similiaque propinentur ægro, tumque per accidens expellantur bestiolæ, quis dixerit febrem vel pleuritidem ab iis orta fuisse? Itaque probe cavendum, ne quis fallaciam committat non causæ ut causæ, & animadvertendum sedulo, num quæ connexio inter morbum sit atque vermes, potissimum an his fugatis malum connexum insimul desinat.

III. Quamdiu vero delitescunt, non possumus equidem adeo secure illos pronunciare; sunt tamen circumstantiæ plures non vanam suspicionem injicientes & augentes, maxime si plures concurrant in eodem subjecto. Inprimis Anamnestica signa non negligenda sunt. Etenim si quæ symptomata post exclusionem vermium aliquandiu sedata, elapsis aliquot hebdomadis mensibusve recrudescant eodem modo, quis dubitet similiter oriri à progenie verminosa relicta in nido, viresque suas colligente?

IV. Necleve est argumentum ab Analogia vel inductione desumptum, quod præcipue in Endemiis & Epidemiis locum habet. Ubi Dracunculi frequentiores sunt e. g. in Insula Ormo, nemo de illorum præsentia dubitat, quam primum tumor admodum doloroſus sub cute attollitur. Ubi vero morbus grassatur Epidemice, qualis Anno 1683. in dominio Venetorum plus quam 60000. hominum infestabat febris vermiculosa, non male judicamus & qui inibi terrarum habitant & qui reduces inde veniunt, si de similibus conquerantur symptomatibus, eosdem etiam ex pari ægrotare causa. conf. *Welsch. Hecatost.* II. *Obs.* 59.

V. Sunt autem ſigna Vermium, quæ morbus ipſe ab iis natus ſuggerit, præcipue moleſtia quam creant dum moventur. Ita vermem ad fauces aſcendentem iterumque ad ſtomachum revertentem ſentiebat vidua, quædam notante *Joh. Paterſ. Haim. Eph. G. An.* 4. & 5. *Obſ.* 80. alia virgo volutationem circa umbilicum percipiebat, cum dolore atque tumore, quo rupto tres craſſi longi & teretes lumbrici cum copia puris excreti fuerunt, cura *Joh. Muralt. Eph. Germ. Dec.* II. *An.* I. *Obſ.* 104. Alius immani odontalgia ac periodica vexatus ſenſit in dente aliquando ſaliens quid referente *Paulin. ibid. Dec.* II. *An.* 7. *App. p.* 122.

VI. Idem confirmat Dolor peculiaris puncturæ aut morſui ſimilis quem ægri experiuntur in parte affecta. Refert *Frommann. in Eph. Germ.* 4. *Obſ.* 190. ſe viſitaſſe fœminam, quæ non tantum reptilis ejusdam animalis motum intra ſe, ſed expreſſum velut è catello ſugente ſuctus ſenſum, ſe percipere conqueſta, ſerpentem poſtea cœruleum ad cubiti longitudinem, ſatisque craſſum per alvum ejecit. Sic vermem cordis recte judicavit *Gabelchoverus Cent.* 3. *Curat.* I. ex eo quod puella lumbricis alias vexata ſingularem in corde dolorem per intervalla recurrentem indicaret, non ſecus quam ſi candentibus forcipibus vellicaretur.

VII. Quo majores exiſtunt vermes, hoc acerbior quoque dolor eſt, prout exemplum adoleſcentis, à latis miro modo inteſtina lancinantibus lacerantibusque afflicti à *Foreſt. L.* 21. *Obſ.* 36. relatum oſtendit; ſin minores fuerint, pruritum potius excitant, ut aſcarides in inteſtino recto, aut vulva, de quibus dictum ſuperius. Sed pruriginem oculorum cum rubore quinquennalem à minutulis & inſenſibilibus vermiculis, quod rarius eſt, notavit *Pechlin Obſ. Med. L.* II. *Obſ* 35. De ſcabie herpete ſimilibusque exanthematibus ex *Bonomo* itidem cap. I. jam actum.

VIII. Moleſtiam hanc, pro gradu doloris diverſo, excipit ordinarie inquietudo vel anxietas plus minus vehemens. Sic apud *Benivenium cap.* 92. *de abditis morbor. cauſis*, legimus de puero

puero quodam lumbricis laborante, qui nullo modo quiescere poterat, sed ita semper hinc inde tumultuario impetu & inordinato motu ferebatur, ut etiam stare volens, iterum titubaret caderetque. Apud *Amat.* par habetur historia *Cent.* II. *Cur. Med.* 40. de quadrimulo lumbricis infestato, qui totus nauseabundus in uno loco haud permanebat, sed hinc inde tanquam insanus jactitabatur, restitutus post myriades vermiculorum vesica inclusorum ejectos per alvum.

IX. Potissimum subitanea invasio atque remissio, quod egregie illustrat Historia *Pechlin. L.* I. *Obs.* 65. nec non accessiones ac reditus graviorum ejusmodi symptomatum, sine manifesta causa, haud obscure indicant, vermes potius quam humores accusandos esse. Quomodo enim e. g. dolor dentium, vitio sanguinis serique natus, ex improviso & desinat & redeat, post aliquot temporis momenta, nemo facile intelligit; verum si dentem carioſum à verme obsessum nobis concipiamus, satis appareat quamobrem dolor interpolatus recte monente *Sennert. Prax. L.* II. *part.* I. *c.* II. accidat, scilicet, secundum vermiculi motum ac rotionem varians.

X. Attendi etiam Tempus meretur, quo Symptomata graviora sentit æger. Id quod abunde elucescit ex casu sequenti: Vidua erat honesta & pia, quæ primum in templo, cum dies esurialis solenniter celebraretur, tantas repente anxietates patiebatur, ut alta voce clamaret se à Cacodæmone cruciari misere, auxiliumque imploraret omnium; ab eo tempore repetebat insultus idem crebrius, tantaque cum vehementia, ut præ summis cruciatibus, & mentis alienatione, Blasphemiam & convicia in sanctissimum Numen effunderet, ac tandem pro penitus obsessa haberetur. Postquam igitur meam implorasset opem, ex accessione, quæ ut plurimum jejuno ventriculo fiebat, ex duratione item nonnunquam ad aliquot horæ minuta vix extensa; cum & caput & reliqua viscera salva essent, ægraque se ipsam cætera sanam pronunciaret,

nisi quod nonnunquam à spiritu maligno in ventrem ipsius irruente adeo exagitaretur, ut præ summa, quam hinc pateretur, tortura, nesciret penitus, quid ageret aut loqueretur, nec non ex aliis circumstantiis vermes subesse judicavi, eumque in finem Electuarium ex mercurio dulc. Resin. Scammon. & Conserv. Rosar. paravi, quo factum est, ut tertia die, cum id omni mane assumpsisset, vermis per alvum unicus deturbaretur mortuus, totus hirsutus ad crassitiem minoris digiti fere accedens ac longitudine pedem quodammodo superans. Vivit autem jam ad octo annos ab eo tempore prorsus immunis ab illo paroxysmo.

XI. Vulgo notum est & jam olim observatum, famem insatiabilem produci à vermibus. Id a verme ultra duodecim cubitos longo in fœmina quadam observavit *Alexand. Trallian. de Art. Med. lib. 7. c. 4.* *Foreest. autem L. 21. Obs. 38. in Schol.* refert fuisse aliquando morbum Epidemicum Saraguſæ, quem & famem appellabant, cum omnes eo correpti saturari non possent; cumque infiniti morerentur, Medicus quidam sagax propinavit crebrio Bolum Armeniam, modo per se modo cum Theriaca; à quibus per anum infinitos & in orbem coactos vermes dejecerunt & præter mentem quamplurimi restituti sunt.

XII. Nec reticendum arbitror lumbricos similiaque animalia in ventriculo cognosci luculenter exinde, si quis ab assumptis Amaris reddatur anxius, iterumque a dulcibus levamen sentiat. Ita vidimus puellam gravissime afflictam, quotiescunque cervisiam biberet lupulatam, cumque à medico ad vermes necandos ipsi pulvis ex Myrrha Succin. & Castor. exhiberetur, statim præ doloris atrocia in furorem acta, lacerare vestes, evellere sibi crines, & paulo post humi prostrata, solum asseribus compactum petere unguibus, non sine sanguinis è digitorum apicibus profusione cœpit, donec haustus lactis cum sacharo propinatus eandem tranquillaret; ad imitationem illius molitoris, qui censente *Rosfero. Eph. Germ. An. 3. Obs. 311.* à lacertis in stomacho latitantibus

bus vexatus levamen ordinarie sensit, quando lacte dulcibusque vescebatur.

XIII. Forent adhuc aliqua signis vermium annumeranda, uti saliva copiosior cum impetu in os effusa, quod ab *Hipp. de Morb. L. 4. c. 27. p. m. 152.* vermem latum significare dicitur; item sitis nocturna, stridor dentium in somno, pruritus narium, facies squalida, oculi concavi, foetor peculiaris ex ore, tussis assidua & sicca, ventris distensio, similiaque de quibus vid. *Sennert. Prax. L. 3. P. 2. Sect. 1. c. 5. Riv. Prax. Med. lib. 10. c. 9. aliique.* sed mihi sufficiat indicasse potiora.

CAPUT IV.

De Cura Morborum Animatorum.

I.

SUperest ut quoque videamus quæ remedia affectibus istiusmodi opponenda. Sunt autem innumera pene, tamque diversa, ut dubitare non immerito quis possit, quibus utendum; siquidem eorum quædam, si saporem advertas, amara sunt, acria, acida, salsa plus minus nauseosa &c. quædam potius insipida sunt aut saltem non adeo ingrata, quædam etiam dulcia & jucunda magis. Si odorem, quædam graveolentia, quædam inodora, vel etiam suaveolentia.

II. Prioris generis id est amara sunt; herba Absinth. Abrotani, Card. ben. Centaur. min. Chamædr. Hyperic. Tanacet. Agerat. Balsamit. Radices Gentian. & Fraxinell. Lignum colubrinum Cort. Aurant. Myrrh. & quæ purgandi vim habent, Aloe, Colocynth. Gratiola, Rhabarb. de quibus singulis passim auctores.

III. Acria sunt; Nasturtium omne, quorsum accipitrina quoque referri solet, Ruta, Rad. Armorac. Helen. Angelic. Imperat.

rat. Petasit. cepæ, Allium, & quæ hujus odorem habet herb. scordii. Nec dubium est quin spiritus vini vel vinum ipsum hoc nomine vermes expellat de quibus *Barthol. Cent. 4. hist. 9.*

IV. Acida idem valent; succus citri & aqua inde destillata juxta *Panarol. pentecost. 5. Obs. 3 pag. 143.* spiritus salis, sulphuris, vitrioli, secundum *River. l. a.* Nec ignobilior est Clyssus Antimonii, & cum eo paratæ tincturæ florum rosar. e.g. sp. vitrioli Philosoph. ut dicitur &c. Usitatissimum Indis narrante *Pisone Hist. Natur. L. 2. c. 15.* remedium præbent fructus acidissimi Caraguata eorumque liquor destillatus, addito tantillo Tamarind. & mellis sylvestris.

V. Alcalia item seu salia fixa, & lixivia omnis generis, eum in finem commendantur, sal, absinth. puta Centaur. min. Tanacet. Hyperic. & Artemis. &c. vid. *Heurnius ad Fernelium p. 172. Giessvein in Hodog. Med. pag. 870. & Wedel. in Amœnitat. Mater. Med. L. 2. sect. 2. c. 8.*

VI. De Salibus volatilibus, camphora in specie, nullum est dubium, quin ea quoque vermibus infensa existant; siquidem Sal volat. C. C. tanquam præstantissimum laudatur à *Prævot. Select. Remed. p. 55.* Liquor C. C. succinatus, Tinct. Bezoardica similiaque idem forte agunt, si in malignis unquam valent. Nam & succinum Anthelminticis merito accensetur à Cl. *Wedel. l. a.* & salsa reliqua ventris animalia fugant, uti sal commune atque fossile, Nitrum vitriolatum & Tartarus vitriolatus, de quo *Agricol. in Popp.* Sal Ammoniacum ejusque flores vitriolati, prout ex calcinato vitriolo vel capite mortuo ejus parare illos docet *Boyle de utilitat. Phil. Experim p. 235.*

VII. Nauseosa magis sunt odore saporeque, Castoreum, de quo *Zacut. in Prax. adm. l. 1. p. 35.* Galbanum a *Galeno* quondam commendatum, Sabina quæ omnia præter hominem animalia necare dicitur a *Rattray in Sympath. & Antipath.* Nicotiana ut & sem. carthami. Rad. Turpeth. Gutta Cambod. & purgantia pleraque.

VIII.

VIII. Idem fortasse de Narcoticis censendum, opio puta, solano, Mandragora similibusque; siquidem & odor eorum virosus non potest non expellere vermes; & virtus stupefactiva quæ subest aut necat penitus aut enervat sopitque illos ad minimum. Hinc Theriacæ præstantia & Mithridatii ex parte; item pro usu externo cocculorum atq; seminis hyoscyami, contra dentium vermes optimi; frustra dissentiente *Hollerio ad lib. 5. Galen. de Comp. pharm. perioch. 5. p. 19.*

IX. Notum est alias, oleosa insectis inimica esse, quatenus lentore suo animalium spiracula occludunt ex mente *Hard. in Apiar. Obs. 3. Schol.* conf. *Malpigh. de Bombyce p. m. 18. 19.* Atqui & commune oleum olivarum vulgo à mulieribus usurpatur teste *Riv. l. a.* Non opus est igitur ut Oleum Scorpionum hic prolixe referam ex *Gabelchovv. Cent. 5. cur. 98.* annotatum, vel Ol. Rapar. in quo Mercurius viv. ebullierit ex consilio *Hanneman. Eph. Germ. An. 4. Obs. 83.* multo minus oleum Heraclinum, quod è corylo *Stokerus in Empirica.* Buxi ligno *Quercet. Pharmac. Phytol. c. 6. p. 775.* destillare jubet; vel Petroleum, cum horum acrimonia gravisque odor in hoc passu efficacissima, ad præcedentem potius classem eadem rejiciant.

X. De Corallina utilissima in verminatione, dubitari posset annon ratione salis marini, quo infecta est, operetur. Videtur enim explicatu quodammodo difficile, qua ratione vim suam exerant istiusmodi lapidosa terreaque insipida & inodora fere, uti sunt C. C. ustum, adeo decantatum a *Foresl. L. 21. Obs. 35. in Schol.* corallia, creta, Bolus, Terræque sigillatæ a *Sorbait oper. p. 186. & 194. & Prævot. Mat. Med. p. 386. & 388.* item Limat. martis a *Glauber. Furn. Philosoph. p. 2. c. 9.*

XI. Duplici autem id pacto fieri potest; aut enim pulveres duriorum præcipue concretorum, asperitate sua lumbricis exosa sunt, dum tenera ipsorum corpora lacerant atteruntque; quem in finem, ni fallor, ab Hippocomis setæ porcorum minutim incisæ

ad-

admiſcentur pabulo quando a vermibus infeſtantur equi. Aut quæ inſipida ſunt in ſe, ſaporem acquirunt ex mixtura cum aliis, ſalſum, vitriolicum, auſterum plus minus nauſeoſum &c. Id vero tota die fieri videmus ex concurſu eorum cum acidis; nec abs re commendat *Wittich. in Vade mec. p.* 352. C. C. uſtum in aceto ſolutum, tanquam ſaluberrimam pueris Medicinam. Quid ſi acidum concurrat in primis viis, quod verminoſis ob jacturam particularum oleoſarum & laudabilium in chylo, familiariſſimum eſt, teſtante halitu oris acido, utpote quem inter lumbricorum præſentium ſigna tanquam frequentiſſimum ac ordinarium primo loco memorat Sæpius jam allegatus *Riverius*.

XII. Idem de Mercurio vivo ſentiendum jurato vermium hoſte, quacunque demum ſub forma exhibeatur. Quis vero neſcit eundem ſtatim vires veneni acquirere ex connubio acidorum ſalſorumque. Ac hæreo certe an Mercurius dulcis præferendus ſit crudo tanquam magis correctus exſententia *P. J. Fabri in Pathol. Spagyr. c.* 54. §. cum non parum Salis jamjam abſcondat, nova & pauca quidem acceſſione in corroſivum iterum facile convertendus. Largior autem eundem magis potentem exiſtere, magisque commode in uſum vocari, quod præ currente felicius ſolvatur in ventriculo, atque ſic & alvum ſubducat & ad ſanguinis maſſam ſi opus, abeat ſine morâ.

XIII. Nec enim conſultum eſt lumbricos in corpore mortuos relinquere, ob damnum ex illorum putredine metuendum, itaque vel Purgantia cum Anthelminticis miſcenda, vel adhibenda ſtatim poſt uſurpationem horum jubente *Deodat. in Pamth. Hyg. lib.* 3. *c.* 24. *pag.* 163. Atque ideo quæ utrique intentioni ſatisfaciunt, id eſt necant atque evacuant ſimul, non immerito reliquis præferenda ſunt, ſi modo circumſtantiæ morbi ea permittant.

XIV. Quid ſi vero exanthemata maligna, variolæ, morbilli, purpura &c. id impediant? Equidem in principio palmam omni-

omnibus præripit Mercuriale purgans, experientia multiplici probatisſimum; aſt in ſtatu non æque convenire videtur. Aptiora potius tum temporis erunt Cinnabarina cum Antimonialibus, Unicornu, C. C. Terra Sigill. & lap. Bezoar itidem adverſus vermes optimo, notante *Worm. in Muſ. pag.* III. herb. Galegæ, fl. tunicæ ſimiliaque Anthelmintica & Alexipharmaca. Scilicet mitioribus utendum quandocunque febris adeſt acuta; ſi vero benignior vel nulla prorſus concurrat, myrrhata quoque & amara acrioraque promiſcue præſcribere nil vetat.

XV. Vidimus hucusque ea medicamentorum genera, quæ fugant interaneorum animalia necantque. Enimvero aperto cum iis marte pugnare ſemper haud licet. Solent Indi Laſer ſeu Aſam fœtidam cavernis dentium indere in dolore annotante *Garcia ab Orta lib. 1. c. 3.* quam facultatem illi etiam tribuit *Dioſc. lib. 3. cap. 76. Plinius* tamen *lib. 22. c. 23.* id non probat, quod viderit quendam in furorem hinc abreptum ex alto ſeſe præcipitaſſe. Et dira admodum ſymptomata excitari nonnunquam, ſi quis acrioribus eos impugnare velit, quotidiana adhuc loquitur experientia. Fortiora proinde non adhibentur ſecure, quam diu mitiora ſufficiunt.

XVI. Nec male cum Anthelminticis miſcentur dulcia; lac, ſaccharum, mel, extract. caſſiæ, paſſulæ, ficus atque ſimilia. Eamque in gratiam proſtat in officinis uſitatiſſima confectio ſem. Cinæ ſ. ſantonic. Inſtar omnium ſit mercurius vivus cum ſaccharo Thomæo tritus in mortario vitreo usquedum perfecte uniantur ex conſilio *Baricelli Hort. gen.* vel ſpiritus vitrioli cum ſaccharo candido coagulatus juxta *Lang. Pathol. animat. cap. 54. pag.* 478. Ineſcantur enim dulcibus ut occidantur, adeoque rotularum & morſulorum uſus in hoc paſſu contemnendus non eſt, judice *Wedel. Pathol. med. Dogm. Sect. 2. c. 5. p.* 233. & *Medic. comp. Sect. 2. c. 12. p.* 154.

XVII. Cavendum tamen, ut optime monet *Petræus Noſol.*

Harmon. Dissert. 31. §. 36. ne per dulcia liberalius exhibita, eos qui in inferioribus intestinis sunt, sursum ad nobiliores partes invitemus, ubi majus creant periculum. Supra igitur amara & inferius dulcia ut provocentur adhibere consultum videtur. Et si in infimis locis, amarissima, ut eo vis ipsorum penetret; interea Balanus ex lardo alligatus filo, immitti potest, ut adhærentes extrahi queant ascarides, præeunte *Fernel. Pathol. l. 6. c. 10.*

XVIII. Et quemadmodum clysmata ex acribus injecta diros sæpe excitant cruciatus, irritatis hostibus, ita non inconveniens erit ea ex lacte saccharoque parare, ut his alliciantur, suasu *Borelli cent. 1. obs. 90.* Prudentis enim est astu fallere, quos vi superare nequit. Quid multa? si ano elicere lumbricos per lactis tepidi fotum licet, ad imitationem *Hellvvig. observ. 96.* Egregium est quod notavit *Pechlinus l. 2. obs. 36. p. 302.* aniculam beneficio mellis vermiculos in odontalgia cum levamine subitaneo è dentibus excavatis protraxisse. Idem mel dorso infantum inungi solet utiliter, ut Crinones hinc prodeuntes novacula vel crusta panis aut volsella tollant mulierculæ, vid. *Michael. Prax. Clin. p. 1. l. 3. c. 9.*

XIX. Non jam vacat exponere singula, quid e. g. umbilico impositus fundulus, vel colocynthis cum felle bubulo ac pulvere vitri veneti valeat; quantum oleo scorpionum in scabie ac febribus malignis tribuendum, atque sic porro; item quale Regimen ægrorum & quæ diæta sit instituenda &c. quæ Dissertationis limites excederent. Satis est me uno vel altero exemplo ostendisse, quomodo morbos non paucos in corpore nostro producant animalia horumque seminia per errorem susceptа, & quæ cautelæ in cura eorum sint observandæ, ut sanitas recuperetur pristina.

DISPU-

DISPUTATIO XXXVIII.

DE

MORBIS COMPLICATIS.

Quod vulgo dicitur: nulla Calamitas sola, id ægri præ cæteris experiuntur; utpote quos constat juxta Fr. de le Boë Sylvium de Meth. Med. lib. 1. c. 16. xxv. raro, imo rarissime uno tantum affici morbo, sed plerumque multis & quandoque multiplicibus: quamvis unus haberi possit omnium primarius, à quo denominationem habere potest Affectus sæpissime complicatus. *Ita e.g. conqueritur homo de Capitis & Artuum Dolore intolerabili horis præsertim nocturnis, de totius Corporis lassitudine summa, Gonorrhœa virulenta & Ardore inter mejendum vehementissimo, de Bubonibus circa Inguina, & Pustulis hinc inde prorumpentibus, latis urentibusque, de Faucium Nariumque Ulceribus, Difficultate Deglutitionis, Raucitate Vocis, Fœtore Anhelitus, defluvio Capillorum, &c. quis, nisi versatus in Historia Pathologica, non credat concurrere Morbos quamplurimos, instar Telorum ad eundem scopum conjectorum? cum tamen unus idemque sit morbus: quem Gallicum communiter appellant. Sunt hujus Generis plures, qui nec in eodem subjecto eandem semper faciem habent, sed modo hanc modo illam partem infestant, ac interdum pluribus in locis simul vim suam exerunt, ut ab imperitioribus multiplicata ægritudo existimetur. Quid si vero Morbi hujusmodi revera conjungantur? Id quod im-*

possibile haud est, cum & ab una eademque causa varius oriri queat Morbus, & ipsa Occasio invadendi sit longe plurima; tum profecto difficultas, prout in cognoscendis, ita & curandis iis occurrit non levis. Merentur præ cæteris Morbi complicati *accuratiorem Disquisitionem; quam etsi promittere non ausim, nihilominus vires tentabo meas, sperans fortasse nec irritum prorsus futurum laborem, utpote qui aliis ad minimum ansam suppeditabit ulterius inquirendi in elegantissimam hancce materiam. Deus T. O. M. annuat cœptis!*

§. 1.

SI Nomen Complicatorum Morborum examinare velimus, facile apparet, nihil aliud quidem sub iis intelligi, quam concurrentes & quasi unitos, aut si mavis confusos inter se morbos, ut arduum sit, eos à se invicem distinguere vel curare decenter. Hanc difficultatem ut exprimeret *Marcus Gerbezius*, titulum sui Tractatus de *Morbis complicatis* fecit *intricatum extricatum Medicum*, quoniam in istiusmodi affectibus intricatissima quæque occurrere probe intelligebat.

§. 2. Enimvero per Morbum complicatum putat nihil aliud intelligi debere, quam talem Affectum, qui pro sui curatione tale quid indicat, quod contraindicatur ab altero una concurrente Affectu, adeoque rationem formalem Morbi complicati statuit Indicationem & Contraindicationem ejusdem Remedii, id quod arduum atque intricatum omnino censet. Ast nimis angusta videtur hæc Definitio; nec enim semper necessum est concurrere Indicationes contrarias in medendo, sufficit concurrere diversos Morbos in ægro. Quid si Difficultas similis concurrat in uno eodemque Affectu, e. g. in sudore Anglico malignitas videtur postulare alexipharmaca, sed sudor copiosus prohibet illa. Ergone Morbus erit complicatus.

§. 3. Idem proinde in *Steph. Roderici Castrensis* Definitione quo-

quoque desiderari posset, quando Morbum complicatum dicit, cum duo vel plures Morbi diversas occupant partes vel certe diverso tempore affligunt. Etenim utrumque fieri aliquando in Morbis complicatis non nego, semper id fieri debere pernego. Quid si uno eodemque tempore diversi Morbi eandem occupent partem, e. g. concurrente cum Ictero Hydrope, si facies, manus, pes, totum corpus simul tinctum bile turgidumque sero deprehendatur. Qui dubitet, Morbum complicatum esse atque sic dici ex merito?

§. 4. Rectius appellatur *Morbus complicatus* cum duo, tres pluresve morbi concurrunt in eodem ægro. Nimirum complicati nomen est generalius, & comprehendit omnes Morborum compositorum species, duplicem pura, triplicem, multiplicem. Sunt etenim alii plus, alii minus complicati: maxime vero complicati sunt, ubi plurium morborum quasi confluxus occurrit. Memorabile hujus exemplum erat quondam in Philippo II. Hispaniarum Rege, quem Arthritis, Hydrops, Tertiana, Dysenteria, Apostema, Ulcera varia nec non alia Corporis incommoda è medio sustulerunt. Item in Uladislao Rege Poloniæ, qui Arthritide simul & Nephritide & Dysenteria & Hœmorrhoidibus laborabat. Pariter in Joh. Calvino, quem Phthisi, Colica, asthmate, hemicrania, calculo, podagra & hœmorrhoidibus vexatum obiisse scribunt. Vid. *Joh. Cunr. Dieterichii Iatr. Hippocrat.* ubi fratris quoque sui mentionem facit, plane consumti arthritide, nephritide, scorbuto, hœmorrhoidibus, & hydrope.

§. 5. Ut igitur Morbus dicatur Complicatus, concurrere debent duo pluresve Morbi revera diversi. Quamobrem nec cum Gerbezio consentire possum, Morbos fœminarum menstruatarum, gravidarum, ac puerperarum pro complicatis habenti, quoniam menstruata, gravida, puerpera qua talis revera non est ægra; potius morbus dicendus foret, nisi menstrua debito tempore haud fluerent, si sterilis existeret mulier, si lochia in puerperio supprimerentur. Si quid enim patitur tempore menstrui fluxus, gestatio-

nis, vel puerperii, quamdiu ſecundum naturam accidit, morbi nomen haud meretur; quemadmodum nec impotentia virilis, quæ ſecundum naturam in pueris & ſenibus deprehenditur, morboſa eſt, ſed naturalis maxime.

§. 6. Nec Morbus Complicatus proprie appellari poteſt, quando ab eodem morbi genere diverſæ partes afficiuntur. Ponamus laborare quendam ſimul chiragra, malo iſchiadico, gonagra & podagra; ergone morbus erit complicatus? nil minus. Arthritis eſt, quocunque in membro vel Articulo ſeſe oſtendat. Quamvis igitur plura numerentur nomina, morbus tamen nonniſi unicus erit.

§. 7. Nec refert morbum, uti haud raro fieri ſolet, ſub diverſo ſchemate incedere, varioque modo infeſtare hominem. Inſtar omnium ſit exempli loco Lues Ven. cujus in Præfatione mentionem feci. Annon diverſa ſunt Morborum genera, dolor Capitis atque artuum, tumor bubonum in inguine, gonorrhœa virulenta cum ardore Urinæ intolerabili, &c. non ſunt profecto: ſed varius ſaltim afficiendi modus, ab eodem malo hinc inde oriundus.

§. 8. Multo minus ad Claſſem Morborum complicatorum referri poterit affectus, ſi conſueta forte concurrant accidentia ſive ſymptomata, v. g. ſi hæmoptyſis notetur in pleuritide aut phthiſi, mictio cruenta, vel vomitus in Calculo. Quid ſi enim in febre ardente præter æſtum ac ſitim inextinguibilem cephalalgia, pervigilium, inappetentia, obſtructio alvi, delirium ſimiliaq; plura ægrum affligant. Quis morbum dixerit complicatum? rectius gravioribus ſymptomatibus comitatum, aut, ſi mavis, ſyndromen febrilium ſymptomatum.

§. 9. E contrario habebitur ab omnibus pro *Morbo complicato*, ſi 1. morbi plane diſtincti tota natura concurrant e. g. icterus & hydrops: præſertim ſi 2. morborum quoque ſedes diverſa fuerit, v. g. concurrente cum calculo podagra: ac denique ſi 3. à cauſis penitus diverſis oriantur, fractura v. g. brachii à caſu, gonorrhœa ex coitu impuro.

§. 10.

§. 10. Monendum tamen eſt, circa 1. non ſemper requiri, ut toto genere diverſi exiſtant; ſufficit ſi genere proximo haud conveniant, quamvis forte ſub remotiore aliquo jungantur. Quemadmodum enim contrarii prorſus morbi nonnunquam congrediuntur e. g. menſium ſuppreſſio cum fluxu hæmorrhoidum vel hæmoptyſi: ita nil vetat, quo minus etiam uniantur, qui affines quodammodo ſint inter ſe, quales ſunt ſcorbutus & lues Venerea.

§. 11. Quoad 2, itidem ſciendum eſt, morbos complicatos ratione ſedis quoque variare plurimum. Aut enim coit univerſalis cum univerſali, uti Plethora cum febre: aut univerſalis cum particulari, lues Ven. cum phthiſi: aut particularis cum particulari, nephritis cum colica. In quo poſteriori caſu interdum fieri poteſt, ut in eodem loco duplex coëat morbus v. g. luxatio cum fractura: in reliquis id ſemper fieri oportet, quoniam vel in certo quodam membro, vel in toto hinc inde attingit univerſalem particularis, ac multo magis qui ſimiliter univerſalis eſt.

§. 12. Ratione Cauſæ morbificæ 3. quoque adjiciendum puto, dari etiam morbos complicatos, qui vel à communi quadam cauſa naſcuntur, vel quorum unus ab altero producitur aut fovetur. Quid impedit à coacervata in corpore fœminarum pituita & menſes paulatim ſupprimi & hydropem oriri? Quid ſi vero in puerperio ſuppreſſis lochiis accidat angina? cujus exemplum refert *Zacutus P. P. hiſt. lib.* 1. *Obſ.* 57. Hæreo, annon huc referri debeat loquelæ defectio, quæ in ſurdis ab ortu notatur; fortaſſe etenim loquerentur, ſi modo audire alios, atque ſic imitari poſſent.

§. 13. Hæc ſi probe penſitemus, haut erit amplius difficile complicatos morbos diſtinguere ab aliis. Habent nimirum ſinguli ſua ſigna, quorum ope cognoſcuntur, alii facilius, alii non æque. Quotiescunque igitur quædam in ægro notantur, quæ alias in iſto morbi genere contingere minus ſolent, jamjam apparet aliud ſubeſſe malum, e. g. ponamus hydropici corpus flavedine tingi, quid clarius quam concurrere icterum? ponamus in morbo galli-

gillico accidere tussim cum crebriore sputo modo sanguinis modo puris quis dubitet de præsenti phthisi?

§. 14. Debent autem insolita ejusmodi phœnomena eo diligentius considerari, ne, quem incognitum intactumque relinquimus morbum, radices interim altiores agat, dum in altero removendo occupati sumus: aut quod magis periculosum est, ne adhibitis remediis generosioribus tantum noceamus ex una parte, quantum ex altera prodesse voluimus; qua de re paulo inferius agendum.

§. 15. Neque difficilis in hoc passu est prognosis. Etenim quo graviores sunt morbi seorsim spectati, hoc magis periculosi fiunt, quotiescunque concurrunt; periculosissimum autem est, si plures eorum concurrant; nam & leviores, si coacerventur durentque longius, lethales fieri haud raro solent: quemadmodum

gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo.

§. 16. De Gaussis nihil habeo peculiariter advertendum, nisi quod existimem ad producendos morbos complicatos haud sufficere levem errorem, sed crassum potius, & reiteratum atque multiplicem. Sic enim videmus à qualicunque refrigeratione coryzam vel tussiculam contingere: ast si frigus penetrans fuerit, mirum non est, si pleuritis, diarrhœa, passio hysterica, pluraque similia mala idem insimul subjectum affligant. Nam & caput aliquando dolet aut stomachus post crapulam, usque dum exhalarit: ast qui cum ebriosis quotidiana illius consuetudine capiuntur, id haud impune ferunt, contrahuntque morbos utplurimum gravissimos, hydropem, podagram, calculum &c. Id quod tum maxime accidit, cum peccatur variis modis, e. g. qui castra sequuntur, eos non raro ferre oportet interdiu æstum radiorum Solarium, noctu frigus vehemens; postquam per aliquot dies deficiente pane vel aqua stomachus atque universum corpus contabuit, & forte mutatis locis nova reperiantur vitæ subsidia, quanta cum aviditate non devoratur quicquid in buccam venerit; ut spei metusque horarias pene vicissi-

viciſſitudines, aliaque plura jam non attingam. Saltem his poſitis circumſtantiis neceſſum eſt, febres graſſari peſſimas, cum inflammatione faucium, viſcerumque, cum diarrhœa & dyſenteria, cum ictero & hydrope; ut non tam mirer in uno milite morborum omne genus coacervari, quam unicum ex omnibus intactum ſupereſſe poſſe.

§. 17. Propero potius ad Curam, cujus gratia ut ſcilicet legitime inſtituatur, hæc præmittere volui. Jam vero non eſt opus, ut prolixe tradam, quomodo ſimilia ſimilibus conſerventur, contraria contrariis tollantur, & ſi quæ alia ſunt in curis morborum in genere obſervanda: ſed illud potius diſpiciendum eſt, quid ſpecialiter in morbis complicatis, qua talibus, fieri debeat. Quod ipſum etſi non modo remediorum delectum, ſed & ordinem in applicando & cautionem variam requirat; nihilominus videtur ad certas pauciſſimasque regulas reduci poſſe ſatis commode.

§. 18. Regula prima ſit talis: *ubicunque plures occurrunt morbi, adhibenda ſunt remedia iis omnibus congrua.* Tali delectu medicamentorum haud indigent, qui poſſeſſores ſunt Lapidis philoſophici, ſi verum eſt omne genus morbi radicaliter erui ejus uſu. Neque adeo ſoliciti de medendi methodo eſſe ſolent Autores panacearum, quæ, pro diverſo ægrorum morborumque ſtatu, modo vomitus ciere vel purgare per inferiora, modo ſudorem movere aut Urinam pellere, modo inſenſibiliter operari creduntur. Verum in defectu ejuſmodi arcanorum quid agendum?

§. 19. Ante omnia videndum, quales concurrant morbi num conveniant inter ſe, num à communi quadam cauſa naſcantur; num unus ab altero ſit oriundus: an vero plane ſint contrarii, vel à diverſis producti cauſis. In prioribus caſibus minor erit difficultas, in poſterioribus maxima, niſi caute procedamus. Res in exemplis apparebit clariſſime.

§. 20. Ponamus hepar atque lienem ſimul obſtrui, tumere vel indurari, qualem hiſtoriam refert *Stephanus dec. 9. conſ. 9.*

aut ſcirrhum calculosque juxta *Chifletii obſ.* 34. in hepate atque pulmonibus ſimul deprehendi: lienis ſcirrho accedere icterum vel hydropem, aſthma & menſium ſuppreſſionem, juxta *Claudini conſ.* 49. *Foreſt. l.* 19. *obſ.* 39. & 40. *Ben. Sylvatic. Cent.* 3. *conſ.* 25. Quis dubitet propinare aperientia cum laxantibus? conveniunt enim hi affectus omnes inter ſe tanquam obſtructiones, quas eadem materia craſſa, viſcida, tartarea producere poteſt. Eliguntur itaque utiliter è cæteris purgantibus, quæ vim aperiendi ſimul habent ut Aloë, Rhabarbarum, Rad. Bryon. Aſar. Gratiol. Rad. Helleb. nigr. &c. His addi poſſunt Centaur. min. Marrub. Eupator. atque ſimilia, quæ nomine aperientium, diureticorum, bechicorum, emmenagogorum venire ſolent.

§. 21. Quid ſi vero morbi ſint diſſimiles prorſus, ab eadem tamen cauſa oriundi? poterit nihilominus idem remedium ſuffi cere, quia ſublata cauſa tolluntur effectus. Notum eſt ab humore acido in primis viis abundante oriri varias ægritudines, febres omnis generis, melancholiam, epilepſiam, arthritidem, paralyſin, &c. Fingamus jam concurrere melancholiam cum febre, de qua *Ballon. Epid. p.* 143. vel paralyſin cum melancholia & vertigine juxta *Mercurial. T.* 1. *conſ.* 15. vel melancholiam cum arthritide & catarrho ſecundum *Trincavell. conſ.* 49. vel melancholiam cum motibus convulſivis, quod *Epiphan. hiſt.* 66. notavit: atque ſic porro. Nemo, ut arbitror, erit, qui præmiſſo vomitorio non continuabit uſum abſorbentium, præcipue ♂ialium, jejuno ſtomacho aſſumendorum; cum inter prandendum, cœnandumve Salia fixa, imprimis ♁ Tart. per deliq. & Salia volat. commodius cum potu exhiberi queant.

§. 22. Videlicet ubi de acidi præſentia certi ſumus, non tam ſollicitos eſſe de ſpecificis, antifebrilibus, antepilepticis, antipodagricis &c. oportet, quam ut acrimonia iſta ſaltim tollatur omnibus modis, ita enim deſinunt ſponte ſublata cauſa continente, quotquot inde vitia contraxerit æger. Sed quid agendum, ubi cauſa quæ-

quædam præcesserit transitiva, ut sic dicam, id est, in corpore haud permanens, & morbos potius, quos produxit, post se relinquens?

§. 23. Atqui & in hoc passu aliquando licebit invenire aliquod remedium, quod cunctis satisfacere queat; forsan fieri potest, ut, quæ communem habent ortum, eodem quoque modo tollantur. Succurrit historia non inelegans, quam nuper observasse memini: erat fœmina, quæ hyberno tempore, cum frigus intensissimum esset, domum rediens tussire vehementius & vomere & cum torminibus ventris crebrius dejicere alvum cœpit, & quandoquidem punctura lateris non minus quam suffocationes uteri crebrius recurrentes respirationem insigniter impediebant, vix spiritum ducebat, moribundæ simillima. Postquam huic sudorifera exhiberetur anodynum ex ∇ strigon. Ebore, Antih. Poterii, fl. Sulphuris, Camphora & Opio, cessavit omne periculum, quamprimum sudor copiose manaret. Ita nimirum dolores motusque partium convulsivi à frigore excitati tolli possunt ac debent, etiamsi frigus ipsum non amplius præsens existat.

§. 24. Si morbus ex morbo nascatur, quod rarum non est, videtur probabile, sublato priore, necessario tolli posteriorem quoque, sicuti videmus radice corrupta universam exarescere plantam. Cogitemus modo, quas lumbrici turbas in corpore moveant; præterquam enim quod laudabilem alimentorum partem præripiendo Tabem inferant, vel arrodendo stomachum & intestina, dolores varios colicamque producant, auctores nonnunquam sunt gravissimorum morborum, epilepsiæ, spasmi, catochi, paralyseos, lipothymiæ, &c. vid. *Ballon. Epid. pag.* 246. *Amat. Cent.* I. *Cur.* 5. *Claudin. conf.* 64. *Zacut. l.* 2. *de P. P. M. hist.* 100. *Salmuth. Cent.* I. *obs.* 44. *Montan. conf.* 22. & 223. aliique passim. Ast sola hic sufficiunt anthelmintica, sive vermes necantia & expellentia: & quamvis amaris vel acrioribus uti non semper licet, quod irritati quandoque periculum longe gravissimum creent;

commodum erit eligere minus ſapida, vel dulcibus occultare pharmaca, e. g. C. C. uſt. vel corallinam cum ℥ dulc. admiſcere conſervis vel ſyrupis laxativis ſub forma Electuarii aut Boli, Radicem Helenii ſaccharo conditam, aut vinum enulatum exhibere.

§. 25. Enimvero ſupponamus etiam concurrere morbos plane contrarios, e. g. ſuppreſſionem menſium atque hinc ortam hæmoptyſin, qualem *Foreſt. l.* 28. *obſ.* 3. refert, vel hæmorrhoidum fluxum, de quo *Horſt. part.* 2. *l.* 1. *obſ.* 43. Profecto in ejusmodi caſibus dubitandum eſt haud immerito de remediis rite adhibendis. Etenim qui adverſus menſium ſuppreſſionem porrigit emmenagoga, dum ſanguinem movet, hæmoptyſin vel hæmorrhoidum fluxum reddit graviorem; qui vero his excretionibus præternaturalibus opponere adſtringentia voluerit, confirmabit magis menſtruorum obſtructionem. In caſu dubio ergo nihil agendum? nihil horum, ſed datur tertium.

§. 26. Miſcere adſtringentia cum aperientibus minus conſultum videtur, quia ſi prorſus æqualia fuerint viribus, ſeſe invicem deſtruere ac impedire in operando non nequeunt: ſi vero alterutrum prædominetur, erit neceſſario ſic quoque ignavum, &, quia vim ſaltem refractam poſſidebit, maximam partem inutile. Attamen ſi talia invenire valeamus remedia, quæ utrobique quadrent, optimum erit. Hujusmodi remedium in caſu præſenti eſt V. S. utpote quæ in hæmoptyſi ac hæmorrhoidum fluxu egregie confert, minuendo quantitatem ſanguinis, & ſic impetum ejus refrenando, ut intra ſuos limites naturales contineatur non difficulter: in menſium autem ſuppreſſione, ſi præſertim in talo inſtituta fuerit, egregie quoque promovet fluxum menſtruum, quatenus dato in partibus inferioribus ſpatio propter minorem reſiſtentiam liberius ingreditur ſanguis, atque ſic aucto impulſu per poros trajicitur etiam aliquandiu obſtructos, quod quadruplici experimento confirmat *Foreſt. l. a.*

§. 27.

§. 27. Et quanquam à plane diverſis cauſis enati ſint morbi, non impedit tamen, quo minus ſanari eodem modo queant. Notum eſt plebejos homines, qui non procul à thermis habitant, ad harum uſum tanquam ad ſacram anchoram confugere, ſi quid acciderit mali. Non dicam juſſu Medicorum è longinquo adduci alios, imprimis quando morbi chronici atque complicati omnem curam eludunt. Teſtatur autem experientia inter lavandum & potandum nonnunquam reſtitui, qui pro deploratis habebantur. Adverſus ſcorbutum, arthritidem, colicam, calculum, ſcabiem, perniones & plura jam non enumeranda vitia, quid valeant, *ex Gabr. Fallop. Andr. Baccio, Joh. Bauhin. Mart. Liſter.* atque aliis, qui ex profeſſo de Thermis ſcripſerunt, intelligere abunde licet. Quis ergo non commendet illas, quandocunque concurrant plures etiam affectus, ex iis quos alias depellere ſolent, e. g. ſi calculoſus exulceratos à frigore manus pedesve habeat, ſi ſcabioſus colica habituali frequenter vexetur, atque ſic porro.

§. 28. Enimvero fieri poteſt, ut remedium quoddam in uno alteroque morbo maxime ſit conveniens; nihilominus quædam adſint circumſtantiæ, quæ illius uſum prohibeant. De Thermis Carolinis candide *Chriſt. Lang. cap.* 5. §. 14. *ita ſcribit: macie aut ſenecta confectis, illisque qui difficulter anhelant aut tabe liquantur, vel exulceratione quadam interna, virium defectu, corruptione ſanguinis, obſtructionum contumacia & his confinibus malis laborant, atque quod bene, terque quaterque bene, notandum, in quibus virtus expultrix languet, aqua hæc fervens pota neutiquam non obeſt.* Idem in genere de magno Thermarum & Acidularum abuſu in monitis ſalutaribus notavit *Joh. Bapt. à Lamzvverde.* Idem de reliquis, generoſioribus præcipue medicamentis, eſto judicium, id eſt, in morbis complicatis potiſſimum ea non ſine ſumma circumſpectione atque cautela eſſe adhibenda.

§. 29. Regula hinc naſcitur altera, hujus tenoris: *ubique cavendum, ne adhibeamus remedia, quæ, dum unum levant aut depellunt morbum, alterum confirment vel augeant.* Illuſtrabo id ipſum aliquot ſaltem exemplis, ut appareat non modo periculum imminere ab uſu intempeſtivo evacuantium, ſed alterantium quoque, & quidem eorum, quæ maxime temperata, maxime proficua videri poſſent, niſi uſus oſtenderet certo in caſu ea omnino pernicioſa exiſtere.

§. 30. Hernioſi profecto, quocunque tententur affectu, etiamſi vomitorium videatur ſumme utile ac neceſſarium, id tamen impune haud ferunt; ſicuti & phthiſici, & qui ex vomica pulmonum anhelant. Quamvis venter totus pituita refertus ſit, humore acido, viſcido, bilioſo vel mixto quocunque in quartana, febribusque aliis, in aſthmate, cachexia, hydrope &c. vomitum nihilominus excitare vetat periculum, quod hac ratione creamus, nullatenus evitandum, conf. *Geigeri Kelegraphia.*

§. 31. De phthiſicis itidem certum eſt, quod à mercurialium uſu lædantur enormiter; ſed poſito talem infici lue gallica, num quis ei ſalva conſcientia excitare poterit ptyaliſmum, illius luis optimum alioquin antidotum. Ita nuperrime vidimus periiſſe virum inſanabili hæmoptyſi, propter adhibita in cura morbi gallici mercurialia. Novi Medicum famigeratiſſimum, qui mercurio dulci felicisſime utitur in cura variolarum, ſcabiei, varorum &c. nunquam tamen eundem præſcribere audet, ubi phthiſeos aliqualis ſuſpicio eſt.

§. 32. Hydropicos unius grani opii exhibitione mori affirmat *Walæus in M. M.* nimirum de malo inveterato loquitur, ſicuti *p.* 18. ipſe monuit. Quid ſi vero dolores ſcorbutici v. g. capitis, dentium, &c. vel vigiliæ diuturnæ id poſtulent? Non auſim. Quamvis enim *Barthol. cent. 3. epiſt. med. 46.* notarit aquam intercutem in viro quodam nobili, nullo alio remedio æque commode per alvum & lotium evacuatam fuiſſe, quam uſu laudani cujus-

jusdam opiati; & *Langelott. in Epist.* 49. egregias vires laudani perlati decantarit in ascite & hectica cum lienis uterique obstructionibus, doloribusque ventriculi, fœminam illustrem simul affligentibus. Vereor tamen, ne, quod fortasse huic vel illi minus nocivum extitit, aliquando vim suam narcoticam exerat; quomodo tunc excusabimus temeritatem nostram? nam & ipsa ratio sana dictitat in passu tali, ubi humores viscidi crassique stagnant, omnia potius danda esse, quam quæ sanguinis spirituumque motum sufflaminant, uti opiata.

§. 33. *Vinum nocere in febribus acutis, capitis doloribus biliosis, mania, phrenitide, epilepsia, hemiplegia, convulsione, arthritide, catarrho interiorum viscerum inflammatione, v. g. angina, peripneumonia, pleuritide, dysenteria, podagræ paroxysmo, vulneribusque capitis & aliarum partium insignioribus testatur Sebizius de Aliment. Facult. l. 5. probl.* 158. Quæ vero utilitates ejusdem vini sint aliis in morbis, analepticæ potissimum in defectu virium, imbecillitate stomachi, &c. neminem latere arbitror. Ponamus jam eum, qui habituali laborat epilepsia, ex quacunque demum causa summam prostrationem virium sentire v. g. ex febre, vel hæmorrhagia, non licebit tamen potum illius suadere, quia paroxysmi epileptici exinde accelerantur & ingravescunt certo certius; quod itidem de ▽ Cinam. & Lil. convall. cum vin. parata *Georg. Seger.* notavit. *in Ephem. Germ. Dec. 1. An. 3. obs.* 160.

§. 34. Quam infensum fœminis ad passiones hystericas proclivibus sit saccharum, mel, & dulcia quæcunque his condita, loquitur quotidiana experientia. Nec impune ferunt eadem lienosi, hypochondriaci, scorbutici, ut recte monet *Bonetus in Merc. Compil. lib.* 16. *pag.* 160. *VIII.* Alias penitus contemnenda non sunt. Si nullibi, certe in tussi & asthmate humoroso egregie juvant excretionem viscidorum. Atqui tussis & asthma non rara sunt scorbuticis; neque immunes ab his affectibus existunt mulieres; cavendum igitur in cura est ab usu dulcium, quantum possibile,

§. 29. Regula hinc naſcitur altera, hujus tenoris: *ubique cavendum, ne adhibeamus remedia, quæ, dum unum levant aut depellunt morbum, alterum confirment vel augeant.* Illuſtrabo id ipſum aliquot ſaltem exemplis, ut appareat non modo periculum imminere ab uſu intempeſtivo evacuantium, ſed alterantium quoque, & quidem eorum, quæ maxime temperata, maxime proficua videri poſſent, niſi uſus oſtenderet certo in caſu ea omnino pernicioſa exiſtere.

§. 30. Hernioſi profecto, quocunque tententur affectu, etiamſi vomitorium videatur ſumme utile ac neceſſarium, id tamen impune haud ferunt; ſicuti & phthiſici, & qui ex vomica pulmonum anhelant. Quamvis venter totus pituita refertus ſit, humore acido, viſcido, bilioſo vel mixto quocunque in quartana, febribusque aliis, in aſthmate, cachexia, hydrope &c. vomitum nihilominus excitare vetat periculum, quod hac ratione creamus, nullatenus evitandum, conf. *Geigeri Kelegraphia.*

§. 31. De phthiſicis itidem certum eſt, quod à mercurialium uſu lædantur enormiter; ſed poſito talem infici lue gallica, num quis ei ſalva conſcientia excitare poterit ptyaliſmum, illius luis optimum alioquin antidotum. Ita nuperrime vidimus periiſſe virum inſanabili hæmoptyſi, propter adhibita in cura morbi gallici mercurialia. Novi Medicum famigeratiſſimum, qui mercurio dulci felicisſime utitur in cura variolarum, ſcabiei, vararum &c. nunquam tamen eundem præſcribere audet, ubi phthiſeos aliqualis ſuſpicio eſt.

§. 32. Hydropicos unius grani opii exhibitione mori affirmat *Walæus in M. M.* nimirum de malo inveterato loquitur, ſicuti *p.* 18. ipſe monuit. Quid ſi vero dolores ſcorbutici v. g. capitis, dentium, &c. vel vigiliæ diuturnæ id poſtulent? Non auſim. Quamvis enim *Barthol. cent. 3. epiſt. med.* 46. notarit aquam intercutem in viro quodam nobili, nullo alio remedio æque commode per alvum & lotium evacuatam fuiſſe, quam uſu laudani cujus-

jusdam opiati; & *Langelott, in Epist.* 49. egregias vires laudari perlati decantarit in ascite & hectica cum lienis uterique obstructionibus, doloribusque ventriculi, fœminam illustrem simul affligentibus. Vereor tamen, ne, quod fortasse huic vel illi minus nocivum extitit, aliquando vim suam narcoticam exerat; quomodo tunc excusabimus temeritatem nostram? nam & ipsa ratio sana dictitat in passu tali, ubi humores viscidi crassique stagnant, omnia potius danda esse, quam quæ sanguinis spirituumque motum sufflaminant, uti opiata.

§. 33. *Vinum nocere in febribus acutis, capitis doloribus biliosis, mania, phrenitide, epilepsia, hemiplegia, convulsione, arthritide, catarrho interiorum viscerum inflammatione, v. g. angina, peripneumonia, pleuritide, dysenteria, podagræ paroxysmo, vulneribusque capitis & aliarum partium insignioribus testatur Sebizius de Aliment. Facult. l. 5. probl.* 158. Quæ vero utilitates ejusdem vini sint aliis in morbis, analepticæ potissimum in defectu virium, imbecillitate stomachi, &c. neminem latere arbitror. Ponamus jam eum, qui habituali laborat epilepsia, ex quacunque demum causa summam prostrationem virium sentire v. g. ex febre, vel hæmorrhagia, non licebit tamen potum illius suadere, quia paroxysmi epileptici exinde accelerantur & ingravescunt certo certius; quod itidem de ▽ Cinam. & Lil. convall. cum vin. parata *Georg. Seger.* notavit, *in Ephem. Germ. Dec. 1. An. 3. obs.* 160.

§. 34. Quam infensum fœminis ad passiones hystericas proclivibus sit saccharum, mel, & dulcia quæcunque his condita, loquitur quotidiana experientia. Nec impune ferunt eadem lienosi, hypochondriaci, scorbutici, ut recte monet *Bonetus in Merc. Compil. lib.* 16. *pag.* 160. *VIII.* Alias penitus contemnenda non sunt. Si nullibi, certe in tussi & asthmate humoroso egregie juvant excretionem viscidorum. Atqui tussis & asthma non rara sunt scorbuticis; neque immunes ab his affectibus existunt mulieres; cavendum igitur in cura est ab usu dulcium, quantum possibile,

§. 29. Regula hinc nascitur altera, hujus tenoris: *ubique cavendum, ne adhibeamus remedia, quæ, dum unum levant aut depellunt morbum, alterum confirment vel augeant.* Illustrabo id ipsum aliquot saltem exemplis, ut appareat non modo periculum imminere ab usu intempestivo evacuantium, sed alterantium quoque, & quidem eorum, quæ maxime temperata, maxime proficua videri possent, nisi usus ostenderet certo in casu ea omnino perniciosa existere.

§. 30. Hernioſi profecto, quocunque tententur affectu, etiamsi vomitorium videatur summe utile ac necessarium, id tamen impune haud ferunt; sicuti & phthisici, & qui ex vomica pulmonum anhelant. Quamvis venter totus pituita refertus sit, humore acido, viscido, bilioso vel mixto quocunque in quartana, febribusque aliis, in asthmate, cachexia, hydrope &c. vomitum nihilominus excitare vetat periculum, quod hac ratione creamus, nullatenus evitandum, conf. *Geigeri Kelegraphia.*

§. 31. De phthisicis itidem certum est, quod à mercurialium usu lædantur enormiter; sed posito talem infici lue gallica, num quis ei salva conscientia excitare poterit ptyalismum, illius luis optimum alioquin antidotum. Ita nuperrime vidimus periisse virum insanabili hæmoptysi, propter adhibita in cura morbi gallici mercurialia. Novi Medicum famigeratissimum, qui mercurio dulci felicissime utitur in cura variolarum, scabiei, vatorum &c. nunquam tamen eundem præscribere audet, ubi phthiseos aliqualis suspicio est.

§. 32. Hydropicos unius grani opii exhibitione mori affirmat *Walæus in M. M.* nimirum de malo inveterato loquitur, sicuti *p.* 18. ipse monuit. Quid si vero dolores scorbutici v. g. capitis, dentium, &c. vel vigiliæ diuturnæ id postulent? Non ausim. Quamvis enim *Barthol. cent. 3. epist. med. 46.* notarit aquam intercutem in viro quodam nobili, nullo alio remedio æque commode per alvum & lotium evacuatam fuisse, quam usu laudani cujus-

jusdam opiati; & *Langelott, in Epist.* 49. egregias vires laudant perlati decantarit in ascite & hectica cum lienis uterique obstructionibus, doloribusque ventriculi, fœminam illustrem simul affligentibus. Vereor tamen, ne, quod fortasse huic vel illi minus nocivum extitit, aliquando vim suam narcoticam exerat; quomodo tunc excusabimus temeritatem nostram? nam & ipsa ratio sana dictitat in passu tali, ubi humores viscidi crassique stagnant, omnia potius danda esse, quam quæ sanguinis spirituumque motum sufflaminant, uti opiata.

§. 33. *Vinum nocere in febribus acutis, capitis doloribus biliosis, mania, phrenitide, epilepsia, hemiplegia, convulsione, arthritide, catarrho interiorum viscerum inflammatione, v. g. angina, peripneumonia, pleuritide, dysenteria, podagræ paroxysmo, vulneribusque capitis & aliarum partium insignioribus testatur Sebizius de Aliment. Facult. l. 5. probl.* 158. Quæ vero utilitates ejusdem vini sint aliis in morbis, analepticæ potissimum in defectu virium, imbecillitate stomachi, &c. neminem latere arbitror. Ponamus jam eum, qui habituali laborat epilepsia, ex quacunque demum causa summam prostrationem virium sentire v. g. ex febre, vel hæmorrhagia, non licebit tamen potum illius suadere, quia paroxysmi epileptici exinde accelerantur & ingravescunt certo certius; quod itidem de ▽ Cinam. & Lil. convall. cum vin. parata *Georg. Seger.* notavit. *in Ephem. Germ. Dec. 1. An. 3. obs.* 160.

§. 34. Quam infensum fœminis ad passiones hystericas proclivibus sit saccharum, mel, & dulcia quæcunque his condita, loquitur quotidiana experientia. Nec impune ferunt eadem lienosi, hypochondriaci, scorbutici, ut recte monet *Bonetus in Merc. Compil. lib.* 16. *pag.* 160. *VIII.* Alias penitus contemnenda non sunt. Si nullibi, certe in tussi & asthmate humoroso egregie juvant excretionem viscidorum. Atqui tussis & asthma non rara sunt scorbuticis; neque immunes ab his affectibus existunt mulieres; cavendum igitur in cura est ab usu dulcium, quantum possibile,

§. 29. Regula hinc nascitur altera, hujus tenoris: *ubique cavendum, ne adhibeamus remedia, quæ, dum unum levant aut depellunt morbum, alterum confirment vel augeant.* Illustrabo id ipsum aliquot saltem exemplis, ut appareat non modo periculum imminere ab usu intempestivo evacuantium, sed alterantium quoque, & quidem eorum, quæ maxime temperata, maxime proficua videri possent, nisi usus ostenderet certo in casu ea omnino perniciosa existere.

§. 30. Hernioſi profecto, quocunque tententur affectu, etiamsi vomitorium videatur summe utile ac necessarium, id tamen impune haud ferunt; sicuti & phthisici, & qui ex vomica pulmonum anhelant. Quamvis venter totus pituita refertus sit, humore acido, viscido, bilioso vel mixto quocunque in quartana, febribusque aliis, in asthmate, cachexia, hydrope &c. vomitum nihilominus excitare vetat periculum, quod hac ratione creamus, nullatenus evitandum, conf. *Geigeri Kelegraphia.*

§. 31. De phthisicis itidem certum est, quod à mercurialium usu lædantur enormiter; sed posito talem infici lue gallica, num quis ei salva conscientia excitare poterit ptyalismum, illius luis optimum alioquin antidotum. Ita nuperrime vidimus periisse virum insanabili hæmoptysi, propter adhibita in cura morbi gallici mercurialia. Novi Medicum famigeratissimum, qui mercurio dulci felicissime utitur in cura variolarum, scabiei, varorum &c. nunquam tamen eundem præscribere audet, ubi phthiseos aliqualis suspicio est.

§. 32. Hydropicos unius grani opii exhibitione mori affirmat *Walæus in M. M.* nimirum de malo inveterato loquitur, sicuti *p.* 18. ipse monuit. Quid si vero dolores scorbutici v. g. capitis, dentium, &c. vel vigiliæ diuturnæ id postulent? Non ausim. Quamvis enim *Barthol. cent. 3. epist. med.* 46. notarit aquam intercutem in viro quodam nobili, nullo alio remedio æque commode per alvum & lotium evacuatam fuisse, quam usu laudani cujus-

jusdam opiati; & *Langelott, in Epist.* 49. egregias vires laudant perlati decantarit in ascite & hectica cum lienis uterique obstructionibus, doloribusque ventriculi, fœminam illustrem simul affligentibus. Vereor tamen, ne, quod fortasse huic vel illi minus nocivum extitit, aliquando vim suam narcoticam exerat; quomodo tunc excusabimus temeritatem nostram? nam & ipsa ratio sana dictitat in passu tali, ubi humores viscidi crassique stagnant, omnia potius danda esse, quam quæ sanguinis spirituumque motum sufflaminant, uti opiata.

§. 33. *Vinum nocere in febribus acutis, capitis doloribus biliosis, mania, phrenitide, epilepsia, hemiplegia, convulsione, arthritide, catarrho interiorum viscerum inflammatione, v. g. angina, peripneumonia, pleuritide, dysenteria, podagræ paroxysmo, vulneribusque capitis & aliarum partium insignioribus testatur Sebizius de Aliment. Facult. l. 5. probl.* 158. Quæ vero utilitates ejusdem vini sint aliis in morbis, analepticæ potissimum in defectu virium, imbecillitate stomachi, &c. neminem latere arbitror. Ponamus jam eum, qui habituali laborat epilepsia, ex quacunque demum causa summam prostrationem virium sentire v. g. ex febre, vel hæmorrhagia, non licebit tamen potum illius suadere, quia paroxysmi epileptici exinde accelerantur & ingravescunt certo certius; quod itidem de ▽ Cinam. & Lil. convall. cum vin. parata *Georg. Seger.* notavit, *in Ephem. Germ. Dec. 1. An. 3. obs.* 160.

§. 34. Quam infensum fœminis ad passiones hystericas proclivibus sit saccharum, mel, & dulcia quæcunque his condita, loquitur quotidiana experientia. Nec impune ferunt eadem lienosi, hypochondriaci, scorbutici, ut recte monet *Bonetus in Merc. Compil. lib.* 16. *pag.* 160. *VIII.* Alias penitus contemnenda non sunt. Si nullibi, certe in tussi & asthmate humoroso egregie juvant excretionem viscidorum. Atqui tussis & asthma non rara sunt scorbuticis; neque immunes ab his affectibus existunt mulieres; cavendum igitur in cura est ab usu dulcium, quantum possibile,

§. 29. Regula hinc nascitur altera, hujus tenoris: *ubique cavendum, ne adhibeamus remedia, quæ, dum unum levant aut depellunt morbum, alterum confirment vel augeant.* Illustrabo id ipsum aliquot saltem exemplis, ut appareat non modo periculum inminere ab usu intempestivo evacuantium, sed alterantium quoque, & quidem eorum, quæ maxime temperata, maxime proficua videri possent, nisi usus ostenderet certo in casu ea omnino pernicioſa existere.

§. 30. Hernioſi profecto, quocunque tententur affectu, etiamsi vomitorium videatur summe utile ac necessarium, id tamen impune haud ferunt; sicuti & phthisici, & qui ex vomica pulmonum anhelant. Quamvis venter totus pituita refertus sit, humore acido, viscido, bilioso vel mixto quocunque in quartana, febribusque aliis, in asthmate, cachexia, hydrope &c. vomitum nihilominus excitare vetat periculum, quod hac ratione creamus, nullatenus evitandum, conf. *Geigeri Kelegraphia.*

§. 31. De phthisicis itidem certum est, quod à mercurialium usu lædantur enormiter; sed posito talem infici lue gallica, num quis ei salva conscientia excitare poterit ptyalismum, illius luis optimum alioquin antidotum. Ita nuperrime vidimus periisse virum insanabili hæmoptysi, propter adhibita in cura morbi gallici mercurialia. Novi Medicum famigeratissimum, qui mercurio dulci felicissime utitur in cura variolarum, scabiei, vatorum &c. nunquam tamen eundem præscribere audet, ubi phthiseos aliqualis suspicio est.

§. 32. Hydropicos unius grani opii exhibitione mori affirmat *Walæus in M. M.* nimirum de malo inveterato loquitur, sicuti *p.* 18. ipse monuit. Quid si vero dolores scorbutici v. g. capitis, dentium, &c. vel vigiliæ diuturnæ id postulent? Non ausim. Quamvis enim *Barthol. cent. 3. epist. med.* 46. notarit aquam intercutem in viro quodam nobili, nullo alio remedio æque commode per alvum & lotium evacuatam fuisse, quam usu laudani cujus-

jusdam opiati; & *Langelott. in Epist.* 49. egregias vires laudant perlati decantarit in ascite & hectica cum lienis uterique obstructionibus, doloribusque ventriculi, fœminam illustrem simul affligentibus. Vereor tamen, ne, quod fortasse huic vel illi minus nocivum extitit, aliquando vim suam narcoticam exerat; quomodo tunc excusabimus temeritatem nostram? nam & ipsa ratio sana dictitat in passu tali, ubi humores viscidi crassique stagnant, omnia potius danda esse, quam quæ sanguinis spirituumque motum sufflaminant, uti opiata.

§. 33. *Vinum nocere in febribus acutis, capitis doloribus biliosis, mania, phrenitide, epilepsia, hemiplegia, convulsione, arthritide, catarrho interiorum viscerum inflammatione, v. g. angina, peripneumonia, pleuritide, dysenteria, podagræ paroxysmo, vulneribusque capitis & aliarum partium insignioribus testatur Sebizius de Aliment. Facult. l. 5. probl.* 158. Quæ vero utilitates ejusdem vini sint aliis in morbis, analepticæ potissimum in defectu virium, imbecillitate stomachi, &c. neminem latere arbitror. Ponamus jam eum, qui habituali laborat epilepsia, ex quacunque demum causa summam prostrationem virium sentire v. g. ex febre, vel hæmorrhagia, non licebit tamen potum illius suadere, quia paroxysmi epileptici exinde accelerantur & ingravescunt certo certius; quod itidem de ▽ Cinam. & Lil. convall. cum vin. parata *Georg. Seger.* notavit. *in Ephem. Germ. Dec. 1. An. 3. obs.* 160.

§. 34. Quam infensum fœminis ad passiones hystericas proclivibus sit saccharum, mel, & dulcia quæcunque his condita, loquitur quotidiana experientia. Nec impune ferunt eadem lienosi, hypochondriaci, scorbutici, ut recte monet *Bonetus in Merc. Compil. lib.* 16. *pag.* 160. *VIII.* Alias penitus contemnenda non sunt. Si nullibi, certe in tussi & asthmate humoroso egregie juvant excretionem viscidorum. Atqui tussis & asthma non rara sunt scorbuticis; neque immunes ab his affectibus existunt mulieres; cavendum igitur in cura est ab usu dulcium, quantum possibile,

ſibile, neque promiſcue omnibus exhibendum, quod forte uni vel alteri profuit.

§. 35. Occaſione hyſtericarum paſſionum, quas dulcia exaſperare ſolent, incidit in memoriam ſimile damnum ex ſuaveolentibus imminens. Certum eſt haud alio pacto citius atque felicius infirmos recreari, quam odoribus; atque ideo fragrantia quævis egregia dicuntur cordialia, cephalica, roborantia. Solet eum in ſinem balſamis & ▽is ~ſis antapoplecticis, ▽æ vit. Matthiol. ▽æ carbunculi & cordiali, confectionibusve cordialibus utplurimum ambra moſchusque admiſceri; nec inutiliter. Attamen fœminas, gravidas præcipue ac puerperas, ad affectus uteri proclives, ſi ſumma etiam virium defectio prehendat, ſi lipothymiæ ob nimium lochiorum fluxum, vel quacunque alia ex cauſa iis accidant: tum profecto vix quisquam audet propinare vel applicare alioquin optima. Servant itaque in gratiam mulierum officinæ confectionem alkermes incompletam, i. e. absque ambra moſchoque paratam: & quandoquidem nec balſam. embryon. omnes tolerant, unicum ſolamen atque refugium eſt in ▽ hirund. cum caſtor.

§. 36. Numquid chylo ſimilius eſſe poteſt, atque ideo nobis, convenientius, quam lac, quod natura ipſa ſuaviſſimum recens natorum alimentum eſſe voluit. Atqui & hoc interdum ſumme nocivum exiſtit. Quid valeat diæta lactis, ut dicitur, in cura ſcorbuti, phthiſeos & arthritidis, docent obſervationes *Sev. Eugalen. de Scorb. Hertod. An.* 1. *Eph. Germ. obſ.* 19. *Ledelii Dec.* II. *An.* 3. *obſ.* 141. &c. ſi quis tamen indifferenter cunctis commendare lactis potum quotidianum voluerit, deprehendet non obſcure, quantum exinde damnum inferatur: videlicet quando coagulatum in ſtomacho appetitum omnem deſtruit; aſthma gignit tabemque; id quod hypochondriacis, & quibus acidum primas vias occupat, utplurimum accidit.

§. 37. Poſſem plura, ſi opus, exempla allegare, quomodo

v. g.

v. g. adſtringentia, aperientia, aromatica & acria, amara, acida, Salia vol. & fixa, falſa vel quocunque lapore notabili prædita nocere queant, etiamſi morbus ejuſmodi remedia indicare videatur; ſaltem ideo, quod in ægro circumſtantia occurrat aliqua eorundem exhibitionem prohibens: ut ſi dyſenteria cum ſuppreſſione menſium concurrat, ſi ſcirrho epatis & lienis correptus frequentiores ac enormes patiatur hæmorrhagias, ſi colica cum inflammatione renum jungatur; ſi febris icterum habeat comitem ex abundantia bilis ortum; atque ſic porro.

§. 38. Sed propero ad Regulam tertiam, quæ ita ſonat: *ſi remedia in morbis complicatis haberi cunctis congrua nequeant, tollatur ante omnia, qui magis urget.* Rariſſime ſcilicet ſociantur morbi omnino pares, ſed plerumque unus præ altero periculoſior eſt. Graviter autem peccaret Medicus, ſi, ut levior tollatur affectus omnem diligentiam adhibere velit, neglecto interim ſæviore malo. Etenim fieri poteſt, ut vitium progreſſu temporis immedicabile fiat, poſtquam opportunitatem in medendo non obſervarit; id quod potiſſimum in morbis repentinis magisque periculoſis notari debet.

§. 39. Urgent præ cæteris poſtulantque celerrimum auxilium, qui robur ipſum vitale cum impetu aggrediuntur morbi; atque ideo nec diuturni facile ſunt, lipothymia, ſyncope, apoplexia. Quocunque in caſu animi deliquium ſentiat æger, quemadmodum debiles natura vel effœminati ac delicatuli ad id proclives eſſe ſolent: neceſſum eſt, ut absque mora per ſ-ſa & corroborantia recreentur, ſi vires defecerint, aut excitentur per aromatica & volatilia, id eſt, penetranti odore prædita. Si vero illius cauſa quædam evidens adſit, tollatur quantocyus: e. g. ſit apoplecticus ex caſu ab alto, ſi cranium depreſſum fuerit, ſtatim id elevandum, antequam de brachii vel curis inſimul fracti cura cogitemus.

§. 40. Si dolores vehementiſſimi ac prorſus intolerabiles quendam excrucient, quamcunque partem afficiant, ſed maxi-

me nobiliorem, differre anodynorum usum non licet. Aut enim lipothymiæ superveniunt, aut nihilo meliores motus convulsivi; quod de dolore capitis, aurium, dentium, in colica, dysenteria, pasione iliaca, lithiasi, podagra &c. vel centies observatum legimus. Adeo misere vexantur vario dolorum genere, indies fere novo, scorbutici, ut nil magis optent, quanquam syndrome vix numerandorum affectuum eos obruat, quam ut levamen ab illis cruciatibus ad horam saltim experiantur.

§. 41. Pertinent huc etiam dolores ardentes inflammationibus proprii. Præterquam enim, quod superveniente gangræna tandemque sphacelo membrum affectum emoriatur, metuendum haud raro, si partem nobiliorem inflammatio attingat, cerebrum v. g. cor, pulmones, &c. ne mors subito ægrum opprimat. Hoc pacto jugulat erysipelas non infrequenter hominem, si caput feriat, quod in reliquo corpore minus periculosum est: & vulnera leviora capitis sæpius evadunt lethalia, quanquam minus profunda & fere leviora videantur. Anginæ autem, pleuritides, ac peripneumoniæ hoc periculosiores sunt, quo magis respirationem impediunt.

§. 42. Nam & absque inflammatione si liberior aëri accessus in pulmones pectusque denegetur, jamjam in angusto vita est; utpote quo carere vix ad aliquot momenta possumus absque discrimine insigni. Catarrhus suffocativus quoties non jugulat, quos prehendit? neque novum est, fœminas perire uteri strangulatu. Quid dicam de orthopnœa vel asthmate convulsivo atque humoroso, quæ modo in hydropicis aut empyicis à collecto sero & pure, modo in variolis, morbillis, petechiis, vel etiam scabie contingunt ab exanthematum retrocessione? Periculum sane summum est in mora, & nisi per optima sudorifera ilico expellatur, quod latet: nisi per convenientia uterina & antispasmodica motus inordinati matricis partiumque connexarum sedentur, si opus: nisi quantum possibile per laxantia, bechica, diuretica, &c. subducamus humores præter naturam collectos, ubi suffocationem minantur: nisi

per

per VSnem largam ſubveniamus inflammationi urgenti; vix ulla ſpes reconvaleſcendi ſupereſt ægro.

§. 43. Denique attendi merentur præ cæteris etiam illi affectus, qui circa excretiones contingunt. Aut enim excernentur indebite, quæ retinenda erant: aut retinentur, quæ neceſſario excerni debebant. In priori caſu metuendum omnino eſt, ne robur vitale dilapidetur nunquam reſtituendum: in poſteriori, ne ab excrementis in corpore collectis obruantur & corrumpantur viſcera, inquinentur humores laudabiles, ac tota œconomia animalis turbetur.

§. 44. Quanto in periculo verſentur, quibus hæmorrhagia inſignis accidit, teſtantur abunde vulnerati, haud raro intereuntes hac ſola ex cauſa, quamvis læſio ipſa ſpectata in ſe non videatur tanti momenti. Qui proni ſunt ad hæmorrhagiam narium, liberantur creberrime hujus beneficio ab inſultu variorum morborum: aſt ſi ſuperveniat in febribus malignis tum etiam, cum exanthemata, petechiæ, purpuræ, &c. ſpectantur copioſa, mortis quoque repentinæ autor eſt frequentius. Atque ideo fœminæ, puerperæ inprimis, expoſitæ ſunt majori periculo, quod menſium lochiorumve fluxus, intempeſtive ortus, necare non difficulter plures valeat.

§. 45. Quis diu ferat vomitus perpetuos, ac diarrhœam graviorem? ut de lienteria in morbis chronicis vel alvi fluxu colliquativo in phthiſi nihil dicam. Saltem exitium non procul abeſſe putandum, quando ſtomachus alimenta euncta reſpuit, & inteſtina motu accelerato expellunt, quæ utilius retinerentur, ad reſtituendas vires jamjam collapſas. Ita cholera interdum finit morbos in corporibus cacochymicis, aſt cum ipſius vitæ diſpendio.

§. 46. Sed ex altera parte ſuppreſſio excernendorum nihilo melior. Quot calculoſos necat iſchuria? alvus autem ſi pertinaciter obſtruatur, deficiente, propter æſtum febrilem aut ſudores immodicos, ſero, numquid ſperare ſinit amplius præter inevitabi-

lem ac miserrimam ex ileo mortem? Verum hæc similiaque mala, quanquam ab initio videri queant leviora, ipsa quoque diuturnitate invalescunt, ut tandem incurabilia evadant penitus. Quapropter cavendum est omnibus modis eo in casu, cum sese talia immiscere cernimus, ne cunctando peccetur, & parvipendendo scintillulas ignis primas, postea incendium extinguere, aucta nimium flamma non amplius liceat.

§. 47. Possem plura hic adjicere, de pervigilio summe pernicioso, de anorexia & alimentorum fastidio atque similibus: verum quia mecum constitui, non omnia pertractare, quæ ad præsens thema spectant, sed in quibusdam saltim casibus ostendere, quid factu opus sit, desino jam: liberum lectori æquo relinquens, ut adjiciat pro lubitu, quæ digna judicabit, ut deleat etiam, quæ forsan minus placebunt.

DISPUTATIO XXXIX.

DE

MORBO AUXILIARI.

Miraberis forsan, L. B. rubricam Dissertationis hujus Inauguralis, quæ de Auxiliari Morbo, hactenus in Medicorum Scholis inaudito, inscribitur; scias vero velim, me rem quoque aggredi, a ne-

a nemine, quod viderim, ex professo traditam. Nimirum constat per observationem non unam, quandoq; morbum aliquem vel sibi ipsi, vel etiam alteri cuidam ferre suppetias. Liceat igitur eum Auxiliarem dicere, nomine a Grammaticis petito (quemadmodum Auxiliaria verba avoir & être apud Gallos, Tempora, quæ in Conjugationibus aliorum desiderantur, restituunt non incongrue) quod Naturam Humanam, genuinam alias & unicam cunctarum ægritudinum domitricem juvet suppleatque illius defectus. Meum jam erit materiam hanc, utpote jucundissimam investigare pro virili; & quanquam me illi omnino imparem norim, sat erit voluisse, aut certe occasionem dedisse felicioribus ingeniis, inquirendi ulterius. Itaque duo erant Capita Fractationis hujus, primum de Morbo se ipsum curante: alterum de morbo Sanante alium. Quod ut feliciter fiat, Divinum imploro præsidium, cujus Gratiosæ directioni me totum dedo.

CAPUT I.

De Morbo, se ipsum curante.

§. 1.

ANte omnia monendum est, sub titulo morbi me complecti promiscue, quicquid præter naturam homini accidit, & sanitati illo modo adversum est. Cum enim idem vitium e. g. ob-

ſtructio in renibus facta, nunc ut morbus primarius conſiderari poſſit, nunc ut ſecundarius, & ſymptoma, ſi ſcilicet ſuperveniat Pleuritidi ſuppuratæ, materia purulenta in renes translata, tubulosque illos oppilante: nunc ut cauſa morbifica, quandocunque Hydrops ejusmodi lotii ſuppreſſionem excipit; non abſonum videtur, ſi quis omnes affectiones præternaturales dixerit morbos, præſertim cum nihil obſtet, quo minus idem malum etiam uno eodemque tempore, diverſo tamen reſpectu morbus, Symptoma, & cauſa morbifica ſit, quemadmodum v. g. idem Titius ut filius Parentum ſuorum, Sempronii frater natu minimus, quinque liberorum Pater concipi valet.

§. 2. Deinceps, dum morbum ſeipſum curare vel alios aſſero, mens mea non eſt, ac ſi velim ægri reſtitutionem plenariam tribuere ipſi morbo: ſufficit eum cooperari ſuo modo. Quamvis enim haud dubitem, quin principium vitale noſtri Corporis, quod Spiritum vocamus, omne id agat, quicquid ad conſervationem vitæ ac ſanitatis facit: nihilominus notatu dignum arbitror, etiam ea, quæ præter naturam accidunt, morbosque ipſos Naturam ſolicitare nonnunquam, imo & juvare, aut certe per accidens allevare, ut poſtmodum facilius, quod reliquum eſt mali, ſuperare queat.

§. 3. Clarius ut loquar: Morbus ſeipſum curat, vel irritando Naturam ad excretionem aliquam manifeſtam, vel diſponendo eandem ad alterationem inſenſibilem, ita, ut malum tollat abſque notabili evacuatione. Et illa quidem excretio vel per loca conſueta, loca convenientia Hippocrati dicta, contingit, vel per vias inſolitas. Alteratio autem vel ipſos afficit ſpiritus, vel humores, vel partes denique ſolidas.

§. 4. Loca excretioni præ cæteris deſtinata, ideoque conſueta ſunt pori cutis, os, alvus, urethra, & in fœminis uterus. His namque utitur naura, ſi quid in ſtatu ſanitatis quoque occurrat evacuandum: ac multo magis in morborum curatione, ita ut, quam pro-

proximeaut commode poſſit ejicere materiam peccantem, hoc lubentius aggrediatur negotium & peragat feliciter.

§. 5. Quid frequentius eſt, quam per ſudorem judicari, h. e. finiri febres omnis generis, pleuritidem, affectus catarrhales &c. quem in oppoſitione ſudoris ſymptomatici communiter criticum appellant, præſertim ſi ex improviſo & quidem die Critico accidat. Si vero rem accuratius examinare velimus, manifeſtum erit, in utroque caſu, h. e. in ſudore tam critico, quam ſymptomatico e. g. Scorb: ticorum quorundam matutino, parem omnino rationem exiſtere, atque adeo nullam eſſe differentiam, niſi quæ à poſteriori ſive effectu deſumitur, ut dicamus criticum, qui ſalutaris eſt, morbumque aliquem finit; ſymptomaticum autem, qui talem uſum haud præſtat.

§. 6. Hic loci, cum de ſudoris utilitate in aliis morbis dicendum non ſit, ſufficiat unico exemplo demonſtraſſe ipſum etiam ſymptomaticum eſſe nonnunquam ſalutarem, & quidem in Tarantiſmo. Notum eſt à Tarantula demorſos in Apulia præcipue, prout ex relatione P. Pauli Nicolelli, Rectoris in Apulia Collegii Soc. J. & P. Jo. Bapt. Galliberti, Collegii Tarentini, docet *Ath. Kircherus de art. Magnet. lib. 3. cap. 8. pag. 578.* inter alia graviora ſymptomata, inquietudine tanta exagitari, ut vel perpetuo currant, vel ſaltent, ſudentque copioſe. Non autem curantur felicius, quam ſi per Muſicam ad ſaltandum animentur magis, usque dum per ſudorem copioſum vis morbi penitus diſſipata fuerit.

§. 7. Quis dubitet venenum Phalangii Apuli adeo quidem exagitare ſpiritus, & conſequenter humores ac univerſum ſimul corpus; ſed ita, ut etiam levamen exinde ſentiat æger, ſi modo ſufficienter ſudet. Videtur itaque morbus tamdiu irritare naturam, donec moleſtiam illatam iterum expellat. Medicus interim, tanquam naturæ Miniſter, non modo motus ejusdem criticos exſpectare, ſed & ad ſymptomaticos advertere cum cura, imo & juvare illos interdum debet, ſi opus.

§. 8.

§. 8. Magis id manifestum erit, si quæ rejiciuntur per os, attendere velimus. Et quidem è ventriculo reddi per vomitum venena omnis generis ingesta, vulgo notum existimo. Etenim non pauci evadunt, si statim ab arsenico v. g. hausto sponte vomant, natura nullatenus tolerante corrosivum virus, vel etiam si lac, oleum amygd. dulc. jusculæ cum butyro copioso, similiaque pinguia, & acrimoniam causticam quodammodo corrigentia, largiter superbibantur ad vomitum usque, si opus, aliquoties reiterandum. *Videas inter alios Zvvingerum in Theatr. Vit. Human. Vol. 2. Lib. 4 p. 373.* & *Foreſtum Lib. 30. obſ. 8.* Atqui hoc pacto revera juvamus motus ventriculi symptomaticos, nec male.

§. 9. E pectore autem excernuntur similiter per os viscida, cruenta, purulenta, & quidem inter tussiendum frequentius in Pleuritide. Quanquam vero tussis reipsa sit symptomatica ex eadem cum punctoris laterum causa, v. g. aëris inclementia nata; utitur tamen ea Spiritus vitalis ad ejicienda, quæ præter naturam in pectore collecta dolorem fovent ac respirationem impediunt. Quemadmodum igitur absurdum foret sedare vomitus velle, quos venena movent: ita profecto Tussim vel Hæmoptysin supprimere post quartam quintamve diem in Pleuritide, quando materia peccans discuti nequit, nihil aliud est, quam suffocare miseros, quales Historias refert *Zacutus de Med. Princ. Hist. lib. 2. hist. 21. Obſ. 6. p. 219.* & *Petrus Vascus Caſtellus Exerc. Med. tract. 4. cap. 4. diff. 3. p. 361.*

§. 10. Nec dispar est ratio fluoris alvi, etiam dysenterici. Tantum enim abest, ut eum per adstringentia inhibere queamus semper, ut potius necessum sit quandoque per abstergentia vel purgantia illum promovere. Nimirum sæpius accidit, humores acres, qui diarrhœæ causa, adeo abundare, ut majus periculum immineat, si retineantur in Corpore, quam si fluant. Nec rarum est, anxietates cordis vix tolerandas, febres, Epilepsiam, aliaque graviora mala illico supervenire, si quis ab initio sedare dysenteriam

am vel diarrhœam per fortius adſtringentia velit: quæ tamen, quod magis mirum, ab uſu rhabarbari ſponte nonnunquam deſinit. Conf. *Holler. Comment. l. ad Aph.* 38. *L.* 6. *ſect.* 2. *Coac. Hipp. p.* 876. & *L.* 1. *de Morb. intern. c.* 43. & *in ſcholiis.*

§. 11. Ecquid aliud ſibi volunt urinæ profluvium ſive mictio frequentior in calculoſis, quam quod Natura, ſtimulantibus arenulis atque lapillis, ad horum ejectionem irritetur. Et qui diuretica in hoc paſſu præſcribit, ut ego arbitror, incitat Spiritus, jam-jam proclives ad propulſandum hoſtem, quatenus Medicamentorum ſapores, delati ad renes, ureteres atque veſicam, vellicant fibras, ob ſpaſmum doloroſum admodum ſenſiles; easque hoc ipſo quaſi admonent ſui officii. *Vide Diſſert. noſtram de Medic. Propriet. Cap.* 3. §. 11. 14. 15.

§. 12. Conveniunt itaque in hoc tertio huc usque recenſita exempla, quod in ejusmodi morbis peccans acrimonia humorum, vel calculi aſperitas, pungendo fibras, naturam i. e. Spiritum Vitalem irritet ad excretionem ejus, quod moleſtum eſt: paulo aliter evenit, ſi quantitas potius humorum abundans in culpa fuerit, e. g. ſanguinis in plethoricis ſubjectis. Quemadmodum enim menſtruus fluxus, malum mulieribus proprium ac naturale, hanc unice ob cauſam fieri ſolet, quod Maſſa Sanguinea nimis aucta uteri atqui inprimis vaginæ ſubſtantiam fere ſpongioſam diſtendendo, poros aperiat: ita præter naturam in puellis aliquando notatur nondum puberibus, item in vetulis, in reliquis vel juſto citius vel copioſius prorumpit, urgente plethora. *Conſulatur Tulpius L.* 3. *c.* 36. *Barthol. Cent.* 3. *Hiſt. Anat.* 90. & 91. *Panarollus Pent.* 2. *Obſ.* 41. *Pent.* 3. *Obſ.* 3.

§. 13. Simile quid Viris etiam accidit, quando membranam narium pituitariam in Hæmorrhagiis aut inteſtini recti tunicas hæmorrhoidum fluxu, aut renum tubulos in mictione cruenta, eousque diſtendit ſanguis abundans vel æſtuans, donec ſufficiens ejus portio depleta, corpusque hinc levatum ſit. Ita juveni cui-

dam Nobili, larga utenti diæta, per singulas hebdomadas familiarem absq; damno hæmorrhagiam narium memorat Schenck. *L.* 1. *Obs.* 3. *p.* 181. Quosdam vero ex Hæmorrhoidum fluxu commodum percepisse non unum aut leve testis est Forestus *l.* 24. *Obs.* 4. *p.* 427. Sed Periodicam innocuam sanguinis mictionem vide in Salmuth. *C.* 3. *obs.* 47.

§. 14. Verum vias minus consuetas interdum sibi quærit paratque serum hydropicorum in Ascite, perrumpens umbilicum; aut in Anasarca tumores pedum œdematosos, quales historias hinc inde reperimus apud Fabr. Hildanum, Hœchstetterum, Amat. Lusit. Plater. &c. citatos à Morono in Direct. Med. Pract. & passim alibi. Dubium autem non est, quin duplici nomine humor perrumpat stagnans, partim scilicet fibras extendendo sua mole, attenuandoque ad rupturam usque, partim arrodendo easdem acrimonia sua fere corrosiva.

§. 15. Magis expedita res erit in exanthematibus, si ad mentem Kircheri, Hauptmanni, Langii, statuamus verminosa seminia in iis habitare. Ponamus in scabie, variolisque vermiculos adesse, quales Zacutus Lus. 1. *Prax. adm. L.* 3. *obs.* 47. Borellus *C.* 2. *obs.* 72. & Rhodius *C.* 3. *obs.* 64. notarunt; quid impedit eos in cute vel nidulari, pustulasque attollere instar eorum, qui folia populi, tiliæ, quercus aliarumque stirpium corrumpunt: vel irritatos in visceribus prodire foras, quando eos febrilis æstus, interdum ab ipsa eorundem punctura excitatus, aut effusa bilis acrior, aut sapor quicunque ipsis adversus, expellit. Quo pacto enim aliam sanguinis impuritatem ad ambitum corporis ejiciant myrrha, camphora &c. non æque obvium est. Si vero animata statuamus exanthemata, haud obscurum erit intelligere, quomodo etiam cutem erodendo perforandoque sub cuticula hæreant, iterumque retrocedant ad interiora, si corpus refrigeretur.

§. 16. Liberatur proinde ab ejusmodi malo æger, quoties-cunque verminosa illa progenies ex interioribus egreditur ad periphe-

pheriam, ac interit quasi contumulata pure. Si cui tamen hæc theoria minus arrideat, poterit nihilominus rem expedire, concipiendo saltem naturam, à materia quacunque heterogenea irritatam, occupari ac laborare strenue in ea expellenda. Prout v. g. spina digito infixa, aut ex inflammatione glandulæ cujusdam vel partis carnosæ collectum pus, tamdiu excitat dolorem, donec perrumpere cutim ac prodire queat.

§. 17. Verum, jam satis, ut arbitror, exposui, qua ratione naturam nostram irritare aut juvare soleat morbus, ubi evacuandum est per loca consueta æque ac insolita. Videamus porro numquid conferat morbus ad sui curationem, ubi vel nulla excretio accidit manifesta, sed saltim insensibiliter alteratur corpus.

§. 18. Occurrit autem elegans exemplum, si advertamus, quod rarum non est, hæmorrhagiam narium communiter sisti, quandocunque lipothymia supervenit. Videlicet ipsa sibi remedium comparat hæmorrhagia, dum prostratis viribus animi deliquium infert; ita namque sanguinis orgasmus tollitur, cordisque motus vel desinit aliquandiu, vel elangueſcit ad minimum. Interim subsidet tunicæ pituitariæ substantia turgescens hactenus, porique per extensionem dilatati rursus connivent, atque ideo nec fluxus redit, etiamsi lipothymia fuerit discussa. Cessat igitur hæmorrhagia per lipothymiam alteratis spiritibus primùm, dein sanguine atque corde.

§. 19. Paulo aliter afficiuntur in dolore ventriculi gravativo ab esu ciborum dyspeptorum, vel cruditate pituitosa inibi collecta. Prosternitur enim appetitus ordinarie, donec paulatim digesta fuerint, quæ stomacho molestiam creabant. Atque ita cruditates gignunt dolorem: dolor anorexiam: anorexia imperat inediam: interim abstinet æger ab alimentis, spatiumque conceditur spiritibus in ea, quæ ventriculus cruda continet, agendi, usque dum penitus absumantur.

§. 20. Aliud exemplum suppeditat Erysipelas, quod genus

inflammationis uti ſubito naſcitur, ita plerumque paucos intra dies evaneſcit iterum, nec facile ſuppuratur, niſi quis fortaſſe id incautius tractet per inunctiones humectantes, inprimis oleoſorum, tum enim vel ipſa Gangræna ſupervenit, teſte Gvvil. Fabricii *Cent.* 1. *obſerv.* 82. Solet alioqui à Natura ſponte diſſipari, ſi modo non impediatur: igitur diſpiciendum eſt, annon quodammodo ipſum cooperetur malum, ut hoc facilius feliciusque diſpellatur.

§. 21. Videlicet per experientiam conſtat, tumores indolentes, uti ſunt Melicerides, Atheromata, Steatomata & ſimilia non modo in corpore diu tolerari, ſed etiam nutriri atque augeri magis magisque indies. Adverſus ganglion autem certiſſimum remedium eſt frictio quotidiana, ligatura fortior, percuſſio, & quicquid dolorem excitat. Quæris, qua ratione id fiat? reſpondeo, naturam ferre tumores ejusmodi, quam diu minus moleſti ſunt; ſed tollere, quam primum dolent.

§. 22. Id vero fieri dupliciter poteſt; vel quod immediate Spiritus vitalis deſtruat, quicquid præter naturam concretum eſt: vel quod ſanguis per poros partium trajectus, quasdam pedetentim portiunculas ſecum abripiat, quemadmodum in Ecchymomate ſive ſuggillatione notamus toto die. Aut enim dolor concurrit acerbus, ſpaſmi auctor, qui fibras rigidiores reddit, aut ipſa obſtruens materia, coagulata, viſcida, tartarea &c. occupando maximam partem pororum, minus liberum ſanguini tranſitum permittit. Utroque modo neceſſum eſt, intercluſam ſic viam perrumpi cum impetu à ſanguine, atque ita moveri ſimul, quicquid etiam firmius impactum fuerit.

§. 23. Si ad Roſam ſ. eryſipelas, id ipſum applicemus, ſeu cum Veteribus bilem, ab ira fortaſſis commotam, acrem atque tenacem: ſeu grumos ſanguinis à terrore coagulatos: ſive quemcunque alium humorem pravum expelli ad ambitum Corporis ac inibi figi quodammodo credamus, ubique tamen obvia eſt cauſa obſtructionis, doloris, ſpaſmi, caloris, ruboris, & ſi quid porro notari

tari meretur. Dolor profecto pulſans inflammationibus proprius, atque duities tumoris nil aliud innuit, quam fibras rigidiores, & materiam infartam ſanguini per arterias affluenti arduum ac impeditum reddere iter. Quapropter nec dubitandum, quin hoc etiam nomine ad breve tempus perduret erysipelas, ſcil. quod ejuſdem inſignis dolor & ſpaſmus hinc oriundus, augendo robur circulationis ex cauſis modo expoſitis non parum promoveat diſcuſſionem materiæ morbificæ.

§. 24. Abunde igitur ex hactenus dictis patet, quo pacto morbus aliquis absque notabili etiam evacuatione ſuam interdum curam promovere vel accelerare queat, alterando ſcil. aut ſpiritus, aut humores aut ſolidas partes. Id enim ſecundo loco demonſtrandum erat in hoc Capite; poſtquam in antecedentibus declaravi, qua ratione morbus ſeipſum curet per excretionem ſatis evidentem.

CAPUT II.

De Morbo, ſanante alium.

§. 1.

QVanquam periculoſum videatur, ſi quem, jamjam cum morbo conflictantem, nova prehendat afflictio; nihilominus docet experientia, interdum priorem ægritudinem tolli ab alia ſuperveniente, non ſecus ac fulgure accenſas ædes arboresve fulmen denuo percutiens, aut horridus imber ſervat.

§. 2. Sic malum in ſe ſpectatum ubique tale, nonnunquam evadit ſalutare, ſaltem per accidens, poſitis nimirum his illisve circumſtantiis. Quas cum cura notaſſe juvat, ſi quis rectum de ejusmodi ægro judicium ferre, curamque illius legitimam inſtituere cupit. Inprimis videndum eſt, quæ pars affecta & in priori ſit

morbo & in posteriori; an eadem sit, vel diversa, item an causa utriusque sit similis, an potius dissimilis atque contraria.

§. 3. Melioris doctrinæ gratia, cum in tanta historiarum varietate facilis nascatur confusio, liceat mihi ad quatuor classes reducere, quotquot occurrunt exempla morborum salutarium, in hoc altero capite tractandorum. Scilicet aut morbus particularis tollit universalem: aut è contrario universalis particularem: aut etiam particularis particularem: aut universalis universalem.

§. 4. Sufficiat unum alterumque casum exposuisse, ne prolixior sim; ita enim de reliquis judicare haud erit difficile. Ad primam proinde classem refero Hydropem alvi fluxu sublatum, de quo *Ballonius Epid. Lib. 1. p. 6. & Smetius in Misc. Med. L. 10. p. 564.* Ubi equidem mirum non est, à Diarrhœa ejusmodi spontanea tanquam critica excretione magnam humorum saburram educi; arduum tamen est, quo pacto sive qua via serum in ambitu Corporis stagnans ad intestina feratur, explicare; siquidem de Anasarca sermo habetur.

§. 5. Existimo autem rem omnem haud felicius expediri posse, quam si statuamus lympham per ductum Pancreaticum, glandulasque intestinorum largiter effundi, quamdiu irritat acrimonia sua vel bilis vel alius quicunque humor pravus. Nec enim opus est, ut in partes remotissimas impellatur serum, & recto ductu feratur ad mesenterium, cum secundum leges circulationis sanguinis tumor hujusmodi Aquosus minuatur necessario & discutiatur paulatim, si modo non major copia laticis ulterius affluat. Nam & purgantia eodem modo pedum œdematosum tollunt non infrequenter, quanquam fortassis eousque haud pertingant, sed in abdomine tantummodo suas exerant vires, uti ex ventris torminibus inde natis apparet.

§. 6. Tollit proinde particularis affectus universalem ac sæpe gravissimum, præripiendo scil. materiam peccantem è primis

mis viis. Sed videamus, annon etiam aliis modis corpus impurum levari queat, per excretionem aliquam particularem, non tam criticam, quam morbosam, ac nihilominus salutarem? Et quanquam ejus beneficio morbus non eradicetur penitus, satis erit, si modo palliative illum curet, aut graviora symptomata mitiget vel aboleat.

§. 7. Atqui talem ex ulceribus fructum percipiunt scorbutici, quandocunque salia corrosiva sanguini admixta post dolores maculasque cutim erodunt, & quod frequentissimum, in tibiis ulcera excitant manantia, non sine insigni ægrorum levamine. Fonticuli naturales igitur in oppositione artificialium appellari à nonnullis solent, teste Misc. Nat. Cur. Ann. III. Obs. 18. uti arbitror, non quod à natura fiant, sed quod natura iis utatur commode in expurganda impuritate Corporis, & quidem felicius, quam artefactis, quoniam sponte facti summam præsupponunt & humorum acrimoniam & copiam, quæ urgeat, ac proinde non possunt non fructum post se trahere insignem, cum à Chirurgo factæ fontanellæ vix notabilem adeo ac subitaneum præstent effectum.

§. 8. Soletalias id genus ulceris à senibus per plures gestari annos, atque custodiri sancte, sub nomine der Todtenbruche/ quod credant vulgo, si consolidentur, mortem infallibiliter ingruere. Nec de nihilo est, quod metuunt, siquidem Ballonius Epid. pag 249. satis testatur, quam varia symptomata enata fuerint ex ulcere tali sanato in tibia. Quoniam scilicet Natura jamjam assueta est evacuationi continuæ, necessum est, alterari corpus insigniter redundantibus pravis humoribus.

§. 9. Simile quid notamus in Fluore albo mulierum ac gonorrhœa virulenta. Seu Cacochymia seu ipsa lues Gallica in corpore dominetur, certum tamen est plerumque accidentia gravioratamdiu remittere ac mitigari, quamdiu fluxus hujusmodi durat: quam primum sufflaminatur per adstringentia intempestiva, tum statim omnia ruunt in deterius, ita ut dolor capitis, artuum, dor-

dorſique vix ferendus, manifeſte intendatur. *Vid. Sennert. Pract. L. 4. Part. 2. ſect. 2. c. 12. & Lib. 6. l. 4. c. 23.*

§. 10. In tali caſu derivatur quaſi è toto Corpore humor pravus ad certum locum; non quidem ſolitarius, ſed cum ſanguine reliquo laudabili eo delatus. Nec enim credendum eſt, ullo modo ſeparari aut præcipitari poſſe acriora Salia, vel viſcidum putridumve illud inquinamentum, ſanguini admixtum intime. Nec ſatis apparet, quam ob rem præciſe ad urethram vel uterum aut tibias affluat, aut in his partibus ſecernatur. Verum ſi ſtatuamus vel ex pejore victu vel etiam per contagium contractum, acrimoniam cum pituitoſis putribusque ſordibus ſociatam non æque per loca excretoria v. g. renum tubulos, aut pororum cutaneorum anguſtias tranſire poſſe, felicius a, per exulceratas & patentiores glandulas, tunc in promtu erit ratio, propter quam levamen notabile percipiat æger. Si etenim Diæta interim adhibeatur conveniens, nec dyſcraſiam illam nutrias ulterius; neceſſum eſt paulatim omne, quod vitioſum erat, ſecerni atque ſic denique liberari ægrum.

§. 11. Pergo ad Claſſem alteram, quæ morbum docet particularem tolli per univerſalem. Cujus exemplum notatu dignisſimum mihi commode ſuccurrit. Vivit etiamnum Matrona, quæ lienoſa quondam doloribusque capitis atrocioribus, poſt etiam gravi vertigine correpta fuit, adeo, ut ſæpe inſtar Apoplecticæ aut Epilepticæ in terram caderet, ſæpius ad plures hebdomadas è lecto nequiret ſurgere. Interea, ſiquidem hoc malum ultra decennium duravit, oculi facti ſunt rigidi, ac prorſus immobiles, ut nihil omnium cerneret, niſi quæ præciſe vultui opponerentur directa. Succeſſu temporis ſupervenerunt quoque ſpaſmi abdominis, quavis die bis terve recurrentes, ac poſtmodum tertianæ typum ſervantes cum calore lento. Applicatis autem externe veſicatoriis, interne adhibitis anodynis ac antiſpaſmodicis,

dicis, remisit quodammodo spasmus & ventris atque oculorum, sed imperfecte ac inconstanter. Propterea cum illico recrudesceret malum, præmisso vomitorio reditum est denuo ad salia volatilia Ellent. Castor. atque similia, iisque parum proficientibus deventum est ad Decocta lignorum per tres septimanas: semper tamen vertigo rediit cum reliquis symptomatibus ac phænomenis, usque dum purgante sumpto ex mercurio dulci cum extracto panchymag. scabies sicca erumperet per universum corpus cum pruritu intolerabili. Jamque annus labitur tertius, quo immunis à pristino affectu, ægritudine ista cutanea vexatur continuo, una cum eruptione gypseæ materiæ in volis digitorumque interstitiis; unde ob impotentiam manuum sibi minus sufficiens certam huc usque ancillam ære conduxit, hunc unice in finem, ut assidue scalpendo fricandoque partes pruriginosas, levamen aliquod afferat, sed o quam miserum!

§. 12. Quotusquisque vero non videt, impuritatem illam sanguinis scorbuticam, tartareamve olim equidem dolores lienis capitisque, postmodum spasmos abdominis & oculorum ipsamque vertiginem produxisse, vellicando fibras sensatas viscerum abdominis, musculos oculorum, Meninges cerebri ac universum corpus nervosum: ast nunc eandem propulsam ad superficiem deseruisse interiora. Nec refert, utrum beneficio ipsius Naturæ an Medicamentorum virtute materia peccans fuerit exturbata è sede sua, satis est, si modo exinde discussa feratur ad cutim, inibique sub specie certa exanthematum figatur & efflorescat.

§. 13. Hoc pacto morbus internus per expulsionem degenerat in externum. Quodsi vero Morbus antecedens sit externus particularis, superveniatque universalis internus, tum sane videtur vero simile, materiam morbificam ad interiora reversam esse atque ita pedetentim absumptam. Huc spectat *Obs.* 190. *Misc. Nat. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 10. cujus titulus Hernia Mania curata. Videli-

cet vir erat diu multumque conflictatus cum difficillima enterocele, tandem in morbum incidit graviſſimum, deſinentem in maniam: interim diſparuit Hernia diſcuſſaque Mania reſtitutus eſt iterum, qui pro deplorato habebatur ab omnibus.

§. 14. Non autem opus eſt, ut cum Auctore hujus obſervationis ſtatuamus, amentem ſubegiſſe diutius prolapſa inteſtina & forte aliud agendo in abdomen retrudiſſe. Nec attinet adeo noſſe, utrum durante Mania, an vero priori morbo evanuerit Hernia. Intentioni quippe noſtræ jam ſatisfacit, eam fuiſſe ſublatam per morbum quendam graviſſimum, à quo diu lecto afflixus eſt æger ac in extremum conjectus vitæ periculum.

§. 15. Allegari enim hic plures poterunt cauſæ, herniosò favorabiles omnino: decubitus ſcil. diuturnior, Herniarum panacea *juxta Camerar. Syllog. Mem. Cent.* 8. *part.* 50. utpote cujus beneficio inteſtini prolapſi portio & regreditur in abdominis cavum & firmatur in ſitu naturali, connivente peritonæi proceſſu ac roborato, poſtquam per plures dies non amplius diſtenditur: accedit in graviore affectu propter anorexiam ordinarie concurrentem, vel inedia ſive abſtinentia totalis, vel parcior ſaltem alimentorum uſus, atque ideo nec inteſtina turgent, aut optant exitum, ſed collabuntur, præſertim cum vel ipſe morbus abſumere flatus, vel medicamenta exhibita pro alio ſcopo eosdem diſſipare per accidens queant.

§. 16. In Claſſe tertia tollit particularis morbus itidem particularem, ſed ita, ut ſuperveniens vel in eandem partem jamjam affectam incidat, vel in eivicinam, veldeniquemaxime ab ea remotam. Prioris exemplum ſuppeditat Ronſſeus Epiſt. 8. pag. 30. dum vomicam diu in pulmonibus hærentem à tuſſi caſu excitata ruptam ejectamque narrat. Colliguntur enim tubercula in pulmonibus haud raro, qui difficilem quodammodo reſpirationem reddunt, ſed abſque tuſſi: quodſi fortaſſe ab aëre frigido incautius admiſſo vel ſimili ex cauſa tuſſis accidat, fieri poteſt,

eſt, ut conquaſſato pulmone aperiantur & excutiantur commode.

§. 17. Sed vicinum ſaltem locum petere videntur coryza, vel vulgi teſtimonio ſalutaris morbus, ut verbis utar Clariſſimi Wedelii *Pathol. Med. dogmat. Sect.* 1. *Cap.* 7. *pag.* 145. quandocunque per eam tolluntur vitia oculorum, tinnitus aurium, cephalalgia & ſimilia, quale quid tota notamus die. Etenim ſi caput univerſum catarrhis obnoxium ſero turgeat plus minus acri vel viſcido, & forte occaſione data e. g. inſpirato aëre nebuloſo, ſtimuletur narium tunica pituitaria exquiſite ſenſata, tum ſemel inchoato fluxu vix deſinit prius, quam ſerum in vicinia diminutum ſit ſatis. Id quod duplici ratione fieri poteſt, vel quod ſerum urgens per patentes poros exinde transferatur ad nares; vel quod ſanguis arterioſus cum ſocia lympha magis feratur ad hanc tunicam, qui ad alias partes, dum tranſitu ſeri liberiore permiſſo, minorem in hoc reſiſtentiam reperiat, quam in illis.

§. 18. De poſteriori nullum eſt dubium: aſt priorem quoque rationem confirmat fluxus & refluxus ille ſeri, quem in œdemate pedum notamus, juxta corporis ſitum diverſum notabiliter varians. Quamdiu ſcil. æger erecto incedit corpore, ſtat vel ſedet pedibus in terram demiſſis, tamdiu tumor occupat extrema, plerumque à ſuris ad digitos usque. Ubi vero in lectum ſe recipit, ſive omnino reclinatus cubet, ſive ſedeat cruribus extenſis, tum paulatim ad poplites clunesque aſſurgit ſerum denuo antiquam ſedem occupans, quamprimum ſurgit hydropicus.

§. 19. Hinc igitur liquet, lympham haud ſemper attendere leges Circulationis ſanguinis, alioqui migraret non magis in propinquum locum, quam in alium quemcunque remotiſſimum. Si viam deſideras, licebit allegare vel interſtitia muſculorum aut fibrarum carnoſarum in iis, vel quæ inter muſculos cutemque ſunt, vel denique omnes poros totius Corporis. Ita enim cernimus frequenter maculam plumbeam lividamque appa-

rere infra oculum, si quis ante aliquot dies percussus sit in parte superna. Atqui nulla hic à supercilliis ad inferiorem palpebram via datur sanguini suffuso, si extraordinariam per poros ipsi deneges.

§. 20. Quodsi proinde partes à se invicem sint remotissimæ, ac nihilominus morbus tollat alium hærentem in loco maxime distanti: quæ tum allegari poterit connexio e. g. inter caput & podicem. Novi profecto liberatum à vertigine diu vexatum, qui postquam cuncta Cephalicorum genera tentasset frustra, tandem oborto hæmorrhoidum fluxu, ab ea liberatus est. Sane obiter intuenti non apparet ratio hujus consensus; verum si ponamus à plethora interdum id malum nasci, meninges ac cerebrum premente sanguinis copia, perinde tunc erit, unde prodeat, si modo minuatur urgens humor. Oriri autem à plethora vertiginem posse, hinc colligo, quod viderim à vini generosioris potu ac largiore victu enatam, post V. S. desiisse illico. Quid igitur mirum, si vices Venæ sectionis ferant hæmorrhoides.

§. 21. Supereſt quarta Classis, quæ morbum universalem ab alio itidem universali superari docet. Huc pertinet illud Hippocratis assertum, quod in *Coac. Prænot. III.* 80. & *Aphor. IV.* 57. *de Judicat. XII.* 10. convulsivos motus atque tetanum febris accedens solvit. Σπασμώδεα enim vel σπασμὸν interpretor hic per motus convulsivos, quod à tetano distinguatur; solet enim aliquando quoque Cous Epilepsiam hoc titulo salutare e. g. *Popular. VII.* 26. & *de Morbo Sacro VIII.* 24. Adhæc Epilepsiam per febres solvi confirmat aliorum experientia, Salmuthi *Cent.* 2. *observ.* 84. Barthol. *Cent.* 2. *Histor. Anat.* 68 &c.

§. 22. Quapropter videamus potius, quomodo id fiat, & quamobrem desinat Tetanus aut Epilepsia, si febris accesserit. Præsuppono igitur in Tetano corpus rigidum fieri exinde, quod musculi undique irritati, ab acriori v. g. sanguine, præ dolore sese contrahant firmiter, atque in hac tensione permaneant, quamdiu do-

dolor non remittat. Hinc sequitur, Tetanum desinere, si dolor sedatus, humorumque acrimonia remota fuerit. An tale quid exspectandum sit a febre, mox videbimus.

§. 23. In Epilepsia vero tensio ejusmodi musculorum non occurrit sed motus inordinatus ad breve temporis spatium durans, iterumque si malum sit habituale, recurrens data occasione. Unde minus apparet verosimile, hærere fixum quasi humorem in musculis, prout in tetano, sed potius causam subesse temporariam; quatenus certis incertisve horis vel sanguini admiscetur acrimonia quædam, fibras musculorum pungens stimulansque: vel partium solidarum dolor per vices affligit, qualis in pueris a dentitione, torminibus, morsuque lumbricorum notatur: vel ira terrorve immediate spiritum commovet exagitatque. Consideremus jam, numquid & febris valeat in hoc passu.

§. 24. Enimvero non necessum est, ut demonstrem, febrem omnibus satisfacere circumstantiis, quæ vel in Tetano vel Epilepsia occurrere possunt: sufficit aliquam dari, saltim probabilem rationem, quæ aliquando locum habeat. Posito enim, quod a Tetano per febrem liberatus quis olim etiam fuerit, nostrum erit scrutari, quo fortasse pacto acciderit. Salvo aliorum judicio, arbitror hinc factum, quod calor febrilis accelerando ac intendendo sanguinis motum, necessario exagitarit motum illum acrem ac forsan tartareum fibris musculorum firmiter inhærentem. Tum enim nihil impedit, eundem vel per sudorum discussum, vel per vias urinæ secretioni destinatas, excretum esse. Quidsi a frigore contractus fuerit Tetanus? ac postmodum grumos coagulati sanguinis resolvat superveniens febrilis æstus.

§. 25. Quod ad Epilepsiam, memini Civis Lipsiensis filiam Epilepsia sæpius, aliquando etiam cursoria, ut vocant, inter deambulandum, correptam, post febrem ardentem omnino liberatam, ita ut deinde ultra 12. annos integra hucusque fruatur sanitate. Cum enim ad visendam eam advocarer, sitimque ac æ-

ſtum per biduum durantem notarem, juſſi tincturam fl. papav. errat. cum ſpiritu vitrioli acidulatam, largiter infundere potui pene aqueo, quem vulgus coventum nominat. Ab ejus uſu remiſit paulatim febris, poſteraque die per alvum excretus eſt vermis unicus, cygni calamum æquans craſſitie, tres ulnæ quadrantes longus totuſque rubens egregie, non aliter, ac ſi mera repletus, quam ægra ſumſerat, tinctura fuiſſet. Atque ab eo tempore immunis ab inſultibus Epilepticis vivit etiamnum, ſatis carnoſa, vultuque florido nulli cedens.

§. 26. Notum alias eſt, a vermibus Epilepſiam produci frequentius: notum etiam eſt, in febribus omnis generis expelli vermes: Quod ſi proin dicamus ab æſtu inſpiſſatam bilem, ideoque acriorem fugare illos, & conſequenter Epilepſiam inde oriundam exſtinguere; præſertim cum fel aliorum animalium, canis, agni, urſi, ranarum, vulturis &c. tanquam egregia contra morbum comitialem hinc inde commendentur ſpecifica.

§. 27. Ut taceam, quæ in febribus frequenter accidunt ſymptomata, inediam, vomitum, alvi fluxum, hæmorrhagias, ſudores &c. non leviter corrigere tam primarum viarum, quam ſanguinis vitia, eoque nomine radicem Epilepſiæ, ſi forte inibi hæreat, quaſi eruere: ſaltim id urgeo, febrem e. g. quartanam vel ardentem ſpectatam in ſe, quamvis ab omni abſtrahamus excretione vel ſymptomatica vel medicata, nihilominus Epilepſiam tollere poſſe, ſi modo ſtatuamus ideam Epilepſiæ habitualis exſtingui, per aliam fortiorem ſupervenientem, puta febrilem, quando irregularis iſte ac fluctuans quaſi Spirituum influxus per motum plane contrarium, acceleratum & æqualem, uti procul dubio eſt, qui totum Corpus in febribus æſtuare facit, invertitur & aboletur, id quod facillimum erit, ſi vel in ardente per aliquot dies duret calor continuus, vel in quadam intermittente per aliquot horas iterum iterumque recurrens.

§. 28.

§. 28. Sufficiant hæc pro ratione præsentis instituti: supperetent plura, sed, ut ab initio monui, exercitii aut speciminis loco paucula hæc exhibere animus fuit. Restat igitur hoc unicum, ut a Te, L. B. veniam mihi exorem, si quæ minus accurate dicta videbuntur; si candidus es, poteris omnia pro arbitrio emendare aut supplere: per me licet.

DISPUTATIO XL.

DE

MORBO RETROGRADO.

Esse quosdam è genere Morborum fixos stabilesque, alios erraticos potius & vagabundos, id equidem latere neminem arbitror. Quam contumaces enim nonnulli existant, ut, quem semel occuparint locum, vix ac ne vix quidem deserant, sed adeo firmiter inhæreant, ac si speciali jure illum possiderent, exemplo cephalææ, fistularum, varicum, guttæ rosaceæ, atque similium satis superque apparet. E contrario dari alios parum constantes mobilesque, sedem suam haud servantes diu, sed subinde commutantes manifestum est in Arthritide vaga, rosa vola-

volatica, &c. Atque inter hos, si rite penſites, differentia occurrit non levis, quippe quorum alii externe circumvagantur, ex uno membro in aliud vicinum remotumve, prout fors tulerit: alii latitantes in corpore, tranſeunt ex aliquo viſcere in aliam partem ſimiliter internam: quidam vero interni primo egrediuntur verſus exteriora, ut in conſpectum veniant, ſicuti viciſſim alii externi revertuntur ad interiora, eoque ipſo ſe occultant haut impune. De qua poſtrema claſſe, reliquis jam ſepoſitis, diſſerere mecum conſtitui, utpote quæ vel ſola ſufficientem præbere materiam diſputationi ſolenni poterit. Me autem in ejus tractatione ita geram, ut, præmiſſa definitione atque diſtinctione, ac reliqua morborum iſtorum hiſtoria, inquiram potiſſimum in cauſas, atque vias, poſtmodum in ſigna, & denique in curam, ſeu legitimam medendi methodum. Ut igitur hæcce mea conamina felicem ſortiantur eventum, ante omnia Deum Immortalem veneror humillimo corde, rogoque voce ſupplici, ut Sua Gratia nunc & in poſterum mihi adeſſe velit, quo cuncta vergant in ejus

Divini nominis gloriam proximique ſalutem.

§. I. Lo-

§. I.

LOquitur de Morbo Retrogrado rubrica hujus Disputationis, nomine minus usitato in scholis Medicorum, satis tamen congruo, ut arbitror, ad exprimendam illorum, de quo differere fustineo, affectuum naturam. Nec quisquam mihi vitio vertere poterit, si loco vocabuli græci & omnino ambigui aliud substituam latinum, æque significans ad minimum, si non penitus adæquatum ac proprium.

§. II. Quamvis enim παλινδρομεῖν atque παλινδρομία, quæ apud Hippocratem Galenumque leguntur, interdum denotent morborum reversionem ad interiora, id tamen perpetuum haud est; nam & quandoque recidivam exprimit e. g. dum hydrops qui ad curationem remisit, παλινδρομέων ἀνέλπιστος, id est recurrens desperatus censetur Hippocrati *in Coac. Prænot. textu* 288. *p. m.* 567. & Galeno pulsus appellatur παλινδρομῶν, qui alias δίκτος audit, notante Gorræo *in Defin. Med. pag.* 357. quando idem quasi duplicatur, instar soni, quem malleus incudem percutiens edit.

§. III. Ut taceam, palindromiam ad mentem veterum dici proprie, si humor peccans ad suum recurrat fontem: minus proprie si ad partem diversam ab ea unde fluxus cepit, redeat, qua de re videri potest Stephanus Rodericus Castrensis *in Tract. Quæ ex quibus, lib.* 3. *cap.* 21. *pag.* 226. & qui plurima cum eo communia habet Tilingius *in Tract. Aureo de Recidiv. c.* 16. *pag.* 262. prout verba initialia capitum allegatorum satis ostendunt, non minus quam reliquus contextus; ut non immerito mireris quomodo Roderici nomen fugere potuerit Zephyrum.

§. IV. Quem enim alii revertentem aut recurrentem vocarunt morbum, ac fortassis commodius dixeris introeuntem, introgressum, introcedentem, aut retroactum, eundem nominare volui retrogradum, quod formale illorum affectuum, de quibus mihi sermo est, nec unice consistat in mali transitu ad interiora, nec altera ex parte præcise opus sit, ut repellatur semper morbus,

bus, quoniam alio pacto fieri quoque queat, ut vel sua sponte redeat introrsum.

§. V. Videlicet stricte loquendo morbus vocatur retrogradus, qui è corpore propulsus, stationem suam iterum relinquit, & ad interiora revertitur. Quandoquidem vero natura, quicquid nocivum acciderit, arcet omnibus modis & expellit, ita nec inconvenienter illud, quod forte per contagium advenit extrinsecus, ut scabies, lues venerea &c. retrogradum dici potest, quando in peripheria evanescit vergitque introrsum, quatenus contra motum naturæ consuetum instar cancri fluviatilis retrogreditur.

§. VI. Tria nempe ut concurrant necessum est: primo ut morbus quidam magna sui parte exterius aliquandiu hæserit in corporis ambitu, & sit quidem de tali genere, cujus sive materia sive effectus, commode ad hæc loca congeratur, ut ibi partim excerni, partim leviorem corruptelam inferre possit: Secundo ut dum areat externe, partemque hanc affectam deserat: tertio ut postmodum alio in loco, eoque interno, molestiam creet. Ratione prioris, differt morbus retrogradus, à latitante ac nondum adparente, v. g. si a frigore ambiente impediatur purpuræ, petechiarum, variolarum vel morbillorum eruptio; ratione secundi a morbo equidem introeunte, at ideo non deficiente in ambitu, quod in sphacelo, carbunculo, morsu viperarum, ictu scorpionum vel tarantulæ, aut quocunque vulnere venenato contingit: ratione tertii à malo perfecte dissipato, aut ablato, per hæmorrhagiam, alvi fluxum, sudorem &c. Quæ vero exempla in Practicorum scriptis rarissima sunt, quod nempe morbus aliquis retrogrediens citra aliam molestiam per tales excretiones perfecte auferatur.

§. VII. Enimvero ipsi etiam morbi, quos proprie retrogados appellare licebit, non parum variant inter se. Sunt enim quidam ex iis superficiarii tantum, vix præter cuticulam vel ad sum-

ſummum cutim corrumpentes, uti ſunt maculæ atque puſtulæ, petechiæ, morbilli, purpura, variolæ, ſcabies, tinea, cruſta lactea, gutta roſacea &c. vel profundius inhærentes, partibus carnoſis, glandulisve, atque ſic aut tumefacientes eas, aut exulcerantes notabiliter, quales ſunt Eryſipelas, bubones, abſceſſus, tumores œdematoſi, podagrici, gallici, ut & ulcera hinc nata, ſcorbutica, cæteraque cacoethea.

§. VIII. Deinde ſunt, qui evaneſcunt perfecte, ut ne veſtigium quidem ſuperſit: ſunt etiam alii, qui non delentur prorſus, ſed ex parte tantum, quando e. g. podagra quodammodo ſedatur, rubore ac tumore ad ſenſum remittente, aſt introvergente, non ſine graviori periculo: vel cum variolæ ſubſident intempeſtive, tunc enim ſufficit materiam peccantem aut non affluere amplius, aut ex parte regurgitare ad interiora, quamvis major fortaſſis quantitas adhuc ſuperſit in loco primum affecto.

§. IX. Meretur autem & hoc notari præ cæteris, quod morbus retrogradus nunc quidem ſuam ſervet naturam e. g. quando eryſipelas poſt applicationem actu frigidorum & repellentium introvertitur; ita namque morbus non tam mutatur, quam locus: nunc vero novam penitus faciem induat, uti e. g. ſi cæcitas à tinea capitis retrocedente naſcitur, febris a ſcabie retrogreſſa &c. Nimirum in hoc paſſu ſatis eſt, materiale morbi, ſeu cauſam continentem, aut ſi mavis humorum vitium, reverti ad interiora, quanquam idem formale effectus haud retineat.

§. X. En varias, prout ab autoribus hinc inde annotatæ ſunt, hiſtorias, rem omnem illuſtrantes egregie. Narrat Foreſtus *lib. 6. obſerv. 39.* infantem nuper natum, cum febres peſtilentiales graſſarentur, ſimiliter ægrotaſſe, corpusque velut a pulicibus compunctum evaſiſſe rubrum; poſtquam vero tonſor in conſilium vocatus, totum corpus aqua plantaginis ablui juſſit, ſtatim rubores introrepercuſſi delituerunt, unde graviſſima ſymptomata ſupervenerunt, & mors eadem nocte ſecuta eſt.

§. XI. Alio tempore, cum in pago quodam morbilli vagarentur epidemice, notavit Hagedornius *Cent.* 1. *Hist.* 77. infantes ætate minores atque ambulare adhuc nescios, maximam partem evasisse, sed ex illis, qui maculis nondum evanescentibus, inclementiæ cœli, quæ isto tempore dominabatur, sua exposuerunt corpora, capite pariter ac pedibus denudatis, ut solet plebs rustica, incedentes, complures febre ardente, tussi, & asthmate convulsivo, conflictatos, occubuisse: postquam vero reliqui ab aeris inclementia custodirentur, convaluisse non difficulter.

§. XII. Nihilo melior est Purpura; & quod magis mirum, degenerat etiam benignior hoc pacto in malignam. Vidimus enim, qui, postquam diu eandem nutriverunt impune, post sudorem refrigerati, statim in febrem malignam lapsi sunt, cum palpitatione cordis, deliriis, lipothymiis, motibusque convulsivis; nec rubra post usum expellentium rursus apparuit, sed utplurimum alba, longe deterior. Conf. Hagendorn. *Cent.* 2. *Hist.* 79. & *Cent.* 3. *Hist.* 21.

§. XIII. In Variolis, qui se frigido exposuerunt aeri, subito extinctos vide in Foreest. *lib.* 6. *Obs.* 46. *Schol.* Aft a purgante dato variolas jam apparentes protinus delituisse, aucta cordis anxietate, gravique diarrhœa, cum summa virium prostratione superveniente, puerumque sequenti nocte obiisse, testis & Diemerbroeck *lib. de Var. & Morb. Hist.* 4. *pag.* 293. Imo & reliquiæ illarum a cataplasmate frigido ad notas in facie delendas applicato, introrsum actæ, Nobilem quandam mulierem suffocasse, refert Borellus *Centur.* 1. *obs.* 64.

§. XIV. Quis vero scabiem tanti æstimet? nihilominus ea retrocedente sæpe gravissimum insecutum esse damnum, non modo legimus passim, sed novit vel ipsum vulgus è quotidiana experientia: Sequitur nempe dyspnœa modo simplex, modo in dispositis usque ad sputum sanguinis vid. Binningeri *Cent.* 5. *Obs.* 88. Suffocatio omnimoda in *Ephem. Germ. An.* 2. *obs.* 213. febres

nothæ

nothæ aut malignæ, aut cum opisthotono aliisque symptomatibus, uti habet Hechstetterus, *Dec. 8. cas.* 8. Epilepsia diuturna, notante Trincavellio *Lib. 2. cap. 6. de rat. cur. part. corp. human. affl.* imo lethalis apud Riedlinum, *Lin. Med. An.* 1696. *p.* 205. Taceo plura, in quibus mercurialia unguenta male præparata, aut malo regimine & applicatione fuere adhibita, vel quæ minus usitata, etiam arsenicalia, referente Amato Lusitano *Cent. 2. Chir. 33.* quoniam in tali casu dubium est, annon quandoque periculum ex remedio potius, quam ipso morbo deduci debeat, uti non male judicat Forestus *Lib. 5. Obs. Chir. 12. in schol. p.* 164.

§. XV. In pueris, achores atque tineam capitis, vel sua sponte, maxime ex improvidis refrigerationibus subito evanescentem, vel remedio imprudenter, à matribus, aut vetulis medicastris, adhibito, pro exsiccatione atque propulsione curatam pessima intulisse symptomata, ophtalmiam, cœcitatem, ulcera aurium, aphthas, tussim violentam, tabem, catarrhum suffocativum, delirium, febres, imo promptissime epilepsiam atque convulsiones, qualia multoties observata vide in *Ephem. Germ. Dec. 1. An. 2. obs.* 213. *Dec. 3. An. 5. obs.* 229. *& 8. obs.* 116. *in Schol. Hagendornii Cent. 1. hist. 8. p.* 15.

§. XVI. Memini me observasse antehac guttam rosaceam in quodam Theologiæ Studioso, qui potius quodvis aliud pati maluit, quam istam faciei rubedinem, bibaculo magis quam Candidato Ministerii convenientem, post applicata repellentia omnino evanuisse, ast paucos intra dies tam raucum & anhelosum hinc redditum, ut vix spiritum ducere nedum loqui potuerit: Verum post usum expellentium apparuere pustulæ in pectore primum, postmodum in vultu quoque; interim respiratione in libertatem pristinam restituta.

§. XVII. Siulterius tumores, & quidem Erysipelas in specie velimus attendere, non desunt exempla eorum, qui damnum ex eo retroeunte senserunt haut contemnendum. Quidam e-

nim vir nobilis, referente Salmuth. *Cent. 2. Obſ. Med.* 43. ſæpe tentatus roſa in facie, cum iter, ea non penitus reſoluta, faceret aere frigidiore, vertiginem atque linguæ paralyſin paſſus eſt. Alius in lethalem Catalepſin incidit vitio iſto male curato, ut judicat Grembs *Arb. int. & ruin. hom. p.* 206. ſed fœmina poſt applicatam aquam frigidam horrendum delirium ac mortem miſerrimam ſibi conciliavit narrante Hagendornio *Cent. 1. hiſt.* 38. Nec alia ratione, ſi verbis Gabelchoveri *Cent. 3. Cur.* 14. *Annot.* uti permiſſum eſt, pereunt ægrotantes, quam in partes internas principales recurſu, velut ſi ex eryſipelate in facie oriatur Phrenitis aut Angina, quod plerumque fit à prava curatione, medicamentis nimium repellentibus adhibitis, quin & ab humido præſertim hyemis frigore, quod conſtipando facit recurrere roſam.

§. XVIII. Ante omnia vero funeſtum eſt, Eryſipelas, per ἀπέςασιν febrium acutarum, ad artus decumbens, ſi mala medicatione Chirurgorum imperitorum, aut proprio auſu ægrorum, per epithemata inepta intropellatur. Inde enim recidiva longe impetuoſior, & communiſſime mors, ſi non amplius retrocedere poterit, ſed jam ad paulo ſpiſſiorem conſiſtentiam devenerit materia, cito *Sphacelus ſuperficiarius* præſto eſt, cujus aliquot exempla notavimus.

§. XIX. Ex bubone retrocedente febrem acutam cum Ictero annotavit Franciſcus Rubeus *Noct. Exercit.* 30. *pag.* 334. Qui vero in febribus peſtilentibus erumpunt, ſi rurſum evaneſcant, conjiciunt plerumque miſeros in extremum vitæ diſcrimen, vide Palmarium *Lib. de Febr. peſtilential.* & Diemerbroeck *de Peſte lib. 3. cap.* 12. 16. *pag.* 161. Nec enim id præciſe mercurialibus adſcribendum remediis, ſiquidem & brasſicæ folia impoſita è veſtigio ſiniſtra ad ſalutem via, bubonem demum intra corpus adigere ac retropellere docuit experientia; pauperculæ in agris habitantes, interdumque neceſſitate ad hoc compulſæ, utpote quæ ob peſtem innoteſcentem exulare urbe cum diſpendio rei familiaris no-

nolentes, celare vestigia luis in propriam perniciem ad hunc modum assolent, juxta Schenckium *Lib.* 6. *de Bub. Pestil. Observ.* 4. *pag.* 800.

§. XX. De Inflammationibus vel tumoribus reliquarum partium, idem censendum. Narrat memorabilem casum Hagendornius *Cent.* I. *Hist.* 77. puerperam videlicet, applicatis ab obstetrice ad mammas ex inflammatione valde tumentes, aquis refrigerantibus & repellentibus, accedente insimul faucium collutione cum aqua perinde gelida, tanta affectam esse colli fauciumque stupore, ut ne guttulam quidem seu medicamentorum seu esculentorum admittere posset, nulla ope sanando, usque dum inter perpetuas lipothymias vitam cum morte commutaret.

§. XXI. Sed vulgo notissimum est, pedum tumores œdematosos communiter, si non in totum, saltem ex parte minui, quando in lecto se aliquandiu contineat æger; tum vero à regurgitante sero, & difficilem respirationem, & tussim ordinarie supervenire, ut sæpe nec dormitabundi se reclinare in cervical ausint, sed recti sedere necessum habeant, pedibus etiam pendulis, si Orthopnœa vehementius instet.

§. XXII. Quid à Podagra recurrente ad interiora metuendum sit, videri potest in *Ephem. Germ. Dec.* 2. *Ann.* 6. *Obs.* 42. & *Schol.* Colicam nempe durissimam, totalem urinæ suppressionem, convulsionem lethalem, dyspnœam, palpitationem cordis, animi deliquia, epilepsiam, apoplexiam non semel notarunt Krugerus, Velschius, Paulli, aliique ibidem allegati. Cumque hemiplegiam ab epithemate aquarum destillatarum, cum cerussa, camphora & locis dolentibus applicato memoret Hagendornius *Cent.* I. *Hist.* 28. hisce non incongruum erit annectere cujusdam pastoris exemplum, quippe qui, cum in podagra pedi dextro spiritum vini plantis nervinis ac discutientibus affusum appilicaret, paulo post in hemiplegiam dextri lateris incidit, & quidem bis intra

tra unius anni ſpatium vere ſcilicet atque autumno: cum vero tertia vice ſiniſtrum quoque crus inungeret eodem remedio, cum rediret malum, obiit hemiplegia ſiniſtri lateris.

§. XXIII. Poſt intempeſtivam bubonum venereorum diſcuſſionem, ac ſuppreſſionem gonorrhææ virulentæ, quam male habeant ab initio leviter ſaltem infecti, non rara teſtantur exempla. Hoc virulento fluxu temere ſuppreſſo intus plerumque colligitur abſceſſus, nunc quidem circa teſticulum in Epididymide, nunc in perinæo, qui, rupta apertave cute, materiam fundit, monente Fernelio *Pathol. lib. 6. cap.* 13. Videant igitur imperitiſſimi Chirurgi, ne temerario auſu virulentum fluorem in Gallica ſtranguria præter rationem ſupprimant, & materia remeante ex fœda Gonorrhæa intus collecta, abſceſſuum circa teſticulos, aut in perinæo circumſitisque partibus, fiſtularumque inde oriundarum cum certo vitæ periculo, authores ſint, juxta Schenckium *Lib. 6. de Lue ven. Obſ.* 21. *pag.* 83. Addo, caveant, ne impedita iſta excretione, quam per urethram vel bubonem exulceratum natura tentat, virus recurrens viſcera nobiliora, vel oſſa etiam, aggrediatur. Nam & ab inunctione olei comm. nympheæ, ſimiliumque ſaltem anodynorum & diſcutientium, diſſipatus bubo venereus, vix tolerandos brachiorum pedumve, nec non capitis dolores cum ophthalmia produxit in quodam adoleſcente, uti teſtatur Angelus in *Eph. Germ. Ann.* 8. *Obſ.* 78. *p.* 125.

§. XXIV. Ulcera in genere diuturna ſi conſolidentur abſque eo, quod materia peccans ſufficienter evacuetur, vel derivetur, in longe majus periculum conjiciunt ægros. Inſtar omnium ſit exemplum Nobilis illius, cujus Timæus à Gülbenklee *Lib. 1. de Affect. Cap. caſ.* 28. meminit. Cum enim hic ipſe, ab ulcere, multis annis durante, liberaretur paucos intra dies, conſilio vetulæ, incidit, elapſo menſe uno atque altero, in capitis dolores adeo vehementes, ut de vita deſperaret: paulo poſt occœcatus eſt: horis autem matutinis à ſomno multum viſcidæ ac flaveſcentis fœtidæ-

tidæque materiæ frequenti expuitione citra tussim rejecit, conquestus se quamdiu jejunus esset, eundem fœtorem in ore percipere, quem olim ex ulcere pedis. Adde etiam, si lubet, *Eph. Germ. An. 2. obs. 23. & Ballonii Epid. p. 249.*

§. XXV. Simili namque modo compertum, eos, qui solenni hæmorrhoidum fluxu vexantur, si defecerint, plurimum pati à regurgitante sanguinis vitio; vid. Hildani *Oper. p. 645. & Cent. 2. obs. 11. & 52.* Schenckii *lib. 3. de Hæmorrhoid. obs. 4. & 5.* Item *Ephem. Germ. Ann. 3. observ. 331. & Dec. 2. Ann. 2. obs. 117.* Zvvingeri *Theatr. Vit. human. p. 530.* Hinc monitum Hippocratis aureum *Sect. 6. 12.* Hæmorrhoides diuturnas sananti, nisi una servetur aperta, periculum est hydropem aut tabem accedere. Nam & ani fistulas inde natas ultra septimum annum fluentes ac postmodum deficcatas, in quodam mercatore primum respirationem difficilem, & pedum tumorem cum levi exulceratione, deinceps ardorem ventriculi dorsique, cum alvi obstructione ac febre, tandem lethalem produxisse Apoplexiam testis est Riedlinus *Lin. Med. Ann. 1696. pag. 133.*

§. XXVI. Ex quibus omnibus satis apparet multiplex damnum, quod Morbus Retrogradus inferre solet; siquidem aliud universale potius videtur, ut febris, lipothymia, epilepsia, spasmus, catalepsis, apoplexia &c. aliud particulare, cephalalgia, cæcitas, paralysis linguæ, cordis anxietas & palpitatio, dyspnœa, tussis, sputum cruentum, singultus &c.

§. XXVII. Verum enim vero, si causas illius retrocessionis indagare velimus, harum varietatem non unam esse constat. Sunt enim quædam illarum externæ magis, quædam internæ: fiuntque fere ista omnia rarius morbi culpa. Interdum quædam ex accidenti quodam superveniente, frequentissime per errorem nunc ab ægro, nunc à Medico vel Chirurgo commissum.

§. XXVIII. Secundum hactenus dicta omnia dubium non est, quin Natura nostra, seu Principium movens vitale, quodcun-

que illud etiam fuerit, dum curam gerit corporis, cuncta, quæ ad vitam & sanitatem conservandam faciunt, motibus suis observet studiose, atque sic è contrario removeat, quantum possibile, si quæ ullo modo corpus lædant. Expellit ergo semina morborum intus nata, inspirata, vel quandoque intro assumta, ut à molestia, quam afferre solent, & corpus ab imminente noxa, liberetur. Reliqua exterius advenientia, uti sunt contagium, caustica, rodendo, pungendo, similive pacto lædentia, ne introvergant, obnititur atque resistit pro virili.

§. XXIX. Fieri autem solet haud raro, ut Natura infirmior à morbi ferocia superetur, & quemadmodum ad expellendum, si malum fuerit contumax, materiæ copiæ, viarum vitiis, minus sufficit; ita nec reluctatur debite, quandocunque vis major extrinsecus urget. Ponamus ab incepto laudabiliter opere illam desistere defatigatam, aut avocari aliorsum, aut ad contrarios motus irritari, aut repelli atque turbari penitus, quid inde sequitur aliud quam palindromia seu mali reversio ad interiora?

§. XXX. Si enim nobis concipiamus morbi materiam instabilem seu mobilem admodum ex una parte, ac deinceps naturam inquietam, in opere sio præpeditam, aut ad contrarios motus incitatam ex parte altera, tunc amplius difficile non erit intelligere, quomodo exanthemata v. g. vix satis erumpentia, rursus evanescant, oculisque sese subducant, quale quid circa variolas notare licet, præsertim, si animi mœror, desperatio, ira similesque affectus concurrant, hominemque inquietum reddant; tum enim inter medios etiam sudores, retrocedere illos videmus, non sine præsenti vitæ periculo. Adeoque non male dubitat Casp. Bravo, *Resol. & Cons. Med. Tom.* 3. *pag.* 192. an sudoriferis utendum sit, apparentibus jamjam morbillis, variolis, maculisque malignis.

§. XXXI. Notum est, Hæmorrhagiam ex nimio sanguinis æstu oriundam, adeoque non infrequentem in morbillis, variolisque, si ab initio accidat, egregie levare morbum: post eruptionem

nem vero raro salutarem, quoniam utplurimum, quicquid efflorescebat in cute, maximam partem introrsum reducitur. Accelerata enim sanguinis emissione, sequitur subsidentia partium proximarum, quas utique sanguis maxime suffarctu suo turgidas servaverat. Imo contrahuntur, si alia via ad immediatam excretionem patefiat; Unde a talibus hæmorrhagiis solenne prorsus est ut sequatur & rigor & frigus corporis exterioris. vid. Hœchstett *Dec.* 2. *obs.* 4.

§. XXXII. Quid si lochiorum fluxus puerperis proprius, purpuram redire faciat? aut menstrua purgatio forte accidat in malignis febribus? Nec enim eadem legitimum præcise tempus observat in morbis, sed & extra periodum ordinariam, haud raro fluit copiose, quotiescunque sanguis exagitatur ultra modum. Audiatur Diemerbrœck *de Var. & Morb. hist.* 9. postquam tres puellas in variolis tentatas fluxu extraordinario, & paulo post extinctas, commemorasset, hæc innuens: *In hoc morbo multoties à nobis observatum, cum valida fit sanguinis ebullitio & copiosissimæ prosiliunt variolæ sine febris ac symptomatum imminutione, tunc pessimum imo lethale signum esse, si menstrua extra periodi tempus erumpant, tales enim ægrotæ vix unquam servantur, quamvis etiam septimo aliove critico die illa eruptio contingat. Imo & hoc notavimus, si durante illa variolosa ebullitione, menstrua quoque fluant tempore debito, & ordinaria periodo, tales ægras etiam tunc maxime periclitari, earumque multas mori, licet ab illa evacuatione aliquod insigne levamen sperari posse videatur.*

§. XXXIII. Unde non obscure liquet quid de V. S. sit judicandum. Quemadmodum enim utilissima esse potest ante variolarum, petechiarum eruptionem, ex observatione modo allegati Diemerbr. *Hist.* 9. & Hagendornii *Cent.* 3. *Hist.* 75. Ita jam apparentibus illis, potius funesta existit, quoniam ad interiora revocantur omnia. Quis enim tantum ex venarum sublingualium sectione damnum metueret? præsertim si mensium suppressio con-

currat; lethalem nihilominus eandem extitisse in febre petechiali, testatur Fribe *in Eph. Germ. Ann. 6. obs. 81.* Ubi equidem hæ morrhagiæ nimiæ quam supprimere non potuerunt adscribitur culpa; non improbabile tamen videtur etiam absque hac, & in genere missionem sanguinis esse intempestivam, & in specie sublingualium sectionem, quod facile præpostero consilio, ad partem nobiliorem transferatur morbus. Id quod eximie illustrat Wincklerus in *Eph. German. Ann. 6. obs. 91.* exemplum recensens cujusdam civis Bregensis, laborantis erysipelate circa dextræ carpum, qui post imposita repellentia, sectasque sub lingua venas, in delirium incidit ad mortem usque perdurans.

§. XXXIV. Quantum a terrore alias patiamur damnum vulgo notum est. Si vero tantam in cæteroquin sanioribus subjectis vim habeat, quid non valebit in ægris? Id unicum sufficit, lipothymiam inde produci, atque sic cum pallore intro represso sanguine, refrigerari corpus. Ita enim proclives ad passionem hystericam fœminæ, quam primum suaveolentia naribus objiciuntur, aut aliquibus dulcia vel acida ingeruntur per os, longe periculosius decumbunt in malignis quemadmodum omnes in genere natura sensibiliores, aut infirmiores. Compertum namque habemus, tales repente obiisse aut ad minimum gravius fuisse affectos, retrocedentibus exanthematibus, quando ad aliquot momenta, dum lectus sternitur, etiam in hypocausto probe calefacto sedere debent, ob vertiginem, aut animi deliquia tum supervenientia.

§. XXXV. Id multo magis metuendum, si error commissus fuerit plus minus gravis. Non jam dicam in frigore actuali & excessivo, exterius irruente, utpote cujus mentio jam sæpius facta est in superioribus. Hic loci attamen præterire non possum, etiam apprime periculosum esse, si modo pedes non tegantur sufficienter; item si haustum paulo frigidiorem assumat æger; quem

in

in ardentibus bilioſis non penitus intempeſtivum, nonnunquam egregie profuiſſe conſtat, ſed in malignis non æque.

§. XXXVI. Nam & fortius refrigerantia medicamenta, ſi paulo liberalius exhibeantur & externe applicentur, Naturæ motum ſimiliter turbant; Idem ab opiatis intempeſtive datis, experimur in malignis: ubi enim inter ſomnum inquietum jactigabundus refrixerit æger, retroeuntibus exanthematibus, graviſſima ſtatim ſymptomata ingruunt, & poſt ſomnum utplurimum deliria; Unde vix quisquam peritus audet adhibere hypnotica in ejusmodi febribus, quanquam per aliquot dies duraverit pervigilium.

§. XXXVII. De Diarrhæa in malignis admodum periculoſa, ſi non quotitianum foret, plurimas allegare hiſtorias poſſem. Perinde autem eſt, ſeu morbi culpa fiat, nimium aut intempeſtive exagitatis humoribus pravis: ſeu à refrigerio naſcatur, aut potu eſuque rerum incongruarum, uti ſunt muſtum, fructus horæi, atque ſimilia: ſeu à purgante ſumto excitetur. Rectiſſime igitur monet per multiplicem uſum edoctus Michaelis in *Prax. Chim. cap.* 17. purgatione vix interdum ante vigeſimum primum uti licere, ſi adhuc ferventia ſint ſymptomata, & in ſeq. Cap. 18. quando natura eſt in expulſione, neque clyſma præſcribendum eſſe, quia in verſum faciat naturæ motum.

§. XXXVIII. Idem agunt externe adhibere ſolita, præter refrigerentia, diſcutientia, ſcilicet & adſtringentia ac repellentia reliqua indebite applicata, quando materiam peccantem non eliminari ſed eam potius regurgitare faciunt ad interiora, denegato per cutis poros aut loca cætera excretionibus dicata exitu, prout ſuperius allegati caſus, plerumque triſtes, luculententer oſtendunt.

§. XXXIX. Quæritur interim, qua via regrediantur morbi, & quam ob rem modo capiti, modo pectori, modo viſceribus in abdomine contentis poſtmodum vim inferant ſæpe acerbiſſimam. Exiſtimo autem id fieri, vel per vaſa revehentia, ve-

mas & lymphatica, vel per poros partium. Iſte tranſitus magis naturali humorum motui ſimilior eſt, & materia peccante ad viſcera tenera redundante, peſſime facit; hic vero præternaturalis omnino atque inſuetus, minores noxas infert.

§. XL. Vicina loca ſi morbus petat, veroſimilius eſt per poros traduci humorum vitia. Sicut enim Eryſipelas, v. g. ſi tibiam occupet, ſumtoque diaphoretico aliquando ſe verſus pedem extremum extendat, facilius per poros quam vaſa tranſiiſſe videtur; ita nemo inficias ibit, ſi à retrograda capitis tinea contingat gutta ſerena, vel ulcus aurium, vitium juxta membranarum atque pororum ductum progredi aut ſuppreſſum ac coacervatum nervos corrumpere vicinos, partesque connexas.

§. XLI. Ubicunque vero ad remotiſſima viſcera malum revertitur, probabilius eſt, materiam peccantem acrem, tartaream, viſcidam, & ſi quæ alia macularum, exanthematum, tumorum, ulcerumve cauſa occurrit, per venas vel vaſa lymphatica refluere cum ſanguine ſerove. Quid enim pedibus œdematoſis cum pectore? manibus ſcabioſis cum capite? atque ſic porro. Certe in tali paſſu dubium non eſt, quin impuritates iterum ſanguini admixtæ, & extraordinariæ evacuationi per tuſſim humidam proxime idoneæ, circa pulmones quaſi figantur.

§. XLII. Neque credendum eſt abiiſſe materiam peccantem præciſe ad hoc vel illud viſcus unice, quanquam in aliquo præ ceteris noxam ſentiat ægrotus. Cur enim purpura, morbilli, vel variolæ, intacto liene ac hepate, renibus, ac inteſtinis, præciſe ad cor atque pulmones abeant, ratio apparet nulla, niſi ſtatuamus, primum impetum à reflua cum ſanguine veroſo materia heterogenea neceſſario petere partes illas vitales, adeoque ulterius non progredi vitium, quando commodam in cellulis pulmonum ſedem repererit. Quod ſane, ut non negaverim in totum, ita exiſtimo tamen & hoc fieri poſſe, ut moleſtiam percipiamus in quadam parte majorem atque notabilem, etiamſi corpus univerſum

eadem

eadem laboret intemperie, id quod scorbuticorum cephalalgia, pituitosorum asthma &c. clare ostendunt.

§. XLIII. Ut autem Semiotice quoque quædam de Morbo Retrogrado adjiciam, videamus primo, qua ratione cognosci queat, ut certi simus de affectu determinando; ac deinceps quid sperandum vel metuendum sit ratione durationis vel eventus. Si enim ullo in morbo utile aut necessarium est, contemplari non modo statum præsentem, sed & præterita, & quæ adhuc imminent futura, certe in retrogrado id maxime requiritur, si quis felices in cura progressus facere velit.

§. XLIV. Dignoscitur ergo Morbus Retrogradus ex eo potissimum, quod exterius remittente vel cessante priore affectu, intestina ægritudinis incommoda quis sentiat v. g. si rubor evanescat in rosa dolorque remittat, sed gravius reddatur pectus, difficiliusque spiret ægrotans, cum æstus interni symptomatibus, siti, ariditate faucium, aut vagis horroribus, &c. si tussis, post eruptionem morbillorum deficiens, denuo redeat cum anxietate circa præcordia. Si scabies aut ulcus desiccetur, ac interim quis male se habeat, absque manifesta causa.

§. XLV. Imprimis certiores esse possumus, si statim post morbi externi velocem & præcocem mutationem, supervenerit internum aliquod vitium. Si vero malum non nisi post decursum plurium dierum sentiatur, animadvertendum est probe, quo pacto defierit pristinus morbus: an quæ suspicio adsit vitii per repellentia introrsum acti: numquis error commissus sit ab ægro: & si quæ sunt similia. Talia namque nec jure dissimulabit patiens, si malum cesserit: nec ignorabunt, quibus cura infantum concredita est; atque ita Medicus informari poterit plenissime.

§. XLVI. Sed Prognosis vix unquam accepta erit, quia Morbus Retrogradus infallibiliter testatur de naturæ negligentia vel infirmitate præsenti. Sicuti enim bonum est signum juxta Hippocratem *Sect. 6. aph.* 25. Erysipelas (addo & reliqua exan-

thie-

themata) converti ab internis ad exteriora: ita vicissim ab externis ad interna converti malum est. Nempe turpius ejicitur ac difficilius, quem altera vice admisimus hostem.

§. XLVII. Aliqua nihilominus differentia hic admittenda videtur, quam non male Tilingius *de Recidiv. cap.* 16. *pag.* 298. his verbis declarat: quo, quæ præter naturam regurgitant, à statu naturali minus recedant inter benigniora partesq; interiores ad quas redundent ignobiliores, adeo symptomata remissiora sint, eo eventus salubrior, tempus brevius, motusque solutionis facilior ac celerior sperandus est: contra vero, quo eadem a statu naturali magis recedant h. e. vitiosiora aut maligniora partesque interiores, ad quas transeant, nobiliores, adeoque symptomata intensiora & graviora sint, eo quoque eventus magis lethalis, tempus longius, solutionisque modus & difficilior & tardior metuendus est. Interim in omni morbo, retrogressio est difficilior, quam ipse recta progrediens.

§. XLVIII. Supereſt ut nunc quoque de cura solicitus videam, quid facto sit opus, si quis morbus ad interiora reversus fuerit. Videntur autem tria consideratione præcipue digna in tali casu. Videlicet primo natura morbi primitivi, secundo reversionis causa, tertio damnum præsens inde oriundum. His applicandæ indicationes, ut repentinis, acutis, malignis, propera & solicita opera succurratur, cum Chronicis præceps medicatio minus quadrat: Causa si immanens sit, auferatur, & quæcunque sit, contrarium potius introducatur: Damno vero a retrogressa materia facto, aut futuro, ante omnia resistatur: Nec æque nova expulsio, quam intrinseca correctio aut consumtio directe intendatur. Illa enim difficillime, ubi perfecte retrocessit affectus, hæc multo promtius, obtinetur. Nisi enim hæc omnia examinentur probe, atque remedia inveniantur quantum possibile, his indicantibus æque sufficientia, frustra laborabit Medicus.

§. XLIX.

§. XLIX. Fingamus a refrigerio in Podagra natum Singultum, erit fortasse qui rationem antecedentis habens suum commendabit Arcanum Antipodagricum, Emplastrum Anodynum v. g. pedibus applicandum, alius ad causam occasionalem respiciens non dubitabit calefacere iterum pedes beneficio aquæ antapopl. vel fotu ex nervinis parato: alius Empiricorum more saltem statum præsentem seu malum quod sequitur advertens, stomachica procul dubio in usum vocabit. Verum enim vero talem medendi methodum nullatenus fuisse legitimam eventus docet.

§. L. Ante omnia igitur probe attendendum atque dispiciendum an morbus sit malignus an benignior, si prius Alexipharmaca sed temperata & specialem illam corruptionem quæ metuitur præoccupantia, omnino præscribenda veniunt, ut quantocyus malum expellatur, & corpus tantisper ab interna noxa arceatur; Ita enim omnibus satisfacimus indicationibus. Et quandoquidem Natura ipsa interdum debilitata admodum est, juvat analeptica etiam adhibere, unde mirum haud est, si vini potus modicus, ex Orci faucibus quandoque revocarit ægros. Nec errare poterit in hoc casu qui spirituosa temperata & corroborantia cum sudoriferis miscere voluerit; e.g. aquam cordial. Herc. Sax. aquam flor. aurant. cinam. cydon. bugloss. acac. & borr. aquam rosar. flor. tiliæ, rubi idæi ceras. nigror. lil. convall. melissæ &c.

§. LI. Huc etiam pertinent Essent. lign. al. ambr. myrrh. cinnam. Tinctur. corall. Solis confect. alkerm. &c. Præ cæteris autem hic laudem meretur lapis bezoar orientalis, utpote qui, si genuinus fuerit, ambrati quid revera sapit, redoletque tritus, adeoque cum lapidibus cancror. utplurimum marcido putridoque sapore præditis, nullatenus comparandus, sed in minori dosi magis efficax.

§. LII. Quod si suaveolentia ejusmodi recusent ægri, sicuti mulieres solent ad uteri affectus pronæ, adhibentur loco eorum potius salia volat. cum succino, myrrha, castoreoque &c. in exci-

tandis ſpiritibus torpidis efficacisſima: pro tenuioribus ſpiritus Busſii Bezoardicus rite paratus. Qui fortioribus & acrioribus delectantur, recipiunt liquor. CC. ſuccinatum, ſal vol. viperar. camphoram, ſpir. Ebor. eſſentif. atque ſimilia, cum ſpiritu lil. convall. angelicæ, cort. citr. vel quocunque theriacali.

§. LIII. Præripiunt autem reliquis diaphoreticis palmam, ſulphurea volatilia & acria, parvis tamen ſed repetitis doſibus offerenda, quando periculum in mora eſt. Non contemnenda tamen ſunt reliqua fixiora & minus ſapida, præſertim ſi ſanguinis æſtuatio vehementior adſit, qualia ſunt CC. ac Ebur uſtum, Cornu Alcis, & Rhinocerotis, Unicornu, Antimon. Diaphor. Antihect. Pot. Cinnab. Antimonii & nativa, fl. ſulphuris, Terra ſigill. Strigon. flava, & Lemnia. &c.

§. LIV. Speciatim ſi Hæmorrhagia intempeſtiva vel Diarrhæa concurrat, quis non uſta terrasque pingues præ cæteris eligat, quæ vim abſorbendi & adſtringendi inſimul poſident. Si vero acrimonia humorum inſignis adfuerit plus minus acida vel ſalſa, quis non eadem miſcebit cum partibus animalium duris, ungulis cornibusque, utpote quæ ratione particularum gelatinoſarum, quibus abundant, temperantium nomen omnino merentur, aut cum marinis oſtracodermis, matre perlarum aliisque conchyliis, quæ ſalſum præcipue optime imbibunt.

§. LV. In benignioribus morbis poſſumus ſimiliter pro ſcopo expellendi, abſorbendi, temperandi &c. modo nominata omnia exhibere; ſed in iis curandis majore uti libertate licebit. Qui enim Sudorifera in Morbis Retrogradis propinat, is equidem naturam juvat excitatque ac materiam peccantem motu contrario iterum ejicit, aſt non ſemper id agit quod agere debebat. Nam & fieri nonnunquam ſolet, ut eo ipſo, quo morbus ad interiora regreditur, magis commode ſubduci queat & evacuari per aliena loca, per alvum puta, vel cum lotio, vel etiam ſaliva.

§. LVI.

§. LVI. Quid impedit, quo minus e. g. pedum tumoribus œdematosis retroeuntibus, per Hydragoga expurgetur serum viscidius? Ita etiam eodem modo removebuntur, dyspnœa, tussis, & si quod aliud symptoma inde acciderit. Cum hujusmodi subjecta hydropica vix ac ne vix quidem ad sudorem disponi queant, etiamsi fortissima medicamenta exhibeantur, quis dubitet præscribere purgantia? vel etiam diuretica? si renes suo non satisfecerint officio.

§. LVII. Pariter in Podagra retrogressa, si corpus fuerit biliosum, nec Cholagoga contemnenda erunt. Si acidis humoribus refertum, Præcipitantia potius imperanda, si salsa prævaleat acrimonia, Temperantia in usum vocanda. Imo consultum est, aliquando inter hæc seligere Diuretica præ Diaphor. quotiescunque scilicet virium defectus largam sudoris profusionem dissuadet. Nihilominus præsentaneum sentiet æger levamen, quicquid etiam mali patiatur ex arthritide retroacta, si modo remedium directe vitioso humori fuerit oppositum.

§. LVIII. Interim in malignis & acutis, proter turgescentiam sanguinis: in Chronicis vero tanto magis ob vitium humorum, si Diaphoretica & Alexipharmaca sulphurea, calida, volatilia exhibere ames, à præcipiti regimine seu coacta exspectatione sudoris, temperandum est. Lenis vero mador, qui post talium usum, sub quieto tantum decubitu, & levi corporis opertura, emergit, per tempus paulo longius continuari meretur; atque ita insigne afferre levamen poterit. Reficiendus interim est patiens, tum per humectantia & potum sufficientem, tum per analeptica.

§. LIX. Nec opus est, ut bubo venereus, aut dolor fixus artuum in morbo Gallico, per impositionem unguenti emplastrive mercurialis, à fumo accensæ cinnabaris, aliove modo discussus, in pristinum restituatur statum. Quæcunque supervenerint symptomata, si modo per continuatum usum mercurialium & alvus

debite ſubducatur, & ſalivæ fluxus promoveatur lege artis, evaneſcunt felicisſime.

§. LX. Pauca hæc ſpeciminis loco adduxiſſe ſufficiat. Tibi L. B. integrum erit pro lubitu ſupplere quæ deſunt, vel emendare quæ minus accurate aut ad palatum dicta videbuntur. Pollicebor interim abs Te mihi veniam eo faciliorem, quo magis aſpera & inculta in hoc negotio via incedendum fuit.

DISPUTATIO XLI.

DE

RECIDIVA.

§. I.

REcidivæ, quam mihi tractandam propoſui, nomen alias uſitatum eſt ſatis, ortum a recido, ita, ut idem ſignificet ac rurſus cadens vel denuò accidens. Et quanquam adjectivum ſit ſua natura, non impedit tamen, quo minus loco ſubſtantivi adhibeatur; prout apud *Celſum lib.* 3. *cap.* 4. legimus, *Hippocrates, ſi alio die febris deſiiſſet*, Recidivam timere ſolitus; & apud *Plinium Nat. Hiſt. lib.* 30. *cap.* 11. qualiter & aliis febribus prodeſſe traditur: item lacerta viridis adalligata viva in eo vaſe quod capiat. Quo genere & Recidivas frequenter abigi affirmant. Quemadmodum enim febris dicta fuit Recidiva, ita etiam in alio quocunque morborum genere qui Recidivam nominat, ſubintelligendo ægritudinem, ſatis latine loquitur. Conf. *Ant. Muſæ comment. in Hipp. Aph. lib.* 2. 12. *p.* 164.

§. II.

§. II. Videlicet, quam in allegato loco pluribusq; aliis *Hippocrates* appellavit ὑποτροφὴν, vel ὑποτροπὴν, vide *Galeni Lexicon Hippocrat.* ὑποτροπιασμὸν ut in *Sect. 4. Aph. 36.* vel etiam παλίμβολον ſicuti *Popul. 6. Sect. 6.* eandem interpretes dixerunt Morbi reditum, e.g. Guil. Plantius *in Hipp. Aph. pag. m.* 151. vel converſionem aut reverſionem, reciprocationem item, & uſitatius Recidivam. Vid. Brun. *Lexicon Med. ſub titulo Hypotrope.*

§. III. Adhibetur autem Recidivæ nomen non uno ſemper modo ab omnibus; etenim proprie & ſtricte loquendo Recidiva dicitur, cum perfecte morbus quidem deſiit, ac nihilominus eundem hominem paulo poſt invadit denuo: laxiori tamen ſignificatione extenditur quandoque ad ægrum, qui melius ſe habet, remittentibus gravioribus ſymptomatibus, quamvis morbus perfecte non deſinat, ſi modo a ſtatu meliore ac reconvaleſcentiæ in deteriorem iterum labatur. Hinc enim orta eſt illa Recidivæ diſtinctio in propriam & impropriam, quam habet *Hier. Mercurialis in prælect. Piſan. pag.* 100. item in perfectam & imperfectam, de quibus Theoph. Bonetus *Anat. Pract. lib. 4. ſect. 1. obſ. 26. in ſchol. p.* 1426. nec non in legitimam & illegitimam. vid. *Matth. Tilingii Tract. Aur. de Recidivis p.* 106.

§. IV. Inde procul dubio nata eſt adeo multiplex Recidivæ definitio. Si Clariſſ. audiamus *Wedelium in Patholog. ſect. 1. cap. 8. p.* 154. *Recidiva eſt morbi a declinatione* recurſus in priorem vel deteriorem ſtatum, occurritque frequentiſſime in morbis non penitus exſtirpatis, ut radix non omnino deleta repullulat, ut flamma ſopita novis animatur flammis. Verum hoc pacto ſaltem illam deſcribit Recidivæ ſpeciem, quæ minus proprie ita dicitur, rectius morbum ingraveſcentem dicendam. Tilingius autem poſtquam plures alias recenſuit definitiones, has veluti accuratiores ſugerit *pag.* 15. *Recidiva* eſt ejusdem morbi reiteratio, qui paulo antea quievit a cauſa intrinſeca; ſeu ex vi morbi ſoluti prolapſus in eundem. Vel Recidiva eſt reditus ejusdem

morbi soluti ex toto, paulo antea in seipsum, ex vi morbi soluti.

§. V. Utraque illarum debetur D. Gaspar Bravoni de Sabrimante Ramirez, quippe qui primam *tom.* II. *Resp. ac Consult. Med part.* 4. *disp.* II. *de Purgant. rat. sect.* 3. *resol.* 16. *tradit:* alteram *in disput. de Morborum Recidiva, quam partis* 5. *sect.* 6. inseruit. Quamobrem vero hujus Autoris mentionem haud injiciat, miror, cum tamen modo allegatam disput. egregie suum in usum converterit, uti apparet ex collatione verborum statim initialium cum Tilingii *cap.* I.

Sectionis unicæ cum - - - - - - - - - - - *cap.* 2.
Resolut. 1. - - - - - - - - - - - - - *cap.* 3.
Resolut. 2. - - - - - - - - - - - - - *cap.* 4.
Resolut. 3. - - - - - - - - - - - - - *cap.* 7.
Resolut. 4. - - - - - - - - - - - - - *cap.* 8.
Resolut. 5. - - - - - - - - - - - - - *cap.* 18.
Resolut. 6. - - - - - - - - - - - - - *cap.* 6.
Resolut. 7. - - - - - - - - - - - - - *cap.* 17.
Resolut. 8. *& ult.* - - - - - - - - - - - *cap.* 20.

§. VI. Quicquid sit: meum jam non est aliorum perstringere labores, quanquam prior definitio nimis videatur angusta, quod Recidivam excludat à causa externa oriundam: reliquæ obscuriores ipso definito: surrogare igitur aliam placet ad hunc modum: *Recidiva est morbus, hominem vix inde liberatum denuo invadens.*

§. VII. Genus in hac definitione morbus est, quo nomine complector non tantum morbos sensu veterum ita dictos intemperiei, occultarum qualitatum, compositionis, conformationis, numeri, magnitudinis & solutæ unitatis, sed quicquid in genere præ-

præter naturam homini accidit, unde quis æger dicatur; ὅτι γὰρ ἐν λυπέῃ ἢ ἄνθρωπον, τῦτο καλέεται νέσῳ, ex sententia Hippocratis *de flat.* II. 8.

§. VIII. Hac ratione solvitur non difficulter dubium illud quod *Bravo resol.* I. & ex eo Tilingius cap. 3. movet: utrum apud medicos Recidiva solius morbi reditum significet. Scilicet non dubitandum, si sub titulo morbi comprehendamus cuncta p. n. accidentia, à Galenicis dicta symptomata, læsarum actionum, facultatis naturalis, vitalis & animalis &c. Nam & Hippocrates non uno in loco Abscessus, tumores palpebrarum, aurium suppurationes, tremores atque similia, è classe morborum stricte dictorum juxta rigoriores Galenicos excludenda, vocat ὑποσροφώδεα, de quibus modo allegati Autores videri possunt.

§. IX. Quod ad differentiam in definitione adjectam, desumpta est illa partim a subjecto. Dum enim hominem nomino in singulari, apparet Recidivam locum non habere, nisi eodem in subjecto; atque ideo, si quis morbus Epidemicus ad tempus desinat, iterumque civitatem eandem pagumve aggrediatur, recidiva non est, nisi eundem virum, v. g. repetat pestis, dysenteria denuo grassata.

§. X. Præsupponitur autem ubique, morbum prima vice finitum esse ac desiisse, vel perfecte, ita, ut recuperatis viribus ne vestigium quidem ægritudinis supersit: vel imperfecte, ubi reliquiæ adhuc quædam notantur; e. g. lassitudo, inappetentia & similia post febrem. Saltem primarium affectum cessasse oportet; alioquin non Recidiva dicitur, sed recrudescere malum.

§. XI. Id nimirum exprimitur in definitione per *liberatum*. Eoque ipso insinuatur differentia inter Recidivam & repetitas febrium intermittentium invasiones sive paroxysmos, ut & continuarum excandescentias. Quanquam enim in his calor febrilis interdum remittat, in illis aliquandiu intermittat, ordinarie tamen recurrit usque, donec a febre liberetur æger.

§. XII.

§. XII. Enimvero intervallum illud temporis quod inter morbum primarium & recidivam notatur, non ſemper idem eſt: Videlicet brevius utplurimum, quando elapſis aliquot ſeptimanis, imo diebus etiam paucis in eandem ægritudinem incidit miſer: quod in definitione per voculam *vix* indigitare volui. Quandoque vero ad aliquot menſes extenditur, ne dicam annos, id quod exempla docent eorum, qui a canis rabidi morſu curati, virulentiam ejus diutiſſime occultarunt, donec ſe rurſus exeruerit majore cum periculo; de quibus videatur *Schenckius obſ. Med. L. 7. Obſ. 12. p.* 849.

§. XIII. Ulterius dum morbum in Recidivæ definitione denuo invadentem nominavi, eo ipſo reſpexi ad poſtremum illud requiſitum modo examinandum. Ut enim recidiva dicatur, neceſſum eſt eundem hominem, eodem morbo, ſed aliquandiu ceſſante, affici de novo. Ejusdem ſcilicet naturæ cum priori eſſe poſterior debet, ac ſi Tertiana v. g. ſuccedat Tertianæ; nam ſi diverſæ fuerit naturæ, ut ſi Quartana excipiat Tertianam, duo morbi ſunt aperte & permutatio morbi eſt, non recidiva, judice *Fr. Valeſio lib.* 10. *controverſ. Med. cap.* 5 *p.* 399.

§. XIV. Nam & inde dubium obortum eſt inter Autores, an non Recidiva pro parte poſteriori morbi prioris habenda ſit, ut non pro diſtincto, ſed eodem omnino reputetur, vid. *Ant. Muſ. Braſſavolum comment. in Hipp. l.* 2. *Aph.* 12. *p.* 165. ubi ſatis ingenioſe reſpondet, *eſſe recidivam cum radice ſua eandem ſpecie*, ſed non eandem numero, i. e. recidivam neceſſario ſimilem eſſe priori morbo, nil tamen obſtare, quo minus pro peculiari ac diſtincto habeatur.

§. XV. Ubi tamen notandum ſimilitudinem illam non nimis rigide ſumendam & ad quævis ſympromata extendendam eſſe ubique, ſed ſufficere, ſi modo morbi idem fuerit genus. Exiſtit enim recidivarum varietas non levis, ſi advertamus, nunc quidem eas ex toto ſimiles eſſe priori morbo, ita, ut eadem quoque

que accidentia insimul occurrant: interdum vel deteriores, quando graviora etiam symptomata superveniunt: vel meliores quodammodo, ubi mitior sequitur morbus.

§. XVI. Æqualem præcedaneo morbo recidivam frequentius experiuntur icterici, quartanarii, & in genere qui malo quodam habituali crebrius redeunte vexantur; nec enim aliter differt morbus habitualis a recidivo, quam gradu, ita, ut crebrius recurrens tandem habitualis fiat. Ad hunc modum cernimus tota die data leviſſima occaſione redire colicam, cephalalgiam, podagram, epilepſiam, eryſipelas &c. imo & ipſam conſuetudinem ſufficere, ut priſtinum recurrat malum, e. g. in vomitu ſanguinis menſtruo de quo videri poſſunt *Miſcell. Curioſ. Dec. I. Ann. I. obſ.* 95.

§. XVII. Gravior autem recidiva eſt non raro; quod enim de hydrope *Hippocrates in Coacis prænot. p. m.* 567. aſſerit, eum deſperatum eſſe, ſi poſt curationem recurrat, id Trajano atque Hadriano quondam contigiſſe narrat *Hieron. Mercurialis in præleƈt. Piſ. hiſt.* 3. *pag.* 27. idem adhuc hodie notatur in pluribus, non hydrope modo, ſed vario morborum genere afflictis; ut parum abſit, quin recidivam omnem habeant pro magis periculoſa, quam radicem ſeu morbum priorem, *qui Avicennam lib.* 4. *Fen.* 1. *Tr.* 4. *cap.* 20. *& lib.* 4. *Fen.* 2. *Tr.* 1. *cap.* 95. ſequuntur. Verum de hac re inferius dicendum.

§. XVIII. Mitiorem potius recidivam nonnunquam dari, autor eſt ipſe Hippocrates quatenus in Epid. Sect. 3. p. m. 675. Herophontem a febre acuta liberatum rurſus incidiſſe in eandem febrem, non deliraſſe tamen in recidiva, memorat. Idem exemplo Chærionis aliisque pluribus probare poſſem, ſi neceſſe foret.

§. XIX. Videamus jam cauſas recidivam producentes, quarum aliæ ſunt externæ magis, quædam internæ. Externæ nominari poſſunt, aëris inclementia, error in diæta, & quic-

quid animi pathemata movent, aut corpus extrinsecus afficit ullo modo.

§. XX. Aëris culpa redeunt morbi si nimirum vel frigidus nimium aut calidus, vel nebulosus aut minus temperatus fuerit. Ita notissimum est perniones tempore hyberno irritari denuo: febres intermittentes recrudescere facillime, si quis inde restitutus loca visitet frigidiora, templum, cellas subterraneas, flumina &c. Maniam autem in diebus canicularibus metuendam esse iis, qui ab ea liberati sunt. Unde ὧραι φλυκτόδροφοι non immerito dicuntur *Hippocr. nostro de Humor. VII. p.* 323.

§. XXI. Errore diætæ fieri recidivas iterum nullum est dubium. Satis id restatur exemplum Parii, quod idem *Cous Popular. III p.* 729. refert. Cum enim ex acuta febre surgeret, cibisque multis pravisque uteretur, tandem eadem interiit. Confer. *Miscell. Nat. Cur. Dec.* I. *Ann.* 6. & 7. *observ.* 161. Nisi proinde quantitatis æque ac qualitatis assumtorum in genere, cibi scilicet atque potus habeatur ratio, convalescens incautus recidivam patitur festinanter secundum Arn. *Villanovan. parab. Medic. Doctr.* 7. *cap.* I. *Aph.* 5. *p.* 1034.

§. XXII. Quid animi pathemata valeant in suscitandis morbis, quotidiana similiter docet experientia. Frequentissime autem a terrore vel excandescentia id notamus, quippe qui duo affectus præ cæteris hominem vehementius commovent. Vidimus inquit Clar. Wedelius in *Pathol. Med. Dogm. p.* 154. a crisi quoque per sudorem perfecte repetentem febrem ab ira lethalem. Ut taceam, alios exinde podagram, vel calculum, vel erysipelas sibi contrahere, quotiescunque ira vel terror eos prehendit.

§. XXIII. Verum quæcunque tandem fuerint externæ causæ, non videntur sufficientes, nisi causa concurrat interna, quæ occasione data pristinum resuscitat malum. Nam & sola nonnunquam interna recidivam producit absque interveniente aliqua externa: hæc vero sine interna nil valet. Certo igitur respectu mor-

morbus primitivus & recidivus qui sequitur habent unam eandemque causam, uti *Zachias in quæst. Med. Legal. lib. 1. Tit. 4. quæst. 7, 11, & 28.* affirmat; nondum tamen sequitur, ergo adveniente nova causa morbus non erit recidivus; quoniam supervenire potest, antequam prior fuerit extincta penitus.

§. XXIV. Nimirum triplex in corpore superesse solet vitium, quod vel sua sponte iterum in recidivam abit, vel maxime tum temporis quando causa quædam occasionalis accedit, & quasi scintillas morbi latentes excitat. Aut enim in visceribus partibusque solidis hæret malum: aut in sanguine cæterisque humoribus: aut certe in spiritibus.

§. XXV. Solidarum partium culpa contingunt recidivæ quotiescunque reliquiæ superfunt materiæ peccantis, obruentis quodammodo glandularum, viscerumve poros, quemadmodum recidivam v. g. lethalem ex parotide imperfecte curata refert *Rasis libr. de mirab. caus.* pleuritidem a casu ortam tertium redeuntem *Tulpius lib. 2. cap. 9.* item, si quæ pars exulcerata non fuerit consolidata debite: hanc ob causam fistula clausa rursus aperitur juxta *Panaroli pent. 2. obs. 13.* vomitus recidivi frequenter affligunt eos, qui ab elleboro sumpto rubicunda seu cruenta evomuerunt, teste *Hippocrate in coac. prænot. 4. p. m. 579.* pariter si fibræ ab extensione violenta nimis laxentur, aut atoniam a frigore aliove pacto contrahant; ita enim cernimus quotidie membrum luxatum ob ligamentorum infirmitatem levi ex causa iterum dislocari, ani procidentiam herniamque repositam prorumpere crebrius, atque sic porro.

§. XXVI. Sanguinis humorumque vitio fiunt recidivæ, quando visciditas, serositas, acrimonia, impuritas eorum non satis corrigitur, e. g. in ictero, hydrope, arthritide, lue venerea &c. si enim ejusmodi malum haud eradicetur penitus, renascitur indesinenter more urticarum. Confer. *Brendelii cons. 78. Marcelli*

Donati hiſtor. mirab. lib. 4. *c.* 21. *obſ.* 133. *Fernelii Tr. de Abdit. rer. cauſ. lib.* 2. *c.* 14.

§. XXVII. Verum vitio ſpirituum redit morbus non modo ſi defecerint, ut natura infirmior ac debilitata ex graviori affectu vix leviſſimas alterationes impune ſuſtinere queat, quamobrem debiles & incauti promptiſſime recidivam patiuntur juxta Villanovani *parab. Med. doctr.* 7. *c.* 2. *Aph.* 1. ſed maxime, quando idea morboſa, quæ ſupereſt, ſeu fortior impreſſio phantaſtica hominem diſponit ad melancholiam, maniam, epilepſiam, febrem &c.

§. XXVIII. Imprimis videtur morbus latitaſſe idealiter in corpore, ſi quis certo ac ſtatuto tempore ordinarie recurrit, quamvis non accedat notabilis aliqua occaſio eundem rurſus excitans. Exempli gratia, virgo, quæ 6 Maii venenum hauſerat, eadem die quotannis anxietatem cordis ac ſyncopen paſſa eſt, vid. *Miſcell. Nat. cur. dec.* 1. *ann.* 4. *obſ.* 127. Puer octavo quoque die & eadem fere hora in eundem ſemper horrorem cum clamore incidit, quem primum paſſus erat a terrore, juxta *Ant. Benivenium de abdit. morb. cauſ. cap.* 63.

§. XXIX. Rectiſſime igitur dixit *Hippocrates ſect.* 2. *Aph.* 12. & *popular.* 11. *ſect.* 3. 72. & 4. *ſect.* 18. 20. Quæ relinquuntur in morbis poſt judicationem, recidivas facere ſolent. Relinquuntur enim non ſolum humores pravi, ſed & vitia partium ſolidarum ac diſpoſitio morboſa ſpirituum ſeu propenſio in morbum, quæ omnia, ſi præſertim concurrant, vel etiam a ſuperveniente occaſionali cauſa denuo roborentur, non difficulter priſtinum provocare morbum valent.

§. XXX. Quotiescunque nimirum febris aliuſve affectus deſinit, ſed ita, ut laſſitudo ſuperſit continua, vel ſitis aut faſtidium cibi potuſve, vel dolor ventriculi, capitis, alteriuſve membri, ſomnus item turbulentus, aut nullus, aut nimius etiam. Verbo, quamdiu morbus perfecte ſolutus haud eſt, roburque priſtinum naturæ

naturæ non omnino rediit, nemo ſecurus a recidiva eſſe poteſt. *Vid. Hipp. de judicat. 9. p. m. 444. Avicennam lib. 4. Fen. 2. tr. 1. cap. 96. Vidum Vidium de feb. l. 3. c. 10. p. m. 254.*

§. XXXI. Si vero recidiva jamjam acciderit, nullo etiam negotio cognoſcitur ab ægro, aut quicunque alio, etiamſi minus peritus fuerit in arte medica. Sufficit enim vel ſola reminiſcentia eorum quæ antehac p. n. infeſtarunt hominem, tam circa invaſionem primam & Incrementum mali, quam circa ſtatum vel declinationem etiam. Imprimis ſi per omnia priori ægritudini ſimilis fuerit, recidivarum difficultas nulla erit: quod ſi autem vel gravior quodammodo fuerit, vel mitior, poſthabitis ſymptomatibus nihilominus res deciſa eſt, ſi modo ipſum advertamus morbi genus.

§. XXXII. Majores requiruntur ad rite formandam prognoſin cautelæ. Nec enim ſimpliciter aſſerendum, recidivam ſemper pejorem eſſe radice ſua, ſeu morbo primario; quorſum inclinant non pauci *Avicennam* ſecuti. Ita enim *Jonſtonius ſyntagm. pag. 456. Omnes recidivæ, quocunque modo fiant, malæ.* Crediderim tamen aliquando etiam fieri, ut recidiva tanquam minus malum præ majori malo eligatur ac optetur ab ægro.

§. XXXIII. Memini me antehac vidiſſe puellam gutta ſerena per aliquot ſeptimanas occæcatam penitus, meo conſilio favente divina gratia unice reſtitutam fuiſſe per expellentia, poſtquam cognovi malum paulo poſt curatam tineam capitis traxiſſe ortum. Quis vero hujus recidivam dixerit malam, utpote quæ poſt uſum remediorum ſecuta, cæcitatem omnem perfecte abſtulit.

§. XXXIV. Sic hemiplegiam notavimus enatam non ſemel in podagra, quando ab intempeſtive applicatis externis ea retropulſa fuit, ſublatam iterum, quam primum ſufficienter expelleretur malum, dolorque rediret artuum. Ita palindromen ſeu

retroceſſionem humorum peccantium optime ac frequentiſſime ſolvit recidiva ſalubrior.

§. XXXV. Et quemadmodum recidiva laudabilis eſt ac exoptata, ſi ex graviore morbo liberet hominem; ita minus periculi metuendum erit ab ea, ſi & ipſe morbus primarius tanti momenti haud fuerit. Verbi gratia, ſi quem coryza vel ſcabies iterum prehendat, poſtquam ſeſe vix inde liberavit miſer: interim non diffiteor moleſtiam hinc natam revera ingeminari, quanquam absque periculo, majore tamen cum tædio, præſertim ſi cui diſplicet medicaminum uſum continuare, ſumtusque facere ulteriores.

§. XXXVI. Erit autem ad minimum dubia & anceps recidiva, quamdiu ex utraque parte ſigna & ſperandæ ſalutis & mortis imminentis concurrunt. Quamvis enim vehementius ægrotum affligat morbus aliquis, nondum tamen animum abjicere licet, quandiu vires adhuc ſufficiunt. Spem profecto haud contemnendam facit, ſemel ſuperaſſe hoſtem: quid impedit morbum, quem natura profligavit, ſimiliter propelli altera vice? Sed metus etiam eſt, ne viribus abſumtis fortaſſe in conflictu occumbat æger. Eventus igitur ambiguus erit in tali paſſu.

§. XXXVII. Summe vero periculoſum eſt, ſi gravior morbus majore cum impetu hominem rurſus invadit, qui plane proſtratis eſt viribus, cujus viſcera corrupta ſunt, ubi perpetua vigilia ac inquietudo, cum faſtidio alimentorum. Quandocunque ſcilicet nec morbo remedium opponere ullum, nec ægro auxilium ferre licet, neceſſum eſt tandem interire illum, niſi fortaſſe modo extraordinario eum ſervarit Omnipotens.

§. XXXVIII. Ordinaria namque cura recidivæ fere talis exiſtit, alia præſervatoria nimirum, dum imminet, alia curatoria, dum jamjam acciderit. Utrinque ratio habenda eſt & virium à morbo præcedaneo plus minus fractarum, & vitii quod ab eo relictum adhuc ſupereſt. Itaque pro rei exigentia nunc diætetica inſtitu-

ſtituenda cura erit, nunc pharmaceutica, vel etiam chirurgica. Videamus ſingula.

§. XXXIX. Diætetica primo loco nominari meretur, vel ideo, quod robur vitale utplurimum amiſſum non alio pacto felicius recuperetur, quam ſi diætæ regulas obſervemus ſtricte. Cum enim debiles ex morbo ilico afficiantur a levi quadam occaſione, quam alias natura robuſtior toleraret impune, itaque ante omnia videtur ſumme neceſſarius corroborantium uſus, inprimis præſervationis gratia.

§. XL. Quid proinde convenientius eſſe poterit vino? a cujus uſu ventriculi pariter ac totius corporis robur egregie intenditur. Verum & hic opus eſt cautione. Quidſi enim vel bilis acrior, aut humor acidus pravusque in primis hæreat viis; tum profecto metuendum, ne cum generoſiore potu ad ſanguineam abripiatur maſſam. Notum eſt eam ob cauſam vinum interdici epilepticis, monente Sennerto, Sorbait aliisque pluribus. Et quanquam vinum præ cæteris cor exhilarare dicatur, certum tamen eſt lienoſos & hypochondriacos magis hinc lædi; nam & a vini fortioris potu melancholicum curatum incidiſſe in maniam teſtatur *Miſc. Nat. Cur. dec.* 1. *Ann.* 2. *obſ.* 151.

§. XLI. Propterea cunctis promiſcue talem præmittere, aut imperare potum, minus videtur commodum; ſed poſitis certis circumſtantiis. Nam & in iis, qui natura calidiores aut proclives ſunt ad febres ardentes, cephalalgiam, hæmorrhagias raro ſalubris obſervatur vini uſus. Tanto magis abſtinendum erit, ſi recidiva ejusmodi vel immineat, vel actu adſit; etiamſi virium defectus analepticum poſtulet.

§. XLII. Nec minorem cibi merentur animadverſionem, tum ratione quantitatis, tum qualitatis. Nimiam ſane repletionem non raro recidivæ cauſam dediſſe conſtat per experientiam; ſicuti *Hoeferus in Herc. Med. lib.* 6. *c.* 2. inter alia refert, *Anno* 1632. *& ſeqq.* cum Ingolſtadii febris maligna graſſaretur epidemice, omnes,

mnes, qui ex ea convaleſcentes plus juſto comederunt, & propterea recidivam paſſi ſunt, nunquam evaſiſſe. Quoniam enim natura infirmior, ſi ventriculus nimium obruatur, digeſtionem abſolvere, nedum inchoare audet, naſcuntur cruditates difficulter corrigendæ. Adeo verum eſt illud *Hippocratis Lib. 2. aph.* 10. Corpora impura quo plus nutries, hoc magis lædes.

§. XLIII. Præcipue ad qualitatem alimentorum attendendum eſt. Quæ temperata ſunt, equidem permitti pene omnibus nil vetat: aſt quæ ſapore notabili gaudent, dulci, acido, ſalſo, acri, amaro, non æque. Tota profecto die notamus redire febres, paſſiones hyſtericas, diarrhœam, colicam &c. poſt abuſum ſaccharatorum, acetariorum, fructuum horæorum ſimiliumque; cum tamen aliis ne obſit quidem, imo etiam proſit.

§. XLIV. Sit ergo diæta cuivis conveniens; ac imprimis notetur, quorſum inclinet homo, ut ab eo defendatur ac præſervetur debite. Læduntur nempe a dulcibus acidisque modo dictis, quotquot acidum humorem in primis viis alunt: juvantur iisdem bilioſi non ſemel. E contrario amara, e. g. cereviſia lupulata, quæ his nociva ſunt, conveniunt illis egregie. Quid? quod lactis etiam potus non paucos lædit, quotiescunque ab acido concurrente coagulatur. Ut pinguium noxam taceam, aliaque quotidie obvia. Optime proin *Galenus Lib.* 1. *de diebus decret.* docet inſtituta debita victus ratione recidivam evitari, quæ poſt imperfectam judicationem inſtat.

§. XLV. Idem judicandum de aëre. Vidimus ſane nonnullos recidivam intermittentium febrium ſuſtuliſſe hoc ſaltem pacto, quod ante invaſionem expatiarent in aërem liberiorem, corpusque diſponerent ad ſudorem blandum; viciſſim pleuritidem curatam toties recruduiſſe, quoties incauti prodirent in publicum. Et quandoquidem alii frigore, alii æſtu potius affliguntur, danda eſt opera, ut ſuum tribuatur cuique,

§. XLVI.

§. XLVI. Eodem pacto motus & quies distribuenda sunt. Vulgatissimum equidem est abstinentia & quiete multos gravissimos quoque morbos curari; sed qui ad omnes id applicat, itidem errat. Quemadmodum enim nec famem sine damno tolerant, quibus acidum abundat: ita nec quietem lienosi atque hypochondriaci. Ast nec motus cunctis imperandus vel permittendus. Saltem *jubente Hippocrate de intern. Affect. 9. p.* 207. qui a gravioris ponderis elevatione ruptus aut luxatus fuerit, quietam aliquandiu vitam degere debet. Si quid enim laborarit, & aut currum aut equum ascenderit, aut humeros oneri subdiderit, periclitabitur, ne rursus morbus recidivam faciat.

§. XLVII. Abstinendum similiter erit a vigiliis diuturnis, a Veneris abusu & omnibus quæ vires minuunt: præprimis cavendum ab affectibus animi, curis, mærore, ira, terrore, atque sic porro. Exagitant enim spiritus, rapiuntque in motus inordinatos; unde appetitus digestionesque turbantur, & consequenter tollendæ recidivæ impar fit natura; cum tamen ab hac sola cunctarum ægritudinum medela exspectanda veniat.

§. XLVIII. Quemadmodum vero in cura diætetica id potissimum agimus, ut vires restituamus ægro, aut saltem conservemus quantum possibile, ac præcaveamus, ne humores forte peccantes augeantur; ita pharmaceutica nec non chirurgica plus valet in tollenda causa morbifica seu vitiis a morbo pristino relictis, quacunque in corporis parte illa hæreant.

§. XLIX. Enimvero nullum est dubium, quin officinæ nostræ analeptica quoque suggerant sufficientissima; quoniam autem ejusdem dignitatis sunt cum iis, quæ diæta suggerit, non opus est, ut ulterius de iisdem verba faciam. Generosiora & summa necessaria evacuantia videntur potius desiderari, præsertim cum constet, ut plurimum morbos, si per specifica, e. g. quartana per corticem quinquinæ, extinguatur, antequam humores pravi suf-

ficienter evacuati vel correcti fuerint, communiter post se recidivam trahere.

§. L. Conducunt nempe purgantia, quotiescunque finito morbo appetitus non redit, vel fastidium carnium supereſt, aut cerevisiæ alias consuetæ potio ingrata est palato: in genere si constet ventriculum a bile, pituita similibusque pravis humoribus obsessum esse. Nihil refert, utrum ejusmodi materia peccans relicta sit in corpore tanquam causa morbifica, an vero ut productum morbosum; siquidem omne id, quod vires ulla ratione lædit, recidivam suscitare valet, quamdiu idea morbi, e.g. dispositio febrilis penitus extincta non est.

§. LI. Ponamus autem appetitum satis validum, imo etiam nimium contingere in recidiva, v. g. quartanæ; ac nihilominus corpus contabescere; tum crediderim abstinendum potius a purgantibus esse & horum loco præcipitantia in usum vocanda. Peccat enim in tali passu ordinarie acidum, quod equidem notante *F. de le Boe Sylvio prax. T. 1. cap. 2. & 27.* vix evacuatur commode, sed rectius corrigitur per martialia, lapidosa, aquea, & absorbentia cæterea.

§. LII. Nam & alterantia omnis generis utiliſſima sunt, si ægrorum vires in recidiva, aut exanthemata maligna aut aliæ quædam circumstantiæ purgantis usum prohibeant. Quid? quod tamdiu abstinere ab evacuantibus, quamdiu alterantia sufficiunt, sane ratio suadet, imo jubet, ubi robori vitali, jamjam debilitato, ut in recidivis, parcendum. Nisi enim abundantia humorum urgeat, quid impedit bilem etiam atque pituitam per aquea, acidulata Salsa & similia appropriata dilui, corrigi, abstergi, salvis ægrotantium viribus.

§. LIII. De reliquis humorum vitiis par esto judicium. Serositas quidem per incrassantia emendatur, atque si opus per diaphoretica & diuretica imminuitur egregie, ut hydragogis fortioribus carere queamus haud raro. Acrimonia itidem per tempe-

ran-

rantia obtunditur optime: impuritas tollitur per Mercurialia etiam ad ptyalismum usque continuanda sanguinemque depurantia specifice huic illive adversa.

§. LIV. Quandoquidem vero humorum culpa non semper recidivæ fiunt, uti ex *Galeno appositè notavit Argenterius l. 3. de morb. diff. cap. 9.* sed potius recidivarum causa omnibus communis ipsa est morbosa dispositio, quæ sublato morbo adhuc residet; satis apparet nec ubivis evacuandum esse temere, nec modo dictis alterantibus inhærendum simpliciter. Requirunt enim præterea solidarum, spirituumque vitia quædam adhuc peculiaria.

§. LV. Solidarum vitia, quæ ad recidivam disponunt, sunt frequentius obstructio, vel exulceratio, vel atonia. Obstructio igitur indicat remedia aperientia, sed cum laxantibus combinanda, nisi velimus materiam peccantem ex una parte, v. g. liene propellere in epar aut dispergere per universum corpus. Quo nomine sese præ cæteris commendant acidulæ, optimum in obstructis viscеribus remedium, si modo cum judicio potus earum instituatur.

§. LVI. Si exulceratio partem aliquam occupaverit, in usum vocanda erunt balsamica. Fieri enim potest in phthisi v. g. ut hæmoptysis aliquandiu cesset, usque dum pulmo a tussi vehementiori aut sanguinis massa motu corporis animive immoderato agitetur; quemadmodum in ulceribus tibiarum aut fonticulis notamus ordinarie saniem plus minus copiosam, interdum autem sanguinem prodire, quando irritantur. Continuandus idcirco tamdiu est usus vulnerariorum, donec certiores simus perfectæ sanationis.

§. LVII. Adversus atoniam sive dispositionem paralyticam conveniunt nervina, fotus & balnea è plantis fragrantioribus, vel etiam formicis paratæ. Præ cæteris thermæ laudem hic merentur egregiam, calorem nativum blande suscitantes; id quod tum maxime desideratur, quando intensum frigus partem ali-

quam enervaſſe notatur. Vide paſſim *Jul. Cæſ. Claudin. in paradox. med.*

§. LVIII. Quod ad ſpirituum vitia, non opus eſt, ut prolixe jam commendem analeptica in illorum defectione, utpote quorum jam ſupra mentio facta eſt, ubi de cura diætetica. Cumque modo dictum ſit de nervinis excitantibus torpidos ſpiritus, facile itidem ſupersedere poſſum iterandis eorum laudibus. Merentur autem hypnotica ſeu ſedantia ſpiritus commemorari, tanquam ſumme neceſſaria, quandocunque agrypnia & inquietudo continua melancholicis & maniacis inſultibus anſam præbet. Vetus eſt, croco peculiares competere vires lætificandi. Nec fruſtra obſervavimus collo melancholicæ appenſam ejus portionem in ſacculo; quamprimum enim ſomnus rediit, anxietas illa incredibilis ceſſare viſa eſt.

§. LIX. Sed peſſimum arbitror, ſi quæ idea morboſa fortius impreſſa ſpiritibus recidivam foveat. Nam & ejusmodi prava conſuetudo eſt quaſi altera natura, quam etſi expellas operoſe, tamen usque recurrit. Oportet igitur omnem laborem collocare in eo, ut ſpir. divertantur, aut potius in contrariam rapiantur partem; e. g. meticuloſi diſponendi ſunt ad ſecuritatem: melancholici ad hilaritatem: iracundi ad manſuetudinem &c. Quod cum fieri per medicamenta non æque poſſit, fiat aliis quibuscunque modis; etenim fiducia in medicum aut amuletum, converſatio cum honeſtis atque ſimilia corrigunt, quod intacta relinquunt pharmaca etiam optima.

§. LX. Non contemnenda interim chirurgica ſunt præſidia. Speciatim V. S. quemadmodum a gravioribus morbis ad minimum palliative liberat plures, ita in recidivis frequentius optato cum ſucceſſu adminiſtratur, præcipue ſi plethora concurrat, aut alias conſuetam ſanguinis miſſionem neglexerint ægri. Videatur *Schenkius obſ. med. lib. 1. de Melanchol. cur. obſ. 1. p. 134.*

§. LXI. Quid de cauteriis dicam, pedibus, brachiis, nuchæ

vel

vel ipſi etiam capiti applicandis? adverſus apoplexiæ, epilepſiæ, catarrhi ſuffocativi recidivas præſervatoria multis expertiſſima. Habent enim vim evacuandi perpetuam e ſanguine, adeoque iis neceſſaria ſunt, qui medicamentorum internorum uſum abhorrent: utliora tamen his qui externa ejuſmodi præſidia cum internis methodice connectunt.

§. LXII. Sufficiant hæc; ad ſpecialiora enim deſcendere præſentis inſtituti ratio jam non permittit. Nec animus unquam fuit tradere omnium, quos nominavi, morborum curam abſolutam, ſed advertere ſaltem recidivarum cauſas & quicquid in iis abigendis notatu dignius viſum eſt. Quæ paucula ut Benevolus Lector in bonam interpretari partem defectusque omnes ſupplere haud gravatim velit, obnixe peto.

DISPUTATIO XLII.

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

EST ſane tanta febrium varietas, ut qui omnia in ſingulis febricitantibus obvia notare velit, maris guttas numerare, id eſt, rem omnino infinitam emetiri videatur. Utut enim ab artis noſtræ primordiis ad hæc usque tempora non deficiant, qui obſervationes pene innumeras de iis collegerint, cumque publico communicarint; nondum tamen totum exhaurire licuit negotium, quin adhuc plura ſuperaddi queant quotidie. Tantum vero abeſt ab illa multitudine & anomalia febri-

um nos confundi vel deterreri, ut potius easdem intimiùs perſcrutari gaúdeamus, pulchra exiſtimantes, quæ ardua ſunt. Cumque intermittentes præ cæteris frequentius occurrant, anſam nobis dederunt easdem paulo accuratius examinandi; quod an ex voto præſtitum ſit, Tibi Lector Benevole judicandum relinquimus. Siſtimus autem Tibi meditationes noſtras quatuor capitibus diviſas: Primum Hiſtoriam Febrium Intermittentium, Alterum earum ſedem, Tertium cauſas, Quartum Curam tradit. Deus T. O. M. adſit noſtro conatui, eidemque benedicat ex alto.

CAPUT I.
Continens Febrium intermittentium Hiſtoriam.

§. 1.

QVæ communiter numerantur febres, ad tres in univerſum claſſes redigi poſſunt commode. Prima ſit continentium, quæ unico curſu ſine ulla exacerbatione & remiſſione abſolvuntur: altera continuarum, quæ continuo quidem durant, per intervalla tamen exacerbantur & remittunt; tertia intermittentium quæ periodice deſinunt iterumque redeunt.

§. 2. Sepoſitis reliquis, ultimam ſaltem hac vice claſſem conſiderabimus, in qua plurima intermittentium genera occurrunt, nempe quotidiana, cujus paroxyſmus omni die redit; Tertiana cujus paroxyſmus tertio; quartana, cujus paroxyſmus quarto die recurrit. Atque hæ febres ſatis frequentes ſunt: rariores ſunt quintana, ſextana, ſeptimana, octana, nonana, decimana, quando febris, quinto, ſexto, ſeptimo, octavo, nono vel decimo die redit: ſimili-

ter

ter & menſtrua, quæ ſingulis menſibus, & annua, quæ certo anni tempore redit. Egregia harum febrium exempla vide in Schenckii *Obſerv. fol. 746. ſeqq.*

§. 3. Deinde quoque duplicantur & quandoque triplicantur, iſtæ febres. Quotidiana duplex dicitur, ſi quovis die (i. e. ſpatio 24 horarum) duo paroxyſmi accidant; triplex, ſi quovis die tres paroxyſmi obſerventur.

§. 4. Tertiana duplex vocatur, non modo ſi tertia quavis die duplex paroxyſmus accidat, ſed &, ſi quando intercalares febre corripiantur fere ad modum quotidianarum. Diſtinguuntur autem hæ ipſæ à tertianis duplicatis hoc pacto: Paroxysmi quotidianarum omnes inter ſe conveniunt, aſt Tertianæ duplicatæ paroxyſmo primo non reſpondet ſecundus ſed tertius, ſecundo quartus, tertio quintus, quarto ſextus, atque ſic porro; e. g. vidi qui die Lunæ hora ſeptima matutina febricitabat ſine frigore præcedente, cum inſigni anxietate præcordiorum & ſiti, atque talis paroxyſmus horas ſex forte durans iisdem cum ſymptomatibus revertebatur die mercurii, veneris, ſolis &c. Interea die martis, jovis atque Saturni multum diſſimilis paroxyſmus obſervabatur, ſiquidem hora ordinarie nona ante meridiem cum horrore & vomitu accedebat febricula usque ad noctem durans, ſed longe remiſſior. Poſt uſum remediorum deſierunt primum paroxyſmi dierum imparium, remanente perfecta tertiana dierum parium, quæ paulo poſt quoque ſublata eſt penitus.

§. 5. Duplicantur ſimiliter & Quartanæ ita ut e. g. paroxyſmo vix finito ſuperveniat alius aut quod ſæpius accidit, ſi paroxyſmus diei primæ reſpondeat quartus, huic ſeptimus &c. interim, quæ altero die ſupervenit febris, redit quinto, octavo, undecimo &c. adeoque non niſi tertius, ſextus, nonus, duodecimus &c. à febre immunis eſt. Præterea ſi triplicetur hoc pacto quartana, tum certe omni die paroxyſmus febrilis accidit.

§. 6. De Semitertiana jam nihil dicam: quam ex tertiana &

qua-

quotidiana compositam volunt, ita ut omni die febricitet æger, at quovis die tertio duplicetur paroxysmus: cum enim in hac quotidianam statuant continuam, satius est ad continuas referri semitertianam. Erraticas autem hic præterire non possum, quo nomine omnes insigniuntur febres, quæ omnino incertis ludunt diebus.

§. 7. Diebus dixi incertis recurrere erraticas; si quis enim horas attendere velit, tum certe in tertianis quoque & quartanis & quotidianis anomaliam non raro insignem deprehender. Sunt enim quædam admodum regulares, quæ ordinarie vel in eandem horam incidunt, vel unam alteramve horam anticipant vel postponunt. E. g. si quis hora matutina septima corripiatur febre, fieri potest, ut alter paroxysmus & sequentes omnes reliquis diebus eodem tempore subsequantur; vel etiam, ut alter hora sexta, tertius quinta; vel ut alter hora octava, tertius nona superveniat. Hæ sunt febres perfecte regulares; Quod si vero alter paroxysmus hora forte quarta matutina, tertius pomeridiana secunda, quartus antemeridiana octava sequatur, tum profecto febris minus est regularis, nondum tamen erratica; etenim si modo in diem ordinarium incidat, quotidianæ, tertianæ vel quartanæ typum adhuc servare potest.

§. 8. Sciendum interim est, febrem non semper eundem typum à principio ad declinationem usque servare. Solent enim febres primum erraticæ non raro abire in quotidianas, tertianas vel quartanas: hæ ipsæ vero inter se quoque commutantur, aut in duplicatas vel triplicatas, aut tantum non erraticas degenerant. Atque ideo non modo integer febris decursus, sed & in singulis paroxysmis quid accidat, observari debet. Etenim alia in accessione s. principio, alia in augmento, alia in statu, alia in declinatione paroxysmi notanda occurrunt.

§. 9. Rarissimum est, febris intermittentis paroxysmum inchoari ab æstu atque cum frigore terminari; hujus tamen exemplum non tantum Hœferus *in Herc. Med. p. m.* 322. annotavit.

Sed

Sed & Borrichius *in Act. Hafn. Vol. III. pag.* 7. Communiter autem omnes cum frigore atque horrore incipiunt, poſt ſequitur calor præternaturalis, ac tandem cum ſudore finitur paroxyſmus. Quosdam vehementia frigoris per aliquot horas admodum urget, ut dentes ſtrideant artusque contremiſcant, æſtum autem ſubſequentem vix attendunt. Alii econtra levi tantummodo vexantur frigore, aſtà calore intenſiſſimo ſe poſtmodum ferme exuri clamitant. Nonnulli & frigoris & æſtus tortura pene exanimantur: alii gradum utriusque longe mitiorem perſentiſcunt, atque his quidem hora una atque altera, illis ſex, octo, duodecim & plures horæ paroxyſmum abſolvunt.

§. 10. Et ſicuti intermittentes nonnunquam pure ardentes absque omni frigoris nota obſervantur, ita etiam dantur pure algidæ, in quibus ne veſtigium quidem caloris febrilis apparet. Rarius autem ejusmodi febres decurrunt, quin poſt aliquot paroxyſmos frigus ardentibus & æſtus algidis ſeſe aſſociet; aſt in declinatione intermittentium nunc ſaltem levioris frigoris, nunc vero caloris minus moleſti, veſtigia relinqui, quotidianum eſt.

§. 11. Ecquid vero de hiſtoria ſequente ſentis? Erat fœmina, quæ ad modum tertianæ alternis diebus hora pomerid. quarta inſignes cardialgias cum crebriori vomitu biliosæ ac tenacis materiæ patiebatur, atque hic paroxyſmus ad noctem usque perdurabat absque omni tamen vel frigoris vel æſtus nota, viresque dejiciebat cum appetitu ut vix intercalari die lectum deſerere potuerit ægra. Poſt uſum convenientium remediorum vomitus primum & tandem anxietas præcordiorum ceſſavit in totum paroxyſmo forte ſeptimo. Elapſo deinceps octiduo, cum in forum egreſſa braſſicam muriaticam aſſumeret jejuna, accidit, ut ad horam usque pomerid. quartam ſtomachus doleret, tumque cum vomitu tertiana inchoaretur perfecta, frigore non minus quam æſtu ſatis moleſta per tres fere ſeptimanas.

§. 12. Jam quæritur, utrum antecedens affectus ad tertianam referendus ſit, nec ne? Reſpondeo quod ſic, diſtinguendo tamen inter febrem latitantem in fieri & jam factam manifeſtamque. Licet enim undique in intermittentibus frigus atque calor aut ſaltim horum alterutrum occurrat, nihil tamen obſtat, quo minus tarda quarundam febrium habeantur initia, prout aliarum decrementa ſunt, quæ horas febriles ultimas ordinarie laſſitudine artuum, cephalalgia, cum anorexia, citra omnem æſtus frigorisque acceſſum notare ſolent.

§. 13. Igitur ad frigus æſtumque reſpiciendum quidem in intermittentibus, aſt non unice iis inhærendum eſt. Sunt enim adhuc plurima & quidem maxime urgentia ſymptomata, quæ & febrem ipſam & curam ejus difficilem reddunt. Multi immenſis cruciantur doloribus, capitis, dentium, cordis, ſtomachi, ſplenis, abdominis, dorſi vel artuum: quidam hæmorrhagiis, vomitu, alvi fluxu, vel ſudoris profluvio enervantur. Nonnullis ſputatio continua, vel crebrior mictio, tuſſis, ſitis, fames, nauſea vel anorexia moleſtiam infert non levem: alii lipothymias patiuntur, vel delirant, aut tument hydrope, aut purpura vexantur vel ſcabie. Ut taceam in mulieribus non infrequenter accidere menſium ſuppreſſionem, paſſiones hyſtericas, periculum abortus, lactis defectum, mammarum ulcera &c.

§. 14. Hæc atque ſimilia ſymptomata non minus quam errores in Diæta, medicamentorum neglectus vel præpoſterus uſus febrem ipſam multum prolongare poſſunt. Et quamvis intermittentibus in genere certus terminus non ſit ſtatutus, ita ut & quotidiana, & tertiana, & quartana quandoque una alterave ſeptimana terminentur, quandoque vero ad aliquot menſes imo & annos excurrant; nihilominus ubi in conſuetudinem jam abiit febris, tunc ſane non absque tædio & ſcandalo intelligit Medicus, febrem nunc remittere, nunc iterum exacerbari, nunc vero penitus

nitus intermittere, ac paulo post redire, data levissima occasione iræ, terroris, frigoris &c. Sed pergendum est ad

CAPUT II.

Continens Febrium Intermittentium sedem.

§. 1.

HActenus omnes conveniunt Autores in recensenda febrium intermittentium historia; ubi vero de earum sede causisque movetur quæstio, tum sane dissensus oritur non levis. Nimirum traditum erat à Galeno *lib.* 1. *de febr. diff. cap.* 1. & 2. febrem nunc occupare spiritus, nunc humores, nunc partes solidas; plausibile igitur ejus sectatoribus videbatur, in Ephemeris spiritus, in putridis humores, in hecticis partes solidas affici: cumque putridis intermittentes annumerarent, hinc factum est, ut pro diversitate febrium diversos quoque humores putrescere crederent.

§. 2. Ex innumeris videri potest Hor. Augenius. *Lib.* 5. *cap.* 2. *de febr.* quomodo a pituita quotidianæ, à bile flava tertianæ, ab humore melancholico quartanæ nascantur; cujus rei rationem Hœferus *in Herc. M. p. m.* 354. reddere conatur inde, quod in homine major sit pituitæ copia, qua putrescente fiat quotidiana, minor quantitas bilis, hinc tertianam altero die moveri, & quia melancholici humoris adhuc minor sit quantitas, hinc putrescentem illum circuitus adhuc tardiores habere.

§. 3. Quandoquidem vero pituitam potissimum in stomacho coacervari, bilem in hepate, melancholiam in splene statuerent; proinde non dubitavit Sennertus *Lib.* 2. *cap.* 2. *de febr.* sedem quotidianarum stomacho, tertianarum hepati, quartanarum lieni adscribere. A quo parum discedit Riverius cum Fernelio,

quando non tantum viscera jam nominata sed & diaphragma & pancreas & omentum atque mesenterium insimul accusant, quod in hac prima regione, tanquam publica corporis sentina omnis confluat humorum colluvies, ut loquitur Fernelius *Lib. 4. de Febr. cap.* 10. *p. m.* 486.

§. 4. Aliter sentit Fr. de le Boe Sylvius *Lib. 1. Prax. med. cap.* 30. & cum eo Regn. de Graaf *cap. 2. de succo pancreatico pag.* 630. *& seqq.* utpote qui inter viscera quidem unicum pancreas peccare, causamque febrium intermittentium continere docet: interim tamen plura simul humorum vitia præsupponere videtur, nempe pituitam viscidam, ramificationes ductus pancreatici obstruentem, deinde succi pancreatici inter stagnandum contractam aciditatem, ac tandem bilis cum succo pancreatico effervescentis acrimoniam, plus minus oleosam.

§. 5. Maluit autem Willis, ne quis in corpore humor intactus relinquatur, chylum potius cum sanguine vitiari. Etenim in *Cap. 3. & seqq. de Febr.* aperte tradit, succum nutritium ex esculentorum materia suppeditatum, cum ob dyscrasiam sanguinis, nunc acris atque retorridi, nunc acidi atque austeri, aliisve modis vitiati minime assimiletur, ad plenitudinem in vasis congestum, propter sui expulsionem turgescentiam inducere febrilem.

§. 6. Ita quidem de sede causæ febrilis, s. ut alias dicitur subjecto radicationis sentiunt. Porro, quod subjectum inhæsionis s. partem in febre affectam concernit, in eo determinando fere omnes conspirant, dum in febribus intermittentibus cor potissimum ac postea reliquum corpus universum affici existimant.

§. 7. Quanquam enim calorem præternaturalem juxta Veteres ex humorum putredine, juxta Recentiores ex eorundem effervescentia oriundum, diversis in locis, puta stomacho, intestinis, pancreate, hepate vel splene nasci, credant, consentiunt tamen in hoc, quod statuant, omnem istum calorem primum cum corde com

communicari, unde tanquam è fonte caloris pulsu accelerato diffundatur ad cunctas corporis partes.

§. 8. Verum plura obstant, eaque non levis momenti argumenta, quæ jam recensitas de subjecto ac sede febrium opiniones omnino diruunt. Nempe primo divisio febrium in Ephemeras putridas & hecticas male à subjecto seu parte affecta desumitur, siquidem in omni febre & spiritus & humores & partes solidæ afficiuntur, quamvis non semper eodem modo, ut postmodum docebo.

§. 9. Quod intermittentes in specie concernit falsum est, in quotidiana pituitam præcise, in tertiana bilem flavam, in quartana humorem melancholicum peccare. Nec difficile foret innumeras Autorum observationes adducere, nisi quotidiana experientia ad oculum demonstraret, pituitam in tertianis pariter & quartanis, bilem flavam in quotidianis & quartanis, atram bilem in quotidianis etiam ac tertianis omnino abundare. Ut taceam in una eademque febre jam dictos humores omnes non semel concurrere.

§. 10. Adliæc observamus interdum, febrem intermittentem in iis etiam, ubi ejusmodi humorum vitia non occurrunt; & quos quæso humores accusabimus iis in febribus, quæ vel quotidie multiplicantur, vel etiam tardiori cursu, quinto, sexto vel septimo die, vel saltem singulis mensibus aut certo anni tempore redire solent.

§. 11. Par est ratio Viscerum. Videlicet non inficior, interdum vel stomachum, vel hepar, aut lienem, vel etiam pancreas in febribus pati; at vero in quotidianis stomachum, in tertianis hepar, in quartanis splenem, aut undique pancreas damnare velle, absurdum. Quis enim tota die non deprehendit, stomachum pene undique in omni febrium genere affici, ac non minus lienem in quotidianis ac tertianis, quam hepar in quotidianis &

quàrtanis, verbo: viscera omnia promiscue in intermittentibus corrumpi. Confer. Boneti *Sepulchretum pag.* 1421. *& seqq.*

§. 12. Deinceps qui in pancreate sedem intermittentium quærunt, eorum hypothesis nititur fundamentis nondum satis probatis: etenim adhuc demonstrandum est, succum pancreaticum in istiusmodi febribus esse acidum, bilem itidem esse alcalinam, ita ut exinde effervescentia frigida non minus quam calida oriri queat, & quidem hæc omnia ita sese habere in omnibus febre correptis.

§. 13. Ecquis vero chylum seu succum nutritium accusare poterit, ubi sæpe cibum potumque omnem detestantur, aut statim vomitu reddunt ægri; ubi nullus digestioni locus: Ne dicam rationem periodorum nullatenus hinc reddi posse, cum nonnulli ægrorum horis quidem consuetis prandio cœnaque utantur, febrem tamen patiuntur omnino erraticam, aut saltem redeuntem incertis horis; quemadmodum alii cibum potumque assumunt tempore admodum incerto, paroxysmo in eandem semper horam recurrente.

§. 14. Denique nec ii omni ex parte audiendi sunt, qui cor primario in febribus affici contendunt. Etsi enim vel iis maxime concedamus cor primum calorem febrilem sustinere, atque hinc tanquam è fonte caloris eundem ad reliquas partes distribui, quod quidem adhuc satis dubium est: hoc tantum mihi velim explicari, quomodo se cor habeat in febribus pure algidis, item è quonam fonte frigus tum satis notabile diffundatur in corpus.

§. 15. Igitur ut constet, quid de parte affecta in febribus mihi videatur, moneo ante omnia, quod supra indigitavi, nullam partem corporis excludi, quin aliquando patiatur in febre. Profecto dolores capitis, dorsi, artuum, abdominis, præcordiorum, cordis ipsius ac reliquorum viscerum non rara sunt: Hæmorrhagiæ, profluvium sudoris, salivæ atque urinæ vitia, satis humorum

errores: ſicuti deliria, virium imbecillitas, jectigatio, ac tremor artuum, ſpiritus animalis morboſum ſtatum pro[illegible]nt.

§. 16. Inter has autem partes alia eſt ſubjectum morbi ipſius, alia cauſæ morbificæ, alia ſymptomatis cujusdam. Nam e.g. qui cephalalgiam in febre tuſſiculoſa patitur, huic caput ſaltem ſymptomatice & per conſenſum dolet, quatenus inter tuſſiendum vehementius concutitur: pulmones vero ſubjectum ſunt ipſius tuſſis, tum acrimonia & viſciditate ſanguinis continuo irritantur: ſed ſtomachus, qui ejusmodi vitioſos humores fovet, ſubjectum eſt cauſæ morbificæ.

§. 17. Porro alia pars afficitur primario, alia ſecundario: Ubi quidem non intelligo ordinem febris oriundæ, juxta quem nonnunquam præcedit vitium partium ſolidarum, nonnunquam humorum, nonnunquam ſpirituum. E. g. qui febre vulneraria corripitur, vel ob vulnus vel luxationem, in eo certe pars ſolida primum afficitur dein & ſpiritus atque humores. Cui vero ob contractam acrimoniam ſeri febris catarrhalis accidit, in eo humores primum, dein ſpiritus ac partes ſolidas corripi manifeſtum eſt; Spiritus autem primum peccare in aliis, docent exempla eorum, qui ſaltem ex fortiori impreſſione vel commotione ſpirituum nimia febrem incurrunt, ac poſtea humorum ſimul & partium ſolidarum vitiis vexantur.

§. 18. Enimvero id probe obſervari velim, vitia quidem humorum atque partium ſolidarum interdum febrem præcedere, aſt febrem ipſam non niſi in ſpiritibus inchoari. Videlicet vulgo notum eſt, plures quidem ſcirrhum lienis, ulcera pulmonum atque renum, ſimilesque viſcerum corruptiones diu tolerare, alios humores acidos per plures annos in ſtomacho geſtare, alios pituitam & nidoroſa, donec forte occaſio Ideæ febrilis ſuperveniat.

§. 19. Et ne quis amplius humorum ac partium ſolidarum vitia pro ſubjecto adæquato febris habeat, urgeo, non tantum illa ipſa ſæpius occurrere ſine febre; Sed & in multis ſubjectis vel ena-

ſci

ſci in febre ipſa, vel etiam febre jamjam finita ſubſequi tanquam productum morboſum. Profecto rarum non eſt in febribus ex æſtu bilem, pituitamque viſcidam colligi, ſi aliquandiu febris duraverit, quanquam nihil horum in principio obſervatum ſit; ac memini ab aſſumto vomitorio in principio tertianæ nil quicquam rejectum fuiſſe, præterquam ſola juſcula ſuperingeſta; elapſo autem octiduo cum repeteretur idem emeticum, tantam ſaburram ac copiam pituitæ bilisque evomuit idem æger, quantam vix ſtomachi capacitas continuiſſe videbatur.

§. 20. Corrumpuntur ſimiliter & partes ſolidæ in febribus; nam & ii, qui ante invaſionem febris perfecta ſanitate fruebantur, ſæpenumero, ſi diutius malum perſeveret, obſtructiones viſcerum, dolores ac ſcirrhos lienis, epatisve experiuntur, alii Phthiſin & exulcerationem pulmonum &c. Inſigniter quoque hallucinantur, qui cum ejusmodi viſcerum vitia deprehendunt in cadaveribus defunctorum, eadem pro cauſis febrium venditant, quæ tamen plerumque in morbo ipſo enata ſunt.

§. 21. Etenim ſi cauſa febrium continens fuerit ejusmodi vitium partis cujusdam ſolidæ vel etiam humorum, certe febris nunquam ceſſaret, niſi id ipſum ſublatum fuerit. Jam vero febre etiam finita Phthiſis; ſcirrhi lienis atque hepatis remanent in nonnullis, ſicut in aliis ſudores nocturni, tabes vel cachexia, tumor pedum œdematoſus, hydrops. Ergo finaliter concludo: febris radicaliter & primario nec in humoribus, nec partibus ſolidis reſidet. Quomodo vero in ipſis ſpiritibus febres habitent, nunc dicam in ſequentibus.

CAPUT III.

Continens Febrium intermittentium Cauſas.

§. 1. SI, quæ in ſenſus maxime incurrunt, cauſas febrium intermittentium ſcrutamur, varia quidem occurrunt: Frigus aëris ambi-

ambientis, æstus radiorum solarium, cibus potusque insalubris aut nauseosus, ira, terror, mœror, amor, commiseratio, ut & dolor ex contusione, luxatione aut vulnere natus &c.

§. 2. In febre autem intermittente, cum tria præcipue, sepositis aliis symptomatibus, obviam veniant: nempe frigus, æstus & typus seu paroxysmorum ordo, itaque in rationem eorum & quo pacto à causis istis enasci queant, inquirendum est.

§. 3. Equidem de ira, terrore, hisque ita dictis animi pathematibus nemo unquam negare poterit, ab iisdem immediate & primario affici spiritus animales; attamen de frigore æstuque, erroribus Diætæ, ut & contusione, luxatione & vulnere non æque id manifestum est. Nihilominus qui considerat, horum omnium vim in alterando corpore nostro potissimum in eò consistere, quod Archeus seu spiritus vitalis insigniter ab iis afficiatur, vel per modum doloris, vel nauseæ atque horroris, is nec dubitare poterit de ratione connexionis s. modo, juxta quem frigus vel æstus, aut uno verbo, febris exinde oboriatur.

§. 4. Quodsi enim primo frigus, prout nobis accidere solet in febribus, examinamus; constat id ipsum non esse extraneum, sed omnino internum, quoniam & stragulorum, & hypocausti, & radiorum solarium summus calor nullatenus id impedire potest. Deinde causam habet internam non tam positivam, quam privativam, nempe defectum spirituum, prout in Dissertatione *de Spiritu hominis vital. C.* 2. §. 16. declaratum est. Sic enim extincto per mortem spiritu cadavera summe frigent: in senibus, & qui morbis diuturnis enervati sunt, ex insufficientia Spirituum extrema frigent: ex retrocessione Spirituum subitanea totum non raro corpus friget in Lipothymiis; & certe in febribus curiosum est, in accessu frigoris non tantum omnes vires quasi evanescere, sed horrorem instar aquæ frigidæ per dorsum magis ascendere, quam descendere, manifesto argumento, quod frigus sequatur retrocessionem spirituum.

§. 5. Ecquis vero ignorat similem omnino horrorem interdum accidere v. g. ex relatione horrendi facinoris, aut visu spectri, ubi nil quicquam nobis contigit, quam quod [illegible]idea abominabili per sensus concepta spiritus commoveatur. Ad eundem plane modum Spiritus commovetur in frigore febrili: ponamus enim ex eruditatibus ventriculi, assumtave re nauseosa febrem gigni, in hoc sane casu apertum est, deseri à Spiritu stomachum ob nauseam contentorum. Qui frigidum potat, aut in flumen se conjicit æstuante corpore, occasionem jam præbet febri, quatenus spiritum repellit, vel è ventriculo, vel ambitu totius corporis: Paucis quicquid spirituum retrocessionem urget, frigus febrile potest producere.

§. 6. Ab hoc Spirituum regressu, quæ à frigore oriuntur symptomata, facile licet deducere: pallor faciei, labiorum ac unguium livor, quid aliud indicant, quam defectum Spirituum, ob quem sanguinis color floridus perit, ut & cadaveribus exanimatis sæpenumero simillimi sint ægri. Idem testatur ipsius cordis, de quo maxime conqueruntur ægri, uti & pulsus langvor, & quam supra innui virium imbecillitas, ob quam ne pedibus insistere aut quicquam præstare valent, sed unice se lecto & quieti tradere necessum habent. Nec enim alia est ratio ipsius ponderis, quod imminente febre artubus quasi appendi videtur, quam quod Spiritus iis rite gubernandis sint impares; siquidem nil plane demonstrari, ne dum concipi potest, quod realiter ac mole sua manus pedesque gravare queat.

§. 7. Audio hic equidem non paucos cum Sylvio atque Willisio causam frigoris febrilis quærere in acido, partes nerveas pungente ac vellicante; Sic enim aperte Willis. *c. 3. de febribus p. m.* 82. asserit, veram & genuinam causam frigoris & rigoris esse succum nutritium crudum, qui insignem acorem contrahens, eumque nitrosum, Spiritus vitales acore suo obtundat, caloremque obruat nativum, atque cum sanguine distributus ad partes sensiles, irritan-

do

do corpora nervosa in tremores cieat. Sylvius autem *Lib.* 1. *c.* 30. §. 77. *& seqq.* succum istiusmodi acidum potius expancreate adducit, quem juvante simul pituita viscida opprimere putat admodum inertem bilem in duodeno occurrentem, ita ut exinde facta efferve-scentia non naturali, sed potius frigida, halitus acidi ad cor, pulmones, caput, habitum corporis & artuum extrema distribuantur, Autores omnium, quæ in febrili accidunt, symptomatum.

§. 8. Verum respondeo heic primo in genere male accusari acidum in febrili frigore, quod viderim & acidum defecisse in ejusmodi febre, & contra acidum præsto fuisse in ardentibus. Nempe si ex iis, quæ vomitu rejiciuntur, argumentari licet ad qualitatem eorum, quæ in ventriculo continentur, observavi aliquoties non nisi pure acida absque omni bile fuisse rejecta per os., ubi tamen non frigus, sed æstus admodum vexaret ægros. Vicissim evomuerunt alii meram bilem eamque flavam atque copiosam in ipso accessu febrili, cum totum corpus horrore febrili contremisceret. Unde non difficulter apparet, ab acido frigus non produci per se, sed necessario ab alia causa id deducendum esse.

§. 9. Particulariter autem ad Angli opinionem regero male confundi acida cum nitrosis. Nec enim Spiritus acidus est in nitro, qui refrigerat, sed ejusdem Sulphur, prout experiuntur, qui loco nitri Spiritum ejus adhibent in febrium cura. Quanquam enim acida quoque interdum vim refrigerandi habeant per accidens, quando v. g. cruditatem nidorosam è ventriculo extergunt in febribus ardentibus, in se tamen nullo modo refrigerant. Notissimum est vulgo ante Paroxysmum intermittentis cochlearia duo aceti, sp. vin. & Aquæ s. assumi, sæpe optimo cum successu; at vero si ab acido excitaretur frigus, nunquam locum haberet acetum.

§. 10. Nec Batavo condonare possum, quod acidum illud Pancreaticum sub forma halitus ex intestinis abire ad omnes partes velit. Mirum etenim foret in artuum extremitatibus primum observari frigus; cum breviori via ad nasum v. gr. partesque magis vici-

nas devenire queat. Et ponamus febre particulari partem quandam corripi e. g. brachium dextrum (qualem historiam lectu dignissimam Cnœffelius *Anno III. M. N. C. obs.* 205. *p.* 381. memorat) tum certè viam mihi monstrari peterem, nec non rationem, qua ex abdomine, cœteris partibus intactis, vapor istiusmodi febrilis acidus ad brachium deveniret.

§. 11. Paulo aliter de natura frigoris febrilis sentit Cartesius *Part. 1. Epist. p.* 101. utpote qui humorem vitiosum in mesenterio aut alia corporis parte collectum, postquam fluorem adeptus sit, ope venarum existimat deferri ad cor, ubi incalescentiam ac rarefactionem sanguinis impediat primum, post æstum concipiat intensissimum ad instar viridis ligni, quod igni adjectum in principio eundem extinguere videtur, ac tandem, probe accensum, flammam acriorem emittit. Quandoquidem vero fundamentum hujus opinionis falsum est, & quem supponit ignem in corde vitalem ac inde factam sanguinis incalescentiam & rarefactionem, nunquam satis probare valet, hinc & sua sponte omnia, quæ superstructa sunt, corruunt.

§. 12. Propius ad meam hypothesin accedit Helmont. *c. 9. de febr. p. m.* 766. quando rejectis humoribus vitiosis in Archeo febrium causam quærit. In explicanda autem ratione frigoris minus felix est, quando id ipsum, ægris tum accidere putat, cum Spiritus humorem excrementium parti similari adhærentem per tremulos rigores excutit, sicuti aranea telas suas conquassare solet, ut rejiciat, si quid peregrini in eas forte inciderit. Scilicet quam credit commotionem spirituum, ea nullatenus concipi potest nisi cum æstu, utpote, quem ignea eorum natura urget. Allata igitur similitudo huc parum quadrat, siquidem non active, sed potius passive tunc se habet Spiritus animalis, quando in frigore non tam fugat hostem, quam fugit, & ut supra demonstravi, rationem causæ præ se fert magis deficientis quam efficientis.

§. 13. At vero in æstu recte sentit Helmont. Archeum velut ira-

iratum excandescere non alio fine, quam ut expellat hostem sibi nocivum. Nempe certum est, calorem animalium naturalem a principio quodam vitali descendere, quod alias Spiritum dixi vitalem. Hic ipse vero cum revera igneus sit, calorem quidem moderatum, si debito modo influat, in corpore gignit, ast si velocius commeatur atque copiosus influat, quid quæso aliud, quam æstum intolerabilem creare potest.

§. 14. Etenim si ea contemplamur, quæ æstum febrilem excitare vel etiam augere solent, imo & ipsa symptomata, tunc occurrentia, satis liquet, calorem istum non nisi à Spiritibus provenire. Nempe primo, quæ occasionem præbent fervori præternaturali, sunt potissimum ira, commotio corporis vehementior, æstus aëris ambientis, vini abusus ac tandem vitia humorum atque partium solidarum. Ira quidem in se si spectetur, nil aliud est, quam subitaneus ac fervidus Spirituum motus, unde oculi quasi scintillant, vultus candet, cor palpitat, totumque corpus æstuat cum insolito virium augmento, ac sæpe accidit, ut cum reliquis humoribus bilis quoque commoveatur sensibiliter.

§. 15. Pari fere modo omnia turbantur in corpore humano, si quis fortius sese commoverit saltando, currendo, equitando, digladiando &c. ac notatu dignissimum est, viribus defatigatis exhaustisque somno tamen vix esse locum ob inquietudinem Spiritibus impressam. Hæc itaque nisi sedetur quantocyus, jamjam initium dat febrili æstui, non secus ac vindictæ cupiditas in ira.

§. 16. Porro calorem præternaturalem accendunt, æstus ambiens radiorum solarium vel balnei, item ingurgitatio immodica vini &c. Dum enim tales particulæ igneæ vel per cutis poros, vel inter inspirandum admittuntur, aut cum potu generoso assumuntur liberalius, exagitant dubio procul non sanguinem tantum, sed & spiritus vitales summe mobiles.

§. 17. Tandem vero æstum quoque excitare possunt, quæ præter naturam partes solidas vel humores afficiunt, vulnus, calcu-

lus, impuritates ſanguinis &c. Videliçet calculus, & in genere, quæ dolores gignunt, uti ex ſpina digito infixa manifeſte liquet, inflammationi anſam præbent, quatenus vellicando fibras ſenſiles Spiritus alliciunt, ad cauſam doloris ejiciendam paratos. Atque in tali caſu æſtus primum particulariter in hoc vel illo membro deprehenditur, ubi vero dolor iſte vel diutius duret, vel vehementius urgeat, adeoque negotium faceſſet ſpiritibus, tum facto impetu conjunctis viribus in vindictam ruunt, ita ut excandeſcentia eorum totum corpus accendere videatur.

§. 18. Hoc pacto ingens interdum æſtus circa præcordia obſervatur in principio quarundarum febrium, quod in ventriculo morbi, ut ſic loquar ſpina hæreat. Exinde vero ubi vitioſus humor ad M. Seam deferatur, per totum corpus calor diffunditur, dum Spiritus hoſtem admiſſum undique perſequuntur, nec ceſſant, quemadmodum alias in eruptione Eryſipelatis, variolarum, morbillorum, purpuræ &c. cernimus, donec vel moleſtus hoſpes iterum ejectus, vel Spirituum robur defatigatum fuerit.

§. 19. Poſſem varias adhuc occaſiones æſtus febrilis adducere, e. g. Dentitionem, infantibus exoſam, curas atque moerorem ſumma cum anxietate conjuncta, vigiliam diuturnam &c. niſi omnes ad unum collimare punctum videantur. Eo enim res redit, ut æſtum febrilem ſuſcitare ſoleant, quæcunque Spiritum vitalem commovent vehementius.

§. 20. Et quemadmodum plures quandoque cauſæ in uno ſubjecto concurrunt ad excitandam febrem: ita non raro factus jam morbus etiam mitior, exacerbatur ſupervenientibus ejusmodi erroribus. Videant alii, qua ratione & quo cum ſucceſſu ægrum in febre ardente ſtragulis æſtuque fornacis excrucient, ne dicam ſuffocent, & quam infauſtum ex vini potu ſolamen afferant. Certe qui accuratior eſt in animadvertendis febricitantium alterationibus, id quoque obſervavit, nec artuum lotiones vino adornatas, nec epithemata cordi vel carpis manuum applicata ex aqua carbunculi,

culi, apoplectica, similibusque, spirituosis & aromaticis absque detrimento adhiberi posse, quin & ab his calor intendatur insigniter.

§. 21. Multo magis id eluceſcit, ſi ejusmodi Spirituosa aromatica & volatilia pro uſu interno præſcripta fuerint ſine judicio. Novi non unum, qui intermittentem in continentem febrem commutavit, ſolo abuſu Tincturæ bezoardicæ: qui eſſentiam abſinthii atque febrilem, ad mortem usque continuavit, non alio cum effectu quam ut indies febris exaſperata ſit: qui Spirit. ſal. amm. atque C.C. chinam cum pipere aſſumſerunt ad nauſeam usque, majori cum damno quam emolumento.

§. 22. Sed pergendum eſt ad ſymptomata in æſtu febrili obvia: ubi profecto luce meridiana clarius eſt, à Spirituum impetu & commotione præternaturali ea omnia, quæ tum accidere ſolent oriri, nempe inquietudinem, Agrypniam, deliria, palpitationem cordis, pulſumque celeriorem atque hæmorrhagiam. Quis enim non intelligit in jactigatione motorem Archeum eſſe inquietum, quandoquidem nec manus pesve, aut ulla alia pars moveri poteſt absque illius principii vitalis influxu. Ita & Agrypnia, quæ non modo in ipſo æſtu ſed & ante paroxyſmum obſervatur, aliunde non eſt, quam à continuo Spirituum motu, propter quem nec conſuetam capere poſſunt quietem. In deliriis clarior adhuc res eſt, quippe quorum actus univerſi, imaginationes phantaſticæ, abſurde dicta & facta, inepta pariter & atrocia nil aliud, quam confuſionem idearum, tumultuationem & uno verbo errorem Spirituum inſignem indicant. Cordis palpitatio pulſusque celer ac vehemens, unde niſi à rapido Spirituum influxu?

§. 23. Non ignoro eſſe, qui ut omnem æſtum febrilem, ita & ſanguinis motum acceleratum nec non hæmorrhagias ab effervescentia quadam deducere conantur. At ſciant ſanguinem proprie nullam iſtiusmodi effervescentiam ſuſtinere, quoniam ſalſa, ad quæ M. Sea pertinet, non effervescunt ob jam factam ſalium unionem. Si quæ igitur ebullitio accidit, ea non tam à ſalinarum parti-

particularum concursu & pugna, quam orgasmo Spirituum petenda venit.

§. 24. De siti quoque non obscurum est, eam ab eodem produci principio, siquidem ob auctam transpirationem in æstu febrili lympha necessario imminuitur, ac proinde mirum non est, si ex ejus defectu ariditas linguæ, & salivæ vel salsedo aut visciditas glutinosa nascatur, & consequenter sitis insatiabilis. Anorexiam, tremorem artuum, capitis dolorem pulsantem, & si quæ sunt alia à spirituum motu anomalo ac tumultuario enata nunc non attingam, cum ad doctrinam de febrium periodis mihi progrediendum sit.

§. 25. Nimirum superest, ut videamus, quamobrem paroxysmus febrilis desinat, ac iterum redeat, & quidem tam certa interdum periodo, qualem horologium vix æque accurate servare solet. Igitur quod paroxysmi finem attinet, plures quidem credunt eum tunc demum imponi, quando materia morbifica, sive corruptus humor, à natura superatus exhalarit in æstu. At vero qui die etiam intercalari, vel vomitorium, vel venæsectionem adhibet, clare deprehendit, ventriculum non minus quam M. Seam tali abundare humore vitioso, qualem in febre accusare solent. Mihi proinde verosimilius videtur, febrem non tam remittere ob defectum causæ morbificæ, quam propter Spirituum lassitudinem ac insufficientiam.

§. 26. Ut autem appareat, quo pacto intermittentibus certa contingat periodus, adducam unum alterumve exemplum, quod mihi forte notare licuit. Studiosus quidam Hamburgo natus, cum quondam petasonem sibi à Parentibus missum pro jentaculo assumeret per aliquot dies, dolores primum stomachi atque capitis cum dejectione appetitus sensit usque donec febris superveniret, quotidie horis illis matutinis recurrens, ægrumque ad seram usque vesperam affligens.

§. 27. Alius tum mihi domesticus, cum data occasione die Sabbathi sese largius exsatiasset caseo, quem vulgo vocant Hollandicum

dicum, atque similia, sensit similiter dolorem capitis atque stomachi, ita ut die illa præter solitum fame deficiente prandium detestaretur. Die sequente Solis Templum visitandum fuit, adeoque proximo die Lunæ idem repetere jentaculum placuit, quamvis infelici cum successu, siquidem ab illa statim die febris tertiana incepit admodum vehemens.

§. 28. Porro accidit civi cuidam nostrati ut à socero suo ad cœnam invitatus die visitationis Mariæ, quæ Festivitas Anno isto 1679. in diem Jovis incidebat, inter comedendum crines casu illapsos reperiret in cibo, cumque oborta nausea nihilominus ad escam sibi abominabilem capiendam urgeretur, factum est, ut illico de stomacho conquestus domumque reversus à vomitu sibi temperare non potuerit. Postquam autem proxima Dominica pro more iterum invitaretur, statim memor istius rei eandem passus est nauseam, ita, ut summo fastidio cœnaret, eademque nocte febrem inchoaret quartanam.

§. 29. Alius sanguine mihi conjunctissimus simili quartana febre correptus est, occasione aëris frigidi ac pluviosi. Scilicet intererat solennitatibus funebribus, cumque imber ex improviso exequiatores in deductione funeris deprehenderet, ægre ferebat vestimentorum udorum frigus, præsertim quod ad justa funeri persolvenda in templo Paulino adhuc diu commorandum esset. Accidit autem, ut quarta abhinc die eandem ob causam eo deveniret, locique illius conditio seu halitus ingratus horrorem primo levem excitaret, ac postmodum febrem satis diuturnam.

§. 30. In his autem casibus idem contingere videtur, quod iis, qui una atque altera die somnum capessunt meridianum, ac postmodum diebus sequentibus in eundem etiam nolentes relabuntur; vel qui excitati circa auroram, etiam non moniti postmodum expergiscuntur; vel qui certum prandio cœnæque tempus consecrarunt, adeoque audita hora famem vix amplius tolerare valent.

§. 31. Quotusquisque verò inficias ibit, tantas esse vires consvetudinis, ut & jam enarrata, & plura quoque majora præstare queat. Sed quid aliud est consvetudo quam certa quædam Idea Spiritibus per actus repetitos impressa?

§. 32. Rectè Willis *in Anim. Brut. pag. 133.* ubi de somno loquitur, vim consvetudinis Spiritibus s. animæ sensitivæ adscribit & quod ibidem adducit exemplum notabile non possum huc non transferre. Nempe Morio erat, qui adeò attente observans horologii cursum, quotiescunque campanæ sonitus audiretur, singulos ictus, alta voce numerabat semper; evenit postea à diuturna imitatione, ut mensura quasi horarum, spiritibus impressa, non minus accuratè quam ullum Avtomatum indicaret temporum intervalla; & quod ridiculum est, bombis (in quibus reddendis admodum felix fuit) emetiretur ac imitaretur pulsus horologii, hoc etiam silente.

§. 33. Est enim Spiritibus connata facultas non modo percipiendi, sed & retinendi ideas sive species rerum objectarum, juxta quam ea, quæ memoriâ tenemus, repetere licet, quando cunque placitum est, ita ut dormientes etiam ac inviti recordemur antea factorum, visorum, dictorum &c. imò quod maximum est, servemus interdum Ideas harum rerum non ad horas aliquot vel dies, sed annos plures, imprimis si fortius impressæ fuerint.

§. 34. Quodsi verò hæc ita se habent, neminem mirari subeat, si idea quoque morbosa febrilis, in specie frigoris atque æstus, ubi semel recepta est, sua sponte iterum se sistat, etiamsi de ea ne quidem cogitemus. Id saltem dubium est, quomodo præcise in hanc vel illam horam incidat, & quamobrem non aliquoties una die & inordinatè redeat prout v. gr. idea rei visæ, placentis pariter ac displicentis, nonnunquam & inter meditandum, obambulandum, cibandum, orandum atque dormiendum, renovatur & continuò quasi obversatur oculis.

§. 35. Propterea notari velim primò, non omnes intermittentes esse regulares atque ordinatas, sed & irregulares atque erraticas

ticas dari, & quemadmodum febres multæ ab initio inordinatæ sunt, ac postmodum in perfectam transeunt quotidianam, tertianam, vel quartanam, ita etiam ordinem maximè regularium interrumpi posse variis modis.

§. 36. Deinde quoque tenendum est, ad periodum regulariter intermittentium plurimum conferre imaginationem phantasticam & metum. Videmus enim animosiores & qui parum æstimant insultum febrilem vix recidivam pati, at econtra, qui imminente hora ob metum redeuntis febris jamjam contremiscunt, longè difficilius à febre liberari.

§. 37. Id egregiè illustrat exemplum cujusdam studiosi, qui audita hora decima antemeridiana ordinairè paroxysmo tentabatur febrili; cum enim varia in cassum adhibuisset medicamenta, tandem secum constituit, alia methodo uti, febremque per commotionem corporis expellere. Equo igitur insidens peregrè sibi abeundum duxit, sed ecce, dum nihil metuens ædibus sacris juxta viam exstructis appropinquat, campana, & quidem errante horologio, decimam sonat, hinc perterritus solitâ febre corripitur, ut non nisi summa cum difficultate cursum absolverit propositum. Quapropter cautior factus idem remedium tentat alio tempore, utque horologii pulsus evitaret, per loca devia equitat, donec paroxysmi tempus præterlapsum esset ex toto; tum verò hilaris in diversorium se recipit atque ab illo tempore liber à febre atque immunis est.

§. 38. Spectat huc quoque fœmina, quæ his diebus curæ meæ sese concredidit. Visitaverat ea quandam ex amicis honoris gratia, & fortè inter confabulandum canis accedit vomitu enormi pavimentum fœdissimè conspurcans. Exinde verò tantam hæc fœmina, gravida quidem sed hactenus perfectè sana, nauseam contrahit, ut vix à vomitu potuerit abstinere: domum igitur reversa reddit per os, quæ monente pudore detinuerat non sine anxietate; tumque supervenit frigus cum insequente febrili calore, cephalal-

gia, appetitus dejectione, inquietudine ac dorsi doloribus. Quoniam autem paroxysmus hic febrilis elapsis fere viginti quatuor horis, post usum medicamentorum terminabatur, occepit statim ægra de altera die conqueri, metu tertianæ, quam ante aliquot annos diuturnam experta erat, & factum est, ut febris rediret eodem tempore, quod sibi triste ac dolorosum fore firmiter credebat.

§. 39. Quis autem non animadvertit in ejusmodi casibus insignem esse impressionis vim excitandi & continuandi febrilem ideam. Ast fateor ultro in omnibus ægrotis talem metum non habere locum, siquidem ex improviso quoque adultis & infantibus citra omnem præscitum atque metum accidere potest febris satis regularis. Proinde Tertiò monendum est, occasiones externas s. errores v. g. in Diæta, aëre, ira &c. plerumque id agere, ut certo ordine inchoetur typus febrilis, prout ex paulo superius recensitis observationibus luculenter apparet.

§. 40. Itaque ut summatim doctrinam de typo febrium intermittentium expediam, dico, alias quidem habere principium reale, alias purè ideale, in progressu autem alias continuari per metum, alias per errores circa res non naturales, alias utroque modo. Interim quacunq; ex parte spectetur febris, certum est, causam proximam tàm singulorum paroxysmorum quam periodorum unice à Spiritibus peti posse, quippe quorum ideam quotidie, altera, tertia, vel etiam octava die, imò menstruatim, annuatim rursus evolvi, juxta circumstantiarum conditionem nil repugnat.

CAPUT IV.
Continens Febrium intermittentium curam.

§. 1.

EQuidem nec tonsor est, nec lippiens anus, quæ non remedia eaque secreta contra febres ostentare, ac etiam easdem interdum

dum cum laudè propulsare queat. At verò ubi malum inveteratum fuerit aut saltem pertinacius, tum hæret mus in pice, præsertim si impudens febris medicastrum ipsum (den Fieber Doctor) apprehendat ac divexet probè. Ut tacem plerosque sibi gratulari, quando ægrotantes è charybdi in scyllam deduxerunt, i.e. febrem profligarunt feliciter, ægro interim vel contabescente, vel intumescente ab humoribus pravis atque hydrope.

§. 2. Id ergo nunc agam, ut demonstrem non esse tam vile aut ineptum etiam medicamentum atque consilium, quod non convenire interdum possit egregiè, si modo cum judicio & methodo adhibeatur. Quandoquidem verò nimis prolixum foret, methodum curandarum febrium tradere secundum omnes diversitates causarum atque symptomatum; hinc jam satis mihi erit, vim saltem febrifugorum indicasse per summa capita, è quibus verum medendi modum non difficulter elicere poterit attentus Lector.

§. 3. Nimirum dixi superius, sedem omnium febrium intermittentium esse quidem in Spiritibus, ast rarò Humores omni carere culpâ, siquidem fieri potest, ut vel homorum vitia occasionem febri subministrent, vel ab alia causâ, irâ, imaginatione, nauseâ &c. Febris oborta reperiat corpus jam jam impurum, vel denique ut cacochymia nascatur in ipsâ febre. Existimo igitur remedia illa omnia, quibus contra febres utuntur, ita commodè distingvi posse, ut alia respiciant vitia humorum, alia Spiritum ideam febrilem.

§. 4. Quæ humorum vitia spectant, vel Evacuantia sunt, vel Alterantia. Ad evacuantia pertinent V. S. Sudorifera, Vomitoria, Purgantia & Clysmata. Alterantia sunt aquea, Terrea, acida, alcalia, Salsa, aromatica, acria, amara & adstringentia. De singulis seorsim, sed quantum fieri potest, brevissimis agam.

§. 5. Primò V. S. sicuti directè sangvinis quantitatem imminuit, ita potissimum locum habet in subjectis plethoricis, ubi pul-

sus magnus deprehenditur, vel solennis quidam fluxus v. g. mensium, vel hæmorrhoidum suppressus est, ubi in paroxysmo febrili (quale exemplum nunc mihi occurrit) sanguinem floridum rejiciunt ægri, item, si quis vel V. S. vel sacrificationibus crebrioribus assvetus sit. Compertum enim est in ejusmodi casibus, symptomata pejora plerumque remittere, æstum præsertim, inquietudinem atque dolorem circa tempora pulsantem &c.

§. 6. Sudorifera præcipuè corporibus serosis conveniunt & quibus febris contigit ex refrigerio, qui post commotionem violentam sudore perfusi, vel aëri libero sese incautius exponunt, vel balneum frigidum ingrediuntur. In genere autem valent ejusmodi medicamenta ad quasvis febres cum horrore incipientes, si horâ unâ vel altera ante paroxysmum propinata fuerint; quatenus principium ejus eluditur, dum in lecto calentes & sudantes ægri accessum frigori febrili non permittunt: hoc sensu febrifuga sunt sudorifera in genere omnia, sudoriferum maximum Fabri, Ant. diaph. simpl. & Mart. Antihect. Poter. Bezoard. mineral. Sol. Lunare. Joviale, Martiale & cætera aliàs usitata, uti sunt tinctura bezoard. Salia fix. & volat. rob sambuci cum CC. oc. cancr. cum aceto, pulv. Card. bened. &c.

§. 7. Vomitoria tum maximè conducunt, quando ventriculus humoribus pravis, viscidis atque biliosis refertus est, quando ægrotantes de dolore ventriculi gravativo, vel amarore oris, vel inappetentia omnimoda, nauseâ atque propensione ad vomitum conqueruntur, imprimis si error manifestus in diæta præcesserit. Constat autem per experientiam, emetica optimè tum convenire quando ante paroxysmum assumuntur, quoniam per commotionem istam non levem Idea febrilis interturbatur egregiè: nec metuenda hinc virium prostratio contratium svadere potest, siquidem aut febris planè non sequitur, aut saltem longè remissior, ita ut tantum febri quantum viribus decedat. Relinquam aliis panaceas vomitorias & arcana similis farinæ, mihi solus sæpissimè sufficit

cit Mercur. vitæ, cujus loco vel Tartarum emet, vel croc. metall. sive in substantia sive infuso, item Vitriol. alb. & juxta Borelli *C. 4. obs. 77.* Cyprium recipiant alii, per me licet.

§. 8 Purgantia eodem modo propinari possunt, si non stomachus tantum, sed & intestina vitiosis humoribus onusta, totumque corpus cacochymicum fuerit. Novi non unum, qui pulvere Cornachini, pilulis Emanuelis & similibus, febres etiam pertinacissimas dosi aliquoties repetita curarunt fundamentaliter. Nec reticebo penè quotidianum mihi esse usum arcani duplicat. cum gum. guit. in profligandis intermittentibus præsertim biliosis, postquam *in Epist. Bartholini* idem medicamentum insigniter laudatum, non contemnendæ utilitatis deprehendi. Subjectis autem pituitosis magis appropriata est emulsio resin. jalapp. atque Scammon. item si pulveres magis arrideant, cremor vel crystalli tartari aut tartarus vitriolatus cum scammonio rosato vel violato aut cydoniato &c.

§. 9. Denique & Clysmata nonnunquam laudem merentur si alvus pigrior sit, si dolores intestinorum atque dorsi vehementius urgeant, si subjecta aliàs malo hypochondriaco vel affectibus lienis sint obnoxia, si abdomen inflatum, durum atque spasmo tensum observetur, & potissimum ubi cacochymia evacuationem urgeat, ægri tamen per os pharmaca assumere detrectent. Quo in casu non est absonum etiam febrifuga usitatis vel substituere vel superaddere e.g. absinth. centaur. min. card. bened. rut. veronic. adjecto pro ratione circumstantiarum nitro, sale ammon. sale tartari, &c.

§. 10. Hactenus de Evacuantibus, qualia in humorum peccantium quantitate præprimis imminuendâ requiri videntur. Verum sicuti febris non semper ab horum usu definit, ita & ipsæ ægrorum conditiones non raro eadem prohibent. Quidam enim V.S. vel etiam Clysmata planè reformidant, alii ad sudorem nullo modo sese componere possunt, alii ob metum hæmoptyseos vomitoria respuunt, gravidæ & lactantes ægrè ferunt purgantia, atque sic porro.

§. 11.

§. 11. Igitur nec Alterantia in febrium curâ contemnenda sunt. Certè aqua pura non semel febrem ardentissimam curavit, quando ex liberali frigidissimæ hausţu vel vomitus, vel sudor largissimus provocatus est. Vid. Smetii *miscell. med. pag.* 161. & Stammers Reise-Beschreibung *pag.* 116. Adeoque præter rem curiosi sunt, qui ejus potum in æstu (absque malignitate) febrili interdicunt, cum tamen melius remedium excogitari nequeat, naturâ ipsâ indicante, nil ad calorem sitimque extingvendum frigidâ aqua esse convenientius. Utinam verò in omnibus sufficeret, atque illud Amati Lusitani experimentum quod in *Cent.* 2. *curat.* 97. annotavit quartanam tolleret ubique, quemadmodum in bilioſis subjectis satis probabile est, vomitum sequi laudabilem, si in principio paroxysmi cum frigus quartanarium torquet, cyathus aquæ rosarum ebibatur.

§. 12. Absorbentia seu præcipitantia dicta, quorum ingens usus & abusus in curâ febrium est, commodè præscribuntur ad absorbendum acidum bilisque visciditatem præcipitandam, quo nomine commendatissima sunt. C. C. Eb. ust. oc. cancr. oss. sep. Corall. mater perlar. conchar. testæ, crystall. mont. lap. lync. &c. Et quod alibi de bolo armen. atque Terra Sigill. annotavi idem quoque de lapide scisili, cujus mentio fit *in Misc. Nat. Cur. Ann.* 3. *obs.* 23. experimento, diversis in subjectis repetito, didici quodammodo hypnoticam facultatem ei esse propter Sulphur connatam, siquidem plerique post usum ejus blando solvuntur somno.

§. 13. Acida in cruditate nidorosâ ad sitim æstumque extingvendum mirè valent, præsertim si aqueis probè diluta fuerint. Usitatissima sunt Spir. Vitroli, Sulphris, Salis, nitri, nitri bez. Clyss. ant. & cum his paratæ Tinct. ros. fl. bellid. &c. item succus citr. aurant. acidorum, mali punici, ribium, berberum, cerasorum acidorum &c. Mihi præ cæteris arridet Spir. Vitroli Philosophicus vulgò dictus, quod plerumque, fortè propter particulas antimoniales in eo delitescentes alvum simul movere soleat, cumprimis si cum Syrupo violarum in formâ julepi exhibeatur. §. 14.

§. 14. Alcalia tam fixa e. g. abſinth. Card. bened. centaur. min. Tart. &c. quam, volatilia ſpir. ſal. ammon. C. C. eſſentia. Tart. volat. carminat. de tribus in præſentia acidæ & pituitæ omnino ſunt optima, ſpecialius præ reliquis ſalia vol. plantarum cephalic. majoran. rorismar. ſalv. atque rutæ extollit Helmont in *Tr. de febr. cap. 14. p. m. 776.* præſertim ſi ante paroxyſmum in vino vel aceto potentur; aſt hoc pacto vim quidem reſolvendi pituitam ac ſudorem movendi non amittunt, ad acidum autem deſtruendum ſunt invalida.

§. 15. Etenim nec ſalſorum Virtus antifebrilis contemnenda, ubi non tantùm mucus viſcidus ſed & bilis è ventriculo atque inteſtinis eliminanda veniunt. Hunc in finem ſal abſinth. cum Spir. Vitrioli miſcet Crollius, cum Spir. ſulphur. Riverius; quorum loco Tartarus vitriolatus, ſal. ammon. & arcanum duplic. ritè paratum, nitrum antim. imò & nitrum ipſum, ſi æſtus ſit vehementior præſcribi poteſt. Spectat huc quoque ſal commune quod per crebriora tentamina lanio quidam didicit, & mecum tanquam arcanum probatiſſimum communicavit jam olim. Viderat hic ipſe bilem ex inteſtinis atque ſtomacho porcorum non melius quam attritu ſalis comm. extergi; itaque cum febre bilioſa correptus, multisque medicamentis fruſtra uſus eſſet, ſalis comm. vires tentaturus, aqua ſ. ſolutum ejus manipulum potat jejuno ſtomacho, & ecce vomitus pravorum humorum paulò poſt ſequitur enormis, febrisque eadem die deſinit.

§. 16. Porrò aromatica quoque excellen[illegible]ma contra pituitam ſunt in febribus purè algidis, cinam. puta, N. M. Cardamom. Cubeb. Zingib. ac potiſſimùm piper cum caryophyllis. Optimo autem conſilio exhibentur ante invaſionem, adeoque rectè juxta Galenum grana 5. vel 6. piperis integra in acceſſu frigoris cum vino generoſo dedit Amatus Luſitanus l. c. & tanquam ſæpius à ſe expertum probavit. De Caryophyllorum autem oleo curioſum eſt, id, notante Fr. de le Boe Sylvio, *in Med. Pract.* ſaltem ſcrobiculo cordis

inunctum impedire febris horrorem. Consistit enim aromatum virtus calefaciendi in hoc potissimum, quod acrimonia eorum singularis ac stomacho grata tunicas ejusdem vellicet ac pungat, eoque ipso Spirituum affluxum uberiorem promoveat. Quoniam vero in frigore febrili Spiritus retrocedunt, hinc adversus illud magis opportunum excogitari non potest remedium, quam quod indesinenter sollicitando eosdem contrarium in motum ciet.

§. 17. Verum præter hæc aromata dantur & alia acria in cura febrium itidem non vilipendenda, Tinct. tartari, Tinct. ant. tartarisata, nasturtium, cochlearia, radix ari, helenii & armoraceæ, & quæ paulò mitiora sunt, sed in resolvenda pituita non ultima, lignum Guajacum & Sassafras, chamomilla cum Betonica, hypericum &c. Huc referi potest radix asari, quæ utut cruda magna cum anxietate vomitum movet, in aqua tamen decocta vim potius aperitivam ac diureticam exerit, annotante Hoffmanno *in M. M. p. 105.*

§. 18. Restant amara, quæ propter facultatem vel stomachicam, vel etiam sudoriferam plerisque in febribus exhiberi possunt, qualia sunt absinth. centaur. min. Card. bened. rad. gentian. Myrrh. &c. ubi obiter moneo, aliud esse, si hæc ipsa propinentur in substantia vel decocto cum aqua simpl. parato, aliud, si infundantur in vinum, vel eorundem essentia cum Spiritu vini facta fuerit; siquidem hæc ipsa non æque ac illa convenire constat iis in febribus, quæ vehementiore æstu ægros infestant. Idem hoc de cortice peruviano, Gannanaperide, vel ut alias vocatur china chinæ censeo, utpote qui præ cæteris amaris aut febrifugis revera nihil peculiare, aut tanta laude dignum præstat. Certè sive genuinum sive adulteratum sit, quod venditur, observavi ab ejus usu interdum quidem febrem aliquandiu delituisse, sed plerumque subsecutam pejorem recidivam, in aliis & frustraneum & magis nocivum extitisse, quamvis omni cura nunc in substantia, nunc cum vino, nunc saltem infusum vel extractum ejus tam ante paroxysmum quam post eum, exhibitum fuerit. Adhæc Dosis ejus ubi sæpius repetenda, pauperibus pretiosa, omnibus nauseosa est nimium. §. 19.

§. 19. Tandem nec Adſtringentibus omne denegandum eſt encomium, præſertim ſi cum vomitu vel alvi fluxu, vel hæmorrhagiis conjunctæ ſint febres. Sanè alumini ſanguine Draconis tincto mirandam efficaciam adſcribit Mynſicht p. 28. idem cum nuce moſchata, olibano, pipere atque caryophyllis admodum deprædicatur *in appendice ad Annum VI. M. N. C. p. 169.* & Hartmannus atque Grülingius non veriti ſunt, id pondere Scrup. unius in aqua vel decocto centaur. minoris porrigere. Radix tormentillæ quibusdam inter ſecretiora numeratur, & mihi pulvis è terra ſigillata cum ſaccharo Saturni & hæmatite vel Vitriolo Martis non ſemel præſentaneum tulit auxilium. Idem hoc de floribus Sal. ammon. cum hæmatite vel batitura ferri aliquoties ſublimatis atteſtari valerem, niſi ſapor eorum vix tolerandus crebriorem diſpenſationem pene diſſuaderet.

§. 20. Loco Epimetri obſcœna atque inepta nonnullis contra febres uſitata medicamenta ſubnecterem; Sed quoniam indigna ſunt quorum nomina cæteris medicamentis adſcribantur, atque à medico ingenuo non ſine artis dedecore tractari queant, uti ſunt Urina, ſtercus canis oſſa rodentis, honeſtiori titulo albi græci palliatum &c. Igitur linquamus ea ſuis Autoribus, cimices deglutiendas Athanaſio Kirchero, ſtercus vaccæ calidum ac recens Rulando, ſtercus ſuillum Monacho illi Dominicano, cujus meminit *obſervatio CXX. Anni III. M. N. C. p. 192.*

§. 21. Progredior potius ad illa febrium remedia, quæ Spirituum ideam febrilem tollunt; ſed eorum ratio non una eſt, ſiquidem alia operantur Spiritus ſedando, alia eos roborando vel commovendo, vel divertendo, vel fallendo. Sedant autem Spirituum motum inordinatum præ cæteris opiata ante paroxyſmum propinata cum appropriatis: Si enim ſomnus ſequatur, largiter utplurimum ſudant ægri, ac interim nil mali ſentiunt, nil timent, tandemque expergefacti, ubi tempus paroxyſmo deſtinatum præteriiſſe intelligunt, hilares de felici cura ſibi gratulantur. Vide exemplum illuſtre in Bartholini *Hiſtoriis Anatom. Centur. 1. Hiſt. 84. p. 137.*

§. 22. Simili ferè pacto juvant ad ardorem potiſſimum vel præcavendum vel extingvendum ſulphurea illa & oleoſa ac gelatinoſa Refrigerantia, ſuccinum, emulſiones ſeminum frigidorum, pinearum atque amygdalarum dulcium, gelatina C. C. atque Eboris &c. nam & hæc ipſa non modo acrimoniam, ſi quæ adſit, corrigunt, ſed & plerumqve placidum inducunt ſomnum, fervorem Spirituum leniter ſiſtendo ac demulcendo.

§. 23. Quemadmodum verò hæc ipſa in ſubjectis calidioribus ac febribus ardentibus locum habent, ita, ſi frigus ægrum vexet debiliorem, ſpirituoſa potius, quæ Spiritus animales roborent, videntur requiri. Modicum quidem aqvæ vitæ Lotichius in ſe ipſo efficaciſſimum deprehendit, quod ante invaſionem aſſumſerat ſaccharo paulisper edulcoratum. Aſt nec deſunt, qui vinum quoque ac cereviſiam ad ebrietatem uſque & vomitum ingurgitant, eoque ipſo imminentem febrem tollunt.

§. 24. Idem alii optato cum ſucceſſu tentant, commovendo corpus, ambulando, equitando, ſaltando &c. Quamdiu enim Spiritus exagitantur, tamdiu retroceſſioni febrili ac frigorificæ non conceditur ſpatium. Sic olim Quintus Fabius Maximus, poſtquam diu qvartana detentus plurima incaſſum adhibuiſſet remedia, tandem conſerto cum Allobrogibus prælio febrem pugnandi ardore discuſſit, teſte Livio.

§. 25. Nec dubium eſt excandeſcentiam Spirituum in hoc qvoque caſu multum contribuiſſe cum alias conſtet, motus animi interdum idem qvod corporis valere. Siquidem Greulich *in Tr. de bile ægra & ſana p. 44.* Caſus ejusmodi narrat febris per iram curatæ; ac lectu jucundiſſima eſt Borrichii cura, qua per lagenas aqva fervida plenas in fœmina illuſtri medicamenta omnia reſpuente, indignationem prius quam ſudorem movit de induſtria *Vid. A. III. M. N. C. p. 427.*

§. 26. Idem quoque in aliis terrorem ſubitaneum præſtitiſſe, tradunt hiſtoriæ à Pareo *libr. I. cap. 32.* annotatæ: videlicet protrudeba-

debatur nobillis quidam Gallus inopinato in flumen, circa cujus ripam deambulabat ad evitandum quartanæ insultum, atque tum statim curatur, amici joco plus valente quam medicamento ullo. Alius cum ei in conflictu glans plumbea cervicem perforasset, tanto mortis terrore perculsus est, ut febris ardor tum instans metui cesserit frigido, ac deinceps à quartana immunis supervixerit diu.

§. 27. Habent enim & Fontanellæ & Vesicatoria hunc nonnunquam usum, ut si dolor in eorum applicatione excitetur ante paroxysmum, Spiritus divertantur, febrilemque ideam perdant oblivione laudabili. Proinde non ineptum est, ranunculum acrem, cepas, allium, sinapismos atque acriora Emplastra vesicatoria manuum carpis imponere. Tale cataplasma febrile ex allio, sale, croco & aceto, quo plus quam centum personæ sanatæ sunt, prostat in *appendice Anni VII. M.N. C. p. 176.* Ubi tamen hæc circumstantiæ peculiares simul indicantur, ut tempore paroxysmi applicetur, & quidem digito annulari sinistro, sitque præteritis novem diebus eadem hora, qua fuit adhibitum, auferatur & projiciatur in aquâ fluminis.

§. 28. Verum dantur & alii modi Spiritus divertendi, atq; abstrahendi à metu ingruentis febris, inter quos ultimus non est confabulatio & lusus. Instar omnium sit observatio Schenckii quam è Bruto Lusitano *l. 6. p. 137.* recenset de juvene in tertiana desperante cui tempus paroxysmi eleganti fraude celatum aleæ lusu terebatur ab ipso Medico, ac postmodum non revertebatur, qua antehac laboraverat, tertiana.

§. 29. Et jam hæreo, annon sæpius fallantur Spiritus per Amuleta eurasque transplantatorias & alia superstitiosa remedia. Sicut enim fiducia erga Medicum aut Medicamentum plus non raro juvat, quam generosum quodvis arcanum (id quod juvenis chartam recepta signatam arenaque conspersam assumens satis probat juxta *observat. 92. Ann. VI. M. N. C. p. 149.*) ita nec mirum est, si febris ineptissimo etiam consilio cedat, quandocunque certa spe salutem sibi pollicetur æger.

§. 30. Quid enim quæso cranium canis lecto occultatum, Amuletum ex millepedibus collo appensis, aut aranea nucis putamine inclusa, pilis barbæ, characteribusque adornatum ad febrem? quid ungvibus resectis, quos cancro alligare jubent, quid Urinæ cum ovo coctæ vel in fluvium effusæ commune cum ægro? ut alia taceam.

DISPUTATIO XLVIII.

DE FEBRIBUS ARDENTIBUS.

PRÆFATIO.

DUo sunt, quæ Febrem propriè indicant, caloris nempè nativi vel defectus sive frigus præternaturale, vel excessus sive æstus intensior. Hinc verò tria enascuntur summa Febrium genera: aut enim æger conqueritur de insolitô frigore ac horrore totius corporis, quanquam nulla ejus externa detur causa, in Febre Algidâ: aut conqueritur de intolerabili æstu, in Febre Ardente: aut de utroque simul vel per vices molesto, quod in defectu termini magis adæquati Febrem vocare Mixtam interea licebit. Missis jam cæteris, de Ardentibus solum differere mecum constitui, & quidem non omnibus in genere, sed speciatim de his, quæ simpliciter Ardentes dicuntur, stricto sc. sensu, prout ex ipsâ tractatione clarius elucescet. DEUS autem Ter Optimus Terque Maximus faxit, ut omnia

cedant

cedant feliciter, in sui Divin Nominis Gloriam, proximique salutem.

§. 1.

EQuidem *Febrium Ardentium* in genere spectatarum quamplurimæ species, & quidem inter se longè diversæ dantur. Ita enim pestilentes, malignæ, & quæ purpuram, variolas, morbillos, erysipelas, podagram, vulnera, dentitionem infantum dolorosam, inflammationem meningum, colli, pectoris, pulmonum, diaphragmatis, renum, aliarumque partium, comitantur, non rarò satis *Ardentes* sunt; nihilominus integrum, arbitror, mihi erit, si studiò brevitatis hâc vice saltim attingam simpliciter *Ardentes*, h. e. ubi nulla malignitas aut inflammatio, nulla exanthemata, similiaque concurrunt.

§. 2. Atque nec hoc sensu specialiori acceptæ *Febres Ardentes* inter se penitùs conveniunt, præsertim si durationem vel mutationem caloris advertamus. Quid enim impedit, *Febrium Ardentium* alias dici Continentes, alias Continuas, alias *Intermittentes?* Præsertim cum à veteribus καῦσος, quod *Febrem* interpretantur *Ardentem*, non unò modò accipiatur, uti ex *Sennerti l. II. de Febb. cap. 12.* satis apparet.

§. 3. Præ cæteris quidem frequentiores sunt *Ardentes Continuæ*, & quidem *Tertianæ*; unde *Gorræo in Definit. Medic.* καῦσος seu *Ardens Febris* est Continua tertio quoque die acerbiorum ardentissimò calore & siti immensâ. Attamen nec Continentes desiderari possunt, cum & *Fernelius de Febb. lib. 4. c. 7. Febrem Ardentem* sive *Causum* appellari asserat, quando perpetuus & constans est ardor, isque ferè æquabilis, nec manifestè tertianò motu excandescens. Dubium proinde nullum est, quin & Synochus seu Continens & Synecha seu Continua sub titulo *Ardentium* comprehendatur.

§. 4. Quod

§. 4. Quod intermittentes attinet, crediderim eodem jure Quotidianas etiam Quartanasque nonnullas dici *Ardentes*, quò Tertianas exquisitas dixit *Galenus* variis in locis à *Sennertò* allegatis dicto cap. Nam & ex eodem fundamentò, quæ Continuæ sunt Quotidianæ cum Tertianis Continuis *Ardentes* appellari quid prohibet?

§. 5. Si enim juxta *Galen. Com. IV. in lib. de Rat. Vict. in Morb. Febres Ardentes* appellantur, cùm igneus calor & implacabilis sitis hominem vexat; non immeritò & Continentes & Continuas & Intermittentes quasdam vocare *Ardentes* licebit, si modò bina illa signa pathognomonica, calor puta igneus, sitisque insatiabilis in iis occurrant.

§. 6. Videlicet ex triplici hoc Febrium genere sunt, quæ nullum planè frigus, aut certè non nisi circa primam invasionem conjunctum habent. Continuatur autem calor, aut exacerbatur remittitque, aut intermittit penitus reditque, secundum diversitatem circumstantiarum sæpè levissimarum, ut postmodum dicam. Atque ideo non inconvenienter, puto, *Ardentes* hujusmodi à me conjunctim pertractabuntur; præsertim cum ratioque causæ atque curæ vix ac ne vix quidem inter se dissideant.

§. 7. Nimirum causas quod concernit proximas, notum est, à veteribus olim non nisi bilem fuisse accusatam in *Febre Ardente* legitimâ, quanquam in Spuriâ seu Nothâ, pituitam quoque falsam allegaverint. Utque demonstrarent, quo pacto calor à bile oriretur, putredinem excogitârunt; quam enim in vasis majoribus sanguiferis bilem supponebant, inter putrescendum suggerere calorem cordi continuum crediderunt, & quidem tùm maxime, cùm in arteriis insimul sanguis spirituosus calidissimusque putredinem conciperet similem.

§. 8. Quandoquidem verò istiusmodi humorum putredo in corpore vivente concipi non potest absque inevitabili destructione totius: itaque aliam invenisse rationem caloris Febrilis sibi visi sunt

sunt Recentiores, utpote quorum alii bilem quidem cum Veteribus pro causa Fe bb. ardentium habent, ast non putrescentem, sed cum lymphâ efferveſcentem. Ita enim *Fr. de le Boe Sylvius l. 1. Prax. Med. cap. 29, 18. seqq.* Existimat calorem Febrilem produci propriè & per se à bile tum acriore, tum pinguiore, quatenus illa & in tenui intestino cum succo pancreatico, & in cordis ventriculo dextro cum affluente undique lymphâ efferveſcens, non tantùm plures ignis particulas, quibus tum abundat, de se promit, verùm maximam earundem tunc erumpentium partem utrobique partibus suis oleosis denuò excipit, atque in corde quidem sanguini mox penitius admiscet; unde idem solito magis rarescit, caloremque itidem majorem ubique communicat cum pulsu majore & frequentiore.

§. 9. Nonnulli potius vitium quærunt in sanguine ipso, ejusque sulphure abundante. Verba *Th. Willis de Febr. cap. 11. p. m. 131.* hæc sunt: *Causus sive Febris Ardens ea est, quæ cum majori æstu, siti fere intolerabili, aliisque symptomatibus insigniorem sanguinis phlogosin arguentibus, cursum suum peragit: ejus ratio formalis, quâ à cæteris discriminatur, in hoc consistit, quod ejus materies sanguinis in affectis sit calidior, h. e. sulphure concremabili magis abundet; ideò cùm efferveſcit, majori copia accenditur, & deflagratione suâ, caloris intensissimi effluvia per totum corpus diffundit.*

§. 10. Clarius è salium doctrina rem omnem deducit *Mich. Ettmullerus tr. de Febr. Continuis p. m. 302.* Quando ex volatili acriori acido intensiorem efferveſcentiam concitante, intensissimum illum æstum derivat; ex hoc ipso verò dum alcalisatur quasi causa Febrilis, ut loquitur *Helmont. tr. Pylorus rector. §. 26.* intensa adeò sitis, h. e. depravatum in Febre fermentum stomachale, dum non aptum est ad consuetam digestionem, in excrementum nidorosum facesſere sinit, quicquid in stomacho fuerit, quod à calore partis, & speciatim à nimiò æstu febrili magis alteratum, & quasi colliquatum in texturam alcalisatam, ut qs. empyreuma contrahat,

tunicis ventriculi tenacius impactum febrilem sitim infert, irritando & vellicando certo modo membranam stomachi & œsophagi, & per consensum ipsius quoque linguæ, unde intolerabilis ferè sitis &c.

§. 11. *Joh. Dolæus* autem *l. IV. de Febb. c. 10. §. 5.* vitium non modò in humoribus, sed & spiritibus quærit, ad hunc modum: *Nos pro Febris Ardentis causâ veræ proximâ venditamus calidissimas sanguinis particulas sulphure concremabili & sale volatili magis abundantes, & calorem hunc intensissimum & ardentem producentes; nec hic excludimus furibundum spirituum animalium in partibus influxum.*

§. 12. Rectius præ cæteris sentit *Joh. Bapt. van Helmont. in tr. de Febb. c. 1. 24. 25. seq. Febris, quæ vivum calefecit, statim à morte cessat, omnisque calor cum vitâ exspirat; quod nos instruere deberet calorem febrilem non esse materiæ peccanti proprium vel inquilinum, quodque calor materiæ peccantis non efficienter & effectivè calefaciat in Febribus. Ergo perpetuò verum est, quod materia peccans tantùm occasionaliter calefaciat, Archeus vero sit omnis alterationis opifex, adeoque hoc titulo impetum faciens, efficienter, primariò, immediatè, semper, ubique, & solus nos calefaciat, juxta axioma: Quicquid in sanis edit actiones sanas, id ipsum in morbis edit actiones vitiatas, spiritus enim iste calefacit hominem naturaliter in sanitate, idem qui in febribus æstuat.*

§. 13. Quid enim magis aptum ad explicanda quævis in Febre phœnomena, quam si quis ad imitationem *Helmont.* causam Febrium Ardentium proximam in spiritibus, occasionalem autem in omnibus, quæ spiritus excandescere faciunt, quærat. Quis neget æstum febrilem, & inquietudinem, agrypniam, deliria, palpitationem cordis, pulsum celeriorem atque hæmorrhagiam, & si quæ sunt alia Febrium Ardentium symptomata nasci à spirituum impetu & commotione præternaturali, prout hæc omnia fusius deduxi *in Exercitatione Medicâ de Febribus Intermittent. c. 3. §. 12. seq.*

§. 14.

§. 14. Quodſi res ita dictas non naturales examinamus, inter animi pathemata obſervatur ira præ cæteris Ardentes producere Febres, quemadmodum id quotidiana teſtatur experientia. Eſt enim ira brevis furor, unde in ſubjecto prædiſpoſito, aut accedente levi errore continuatur rapidus iſte ſpirituum motus. Curioſius eſt, ſimilem Febrem ab enormi gaùdio fuiſſe obortam, qualem hiſtoriam *Joh. Rhodius Cent. 1. Obſ. 4.* recenſet.

§. 15. Idem valent vigiliæ aliquandiu protractæ, quatenus quietem ſpiritibus debitam non permittunt ob ſomni defectum, unde motus inordinatus confuſusque illorum facillimè accidit. Atque ideò & *Galenus lib. IV. de rat. vict. in acut. Com. IV.* inter alias Febrium Ardentium cauſas, uti ſunt vini potus liberalior, abuſus ſalſamentorum, ſalſorumque, ira, motus corporis &c. vigilias quoque commemorat.

§. 16. Quid immoderatus vini potus hâc in parte præſtet, ſuo cum damno non infrequenter experiuntur bibaculi, quamvis alias idem potus magis nocivus obſervetur, eidem minus aſſuetis, tenerioribus præcipue ſubjectis: cujus rei teſtimonium inſigne præbet innocens puellula 4. annorum ab uſu clareti & melicrati, Cauſone correpta, ex Obſervatione *Ad. Loniceri. Joh. Schenkio allegata lib. VI. Obſ. Med. IX. de Febr. Ard.*

§. 17. Inprimis ubi corpus incaluerit à balneô vel radiis ſolaribus, item à motu vehementiore pernicioſum maxime vinum eſt. Id Princeps quidam, cum poſt hauſta liberalius vina Cretenſia in balnea ſe contuliſſet, paucis poſt diebus Febre Ardente extinctus, lugubri exemplo comprobavit, notante *Wolfg. Gabelchovero Cent. VI. Curat. Med. Obſ. 36.*

§. 18. Nam & motus corporis laborque nimius in diebus caniculariibus ſatis eſt ad producendam Febb. Ardentem, *vid. Petr. Foreſt. l. II. Obſ. 20.* Et à coitu laborioſo, cùm arderet Syrius in cauſonem incidiſſe quendam juvenem memorat *Amatus Luſit. Cent. 3. Curat. Med. 33.*

§. 19. Novi hominem, qui cum obesior esset, ad emaciandum corpus, aceti potu largiore usus in Febrem ardentissimam lapsus est: itemque alium, cui simile quid contigit ex hausto olei Tartari per deliquium; judicent alii, annon idem metuendum sit ex abusu salium volatilium præcipuè aromatisatorum, quæ tamen non ægrotis modo, sed sanis etiam superstitiosius & indiscriminatim à quibusdam commendantur.

§. 20. Quid de aromatibus dicam acrioribus, pipere, zingibere, cardamomo, cubebis, caryophyllis ac cinnamomo. Si enim quicquam aliud, certe istiusmodi aromata præ cæteris calorem excitare summum solent in corpore; quamobrem non male Martius panis, utplurimum satis aromatisatus venenum puerorum dici meretur, siquidem non numerandis constat exemplis, quanta inde Ardentium turba primæ illi ætati acciderit.

§. 21. Plura ut adducam, non necessum arbitror: saltem ex jam ennarratis notetur, in eo convenire omnes causas Febrium ardentium remotas, quod spiritus vitales præter naturam commoveant insigniter, quocunque demum id modo fiat. Fit autem idipsum duplici potissimum ratione. Sunt enim alia, quæ realiter spiritus commovent, alia quæ saltem idealiter eosdem turbant.

§. 22. Idealiter tantum commoventur spiritus in animi pathematibus, ira, gaudio, similibusque, quoniam objectum eorum tanquam externum & sæpè remotissimum spiritus non aliter afficere potest, quam per modum repræsentationis. Scilicet fingamus illud vel gratum vel ingratum: si gratum, animus tamdiu inquietus erit, donec desiderata re potiatur: si minus gratum exosumque, cura non minor erit diurna nocturnaque, quo pacto idipsum tolli, illataque v. g. injuria inimico reponi queat. Ita enim assolent, qui nimis indulgent affectibus, longè vehementius commoveri ab impressionibus phantasticis, quam qui sedatiore sunt animo, à doloribus corporis etiam acerbioribus.

§. 23.

§. 23. Sunt autem alia, quæ ſpiritus magis realiter exagitant, uti labores ardui, motus corporis immoderati, inter digladiandum, ſaltandum &c. Spectant huc aromata atque acria quævis; quanquam enim hæc ipſa ſpiritus immediatè non attingant, commovent tamen eoſdem mirum in modum, quatenus vellicando hinc inde fibras corporis, ſpiritus undique inquietos reddunt & exagitant.

§. 24. Jam verò difficile non erit dictu, quâ ratione hinc Ardens naſcatur continens, aut continua vel etiam intermittens. Nimirum Continens proculdubio Febris excruciabit ægrum, quando cauſa quædam adeſt ſpiritus indeſinenter commovens, e. g. ſanguinis acrimonia ſumma, unde lancinatio, dolorque perpetuus.

§. 25. Continua potius Febris obſervatur, quando materia quidem morbifica continuò, ſed inæqualiter, modò plus, modo minus influit, e. g. ſi quæ acrimonia humorum hæret in ventriculo primiſque viis, certum eſt, eandem hinc pedetentim ad Maſſam Sanguineam adduci, ſed longè copioſius poſt hauſtum vini vel cereviſiæ.

§. 26. Intermittens autem Ardens erit, ſi cauſa febrilis æſtus, prout in reliquis Intermittentibus ſolet, nunc quidem penitus ceſſet, ſed & à ſupervenienti errore renovetur, duplicetur vel triplicetur: e. g. ponamus à pilæ luſu in diebus canicularibus nimium calefieri corpus, idemque intempeſtivum exercitium repeti ſequenti die, aut loco ejus non diſſimilem committi errorem, quis dubitet? Ardentem hinc conciliari poſſe Intermittentem.

§. 27. Hæc de cauſis Febb. Ardentium dixiſſe ſufficiat; ſupereſt ut curam earundem nunc quoque ſubjungam. Circa quam in genere monendum, eam quantum poſſibile accelerandam omnibus modis, quia iſtiuſmodi ardentes more acutorum paucos intra dies terminantur; ad mentem *Hippocratis* breviſſimè 9. vel 10. longiſſimè 14. *vid. lib. de affection. Sect.* 11. 12. quod tamen de Continentibus in telligendum puto, ſiquidem Continuæ atque Intermittentes interdum ad 20. uſque ac paulò ulterius ſe extendunt.

§. 28. Ut itaque tam periculosi affectus cura felicius succedat, causarum ubique ratio habenda erit, scilicet non proximæ tantum, sed & remotiorum atque occasionalium. Ita enim facillimo negotio, qui causam morbificam tollit, Febrem unà cum omnibus inde oriundis symptomatibus extinguit promptè.

§. 29. Equidem non deerunt, qui neglectis causis, morbum ipsum attingere propius sibi videntur, si modò refrigerantia fortiora largius adhibita contra intensissimum æstum fuerint. Verum, quo id cum successu fiat, experientia loquitur, ipsa Empyricorum magistra. Quemadmodum enim ad sitim Febricitantium sedandam sæpè nequicquam valet potus largior atque continuus; ita quoque refrigerantia omnis generis non rarò adhibentur incassum, saltem ideò, quod suo loco atque tempore non fuerint applicata debite.

§. 30. Scilicet sublatâ causa tollitur effectus. Sed causa Febrilis æstus non una est; igitur nec omnibus aptum idem erit medicamentum, quippe quod non aliter refrigerare potest, quam positis certis quibusdam circumstantiis. Felicissimus proinMedicus non immerito is appellabitur, qui veras poterit morborum causas cognoscere.

§. 31. Circa proximam quidem causam Ardentium minor erit difficultas, hoc suppositio, quod cum *Helmont.* statuamus & calorem naturalem nostri corporis dependere ab influxu spirituum ordinato, & præternaturalem ab eorundem inordinato ac tumultuario impetu. Hic verò impetus ut refrenetur, medicamento sedativo spirituum opus erit. Talia sunt papaverina, Crocata & Hypnotica in genere omnia optima Febrium Ardentium remedia. Quid verò prohibet, quo minus hæc ipsa unicè recipiantur ad earundem curam, tanquam maximè appropriata?

§. 32. Resp. sunt certe appropriata, sed minus sufficientia, ideò quod causas morbi, spiritus indesinenter irritantes, insimul non removeant. Neque verò æstus extingui poterit prius, quam

subla-

ſublata erit ejusdem cauſa, prout nec dolor in digito ceſſat, etiamſi cuncta quis applicet anodyna, quamdiu ſpina infixa pungere non deſinit.

§. 33. Quapropter ut ſpina Febrilis eruatur omnem adhibere curam neceſſe eſt. Solent autem humores acres varii generis ut ſupra dictum, *Febrem Ardentem* aut inchoare, aut certè continuare. Quanquam enim interdum ab irâ ſimilique cauſa ideali primum inchoetur *Febris*, fovetur tamen & continuatur à cauſis materialibus, vitiiſque humorum; præſertim cum ab ipſo æſtu Febrili, Sanguis, Lympha, biliſque inſpiſſata manifeſtè, acrimoniam cum viſciditate majorem neceſſaria contrahent.

§. 34. Hæc ergo acrimonia humorum, utpote maximè nociva, quo corrigatur ac tollatur, duplici opus remedio erit, alterante etiam & evacuante. Evacuandi ratio non una ſe offert, ſi naturam ſectari ducem velimus, ſiquidem per vomitum ſpontaneum vel alvi fluxum, per ſudorem vel hæmorrhagiam ſublata ſæpius *Ardens* fuit. Confer *Valleriolam Lib.* VI. *Obſ. 8. Foreſtum Lib. II. Obſ. 16. 21. & 22.* alioſque plures.

§. 35. Cum enim humores pravi vel in primis viis hæreant, vel in ipſa ſanguinis Maſſa, aliam videtur natura inveniſſe rationem expurgandi ventriculum ac inteſtina, ſcilicet per vomitum vel diarrhæam; aliam depurandi ſanguinem per ſudorem nempe ac hæmorrhagiam. Neque rarum eſt in eodem ægro concurrere vomitum cum hæmorrhagiâ, vel ſudorem cum alvi fluxu, quandocunque videlicet natura evacuationem ex utraque parte neceſſariam judicaverit.

§. 36. Poſſumus ad imitationem naturæ, ſi humores pravi ac potiſſimum bilioſi hæreant in ventriculo, vomitum excitare, ſed blandum. Quibus enim robuſtior eſt ſtomachus, ii fortius quoq; vomitorium tolerant; aſt in debilioribus ſubjectis ſatis eſt potaſſe copioſius, uſque dum evertatur ventriculus. Errant pro in non parum, qui parciorem ægris concedunt potum, ſiquidem copioſiore

potu

potu evacuationes Criticæ per ſudorem, alvum, vomitumq; egregiè juvantur, ut rectè monet *Primeroſius lib. 4. de vulg. Err. Cap. 40.*

§. 37. Si qui verò vomitum abhorrent, illis evacuanda eſt per alvum bilis, non quidem ſcammoniatis & acrioribus purgantibus, ſed mitioribus aliquandiu continuatis. Cumque pulveres pilulæque vix commodè operentur in corpore per æſtum Febrilem deficcato, nihil unquam convenientius vidi quam Decoctum rad. lil. alb. & altheæ cum fl. viol. & papav. additis fol. ſ. ſ. ſt. atque paſſulis vel ſyrupo roſarum ſolutivo, aut cichorei cum rhabarb. Cui lubet, poterit ſimilia quoque adhibere in clyſmatibus, quotieſcunque illi viſum fuerit, præeunte *Hipp. de Purgant. l. 5.*

§. 38. Sicuti porrò per hæmorrhagiam narium non ſemel extincta fuit Febris, ita in ejus locum ſubſtitui V. S. non incongrue poteſt, impr. ſi æger fuerit plethoricus. Tum enim primò ſtatim vel altero die, ubi pulſus vehemens magnuſque deprehenditur, ſanguinis imperanda miſſio, & quidem largior.

§. 39. Promiſcuè tamen omnibus ſuadere illam non licet. Quid enim magis abſurdum? quam venam ſecare poſt decurſum aliquot dierum, ubi vires jamjam exhauſtæ, vaſaque ſanguifera ob æſtum vehementiorem fere depleta ſunt: item cum vitium magis in ventriculo, quam ſanguine reſidet, id quod amaror oris, ructuſque bilioſi, nec non propenſio ad vomitum cum cardialgiâ manifeſte indicant.

§. 40. Quod autem evacuationem per ſudores concernit fateor eâ quidem opus eſſe, ſi quid vel reſolvendum vel expellendum eſt è Maſſa Sanguineâ; quoniam verò in Febribus purè ardentibus neutrum horum requiri videtur, ſatius eſt abſtinuiſſe. Et quanquam ſudorifera in genere omnia ſanguinem, cæteroſque humores una cum ipſis ſpiritibus notabiliter commoveant, præ cæteris tamen volatilia id præſtant; ita ut non parum mirer, quomodo à non paucis ſalia volatil. atque Camphora, tinctura Bezoard. & mixtura ſimplex adeo audacter & promiſcue præſcribantur in cura Febrium ardentium.

§. 41. Sed

§. 41. Sed de modis evacuandi jam dixisse sufficiat, dicendum nunc quoque de alterantibus erit. Quæ omnia confusionis evitandæ gratia in classes referri possunt. Prima sit aqueorum, secunda terreorum & absorbentium, tertia incrassantium & temperantium, quarta acidorum, quinta salsorum.

§. 42. Primum sub titulo aqueorum intelliguntur aquæ destillatæ refrigerantes officinarum, endiviæ, lactucæ, cichorei, acetosæ, acetosellæ, portulacæ, rubi idæi, fragorum, & quæ *Heurnio* præ cæteris arridentæ anguriæ atque cucurbitæ, imo & ipsa fontana, seu aqua pura, neque destillata, neque cocta, sed actu frigida. Hanc nimirum ad satietatem usque jam olim commendavit per experientiam edoctus *Galenus, lib. 10. meth. c. 5. & Rhasis lib. 3. Continent. tract. 1. cap. 2. Vide Zacutum Lusit. de Med. Pr. hist. lib. 4. hist. 11. & Henr. Smetii Miscel. lib. 3. p. 161.*

§. 43. Præterquam enim quod copiosior potus vomitum promoveat facilem, uti §. 37. jamjam dictum; saltem nemo est, qui eidem denegare possit vim diluendi humores acres viscidosque. Idem scopus est Juleporum in Ardentium cura usitatorum, quanquam plerique eundem non obtineant, ideo, quod aucta adjiciendorum syruporum dosi eosdem sæpe dulcissimos reddant, cum tamen saccharata æstum manifeste augeant. Par erit ratio mellitæ aquæ, si quis ad imitationem *observationis 86. Ann. VI. Miscell. Curios.* eandem adhibere voluerit; videlicet sufficit aquam saltim ad gratiam saporis vel tantillum edulcâsse.

§. 44. Secundò absorbentia & terrea, uti sunt lap. cancror. Alabastrum, crystallus montana, mater perlarum, C C. ac Ebur ustum, it. bolus Armena, terræque sigillatæ tum maximè appropriata erunt, quando acidi humores in ventriculo residentes absorbendi sunt. Ut taceam eadem quoque in saburra biliosa non contemnenda esse, si cum aqua largiore propinentur. Ita enim particulas bilis viscidas adhærentes terreis non difficulter præcipitare ac educere licitum erit.

§. 45. Tertiò nec reticenda incraſſantia puto ac temperantia, uti ſunt Emulſiones ſem. frigidorum, Decoctum ac Gelatina C C. atque eboris. Si quid enim valent, id ſanè valent in temperanda humorum acrimoniâ. Conveniunt proinde ſcorbuticis potiſſimum & quibus ex abuſu ſpirituoſorum & aromatum Febris obortà eſt. Huc ſpectat hordei decoctum, quo plures ſub nomine ptiſanæ utuntur; quoniam verò idipſum cruditates ſtomachi flatulentas ejuſque atoniam inferre ſolet, minus probari poteſt, ex ſententia *Mich. Ettmulleri*, *Cap. de Febr. Continuis §. 10.*

§. 46. Quartò acida in ardentibus uſitatiora ſunt, vel mitiora vegetabilium, ſuccus ſempervivi maj. acetoſæ, citri, ribium atque berberum, cujus in ſpecie vires egregias tradit *Zodiacus Medico Gallicus Ann. 1. Obſ. 8. Jan. pag. 100.* vel fortiora mineralium, ſpir. ſulphur. ſal. nitr. clyſſus antimonii, de quibus tamen & hoc monendum, quod nec illi exhibeantur niſi minori in doſi probè diluti, ac dulcificati, utplurimum ſub nomine Iuleporum. Refer huc & tincturas florum acidulatas, videlicet roſarum, violarum, bellidis, tunicæ, ac papav. errat.

§. 47. Conferunt autem hæc ipſa tum maxime, cùm præceſſerit abuſus ſalium volat. atque fixorum, item quandocunque bilioſi aut pituitoſi humores ventriculum occupant. Mirum enim eſt, quam aptè per alvum educantur bilioſa cum viſcidis, ſi quis acida cum dulcibus permixta, præcipue ſpiritum vitriol. philoſoph. cum ſyrupo violarum in aquæ comm. ſ. q. propinet. Etiamſi enim per aliquot dies, ut fieri ſolet, obſtructa fuerit alvus, laxabitur tamen cum inſigni ægri levamine.

§. 48. Quintò reſtat ut ſalſorum quoque mentionem adjiciam, qualia ſunt nitrata præcipue, nitrum purum, lap. Prunellæ, nitr. antimoniat. vel vitriolatum, ſeu arcanum dupl. Horum quidem omnium uſus eſt de detergenda in ventriculo bilioſa. Unde non inconveniens eſt ſi cum ſtimulo purgante commiſcentur; cumque in *Thom. Bartholini Cent. 2. Epiſt. 42.* Panacea Holſatica

cum

cum magist. Gumm. Gott. mirè commendatur adversus Febres Contumaces & Quartanas; non dubitavi ad imitationem ejus ipsum gummi gott. ad gr. v. vel vi cum arcano dupl. vel nitro puro in Ardentibus exhibere, atque si opus, reiterare optimo cum successu.

§. 49. Hæc potiora sunt. adversus Febres Ardentes remedia, quibus ritè administratis, Deo benedicente, tolli hoc morbi genus, aliàs satis periculosum, potest. Interim tamen nec Diætæ ratio negligenda erit. Abstinendum videlicet à vini nec non cerevisiæ potu est: cujus loco aqua pura vel coventum, serumve lactis ægroto porrigatur. Cibi nec aromatisati dentur, nec saliti aut saccharati nimium: imò nec acidi, quibus acidum peccat: nec pingues, ubi bilis abundat.

§. 50. Præterea satius est aërem ambientem inspirare frigidum quam calidiorem. Nam *Galenus ipse 2. Meth. 9. & l. ad. Glauc. Cap. de Tertianâ exquisit.* Balneum aquæ frigidæ suadet. Usum autem nivis, graminisque recentis ad refrigerandum corpus, vid. *in Observat. Paullini Miscell. Curios. Dec. 2. Ann. 6. annexis pag. 30.* item refrigerium in pavimento utilissimum *vid. ap. Jo. Schenckium lib. 6. de Febr. Observat.*

§. 51. Denique omnibus modis servanda quies est, tam animi, quam corporis, itaque occasio cuncta, quæ irritare ægrum ad iram, terrorem, mœrorem curasque possit, releganda procul. Alvus ab obstructione omni liberanda est quotidie. Cætera docebunt quemvis circumstantiæ vel symptomata in Febre Ardente occurrentes. Hæc sufficiant hac vice.

DISPUTATIO XLVI.
DE
FEBRIBUS MALIGNIS.

QUantis difficultatibus involuta fuerit doctrina de Febribus, neminem latere poteſt, qui in lectione Veterum pariter ac Modernorum paululum operæ impenderit. Dum enim cauſas Febrium ac earundem fiendi rationem exactam vix penitus aſſequerentur, non potuerunt non in dies quamplurimas accumulare ſententias, quæ tamen in receſſu parum aut nihil rem ipſam tangunt. Poſtquam igitur ſuperiori anno Febres intermittentes propoſui publicè, placuit Malignarum quoque naturam pro materia hujus Diſſertationis eligere. Quod inſtitutum meum an Tibi ad palatum fuerit C. L. ipſemet videbis; interim Te haud iniquum fore cenſorem, ſtudiumque hoc meum meliori animo conſulturum Tua fretus benevolentia confido. Deum autem T. O. M. piè veneror, velit labori huic ex alto benedicere, eundemque in ſui ipſius gloriam proximique emolumentum unicè convertere.

§. 1. Qui

§. 1.

Quli Veterum evolvit ſcripta deprehendit clarè, terminum Maligni, dum Febribus accommodatur, variis modis explicari, ſiquidem alii τὸ κακόηθες ſive malum morem, vel in cauſa morbifica, vel in ſymptomatibus, vel etiam in eventu quærunt, Febremque Malignam dicunt, quando præter putredinem occultum quid & à primis qualitatibus planè recedens ac venenoſum accedit; quando ſymptomata longè graviora ſunt, quam quæ alias conſueta in ſimili morbo, ac denique cum ægri ex improviſo intereunt, quando adhuc meliora ſperantur.

§. 2. Recentiores autem, quanquam in quibusdam Malignis & cauſæ vehementiam & ſymptomatum inſolentiam & fallacem eventum ſatis obſervant, maluerunt tamen extendere ſignificationem Maligni, ita ut in genere Febres admodum periculoſas, pejorumque ſymptomatum concurſu horrendas complectatur.

§. 3. Nimirum Antiqui olim magis reſpiciebant ad occultum & diſſimulatam ut ita loquar morbi fraudem: Moderni potius atrociam eorum quæ accidunt in tali febre ejusque exitum plerumque lethalem attendunt.

§. 4. Proinde ſi rem omnem accuratius penſitamus, eo redit, ut Malignitatem Febrium aliam ex ſymptomatum ſyndrome evidentem magis, aliam vero magis latitantem ſtatuamus; hoc enim pacto difficultates cunctas promptè declinare licet, quas vel Antiquorum vel Recentiorum diſſenſus gignit.

§. 5. Exemplum Malignitatis & quidem ab initio occultæ ſit Febris Petechialis, quippe quæ lento utplurimum incedit pede, ita ut in morbi invaſione nil aliud patiantur ægri, qnam laſſitudinem artuum, Cephalalgiam, appetitum deficientem, & calorem minus vehementem. In progreſſu morbi paulatim invaleſcunt omnia, æſtus augetur cum ſiti, inquietudo major eſt, & anxietas Præcordiorum, poſt agrypniam ſequuntur deliria, tandem motus convulſivi febrem cum vita finiunt.

§. 6. Evidens vero magis esse videtur Malignitas quæ interdum ardentibus conjuncta observatur, dum ægri ex subitanea dejectione omnium virium illico affixi lecto manent, ac interdum nec caput erigere audent sine vertigine ac scotomia, nausea adest omnis cibi potusque, æstus intolerabilis interiora æqve ac exteriora penè adurit, dolor capitis atque cordis angustia, & sitis inexplebilis in tantum excruciant miseros, ut ferè ad summam redigantur desperationem.

§. 7. Præterea & hoc monendum est, febrem malignam utplurimum esse continentem aut saltem continuam, rarissimè intermittentem, sicut enim nonnulli indesinentem cardialgiam, cephalalgiam ad morbi usque finem sentiunt, ita alii nonnunquam satis commodè sese habere videntur, ut quanquam planè non intermittant symptomata illa atrocia, tolerari tamen queant, ut factis induciis quiete ac tranquillitate aliquandiu fruantur, donec vel circa vesperam aut mediam noctem, uti communiter fieri solet rursus exacerbentur omnia.

§. 8. De intermittente tamen non immeritò à quibusdam dubitatur, an & ea malignitatem admittat, siquidem hanc ipsam vix ac ne vix quidem videtur natura sustinere posse, quin turbas excitet continuas, vimque inferat corpori non nisi ægrè ferendam. Nihilominus cum experientia testetur omnia ea, quæ aliàs à malignitate deducuntur, interdum in Intermittentibus contingere, ac præterea grassantibus febribus malignis, etiam in intermittente eadem omnino symptomata vehementia observari, quæ in aliis tum temporis frequentioribus continuis & continentibus occurrunt, non video, quam ob rem Malignitatem hic obviam suo defraudare titulo velimus. Conf. Rhod. Observ. 9. & 10. Centur. 1. ubi præter Galeni testimonium plura collegit non contemnenda.

§. 9. Tan-

§. 9. Tandem nec illud prætereundem eſt, malignitatem nunc ſeſe manifeſtare in exterioribus per exanthemata & efflo-reſcentias cutis, nunc vero interiora tantùm occupare. Illius generis ſunt Petechiæ, Morbilli, Purpura præſertim alba, ac Variolæ, quorum pleraque etſi non raro ſatis benigna ſint, interdum tamen eam comitem habent Malignitatem, ut jure meritoque etiam inter maximè maligna numerari queant.

§. 10. Eàdem ratione Anginæ, Pleuritidi, ac cœteris inflammationibus ſeſe aſſociat Malignitas; ac obſervatum eſt non ſemel in Cadaverum ſectione (vid. Panarollus Pentec. 4. Obſerv. 8. & Barthol. Cent. 3. hiſtor. 68.) Stomachum vel hepar vel aliam partem inflammatam, tandemque ſphacelatam fuiſſe, poſtquam ægri dum viverent, de nulla re magis conquerebantur, quàm de ardore interno; ut hinc facile intelligi queat, quamobrem Maligna ſine exanthematibus pejor nonnunquam ſit ea febre, quæ talia ſecum ducit etiam copioſiſſima.

§. 11. Hactenus de natura ac differentia Malignarum, nunc ad cauſas examinandas progrediendum erit. Quemadmodum autem hoc Febrium genus peſſimum eſt, ita nec levis error easdem gignit. Norunt caſtra ſecuti, quantæ calamitates ipſis perferendæ ſint ſæpius, quando interdiu æſtu vix tolerabili radiorum ſolarium, noctu ventis ac pluvia urgentur, ac interea penè omnibus carent quibus vel ſitim vel famem explere queant; dum vero cogente neceſſitate circumvagantur, ut rapto vivant, non poſſunt, quin obvia quævis, fructus immaturos adhuc, atque alia cruda avidiſſimè ingerant. Quid fit? caſtrenſis ſubſequitur morbus, qui pauciores intra dies nonnunquam plures interimit, quam hoſtium furor.

§. 12. Nil dicam de turpi cadaverum fœtore, quæ finito prælio hinc & inde ſparſa per humum putrent; quippe quæ hinc oboritur nauſea, tanta eſt omnino, ut mirum non foret, ſi

omnis

omnis exercitus contagio corrumperetur lethali, & corpora adhuc tum viventia misere computresceret.

§. 13. Porro quis nescit Febrem Malignam invadere non raro ac jugulare eos, qui à spectro perterriti decumbunt? Horrendus enim Cacodæmonis aspectus, metusque mortis infelicissimæ ac æterni periculi, quem non percutiat? Itaque non pauci corruunt subito atque exspirant, alii paucas supervivunt dies, anxietatemque cordis conceptam ad ultimum usque vitæ halitum pati necessum habent.

§. 14. Frequentissimum autem est, ab excandescentiâ spirituum & ira immoderata excitari malignas, & in specie Petechiales. Dolendum certe tam paucos esse inter homines, qui ab hujusmodi animi fervore sibi temperare queant, ac intelligant, quomodo telum in alios directum plerumque proprium feriat jugulum, ut instar furdorum sibimetipsis malum creent.

§. 15. Idem agunt, qui mœrore immoderato sese exanimant atque in Febrem Malignam conjiciunt. Dum enim continuo ejulatu, suspiriis & angore dies noctesque exagitantur, hoc ipso propter denegatam spiritibus quietem vires enervantur, appetitus perit, ac digestiones omnes interturbantur, ut nihil planè laudabile in tota vitali Oeconomia fiat. Quod si igitur Morbus tunc superveniat, quid putas sperandum? ubi natura viribus exhausta, confusa atque officii sui plane immemor existit.

§. 16. Optarem certe, ut hic sese planius declarent alii, quomodo à jam enarratis animi pathematibus mœrore, ira terrore, aut nausea, febris maligna oriri queat; Etenim non video, quomodo Hercules Saxonia suum venenum, Sylvius, Pauli, Willisius alique, sal volatile acre quod pro causa malignarum habent, inde deducant.

§. 17. Ni-

§. 17. **Nimirum** condonarem facile, in ejusmodi febribus occultum quid & ab humorum vitio ac putredine non deducendum reperiri; peterem tamen id ipsum, quod venenum dicunt, clarius explicari, ejusque naturam determinari aperte, ac inprimis demonstrari, unde oriatur, præsertim si absque infectione aëris & contagio epidemico unicus saltem laboret Petechiis post terrorem vel iram &c.

§. 18. Itaqve major difficultas Recentiores premit, qui acrimoniam hic accusant alcalinam. Etenim primò ipsimet fatentur, in ejusmodi Malignis non semper resolutionem sangvinis sed & coagulationem manifestam observari. Jam vero coagulari sanguinem à sale volatili non est probabile, cum notorium sit ab iis semper & ubique eundem potius resolvi.

§. 19. Secundo. Qui omnia ex doctrina salium demonstrare conantur, ii plerumque ea saltem Phænomena circa causas morbi & symptomata adducere solent & explicare, quæ ex sua hypothesi qualitercunque possunt deducere; reliqua studio seponunt ac reticent, quæ incongrua ac difficilia sunt. Dum enim e. g. humorem acidum & austerum gigni à mœrore statuunt, mentionem ejus saltem in febre diaria faciunt, in Malignis altum silentium. Scilicet quia non intelligunt quomodo mœror acidum alias generans alcali malignum producere valeat, ideo malunt malignas à mœrore natas supprimere, quas tamen observationes quotidianæ in Praxi sufficienrer probant.

§. 20. Tertio. Si salia volatilia acriora abundare in Malignis docent, quomodo salia volatilia C. C. succini & castorei, spiritum fuliginis & similia in Cura eorundem morborum exhibent aut præscribunt? si bilis in culpa est, quid respondebunt ad experimentum Gallorum, quod Borrich. refert in Act. Haffn. Vol. 5. p. 159. quando videlicet fel bubulum ad dimidium cochleare cum ptisana propinant febre Maligna decumbentibus, nec sine effectu.

§. 21. Ut taceam quarto, bilem quidem accusari, sed rarius demonstrari posse in Malignis. Equidem non nego interdum biliosa vel vomitu vel per alvum dejici, imo & Urinam felle quasi tinctam quandoque observari; at idem hoc in intermittentibus & non Malignis eodem modo deprehendimus. Quid si vero ne vestigium quidem bilis occurrat in ægro, ita ut urina sanorum simillima sit, & quæ vomitu rejiciuntur vel planè insipida, aut etiam summè acida existant?

§. 22. Igitur ut absque ambagibus naturam Malignitatis explicem, moneo eandem talibus in febribus non tam in humorum aut partium solidarum quam spirituum vitio quærendam. Equidem nec humores pravos nec inflammationes aut exanthemata in Malignis nego, aut ejusmodi vitia vel occasionem præbent febri vel ejusdem productum sunt, ipsam autem Malignitatem nullatenus constituunt.

§. 23. Ut enim videas, Malignitatem separatum quid esse à jam nominatis humorum & partium solidarum vitiis, attende quæso; Primo dari Malignas febres ubi nulla observantur humorum vel partium solidarum vitia, quæ tamen cum salute ægrorum terminantur, ut de interioribus & occultis læsionibus cogitare nemo queat.

§. 24. Secundo, dantur similia exanthemata v. g. Purpura, Variolæ, Morbilli, petechiæ similesque inflammationes faucium, Pleuræ &c ubi tamen malignitas longè abest. Quod si sphacelum hepatis, pulmonum vel cordis ipsius urges, respondeo ea quidem lethalia esse ubique, at vere maligna non semper.

§. 25. Tertio, notatu quoque dignum est, nonnullos morbos v. g. Variolas, Morbillos &c. ab initio esse maximè Malignos, at progressu temporis longè benigniores fieri. Uti enim potissima nonnunquam symptomata, anxietas præcordiorum insignis, motus epileptici, deliria cum summo æstu, eruptionem eorum præcedere solent, ita hæc omnia non raro evanescunt, quam-

primum

primum natura hoſtem ejectum ſentit, ut reliquis morbi decurſus citra majorem difficultatem aut periculum abſolvatur.

§. 26. Quarto, obſervamus quandoque Purpuram, Variolas, Morbillos, ſatis benigna, ut ne lectum quidem petere neceſſum habeant iis correpti; cum vero incautius morbum tractent, aërique ſeſe exponant frigidiori, aut errorem committant in diæta, ineptisque utantur remediis, tum demum peſſima ſuperveniunt ſymptomata, Malignitatis plerumque lethalis indicia.

§. 27. Eo igitur res redit, ut Malignitatem non tam in cauſa morbifica ſed in ſubjecto primario affecto quærendam ſtatuamus. Id verò nullum aliud eſſe poteſt, quam ipſe Spiritus Vitalis, quemadmodum clariſſime eluceſcit, ſi modo ea paulo attentius conſideremus, quæ in Malignis obſervantur quotidie.

§. 28. Nimirum tria ſunt, quæ in ejusmodi febribus notamus, ſcilicet 1. ſpirituum imbecillitas; 2. inquietudo & motus inordinatus, ac denique 3. deſperatio.

§. 29. Spirituum infirmitatem quod concernit, puto eandem non difficulter cognoſci ex inopinata laſſitudine artuum, ſubitanea virium & appetitus proſtratione, ex lipothymiis ſæpius accidentibus, aut graviore ſyncope, ex Paralyſi linguæ, veſicæ urinariæ, ani &c.

§. 30. Perinde autem eſt, ſive ille ſpirituum defectus cauſam habeat antecedentem manifeſtam ſive non; uti enim exhauſtis viribus recidiva morborum nonnunquam Maligna eſt, aut intermittens poſt purgans ineptè propinatum non raro in Malignam degenerat, aut ſi quis morbus corpus jam enervatum curis aut mœrore, vel etiam inedia diuturna exhauſtum corripit; ita interdum quamvis corpora perfectè ſana & robuſta antehac fuerint, ſubito tamen in Malignam febrem conjiciuntur, quando vel vehementiori fervore iræ excandeſcunt, aut repentino terrore percutiuntur, aut torquentur rei abominandæ nauſea inſolenti, aut ipſius contagii ſuſcepti formidine.

§. 31. Quamprimum vero vim morbi ſentit ſpiritus, hoc ipſo ſtatim inordinatè moveri incipit, unde inquietudo, & jectigatio, & impatientia in ægris obſervatur: accedit æſtus cum ſiti & aridura faucium ac linguæ, cephalalgia & vertigo, vomitus, diarrhæa, hæmorrhagia, agrypnia, aut pavor in ſomno, ac demum deliria atrociſſima.

§. 32. Videlicet omnem natura movet lapidem, ut ſic loquar, ad profligandum hoſtem, confusè tamen ac timide plerumque eundem aggreditur, unde raro illum ſuperat, niſi medicamentis ſuccurramus generoſioribus. Itaque tandem, ubi ſe intelligit imparem, deſperabunda ſuccumbit.

§. 33. Quid enim aliud indicare poſſunt anxietas cordis ſumma, tremor artuum, motusque convulſivi, & qui nonnunquam ſupervenit ſopor maximè profundus, quam animum perturbatum omnino, deficientem, ac penitus collapſum.

§. 34. Confirmat hanc noſtram de Febribus Malignis opinionem ipſa Methodus medendi & examen illorum, quæ ad Curam earundem adhibemus, Remediorum. Nimirum omnia videntur quaſi directè oppoſita ſpirituum vitio, ſiquidem alia defectum ſpirituum reſtituunt, alia motum eorum inordinatum ſedant, alia eos excitant, & ex deſperatione quaſi eripiunt.

§. 35. Adverſus imbecillitatem egregia ſunt hoc in paſſu flores tunicæ, borraginis, bugloſſæ, violarum, roſarum, aqua cordial. H. S. frig. confectio alkermes, ſyrupus baccar chermes, ambra ipſa, confect. de hyacintho, & ſimilia. A calidioribus abſtinendum eſt ob metuendum æſtus augmentum; interdum tamen nec vini hauſtus ægris interdicendus, quia non ſemel obſervatum eſt, copioſum ab ejus potu profluxiſſe ſudorem, ſomnum

num ſecutum eſſe, atque ſic ſedato calore febrili ad optatam tranquillitatem rediiſſe infirmos, confer. Rhod. Cent. 2. Obſerv. Medic. 16. Bartholin. Cent. 6. hiſtor. 7. Schulz. in Miſc. Nat. Cur. in german. Ao. 3. p. 166.

§. 36. Quæ vero motum inordinatum ſpirituum compeſcunt, ſunt hypnotica, & refrigerantia. Hunc enim in finem antiquiſſimum experimentum in Malignis eſt theriaca vel Mithridatium cum aceto, remedium non ſudoriferum tantum & expellens, ſed propter opium imprimis Archæi ſedativum. Eodem pacto inter Modernos etiam ſunt non rari, quibus Opiata in Malignis uſitatiſſima ſunt cum aliis appropriatis ſociata.

§. 37. Inter refrigerantia maximè excellunt Nitrata; at vero lapis prunellæ, arcanum duplicatum, nitrum antimoniatum, aut ſaltem depuratum in extingvendoMalignarum æſtu notiſſima ſunt, ita ut vulgus quoque præſertim inter eos qui ſtipendia belli merentur, in ejusmodi FebreMaligna nullo alio Medicamentorum genere citius leventur ac reſtituantur, quam ſi pulverem pyrium cum aceto hauriant.

§. 38. Ut igitur ſpiritus quoque erigantur, allaborandum eſt maximè. Tentant id nonnulli per Salia Volatilia, Eboris, C. C. viperarum, ſuccini &c. ac certum eſt, ſi ſudor inde copioſus prodeat, ſimulque expellat exanthemata latitantia, ea interdum non contemnendum præbere auxilium. Quandoquidem vero, ſi æſtus fuerit major, plerumque in deliria poſt eorundem uſum conjiciantur ægri, hinc tutius eſt ab iis abſtinuiſſe, inque locum eorum ſurrogaſſe Acida, Spiritum Vitrioli, ſalis, Vitrioli philoſophici, Nitri, Sulphuris, Viridis Æris, acetum Vini, rubi idæi, vel roſaceum, ſuccum Citri, acetoſæ & acetoſellæ.

§. 39. Conveniunt autem jam nominata acida maximè, si cum sudoriferis & expellentibus propinentur, quippe quorum facultatem egregiè juvant & augent. Talia sunt lapis bezoar, Cornu Rhinocerotis cornu & ungula alces, unicornu marinum & fossile, Ebur, lapides cancrorum, corallia, mater perlarum, Margaritæ, bolus Armena, Terra Sigillata, Antimonium Diaphoreticum simplex & martiale, bezoardicum solare, antihectic. Poterii, & quæ ex his componuntur, pulvis Pannonicus rubeus, pulvis bezoardicus Sennerti, Michaelis, aliorumque.

§. 40. Etenim vix credibile est, quantum levamen Natura persentiscat, ubi cum sudore propelluntur Variolæ, Morbilli, Purpura vel Petechiæ, siquidem anxietas Præcordiorum paulatim evanescit, capitis, dorsique dolor cum æstu cessat, quid multa, quamprimum natura præsens agnoscit auxilium eo ipso statim abjecta desperatione amplius non dubitat de superanda morbi malitia.

§. 41. Quid si vero spiritus officii sui planè obliviscantur, & vel deliriis distrahantur atque confundantur continuis, vel lethargo sepulti ne quidem attendant ingravescens periculum, tunc excitandi sunt quacunque ratione id fieri queat. Atque hunc in finem Vesicatoria acriora imprimis adhiberi solent in carpis manuum atque brachiis vid. Miscell. Nat. Cur. ao. 2. Obs. 2. p. 14.

§. 42. Hæc de Febribus Malignis dicta sufficiant hac vice. Specialiora quivis ex his facilè deducere poterit. Itaque finem hic facimus, nil magis optantes, quam ut Candidus Lector hactenus à nobis dicta examinare ad lancem veritatis ac tantisper seponere præconceptas hypotheses velit; sic enim speramus fore, ut quæ omnibus placere non possunt, nonnullis tamen grata sint & suo tempore profutura.

DISPU-

DISPUTATIO XLVII.

DE

PESTE.

Lectori Candido

S. P.

QUanquam de Peste ad nauseam pene scriptum sit, non potui tamen, quin meas quoque de eadem materia cogitationes corollarii loco subnecterem. Cum enim anno præterito eadem lues apud nos grassaretur, contigit mihi occasio observandi ac meditandi varia, quorum communicationem nonnullis gratam atque proficuam credidi. Scilicet quæ vulgò de Pestis natura, causis, ratione præservandi & curandi traduntur, potissimum ab iis, qui vel pestem ipsam nunquam viderunt, vel saltim conniventibus oculis, præ contagii mortisque metu, ea juxta experientiæ normam examinare accuratius volui, non quidem alium in finem, quàm salutem proximi.

Lege & judica.

CAP.

CAP. I.

De Peſtis Natura.

§. 1.

DIdicimus eheu! non ſine periculo, quænam peſtis natura ſit, & quanto, præ aliis morbis, impetu furoris ſæviat. Vidimus embryones adhuc tenerrimos ſuffocari peſte, atque per crebriores abortus excludi, matre inſimul non parùm periclitante. Quoties puerperam cum recens nato infante, virum cum uxore, parentes cum liberis, fratres atque ſorores unà eduxerunt veſpillones? Adeò nulla ætas nec ſexus à lue iſta excuſare aut tueri quenquam potuit. Deceſſerunt è vita juvenes æque ac ii, quos ultima ſenectus enervaverat; Veneres formoſæ cum vetulis, fœminæ marito gratæ cum viduis deſertis. Quid, quod nec viris quamvis robuſtis pepercit commune malum? Nec aliam ſortem experta ſunt corpora perfectè ſana atque florida, quàm cacochyma morbosque chronicos jamdudum paſſa. Nihilominus non una ſemper ſed multifaria peſtis viſa eſt, tùm in principio circà invaſionem, tùm in vehementia & multitudine ſymptomatum, tùm ſi bubonum, carbunculorum, vibicum & petechiarum diverſitatem, velocitatem cursûs, vel eventum ſpectes: Circà invaſionem obſervavimus eam plerumque ſubitaneam, quandoque verò lentam quodammodo fuiſſe. Multi enim in momento, quo infectionis occaſio ſeſe obtulit, horrorem, tremorem artuum, capitis dolorem atque vertiginem, anxietatem præcordiorum &c. experti ſunt, ita ut nullâ interpoſitâ morâ lectum petere neceſſum habuerunt. Quidam diem unum vel alterum adhuc inceſſerunt pallidi atque languentes usque, donec febris accederet.

§. 2. Ra-

§. 2. Rationem hujus diverſitatis oriri partim à ſubjectorum, partim à cauſarum varietate deprehendi: Qui timidi erant ac infirmiores, ii confeſtim cum deſperatione cubitum deſcendebant, quamprimum à leviſſima cauſa tantillum moverentur; dum alii paulò animoſiores magisque robuſti adhuc diu malum celabant. Deinde qui ex ſubitaneo & vehementi terrore conturbabantur, hos è veſtigio penè corruiſſe vidi. Aſt qui ex crebriori cum ægris converſatione inficiebantur per fœtoris nauſeam in iis tardo magis gradu contagium incedebat, ita ut ex vultu vulgus quoque præſciret chirurgo vel Paſtori peſtilentiali imminens periculum, quamvis ſatis alacriter per plateas ambularent.

§. 3. Dubium ergò non eſt, quin peſtis aliquandiu latere poſſit, quod tamen multis vix credendum videtur, propter celerrimum quod ei aſſignant venenum. Non opus eſt, ut plura hanc in rem teſtimonia Medicorum colligam, cùm quotidiè id obſervare potuerimus; meretur tamen præ ceteris annotari Hiſtor. CIII. Diemerbroek. quam in tr. de peſte p. 351. recenſuit: videlicet nobilem virum ab obitu ſororis tres menſes circumtuliſſe contagium, ac modo gravativum capitis dolorem, modo laſſitudinem ac debilitatem corporis, modo inappetentiam, ſed continuam ferè cordis anxietatem interim ſenſiſſe, donec tandem ingraveſcentibus his ſymptomatibus bubo inguinalis ſupervenire, quo lege artis curato, accidentia evanuerunt.

§. 4. Videant alii, qvo pacto ſe expediant qui peſtilentiale virus cum napello, aconito vel arſenico comparare amant. Mihi profecto difficile non eſt creditu, ideam peſtis diu latere poſſe in homine, antequam effectum aliquem edat, cum in reliquis morbis Archealibus, ſpecialiter in hydrophobia; id ſæpiùs annotetur, eam per plures non modo dies atque ſeptimanas, ſed & menſes atque annos occultari.

§. 5. Hæc de peſtis principio monenda erant, quibus addo, variis id quoque modis ſeſe manifeſtare. Conqueruntur enim

quidam ab initio de capitis dolore aut vertigine, vel de anguſtia aut palpitatione cordis, vel anorexia atque faſtidio ciborum, de vomitu, dolore lumborum acerbo, laſſitudine artuum atque proſtratione virium ſubitanea. Quidam poſt horrorem æſtum ilicò intenſiſſimum cum ſiti inextinguibili patiuntur, alii lipothymias. In paucis exanthemata, ac præſertim bubones erumpunt, antequam ulla alia contagii nota in iis obſervetur.

§. 6. In augmento morbi jam dicta ſymptomata creſcebant ac malignitatem teſtabantur non obſcurè. Præ cæteris ingens anxietas præcordiorum notabatur apud omnes fere: in quibusdam continua, quæ nec à ſudore nec ab excretione exanthematum imminuebatur; in aliis remittebat interdum, & recurrebat vel irregulariter, vel per certas quaſi periodos. Cum hac cordis anxietate conjungebatur æſtus potiſſimùm internus, atque ideò lingua arida ſitisque inſatiabilis in ægris obſervabatur, quamvis in paucis calor externus deprehenderetur. Accedebat inquietudo & jactigatio continua, difficilis & ſuſpirioſa reſpiratio, item tremor artuum motusque convulſivi. In nonnullis profundus ſopor, vel poſt agrypniam aliqvot noctium deliria ſuperveniebant horrenda, in aliis vomitus vel alvi fluxus, vel hæmorrhagia multum periculoſa.

§. 7. Sed in his jam enumeratis, quia etiam in malignis febribus extrà peſtem obſervantur, non ſum prolixus, pergo potius ad tumores & exanthemata illa peſti magis propria, nempe bubones, carbunculos, petechias & vibices. Bubones occuparunt loca conſueta, glandulas nempe conglobatas, pone aures, circa collum, ſub alis, in poplitibus, femore & inguine. Inguinales & ſubalares omnium fuerunt frequentiſſimæ; nec raros obſervavi bubones circà femina hærentes, quorum mentionem cur plurimi non fecerint, miror. Videri tamen poteſt Wolffg Gabelchov. Cent. V. cur. 80. 81. 84. 87. & Zac. Luſit. Praxi admir. L. 3. obſ. 39. p. 105.

§. 8. Præ-

§. 8. Præterea notavi bubonem quandoque sine febre, quales etiam Diemerbr. p. 266. & Barbette p. 408. observarunt. Memorabiles mihi videntur casus seqq. Filia sartoris, annorum forte 6. primo tertianâ laborat, sed restituitur à me; post dies fere 11. bubone vexatur subalari absque ullo alio symptomate, ope chirurgi post suppurationem curatur perfecte intrà binas septimanas: elapso iterum octiduo, postquam in aërem liberum egreditur, febre corripitur pestilentiali, sed tùm quoque evadit meo consilio intrà paucos dies. Dubitari hic posset, an malignitas latitârit, donec à frigore ambientis aëris excitaretur, an verò buboni primùm non conjuncta atque de novo nata fuerit, quandoquidem paterna domus infectione non carebat. Ancilla alius familiæ post levem horrorem bubonem inguinalem sentit, qui cum insigni dolore accrescebat, ipsâ de cetero salva, nisi quod levem cephalagiam pateretur; postquam vero unum alterumvè sudorifernm adhibuissem, aperitur tumor intrà quatriduum: patriam adit dimissa nec alio quam emplastri convenienti præsidio instructa, redit paulò post perfecte sana, mihique contestatur, se à primo horrore nil mali amplius sensisse.

§. 9. Deinde circa bubones quoque notandum est, non omnes ad maturitatem pergere, sed eosdem quandoque feliciter resolvi per sudorem atque externa discutientia, vel etiam infeliciter evanescere ac quasi retrocedere, post venæ sectionem, vomitus crebriores & alvi fluxus, uti & à terrore superveniente, ac plerumque à refrigerio. Atque sic, ubi malignitas nondum extincta est, mors subitanea sequitur aut nihilo meliores petechiæ nigræ, vel purpura, quemadmodum non semel videre contigit.

§. 10. Quoad petechiarum colorem, notissimum est, alias esse nigras, alias plumbeas & lividas, alias purpureas, ad formam lentium. Videre tamen mihi licuit in ancilla, quæ carbunculum sub umbilico, bubonem in inguinis utroque latere simul & in dextro femore alebat, maculas sanguinolentas ad magnitudi-

nem Joachimici, quæ durante paroxyſmo primarum dierum antemeridiano apparuerunt in collo brachiisque atque tum ægra dolorem ardentem minus vehementem percepit, ſed evanuerunt iterum, ac per aliquot dies melius habere cœpit; die 14. acceſſit purpura alba, finemque vitæ fecit die 17. Conferri hæ maculæ poſſunt cum iis, quas Felix Platerus L. 2. prax. c. 2. & Paulli in Digreſſ. de febr. malign. p. 21. annotârunt.

§. 11. Sed rariſſimum eſt, quod nunc ſequitur. Cum in principio noſtræ luis viſitarem virum honeſtum, qui per 9. dies omnimodam ac repentinam virium proſtrationem, inappetentiam & agrypniam patiebatur, cum inquetudine periodica ac levi delirio, citra æſtum atque cordis anxietatem, ecce filiola 8. annos nata conqueritur de cephalalgia & laſſitudine artuum, quæ proinde in lectum ſe recibit, datoque ſudorifero monſtrat maculas rotundas plures, potiſſimum circa femora & in abdomine; erantque maculæ iſtæ ſecundum colorem obſcuriores iis, quas epaticas vocant, ſecundum magnitudinem piſa majora æmulabantur, ita ut guttis aquæ limoſæ aſperſa viderentur. Apparebant autem maculæ horis incertis, & quamdiu cernebantur, tamdiu melius habebat puella; ſurgens itaque non ſemel per unam alteramve horam cubile deſeruit; atque interim diſparuerunt maculæ; tunc lectum repetens capitis dolore & calore miti vexabatur, usquedum rurſus expellerentur petechiæ. Verum iisdem uſa cum patre alexipharmacis, intra 14. dies perfecte cum eo convaluit.

§. 12. Dubitavi primum de natura harum macularum, præſertim cum non tantum ſcorbuticas in febricitantibus. ſed & in tertianis rubicundiſſimas, petechiis malignarum perfecte ſimiles, aliquoties conſpexerim. Imo & præteriti anni vere notaveram in manibus ac imprimis pectore Studioſi maculas lividas inſtar morſus cimicum elevatas, (quales colore ſanguineo in mulieribus quibusdam extra febrem anteà videram, ſed non niſi in tribus

bus primis tertianæ paroxysmis; ante septimum desiit febris. Nihilominus de illis puellæ maculis idem judicandum credidi, quod de obscure purpureis extra febrem petechiis pueri cujusdam sensit Diemerbr. p. 205 nempe si bubones & carbunculi absque febre observantur tempore pestis, non absurdum est dari quoque petechias tales, quamvis rarissime. Non dicam metu contagii plenam semper fuisse istam domum, quoniam in eâ undique adductæ merces indicabantur ab aurigis, quorum fœtor maxime suspectus erat, ut & quotidie suffumigando eundem expelli curaverint diligentissimè.

§. 13. Quod carbunculos attinet, moneo primò de earum sede, eos non ut bubones certis tantum in locis deprehendi, sed in universo corporis ambitu, imo & in partibus internis & visceribus non raro hærere. De ventriculo vulgò notum est, in eo post sectionem cadaveris stigmata maculasque nigricantes crebrius observata fuisse. Videatur Helmont. p. m. 867. & 891. & Diemerbr. p. 272. Simile quid in pulmonibus & corde reliquisque visceribus dubio procul sæpius occurreret, nisi contagii metus curiosiorem anatomiam prohiberet.

§. 14. Deinde circa originem carbunculorum tenendum est, plerumque pustulam saltem rubicundam vel nigram in cute erumpere, sed summe dolentem, aut plures minores, sub quibus mortificatur subjacens cutis cum carne, ut crustam referat nigram omnino insensatam; atque hoc malum indies latius serpit ac, nisi extinguatur, instar gangrænæ vel sphaceli partes vicinas depascit horrendo spectaculo. Quandoque vero data occasione, v. g. vulnera vel fontanellas occupat, ita ut à gangræna distingui non possit, nisi per conjunctam febrem pestilentialem.

§. 15. Ejusdem conditionis sunt vibices, quarum varias vidi, nunc quidem in sura obliquam absque carbunculo & bubone, nunc à poplitis bubone ascendentem ad bubonem inguinalem ejusdem lateris nunc à carbunculo pollicis extensam per in-

tegrum brachium, ita ut cometam candatum non male repræsentaret. De aphthis hoc saltem addo, me unicam vidisse, qui in ædibus summe infectis eas patiebatur cum profundis linguæ fissuris, in febre pestilentiali, sed absque ullo bubone vel carbunculo. Et quanquam de dolore dorsi & coxendicis gravissimo per plures dies conquerebatur, restitutus tamen est absque omni excretione manifesta.

§16. Porrò qui pestis velocitatem considerat, deprehendet eam inter morbos acutissimos primatum ducere; etenim plerumque ante septimum diem finitur, ac moriuntur ægri sæpissimè quarta, tertia, secunda, imo & prima die. Si qui autem ope medicamentorum in plures asserventur dies, neque tum satis tuti sunt; vidi ad aliquot hebdomadas quosdam miseram protraxisse vitam, ac nihilominus, quando optima sperarent, interiisse. De recidiva nihil dicam, quã sanè aliquoties novimus periculosissimam fuisse atque lethalem, quoniam in corpore jam enervato natura insufficiens erat ad debellandam malignitatem.

§. 17. Ut enim de eventu quædam adhuc subjungam, certum est, in luis nostræ principio omnes fere pestilentia decessisse, nisi sudore statim provocato intra primas horas restituerentur; tumque ingens omnium erat desperatio. Mitigavit autem metum mali diuturnitas, cumque aliquos evadere audirent ægri, fortunæ sese commiserunt, nec frustra. Atque ita successivè vires amisit pestilentia, donec tandem circa finem illius anni penitus cessaret, annuente divina Gratia.

CAP-

CAP. II.

De Cauſa Peſtis.

§. 1.

IN hoc ferè omnes conſentiunt Medici, peſtilentiæ cauſam eſſe contagium quoddam malignum; ubi vero hujus natura explicanda eſt, tunc ſane non levis obſervari poteſt diſſenſus. Plerique ſuo ſatisfeciſſe officio exiſtimant, ſi modo inter venena numeratum fuerit, quanquam non exprimant cujus ſit generis. Quidam cum Maſſaria, Fracaſtorio & Augenio putredinem accuſant, atquè venenum vel ex putredine naſci cum Euſtachio Rudio, vel ad putredinem diſponere cum Minderero putant. Alii cum Kirchero retinent quidem putredinem, aſt eam animatam & verminoſam potius, quam venenoſam dici volunt, ideo quod ope microſcopii in bubonibus vermiculi, imo & majores vermes in corde aut cerebro non raro obſerventur. vid. Boneti Sepulchretum p. 1502. & 1516. it. Miſc. Nat. Cur. Ann. I. obſ. 13. p. 56. Alii acrimoniam contagii peſtilentialis corroſivam urgent. ad cujus demonſtrationem Viennæ inſtitutum eſt experimentum à D. Johan. Bapt Alpruni, qui ex reſecto bubone ope ignis præter aquam oleumque ſal volatile fœtens deſtillavit, nec hujus acrimoniam cum aqua regia comparare erubuit, quæ tamen procul dubio ad urinoſa magis quam acida referri meretur. Vix igitur diſſentit à Fr. de le Boë Sylvio, qui in ſuo de peſte tractatu prolixè deduxit, ſal volatile acre eſſe peſtis cauſam. Parem induſtriam adhibuit Carolus de la Font in Diſſert. de venen. peſtil. ut probaret arſenicale virus in peſte dari: quod ipſum nec Paulo de Sorbait diſplicet, quamvis particulariter tantum illud admittat, atque nunc arſenico, nunc antimonio, aconito aut napello aſſimilet.

§. 2. Originem iſtius contagii nonnulli à cœlo petunt, potiſſimum

mum à conjunctione infelicè Jovis, Martis atque Saturni. Quidam terram potius damnant, ejusque exhalationes virulentas præsertim è fodinis mineralium ascendentes. Alii cadavera militum, boum, balenarum, crocodilorum, avium, serpentum atque locustarum, imo & cannabem atque limum fœtens accusant. Confer. Kirch. p. 6. & seqq. Ab his effluviis venenosis vel putridis existimant aërem primum corrumpi, atque tunc vel immediatè inter respirandum attrahi miasma contagiosum, vel una cum aquis, fructibus arborum & oleribus inde infectis assumi.

§. 3. Est enim triplex iis via, quâ contagium pestilentiale in corpus nostrum se insinuare possit, nempe prima per gulam ad ventriculum, altera per asperam arteriam ad pulmones & cor, tertia per cutis poros ad partes omnes conclusas. Susceptum his modis venenum motu quasi fermentativo sese extendit atque multiplicat in corpore, & juxtà quosdam coagulat statim sanguinem succosque laudabiles; secundum alios resolvit eosdem atque disponit ad putredinem: aut propter acrimoniam insignem corrodit, quamcunque partem fortè attigerit.

§. 4. Hactenus ex mente aliorum; Nemo est, qui suam hypothesin satis speciosè non explicet ac probet; patitur tamen quævis earum suas difficultates, easque non leves. Primò quod causam pestis attinet communiter creditam, nempe contagium, mor. eo in genere, plures peste corripi citrà contagium reale, adeoque saltim causam minus adæquatam & universalem esse, etiamsi in quibusdam locum ei concedamus. Narrat Matthæus in Qu. 86. Diss. Med. p. m. 253. se Benshemii, Electoralis Palatinatûs oppido, anno 1591. spectasse ancillam hospitii ad arcum aureum in pestem incidisse, eo quod nocte quadam viatorem ægrum curru advectum mori viderat, sibique, quod peste obiisset, firmissimè persvaserat, cum tamen nulla pestis lues tum temporis usquam grassaretur. Similem historiam in recens edito de peste tractatu non ineleganti p. 188. recenset noster M. Johan. Christ.

Chriſt. Hahn; nempe cum è pago Dreſdæ proximo villica quædam ad luſtrandum fruges egrederetur, ac forte arva civis Dresdenſis præteriens, ſpicam clavibus ad latus geſtatis adhærentem reportaret, factum eſt, ut domum reverſa ex aſpectu ſpicæ vehementi terrore perfunderetur, quod ſciret, hujus frumenti Dominum contagio ſublatum; ægrotat igitur confeſtim, ac brevi poſt ad plures abit. Ecquis vero non videt imaginationis vires absque contagio has ſuſtuliſſe; plura exempla poſtmodum ſequentur.

§. 5. Qui putredinem pro cauſa peſtis habent, ſciant, hanc non rarò inſtar fulminis in momento quosdam necare, intra quod temporis ſpatium nulla putredo contigit; interim non inficior, quandoque eam, uti & vermes, ſupervenire tanquam morbi productum. Porro omnia per ignem demonſtrare aut per ſapores expedire velle, æque ineptum eſt. Certa profecto cuique rei norma debetur, nec quisquam adeo eſt inſipidus, ut lapidum pretioſorum aurique valorem linguâ explorare, aut citharæ excellentiam in furno docimaſtico experiri velit. Idem agunt, qui morbos archeales, quorum non ultimus peſtis eſt, eorumque cauſas igne tentant atque cum adeò craſſis ſalibus venenisque componunt.

§. 6. Secundò: circà Aſtrologorum opinionem de ſiderum influxu nihil habeo, quod addam, quia falcem nolo in alienam meſſem immittere. Optarim attamen his duabus quæſtionibus ſatisfieri, videlicet, quamobrem illa conjunctio non ſemper peſtem inferat, ac deinde, cur non omnia ſimul loca, iisdem ſideribus atque ſignis ſubjacentia inficiantur. Vid. Carolus de la Font. pag. 19. usque 44. Helmont. p. 838. ſeqq. & Diemerbroek. p. 30. Sed miſſis quæ ſupra nos exiſtunt, pergamus ad ea, quæ infra nos è terræ fodinis oriuntur. Atque hic omnino ambigere licet, an ad peſtis productionem quicquam conferre poſſint effluvia arſenicalia. Non nego ab his multum damni

metallurgos pati, nempe phthiſin, contracturas &c. aſt peſtilentiam inde naſci nollum liquet. Mirum profecto foret ea loca, in quibus fuſio metallorum arſenicique ſublimatio ſæpius inſtituitur, à peſte tuta, & viciſſim alia, procul hinc diſita, peſte infecta fuiſſe. Idem hoc reſpondeo iis, qui credunt à fœtore cadaverum putrido oriri peſtilentiam; velim enim noſſe, quare carnificum domicilia non ſemper peſte vexentur. Quis non videt per accidens ſaltim ſequi iſtum effectum, quandocunque inter tot millia militum, fuga ſimul & fame exanimatorum, quidam repente corruunt, tunc certe metus & ſuſpicio contagii accedente præſertim nauſeabundo fœtore, illico ſeqvuntur. Paucis: nullus fœtor per ſe peſtem gignit, occaſionem tamen eidem præbere poteſt.

§. 7. Hæc de origine peſtis dicta ſunto, ſequitur ut tertio de ſubjecto primum affecto, & infecto nempe aëre, quædam ſubnectam. Horrendum eſt, quod Sorbait in quæſt. 7. refert, auram in Viennenſi peſte tantam eamq; ineffabilem redoluiſſe fœditatem, ex mortuorum putredine, ut nemo non aërem liberum abhorruerit. Adhæc dolendum eſt, qud in quæſt. 8. ſubjungit, non tantum paſſeres Canarienſes in ſuis caveis expiraſſe, ſed & alaudas, menſæ delicias, defeciſſe iſti regioni. Aſt nemo credat id perpetuum eſſe, quod inibi negligentia, inſufficientia aut petulantia veſpillonum commiſit. Abſit! Pudet ergo me audire, quomodo aër undique accuſetur. Hic Lipſiæ, quod diſſimulare nequeo, quanquam per omnem æſtatem ſerenitate cœloque maxime grato frueremur, incepit tamen omnis fere populus, à prima ſtatim infectionis nota, tam largum excitare fumum in ædibus, ut citra ſuffocationis periculum quandoque eas intrare vix potuerim. Idem metuebant, qui peregre ad nos venerunt, & quandoquidem aërem denſum ægre ferebant, vidi prima iterum hora diſcesiſſe. Mirati ſunt mecum animi gratia extra mœnia tantisper exſpatiantes, præter ſolitum adeo fumaſſe urbem, ut in ipſis diebus canicularibus nebula quaſi contegi viſa fuerit. Eandem ab cauſam non ſemel difficilis reſpira-

spiratio cum anxietate & vertigine nata mihi fuit, quamdiu per plateas incederem, quamprimum autem in domum non perfumatam imo & juxta lectum infecti venirem, nihil eorum omnium amplius sensi. Certior enim factus sum, postquam alios idem pati ex suffumigiorum privato abusu deprehendi, quibus intermissis optime valuerunt. Vereor igitur aërem sæpe à nimio præservationis studio plus, quam exhalationibus corporum infectorum affici.

§. 8. Quarto viæ, quas contagio pestifero asignant, minus adæquatæ videntur. Ut enim verbo rem omnem expediam, dicam aperte, terrorem pestis plus valere, quam ullum reale contagium; adeoque non ea tantum, quæ nostrum corpus attingunt, aut assumuntur, aut inspirantur, pestem producunt, sed in genere omnia, quæ terrorem pestis nobis incutiunt; & consequenter nullum sensorium satis tutum est. Age, examinemus hic observatas historias: novi discipulum arcularii, qui à cœna loculum in vicinas ædes deportans, ob tenebras impingit in similem urnam vacuam ante fores proximarum ædium expectantem, & concidit perterrefactus, quod crederet cadaver infecti concluſum fuisse, domum redit tremulus, peste decumbit, moritur tertia die. Notabilior est casus, quem in templo Nicolaitino accidisse scio: nimirum cum die quodam jejunii flexis genibus in terram omnes prociderent, intur precandum factum est, ut forte quidam alterius viri brachium attingeret, cui propter fontanellam injecta erat usitata ligatura; sentiens hanc metuit bubonem pestilentialem inibi abscondi, horruit proinde ac peste correptus est. Huc referri meretur, quod in vicino pago contigit. [illegible]feruntur literæ è nostra urbe, sed domo omnino pura, quas accipit primum famula, traditque dominæ ex morbo infirmæ; hæc à pedissequa assidente sibi prælegi easdem postulat, at illa renuit constanter, nec epistolam quidem attingere audet, usque donec à subirata Domina objurgationem audiret severiorem; paret jussis, sed eventu infelici, subito namque vertigo & anxietas præcordiorum eandem prehendit, ægrotat acute: videns

hoc altera ancilla idem metuit ex earundem literarum attactu, decumbit itidem, intra paucos dies utraque peste interit.

§. 9. Similis est ratio assumtorum. Memini quatuor simul personas in vicinia nostra obiisse intra paucos dies, ideò quod spiritum frumenti epotum ex infecta domo allatum cognoverint. Plures adhuc pestis rapuit è convivis nuptiarum pagaharum; unus enim horum, qui tum pallebat, postquam à teditu ægrotaret, & peste discederet, paucis exceptis, omnes infecisse visus est. Notatu dignior est sequens historia: sutor quidam cum aliis concivibus hilaris satiatur poculo, tandem vero discedens intelligit, cereviſiam è cella Collegii Maj. P. P. tum ob funerum multitudinem suspecti, apportari; orta proinde nausea, cum horrore domum redit, peste tentatur, altera die extingvitur, reliquis interim nihil timentibus, nihil pastis.

§. 10. Sequuntur inspirata, quorum efficacia non minor est. Moriebatur cauponis cujusdam servus, in hujus cubiculum obseratum post aliquot dies per fenestram apertis valvis introspicit ancilla alias satis audax, nihilominus ab exhalante hinc odore fastidioso ilico afficitur, pestem contrahit, sed evadit. Alia in domo post mortem ancillæ clausum erat ejus dormitorium, elapsis aliquot septimanis ingreditur servulus illarum ædium, sentitque fœtorem quendam nauseosum, exit statim pallidus, vertiginosus, vomituriens, anxius ac tremulus; dato itaque sudorifero in lectum ablegatur confestim post sudorem trium horarum surgit iterum, atque huc usque firmâ gaudet valetudine. Uxor sartoris inter spatiandum fortè appropinquat loco, in quo vestes demortuorum atque stramenta accendebantur; fœtorem hunc intolerabilem ægrè ferens domum redit, peste opprimitur. Alia melioris conditionis fœmina, præteriens infectam Domum, à fumo inde egresso insigniter perterretur, progreditur in ædes sacras, at in his assidet ipsi à latere mulier myrrham masticans, cujus odorem quia semper abhorruit, tunc quoque per integram horam

horam tolerare non niſi cum ſummo faſtidio potuit: Domum ergò reverſa, palpitationes cordis & cephalalgiam patitur, paulò poſt peſtem ac mortem ipſam.

§. 11. Idem contigit aliis per viſum. Plures conſpecto chirurgo vel Paſtori peſtilentiali territi ægrotarunt ilico. Vivit adhuc ſartor, è cujus domo aliquot funera jamjam elata erant, cum ſub veſperam quandam ad viſitandum in ſuprema ædium contignatione habitantem pellionem ingrederetur paſtor peſtilentialis; hic ipſe quoniam ex improviſo adveniebat, adeo attonitum reddidit patremfamilias, ut eadem ipſa hora bubonem inguinalem cum conſvetis ſymptomatibus ſenſerit. Nec ſatis mirari potui matronam quandam, ceteroquin mihi magni ſemper habitam, quæ quamvis filium ægrum in mortem usque intrepida fovebat, chirurgum tamen peſtilentialem in tantum abhorruit, ut magis hujus acceſſum, quam præſens contagium timeret. Uxor chirurgi videt funus interdiu efferri à veſpillonibus, corripitur metu peſtilentiæ, ſequenti die ad plures abit. Idem hoc contigit Studioſo cuidam, currum educendis mortuis deſtinatum è longinquo venire ſibi obviam videnti. Plura exempla non adducam, præter unicum hoc, quod nunc ſequitur: circumſpiciebat è feneſtra bibliopolæ filius, annorum 7, & ecce è regione evolat gallina cum ſtrepitu & vociferatu tum temporis, quo domus hera expirat infecta; terrefactus hinc puer pallet è veſtigio, accedente vertigine, cephalalgia nec non vomitu, poſtmodum febricitat peracute, monſtrat bubonem ſub ala ſiniſtra, die 3. finit vitam. Qui his contentus non eſt, evolvat Diemerbr. p. 332. 286. 149.

§. 12. Aliis ex auditu idem natum eſt periculum. In principio noſtræ luis veniebat ad me Studioſus efflagitabatque conſilium de anguſtia præcordiorum inſigni, reſpirationis difficultate, tremore artuum capitisque dolore omniumque virium ſubitanea proſtratione conqueſtus, atque id ex inſperato ſibi jam accidiſſe

referebat, postquam sympatriotam visitasset ægrotantem, cujus hæc prima verba, ach hertzer Bruder, ich habe die Pest, instar fulminis totum corpus percusserint. Desperabundum consolatus sum omnibus modis, datoque sudorifero dimisi; tertia die perfecte curatus in publicum rursus prodiit. Memoratu quoque dignus est hic casus: colloquuntur ancillæ unius Dominæ de grassantis contagii calamitate, harum una, ut alteri extenuaret pestilentiæ metum, bono animo indicat se antequam conducta ac recepta in hoc famulitium fuerit, idem malum passam esse; hoc audito illa perterrita rem cognitam è vestigio filiæ domus patefacit, quæ non minus obstupescit, quamvis per plures dies impune cum ea conversata esset. Quid multa? utramque pestis invasit, abstulit.

§. 13. Ast magis mirandum est ex insomniis quoque pestem oriri. Egregia sane sunt verba Sennerti in lib. IV. de febr. sub. fin. cap. I. Anno 1626. memini Wittebergæ peste correptos, qui currum illum, quo peste extincti ad sepulturam vehuntur, è longinquo extra urbem conspexerunt; alios, qui domo inclusi, eum non viderunt, sed strepitum saltim ejus audiverunt; imo etiam nobis relatum est, & ex insomniis de peste nonnullos peste correptos fuisse, qui cum nullo infecto conversati fuerant, & quos certum erat per contagium pestem non hausisse. Possem huc quoque elegantissimam Diemerbroeck. p. 119. & Hœchstetteri, quam in Dec. VII. cas. II. p. 46. lego, historiam adducere; sed quæ nobis nunc observare licuit bina exempla sufficere queunt. Studiosus quidam juris tempore consueto cubitum abit, obdormiscens se à vespillonibus prehendi violenta manu, sed arrepto gladio diu cum iis atque acriter pugnare somniat; interrupta ergo quiete protinus evigilat multum anxius atque tremens, (præ metu an ira determinare nequeo) timens proinde contagium actutum surgit, & quem præcautionis gratia à me exhibitum pulverem servaverat, assumit, cereviſiam forte præ-

sentem

sentem superbibendo, sudat postea ad auroram usque; Die sequente mihi obviam factus rem gestam narrat, simulque asseverat se certo certius, si sudoriferum defeciisset, jam teneri peste, qui tam vehementer à mero insomnio alteratus fuerat. Paulo aliter evenit virgini: sentit hæc in somno cadaver infectum ac frigidissimum à tergo sibi adjacere, unde horrore perfusa expergiscitur, sed obdormit iterum secura, postquam reminiscitur, occasionem huic insomnio dedisse funus è vicinia sub vesperam eductum. Nihilominus mane dum surgit, patitur quandam corporis lassitudinem doloremque capitis, at cubiculo egressa videt famulam prono capite vultuque deligato angulum pavimenti occupasse; conterrita hoc aspectu requirit ab ea rationem rei ac intelligit erysipelate, quod jam ei sæpius acciderat, nunc quoque vexari. Atque hoc ipso momento, quæ nunquam ante passa erat rosam, hac in facie enormiter furente infestatur protinus. Præterlapso octiduo, cum restituta esset sanitati pristinæ, lætabar insomnium quidem alias impavidam dispositisse ad hunc terrorem, ast supervenientem ideam superasse priorem fortasis non vanam.

§. 14. Sed quid plura? sancte testor, me nullum huc usque vidisse ægrum ex peste, qui non à terrore eam contraxerit. Sic refert M. Lasman in rhythmis germanicis de peste Wurzensi Anni 1607. inter alia fœminam à tonitru consternatam peste fuisse correptam; alios à spectro (quod hic quoque aliquoties observavimus) annotavit Ingolstetterus in Horn. cist. med. epist. 223. & 224. nec non Hœchstett. l. c. p. 47. Scio puellas à cane, mulierem à mure perterritas, ilico in pestilentiam incidisse. Anne igitur omnis terror pestem gignit, eccur non omni die observatur? Proinde notandum, terrorem pestis immediate pestem producere, ast terrorem alium saltim mediate id posse, quatenus scilicet ab hoc commoti, ubi male se habent, grassante contagio statim pestem metuunt, atque reconvalescentiam omnino

despe-

desperant. Idem enim ex ira vel crapula ægrotantibus accidisse observavi aliquoties: atque hæc sola est ratio, ob quam omnis generis morbi tum temporis in pestem degenerare soleant. Hanc qui non metuunt, iis nec morbus, nec crapula, nec ira, imo nec improvisus terror nocet. Id suo exemplo civis quidam mihi comprobavit. Narravit enim septies in una die se perterritum fuisse, nempe primo ab infecta ancilla, quæ delirans inopinato ipsi occurrerat, deinde à subitanea uxoris puerperæ infantisque recens nati morte &c. ac miratus est, sibi nullam inde natam fuisse noxam, quamvis ægrorum omnium curam gesserit diurnam nocturnamque, ut & eos è lecto tradiderit in vespillonum manus. Interroganti autem mihi annon cadavera contrectare abhorruerit, respondit, se nunquam de contagio cogitasse, ideo quod semper crediderit non nisi à providentia DEI destinatos affici.

§. 15. Quotusquisque jam non videt causam pestis proximam esse terrorem pestis, reliqua vero omnia esse saltim remotiores causas, utpote quæ occasionem terrori pestifero præbent. Causa hæc proxima sola quandoque sufficit, ut supra probatum est, ast nulla è remotis citra interventum proximæ. Revera nec contagium est contagium, nisi terror accedat. Notus mihi ante quinquennium fuit Studiosus ex Holsatia oriundus, cujus frater infectus in eodem lecto huic adjacens prima nocte periit; is vero tum temporis puer surgens miratur mane fratrem gelidum somno adeo profundo oppressum esse; moriuntur parentes quoq; paucos intra dies; ast gaudet hic de nova veste illæsus, ignarus periculi. Magis horrenda est historia, quam è Jordano adduxit Schenck. obs. Med. p. 793. quando virginis infectæ cadaver comprimere lascivus vespillo non veritus est, cujus flagitii non aliam tulit pœnam, quam quod virgis cæsus è Uratislavia in exilium perenne mitteretur. Similem nebulonem in Gallia, qui virgines atq; mulieres infectas summeq; debiles stuprare ac violenter vitiare non timuit, vivum igne cremari vidit Diemerbr. p. 113. Aliud exemplum concubitus innoxii cum peste correpta in Hollandia Anno 1635. contigisse memorat Carol. de la Font. p. 113. ac mirum

rum eſt omninò, juvenem amaſium aliqvoties coiiſſe cum ancilla Batava tribus in locis infecta, citra contagium: dignus proinde viſus eſt, cujus memoria eleganti carmine Vincent. Fabricii celebrata inſereretur Anno II. Miſcell Nat. Curioſ. in Germ. p. 286.

§. 16. Videsne, Amice Lector, terrore per amorem, neqvitiam & laſciviam neglecto, peſtem amiſiſſe contagioſum virus. Similis mihi peſtis videtur igni fatuo, qvi fugientes fugat, ſed ſe fugantes fugit. Delector enim admodum hiſtoriis his duabus Hœchſtetteri, qvas l.c. p. 45. 46. recenſuit. Cum A. C. 1628. Auguſtæ Vindelicorum ſæviret peſtilentia, accidit, egenam anum 64. annorum, qvoniam vitam faſtidiebat miſeram, ſuâ ſponte intrâſſe domum admodum infectam, atqve in ea ægris inſerviiſſe pluribus, omnemqve fœtorem lubenti animo toleraſſe & optâſſe, ſaltim ut morte finiret calamitates ſuas concatenatas: ſpe tamen fruſtrata eſt, qvamvis diu in ædibus illis ſuperveniente Magiſtratûs juſſu detenta fuerit. Alia ſenex annorum 70. ob tædium vitæ in lectum ſe recipit, agoniſantis ſudore adhuc madidum, ſperans hoc pacto peſtis contagium mortemqve ipſam ſibi accelerari; ſed vanâ expectatione deluſa adhuc ſeptennium ſuperavit, tandemqve maraſmo ſenili confecta eſt. Eccur vero peſtis contagium qværentem fruſtratur? certe non aliam ob cauſam, qvàm qvod deſiderium ejus terrorem excludat; amabant profectò peſtem mulieres, mortemqve deſiderabant tanqvam graviorum ærumnarum finem; at nemo unqvam metuit qvod optat.

§. 17. Dicis, rara hæc omnia ſunt exempla huc usqve adducta, interim innumera teſtantur contrarium, nempe non à terrore, ſed contagio potiùs peſtem propagari. Reſpondeo igitur primò, verè rara exempla eſſe eorum, qvi accedente reali contactu non inficiantur ab ægris, qvandoqvidem rariſſimus eſt animus in periculo præſens & impavidus. Superſunt ad-

hnc, DEO ſint immortales gratiæ, Medici pariter atqve chirguri inter noſtros, qvi bubones atqve carbunculos nudis contrectare manibus non dubitâunt; ut taceam veſpillones, ſandapilarios & in genere, qvi vel ægroruu vel demortuorum curam gerentes, non parùm fœtoris devorârunt. Nec obſtat, qvosdam obiiſſe, qvi fortean imperterriti ſuum aggreſſi ſunt officium: ſciendum enim eſt qvosdam ſpe lucri allectos ſuas tentâſſe vires, præſertim urgente inopia: aſt, qvi inter ſpem metumqve dubii erant, ubi terror ſupervenit, defecerunt. Interim æternùm doleo Viros Clariſſimos, mortem præclaram pro Patria oppetentes, qvibus grave non fuit, die nocteqve ſæpe cibo ſomnoqve neglectis, viſitâſſe ægros, ut animæ atqve corpori opem præſtarent deſideratam. Extra dubium autem eſt, corpora viribus exhauſtis, omnibus affectibus ac potiſſimùm terrori eſſe obnoxia.

§. 18. Secundò qvod ipſum ſpectat contagium, nullibi nego per contactum corporeum peſtem propagari poſſe, accedente terrore. Novi Foreſto L. 6. obſ. 22. & ſchol. telam araneæ, pelliceam aliamqve veſtem; ex Sennerto L. 4. de febr. c. 3. linteamina, columbam, funes, culcitram &c. ex Di. emerbr. p. p. 363. ſtramen, cui ægri lectus impoſitus fuerat, diu pluviis, nivibus, frigori atq; vento expoſitum occaſionem peſti dediſſe. Aſt qvi circumſtantias harum hiſtoriarum conſiderat, videt clare, non ſine terrore ac ſuſpicione peſtis qvenqvam fuiſſe infectum.

§. 19. Qvandoqvidem verò dubium remanet circà infantes, qvomodo hi inficiantur, qvibus terror, ut ſic loqvar, ſpecificus tribui neqvit. Propterea obſervari velim, terrorem matris idem poſſe in lactente ſobole, qvod in adultis terror propriùs efficit. Etenim non adeò eſt diſſimilis ratio matris lactantis à gravida. In his autem freqventes abortus ex terrore & nunc & ſemper obſervati ſunt, qvid igitur dubitamus

ide-

ideam terroris cum lacte tranſire ad infantem, prout cum ſimili nutrimento vitali in uterum deſcendit prægnantis. Atqve ut eluceſcat, potiùs idealiter, qvam realiter in iis peſtem traduci, adducam rariſſimam Joachimi Camerarii obſervationem ex Schenk. p. 493. ſcilicet infantem a duabus fuiſſe lactatum, qvæ ambæ peſtis lue extinctæ ſunt, infante permanente in vivis & optima valetudine fruente. Sane ſi reale venenum e nutricibus imbibiſſet infans, nunqvam id digerere potuiſſet atqve cicurare; verum facilius ac probabilius videtur, ejus nativum robur ſuppreſſiſſe communicatam terroris ideam.

§. 20. Major adhuc videtur difficultas, qvam bruta creant. Meminit Hœchſtett. l. c. p. 46. infectæ felis, qvæ bubone coinqvinata abortierit. Diemerbr. p. 358. gallinas plures, poſtqvam in ſordibus ex infecta domo ejectis victum qvæſitaſſent, bubonibus carbunculisqve notatas interiiſſe refert; adhæc teſtantur annales unà cum hominibus qvandoqve beſtias peſtilentia ſublatas. Propterea non immerito qværitur, an etiam peſtilentiæ atqve contagii terror in bruta cadat? de qvo nullus dubito. Refertur terror ab omnibus inter ſic dictos animi affectus; aſt nemo inficias ire poteſt, iram, odium, amorem, triſtitiam &c. beſtiis qvoqve competere, tanqvam animæ ſenſitivæ paſſiones. Jam vero conſtat, amorem, odium &c. in iis non vagum eſſe, ſed qvandoqve ad hoc vel illud ſubjectum determinari, ut e. g. canes dominum diligant, fures atqve mendicos arceant & perſeqvantur. Nam & ſæpius vidi canem noſtrum domeſticum, qvamvis ceteroqvin peregrinos admiteret, allatraſſe omnes chirurgos, ideo qvod antehac illorum qvidam eum aqva calida perfuderit. Plura ſimilia qvotidie obſervamus. Qvod ſi autem reliqvi affectus qvandam in brutis determinationem ſuſcipiunt, qvid dubitamus de terrore; præſertim eum hiſtoriæ affirment, canes, feles, lupos, corvos & cetera carnivora animantia ne qvidem attingere cada-

ver peſte interemptum, uti de Athenienſi peſte ex Thucydide atqve Lucretio narrat Zac. Luſit. p. 105. l. c. de Romana Titus Livius L. 41. c. 21.

§. 21. Nimirum eò jam deventum eſt, ut monſtrem, qvid proprie terror ſit, & qvomodo peſtem producere poſſit. Occurrunt autem in omni terrore potiſſimum hæc duo notanda, nempe objecti horrendi idea ſeu conceptus, & deinde conſeqvens ſpirituum in nobis violenta commotio. Suppono iam omnium rerum, qvæ noſtris ſenſibus offeruntur, ſpecies ſive ideas in noſtra depingi anima, utpote qvæ omnibus ſenſoriis inhabitans rei viſæ colorem, olfactæ odorem, deguſtatæ ſaporem, auditæ ſonum, tactæ calorem, frigus, aſperitatem &c. in ſe recipit, prout *in Diſſertatione de ſpiritu hominis vitali* deduxi. Aſt receptæ hæ ſpecies vel placent nobis vel diſplicent, excitant amorem atqve inclinationem verſus objectum, ita ut e. g. elegantior pictura oculos in ſe convertat, lautiores dapes ſalivam atqve appetitum moveant, formoſior Venus libidinem ſtimulet atqve ſic porro; ſi qvæ contra diſplicuerint, ea potius ſpiritus noſtri negligunt atqve abhorrent, imprimis ſi formidabilia fuerint. Atqvi natura noſtra nil magis timet qvam mortem, idcirco nec qvicqvam æqve horret ac peſtem, fulminis ictum & qvæ ſubitaneam necem minantur.

§. 22. Et qvemadmodum alias a terrore improviſo obſervamus ſæpe tremorem artuum, palpitationem cordis, difficilem reſpirationem, febrem atqve eryſipelas, in debilioribus lipothymias & qvandoqve repentinam mortem ſeqvi; ita nec dubium eſt qvin peſtis terror maximus hæc & plura pejora efficere valeat. Etenim videntur in terrore ſpiritus vel plane diſſipari, ſi nimius ſit, vel tantum retrocedere; qvando plane diſſipantur, mors in momento præſens eſt; ſi vero tantum retrocedant, varia oriri poſſunt ſymptomata, nempe ſcotomia atqve vertigo, virium proſtratio, dejectio appetitus, tremor ar-

artuum, rigor febrilis, palpitatio cordis, pulſus debilis & inæqvalis &c. Imo & in ſangvinem partesqve ſolidas terror agit, ubi a ſpiritibus vel per momentum deſeruntur; namqve his deficientibus ilico coagulatur ſangvis, qvi poſtmodum in pulmonibus difficillimam reſpirationem, in corde anguſtias, in glandulis bubones, imo carbunculos atqve petechias hinc & inde gignit. Interim ſi ſubjectum fuerit infirmum, ſopor adeſt continuus; ſi vero adhuc vires reliqvæ fuerint in corpore, deprehendimus eas naturam tentare, ut illatum morbum rurſus ejiciat. Proinde in vindictam commotis ſpiritibus ſeqvuntur æſtus intenſiſimi cum inſatiabili ſiti ac lingvæ ſiccitate, delirium atrox, agrypnia, inqvietudo omnimoda, dolor non tantum exanthematum, ſed & capitis, lumborum atqve totius corporis, hæmorrhagiæ, vomitus atqve alvi fluxus &c.

§. 23. Ne mireris, me tantum robur aſſignare terrori, qvi enim phantaſiæ atqve idearum operatricium effectus qvotidie obvios attendit, facile qvoqve intelligit, Archeales morbos in tantum ſuperare humorales, in qvantum anima antecellit organico ac inerti corpori. Non neceſſum eſt ut aliunde venenum vel contagium adducamus, ſolus terror ſufficit ad multas myriades enecandum; atque ab hoc communi omnium terrore cauſa potius epidemicæ peſtis, quam ab aëris ventorumque vitio, petenda venit. Qvod enim jam olim in Levit. c. 26. v. 16. Divinum Numen minatur peccatoribus perverſis, id profecto in omni peſte cognoſcimus; videlicet juſte nos punit DEUS, ut, qui timorem Suæ Omnipotentiæ ſprevimus malitiose, ſtrepitum folioli a vento agitati, & ſi qvid levius eſſe poteſt, tremebundi reformidemus. Conſcientia prava, ubi ſcelerum furiis agitatur, iſtum terrorem nobis incutit, quippe quæ meritam pœnam omni momento imminere videt. non auſa ſperare Divinæ Gratiæ antea neglectæ opem atque ſolatium. Adhæc cacodæmon multum alacris non feriatur iſtum terro-

rem augere tam per ſpectrorum apparitionem, quam veneficarum incantamenta. Ita enim enatam peſtem in Græcia a diabolicis eluſionibus anno a nato Chriſto 784. ſequenti anno 788. in Anglia ab horribili draconum in aëre circumvolitantium aſpectu, narrant annales. Aſt nigromanticorum maleficia in ſuperiori ſeculo ſatis experta ſunt Weida Variſcorum Anno 15 & Wolckenſteinium anno 14, de quibus lectu digna annotavit Carpzovius in Criminal. Part. 1. quæſt. 50. n. 66. ſent. 25. & 30.

CAPUT III.
De ſignis peſtis.

NOn ſunt unius generis, quæ circa peſtem occurrunt ſigna, ſiquidem alia peſtem venturam prædicunt, alia præſentem monſtrant, alia hujus eventum indicant. Venturæ ſigna multiplicia hinc inde annotata video, deſumpta nunc a copia locuſtarum, aranearum, muſcarum ſimiliumque inſectorum, nunc ab hirundinum ciconiarumque diceſſu inſolito, nunc a fructuum herbarumque corruptione, ex virore ſtagnorum fœtido piſciumque in iis contentorum morte; ex aëris rorisque virulentia, ex aſpectu ſiderum, apparitione Cometarum, &c. videatur Kirch. p. 48. ſeq. cum Eberh. Gockelio in enchirid. de peſte p. 11. ſeq.

§. 2. Nempe dum tempore peſtis omnia metuentes de origine hujus dubitamus, decipimur incertitudine, & quemadmodum cauſas dubias, ita & ſigna plerumque fallacia arripimus. Non deerunt, qui gaudent noſtram luem ſe prævidiſſe hyeme ante biennium transacta ex frigorum defectu, item ex erucarum innumerabili multitudine, quæ ſequenti Vere omnem arborum ornatum depopulabantur. De papilionibus albis minorum gentium (Todten-Mücken) quales hic quoque inchoato

ato jam contagio vidimus, nec non de murium agreſtium inſolita turba, quid alii ſenſerint jam non diſquiram; velim tamen hæc & ſimilia inpoſterum diligentius attendi, ut conſtet, annon talia phænomena aliis quoque temporibus obſerventur extra peſtem.

§. 3. Aſt fallacia Aſtrologorum præſagia plane abominor; quamvis enim fortuito eventus reſpondeat in uno, millies tamen in aliis fallunt & falluntur, ut credam, ventos tempeſtatesque non raro velle vana Calendariorum commenta delere. Non video, quem in finem prædictiones iſtæ publicentur, quandoquidem admonitio ad præcavendum inſufficiens eſt, imo quandoque plurimum nociva. Nunquam obliviſcor prægnantem, (cujus cineres, dum vivo, conſtanter amo) cum videret partus tempus triſti prognoſtico (**Rahel in Gefahr!**) in calendario inſignitum, tantum animo concepiſſe mœrorem, ut a medio geſtationis tempore ad partum usque lacrimis temperare non potuerit. Primis puerperii diebus e vita diſceſſit. Ac vereor ne ſimili pacto præſagia futuræ peſtis eidem occaſionem præbeant, ſicuti non ſemel viſum eſt, ex hora nativitatis prædictam mortem ſequi ex ejusdem formidine, citra alium morbi lethalis interventum.

§. 4. Tranſeat igitur incerta atque inutilis conjectura peſtis futuræ, videamus potius quomodo, ſi præſens fuerit, cognoſcatur mature. Neque vero difficile eſt peſtem manifeſtam animadvertere, quando ſcilicet anthraces inſtar prunarum ardent. Vel bubones intolerabili dolore torquent ægros, ut facile a bubone non maligno & venereo diſcerni poſſint, præſertim ſi febris maligna conjuncta ſit; idem ex petechiis nigris & vibicibus purpureis concludere licet, eo potiſſimum tempore, quo contagium in urbe aut vicinia graſſatur.

§. 5. Quamdiu vero peſtis latet, tamdiu omnes pene hæſitamus, ita, ut ex primo inſultu vix ullus eam tuto determinare audeat.

deat. Cavendum autem eſt omni ſtudio, ne cuiquam ægrorum exitio ſit præcipitatum judicium. Vidi puellam, quæ inſtante menſtrua purgatione de capitis lumborumque dolore conquerebatur, ilico in noſcomium relegatam, quod pro infecta haberetur a Medico. Cum autem menſes prima nocte fluerent, nil amplius mali ſenſit, niſi quód regredientem altera die nemo non abhorreret, ut per plures ſeptimanas idem cum moribundis atque mortuis cubiculum incolere neceſſe habuerit.

§. 6. Novi aliam mulierem cunariam itidem ex mercatoris non incelebris ædibus conſilio ejusdem Medici ejectam, poſtquam a cibi pinguioris (geliefert Fiſter) eſu in cœna frigidum aſſumſiſſet potum, ac ſequenti mane dolorem ventriculi cum vomitu paſſa eſſet. Verum peſte accuſatam accedens chirurgus peſtilentialis ſtatim abſolvit; datoque emplaſtro ſtomachali ſedavit malum, immaturum de peſte judicium ridens.

§. 7. Scilicet non difficile eſt hoc pacto majorem numerum periculoſe ægrotantium infectorumque colligere & reſtituere, atque ut cum Roder. a Caſtro Med. Pol. pag. 128. loquar, ingentem languentium catalogum publice oſtendere poſſe. Metuo tamen, ne lædat conſcientiam qui nimium famæ indulget. Nec enim pauci ægrorum, ubi a Medcio periculum intelligunt, in deſperationem præcipitantur longe pejorem, ideoque ſatius eſt, ipſum etiam morbum quandoque diſſimulare, præſertim peſtem, nam in hujus principio plures reſtituuntur, antequam morbum intelligant, & in progreſſu qui animo præſente ſunt, feliciter evadunt plerumque; ac certum eſt, ſi quis ſeminarium peſtis hauriat atque ſimul timeat, & de periculo attentius ſit ſollicitus, eum in præſentiſſimum vitæ periculum conjici, & raro convaleſcere, quamvis omnis in curatione diligentia adhibeatur. Sunt verba Experientiſſimi in peſte Sennerti. p. m. 798.

§. 8. Ne autem Medicus in diagnoſi peſtis erret, neceſſe eſt, ut ſingulas ægri circumſtantias probe contempletur. Sunt enim quæ-

quædam ſymptomata communiſſima, ita ut in multis morbis æque ac in peſte occurrant e. g. capitis dolor lumborumque, anorexia, vomitus &c. quædam vero communia ſaltim cum malignis, ut ſubitanea virium proſtratio cum anxietate cordis: & tandem quædam peſti magis propria, quæ non facile, niſi in hac lue obſervantur, bubones & carbunculi, nec non petechiæ nigræ ſicuti ſupra jamjam explicatum eſt. In horum igitur pathognomonicorum ſignorum defectu, reliquorum concurſus attendi atque examinari debet accuratius.

§. 9. Adhæc non præſens tantum ægrotantis ſtatus, ſed & antecedentia atque conſequentia conſiderari merentur, ac potiſſimum ſi epidemica ſit lues, advertendum eſt ſedulo, quo ſchemate incedat. Etenim cum peſtis alios quandoque morbos implicet v. g. dyſenteriam, pleuritidem, anginam &c. idcirco tum temporis non negligenda ſunt tormina atque fluxus alvi, puncturæ laterum cum tuſi, atque ſic porro. Idem judicandum eſt de ſternutatione, quæ Romæ ſub finem ſuperioris ſeculi furens contagium prodidit, ut inde quoque conſuetudinem, juxta quam ſternutanti ſalutem precamur, enatam credat Kircherus c. l. p. 143.

§. 10. Noſtrates præt. anno 1680. communiter cephalalgiam cum vertigine, anxietatem præcordiorum, nauſeam, lumborumque dolorem acerbum, ac potiſſimum repentinam virium proſtrationem patiebantur. Quibus robuſtior natura ilico à contagio bubonem expellebat, in his ſymptomata quidem mitiora erant, attamen manifeſtabat tum peſtem tumor, aut ſaltem dolor ardentiſſimus in poplite, inguine &c. In quibus vero hæc externa ſigna non apparebant, ii utplurimum inſigni cordis anguſtia torquebantur & vomitu, præſertim vertiginoſi, quando ſe in lecto tantiſper erigebant, vomitabant prompte, adeoque meum adventum non ſemel inciviliter excipiebant. Præterea ſopor continuus ac profundus, qui plurimos corripuit, ſatis clare

indicabat, malignitati peſtilenti ſuccumbere naturam invalidam, prout ex pulſu evidenter cognoſcere mihi licuit. Nam & dormientibus & ſilentibus ægris pulſus docuit morbi incrementum, declinationem, uti & inducias, & recurrentes cordis anxietates; palpitante corde palpitans & frequens, tremente tremulus, languente debilis, deficiente intermittens deprehendebatur pulſus; & inæqualis quandocunque cor in motu naturali turbabatur. Plerumque in ægris frequentem inveni & ſimul debilem, inæqualem & intermittentem, ubi mors inſtaret, magnum autem & vehementem non niſi primis a contagio horis.

§. 11. Aſt antecedentium cognitio quàm utilis & neceſſaria ſit in diagnoſi nunc quoque dicam. Vocatus circa veſperam diei 9. Decembr. ingredior hypocauſtum a quatuor ægris occupatum, nempe matrefamilias, duobus pueris & vetula. Vomebant omnes maximo cum conatu bilioſa, pituitoſa, acida & quicquid in prandio eſitatum epotumque fuerat; conquerebantur inſimul de anxietate cordis, capitis dolore atque vertigine, qui ante aliquot horas ſanitate gaviſi erant integra. Credidiſſes contagium inibi ſuas exercuiſſe vires, nam & hoc ipſum metuebant, quod e regione domus ob luem occluſa eſſet, adeoque ſumme anxii meum de affectu adeo repentino effatum deſiderabant. Aſt ego, quoniam præ ſummo fœtore vix aperire os audebam, quæro ante omnia, quiſnam & unde peſſimus fœtor ſit? tumque percipio oleum raparum prunis candentibus, certam ob cauſam illatis, ex improviſo affuſum, unde ſurgens fumus omnia repleverit. Obridens itaque ſingulis animum reddidi, detectaque communis ægritudinis cauſa, unico remedio omnes reſtitui ante auroram.

§. 12. Ecquis jam non videt, quam neceſſaria ſit quandoque ægrorum viſitatio ad circumſtantiarum, quas alioquin referentes communiter reticent, cognitionem exhauriendam; ſed harum notitia quam maxime prodeſt. Expedit profecto ſcire, utrum

trum æger forſan intrarit infectam domum, peſte correptos viſitaverit, aut ſimili modo occaſionem contagio atque terrori dederit, item an in diæta peccaverit, vel in ira; verbo, an ullam ſui morbi manifeſtam reddere cauſam poſſit.

§. 13. Tandem vero judicium de morbi natura confirmare poſſumus per conſequentia, ſi v. g. bubones, carbunculi vel petechiæ ſuperveniant, atque poſt mortem etiam appareant, quales hiſtorias Diemerbr. p. 261. & 293. annotavit. Et quanquam cadavera ab interitu non liberentur hoc pacto, nihilominus per analogiam ab uno argumentari ad alios licet; potiſſimum ad artis noſtræ certitudinem facit, quandocunque exitus probat, quæ de morbo adhuc occulto prudens pronunciaverat Medicus.

§. 14. Quod ad prognoſin ſpectat, dubium non eſt quin peſtis in genere ſit periculoſa, quamvis etiam tolerabilis videatur ægrorum ſtatus, fidendum tamen ei non eſſe, eventus monſtrat. Attamen plura notari poſſunt, quæ vel periculum majus indicant, vel ſpem reconvaleſcentiæ quodammodo oſtendunt. Primum enim obſervamus, bubonem eſſe utplurimum meliorem carbunculo, hunc vero petechiis, præſertim nigris; cujus rei hæc eſt ratio; dixi ſupra tam bubones quam carbunculos atque petechias oriri a ſanguine coagulato; ſed bubones a leviſſima cruoris concretione oriri poſſunt; quidquid undique per poros muſculorum ampliores tranſit, id tamen in glandularum conglobatarum arctioribus poris ſufflaminatur ac ſiſtitur. Notum eſt a terrore ſæpe minus vehementi bubones naſci, quos proinde adæquato titulo (Schreck-Beulen) Germani nuncupant; notum etiam eſt hos tumores non raro reſolvi iterumque evaneſcere, poſt ſudorem largum exteriusque adhibita diſcutientia, citra damnum ægroti. Verum anthraces longe pejores ſunt, ac videtur natura quandam ſanguinis partem, jamjam plane corruptam & emortuam, ne quidem in gratiam recipere vel-

le. Nunquam enim carbunculus a naturæ reſolvitur, prout bubones, ſed vel excidit ab uſu externe convenientium remediorum, vel inſtar gangrænæ ulterius ſerpit, mortificatque adjacentes partes. Nihilo meliores ſunt petechiæ, nam & harum non minus profunda eſt radix quam carbunculorum, uti poſt Fernelium obſervavit Diemerbr. p. 287. Nam a latiore baſi, quæ ut plurimum oſſe innititur, exſurgunt in forma conica ad extimam usque cutem. Peſſimum autem eſt cruorem talem cadaveroſum per univerſum corpus diſpergi; adhæc incredibilis dolor, dum omnes percurrit partes, antequam maculæ expellantur, plerosque ægros jugulat; cumprimis ſi hæ ipſæ ob frigus externum, diarrhœam vel ſimilem cauſam, retromeantes bubones inſequantur; quoniam naturæ vires proſtratæ tum facile ſuccumbunt, ut ſæpe intra paucas horas æger intereat. Unicam ſervavi puellam quæ petechias copioſe una cum bubonibus fovebat. Carbunculi autem, ſi in artuum extremitatibus erumpant, ob dolorem hic graviſſimum, fere lethales ſunt, non minus quam in pectore ob cordis vicinitatem; nam & bubones ſub ala, ſiniſtra præcipue, ex hac ratione periculoſiſſimi ſunt, ſicuti & ii qui collum occupant, propter ſuffocationis metum & præcluſam medicamentis viam.

§. 15. Secundo nec vanæ ſunt prædictiones, quæ a ſymptomatum ferocia deſumuntur. Anxietas & ardor præcordiorum ingens, reſpiratio difficilis atque cum pectoris tremore conjuncta, lingua item arida cum ſiti intolerabili, quoniam vitium in præcordiis hærere indicant, ſumme periculoſa ſunt. Lipothymiæ, tremor artuum, proſtratio virium omnimoda atque lethargus peſſima dant ſigna, quia ſpirituum ſive naturæ robur malignitati expugnandæ impar eſſe luculenter docent. Jactigatio vero atque delirium ideo periculum augent, quod in hoc remedia æger non raro reſpuat, in utroque autem ſudor impediatur requiſitus,

ſitus, ut taceam motum ſpirituum anomalum in his æque ac in motibus convulſivis apparere.

§. 16. Tertio ab excretis quoque concludere licet. Sudor ſi cum levamine fluat, optimum eſt ſignum; ſi contra a ſudore pejus ſe habeant infecti, deſperatum eſt: ſudor cadaveroſus (juxta Helmont. p. 863. crematas ſoleas redolens) & frigidus mortem præſagit imminentem. Miratus autem ſum ſæpius, quando ſudorem frigidum unguesque lividos reperi in iis, quos æſtus internus pene exurebat; ſed peſſimam ſemper deprehendi hanc leipyriam, imprimis ubi rigor totum corpus crebrius pervadebat.

§. 17. Peſſimum etiam eſt ſi per ſcreatum aut tuſſim ſanguinolenta vel purulenta (quod Diemerbr. p. 333. annotavit) vel nigricantia, qualia mihi viſa ſunt, rejiciantur; teſtantur enim clare in pulmonibus, & circa cor reſidere malum. Eodem modo ex urina cruenta & purulenta liquet, veſicam urinariam eſſe affectam; aſt difficultatem urinæ aliquoties obſervavi, ſaltem per conſenſum natam, quippe quæ poſt eruptionem bubonum inguinalium deſiit. Nec dubium eſt, quin vomitus ex ſtomachi eroſione ſæpe oriatur; notavi tamen vomitum in principio ex nauſea ortum minus fuiſſe periculoſum, niſi quod aſſumta remedia rejicerentur; aſt ſuperveniens in augmento vel ſtatu morbi infelicem hujus exitum prænunciabat, quia potiſſimum poſt bubonum retroceſſionem ſequebatur.

§. 18. Idem eſto judicium de alvi fluxu; vix enim centeſimus evaſit ex iis, qui ab eo vexabantur. Multos vidi ſubito extinctos poſt unicam ſecum copioſiorem ejectionem, ut dubitarem, utrum malignitas retrogreſſa moverit alvum, an vero ob hujus fluxum bubo vel petechiæ aut purpura evanuerint. Erant autem excrementa peſſimi fœtoris, ac non raro nigerrima. Tandem quod ſanguinis fluxum concernit, ſive menſtruum in fœminis, ſive narium hæmorrhagiam atque ſimilem, diſcepta-

tur adhuc, num malum bonumve portendat. Moriuntur plerique, paucisſimi evadunt, quamvis etiam critico die accidat. Aſſerit tamen Barbette p. 413. in peſte Amſtelodamenſi ann. 1655. benignius ſignum dediſſe hæmorrhagias. Sed exiſtimo omnem ſanguinis fluxum eſſe funeſtum, qui vires dejicit atque bubones retrahit vel petechias: hoc niſi fiat, nihil timendum, prout caſus ab eodem Barbette p. 445. delineatus manifeſte oſtendit.

§. 19. Pertinet huc denique experimentum a Foreſto L. 6. obſ. 14. in ſcholio annotatum; quando ſcilicet in urinam infecti lac inſtillant mulieris puerum lactantis; hoc enim ſi fundum petat, indicat ægrum intra paucos dies mori, ſin minus, cito evadere creditur. Videant alii data occaſione, quousque ſe hujus ſigni veritas extendat; a me, fateor, nunquam tentatum eſt, quippe qui vanas ex urina divinationes vetulis ac præſtigiatoribus lubens relinquo.

CAPUT IV.
De Præſervatione Peſtis.

§. 1.

His jam præmiſſis, videndum eſt quo pacto immunes atque tuti a contagio peſtilenti eſſe queamus. Sunt autem plurima ad præſervandum excogitata & uſitata præſidia, quorum potiora ad quatuor claſſes referri poſſunt, nempe prima ſit amuletorum, altera inſpiratorum ſeu odoramentorum, tertia maſticatorum, quarta aſſumptorum. De quibus ſingulis ſeorſim agam, atque ingenue profitebor, quantum virtutis in hoc caſu iis & ratio & experientia tribuat.

§. 2. Quod amuleta concernit, notiſſimum eſt, mercurium currentem calamo ſcriptorio vel excavatis nucibus avellanis incluſum geſtari in pectore ad avertendum contagium. Ac videtur argenti vivi penetrans vis huic ſpeculationi plurimum fave-

re,

re, utpote quod, cum facile universum corpus pervadit, vel bubones oriundos resolvere, vel juxta aliorum hypothesin vermes pestis causam tollere atque necare valeat. Usus tamen docet, vanam esse spem in mercurio sitam, quandoquidem mihi aliquot exempla videre contigit eorum, qui morte propiores cum annulis reliquove ornatu sacculum gio gravem è sinu redderent.

§. 3. Parem deprehendi virtutem arsenici, ac perinde est sive arsenici albi frustum, sive curiosus cum rubro, auripigmento, bolo arm. croco, radice tormentill. &c. variis modis mixtum juxta præscriptum Conradi **Khunraths** p. m. 345. seq. & Croll. in Bas. chym. p. 313. seq. sive ipsum denique magnetem sumas arsenicalem ex consilio Barbette in tr. de peste p. 443. Vis enim attractiva veneni pestilentialis, quam arsenico tribuunt, nulla est; uti recte notavit Hœchstett. obs. med. Decur. III. cas. II. p. 216. seq. Imo vero præter vanitatem horum amuletorum de noxa inde oriunda satis testatur Diemerbr. p. 175. 298. & 348. cordis angustiam & ardorem pustulasque nigras in pectore observans, arsenicali amuleto munitorum, si forte cum sudore corpus incaluerit.

§. 4. Idem hoc etiam Helmont. p. m. 881. tanquam sæpius a se visum in castris Ostendanis annotavit, atque ideo arsenicum pernicioſum simul & inutile hydrargyrum respuens efficacius è bufone Zenexton a Butlero sibi communicatum elegit. Sed vereor ne Butlerus, professor sublimiorum medicamentorum, arcanum curandæ pestis sibi reservans, umbram fucumque vendiderit. Nam & ipse Helmont fatetur, Hybernum abiisse in exilium, antequam rationem curæ integre exposuisset; imo & trochiscos licet studiose paratos, ex suspenso ad focum, ac deſiccato pulverisatoque bufone, ejusque sordibus vomitu rejectis, minus validos tamen pronunciat, si recentes prima vice adhibiti fuerint, excellentiores saltim qui aliquoties in usum venerint. Mihi profecto nunquam non vanum visum est illud Zenexton, quamvis

vis scarabæos terramque vomitu rejectam anxie expectarim & collegerim. Etenim cum constet ancillam Helmontii peste correptam, filios eadem sublatos fuisse, clarum est tum temporis ipsi aut ignotum illud fuisse præsidium, aut per negligentiam non adhibitum, aut forte minus fidele; quod tamen ultimum magis probabile apparet ideo, quod in præservatione potionem Hippocratis, Zingiber & hederæ baccas, præter suffitus suadeat, quibus sane omnibus opus non foret, si quidem tanta virtus præservativa in bufonis Zenexto latitaret.

§. 5. Idem fortassis judicandum de succino rubro, quod vice periapti collo appendere jubet magn. vuln. cur. p. 601, 37. postquam septem pulsibus principalibus & planetariis, nempe in gutture (vel ad tempora juxta experimentum & confessionem Guardiolæ, a quo arcanum hoc se didicisse Helmont. fatetur p. 881.) carpis manuum, prope pedum malleolos, & ad cordis thronum, affrictum fuerit. Equidem non inficior in succino vim latere tractoriam seu magneticam, eamque magis magisque excitari per frictionem; nec ignoro in lippitudine similibusque affectibus capitis dictis catarrhalibus multum laudari succinum, si modo in collo gestetur; vix tamen inducor, ut credam frustum ejus appensum a peste nos liberare posse. Linquamus igitur illud potius tornatum politumque in sequioris sexus ornamentum.

§. 6. Commendatur alias succinum, teste Boot in hist. Gemm. & lap. p. 327. contra terrorem & fascinationem præsertim puerorum. Quodsi igitur quis ad avertendum vel metum pestis vel incantamentum, quod in tali strage multi accusant, adhibere hoc amuletum velit, posset sane meliori jure corallia rubra vel addere vel substituere, quippe quæ contra terriculamenta, incantationem & venena ipsa longe præstantissima censentur.

§. 7. His addere poterit, cui lubet, malachitem (Schreckstein)

ſtein)'uſitatum vulgo contra terrorem, aut pretioſiorem hyacinthum, ſapphirum vel ipſum adamantem, qui alias geſtatus conciliare magnanimitatem & venenis reſiſtere creditur; forte quod rarum & carum eſt, ſpeciem meliorum virium præ ſe ferens, deſiderio quorundam ſatisfaciet potius, quam viliora, plerumque minus grata.

§. 8. Aut, ſi quæ minus vulgaria ſunt mavis, accipe radicem colchici, eamque deficcatam & ſerico involutam in pectore geſta tanquam certiſſimum contra peſtem amuletum; hoc enim nomine mecum communicatum eſt, adeoq; non potui id ipſum occultare, ut, ſi forſan quibusdam arrideat, experiri virtutem ejus poſſint.

§. 9. Verum ut finaliter candidum de his amuletis judicium feram, exiſtimo non alium eſſe horum uſum, niſi quod his confiſi præſidiis, magnanimi reddantur, minusque contagium horreant; quemadmodum videmus militem longe alacriorem ad prælia properare, ſi victoriali, Zenith juvencularum, & quæ ab ictu ſclopetorum enſiumque vulnere præſervare dicuntur, ſe inſtructum noverit. Timidulis itaque denegare tale periapтum non poſſum; nolim tamen confidentiam talem nimiam in ſuperſtitionem aut ſecuritatem converti.

§. 10. Tranſeo ad inſpirata ſive odorata; circa quæ notandum eſt, omnia quidem ad aëris correctionem adhiberi, attamen inter hæc alia magis eſſe univerſalia, quæ integram domum aut conclave replent, ita ut pluribus ſimul proſit idem odor; alia particularia, quæ quisque naribus admovere vel inungere debet.

§. 11. Primum locum tenet hircus, cujus fœtorem noſtrates, alias ſatis delicati, approbarunt ita, ut non unum ſciam, omni die aliquoties caprum circumduxiſſe ab imo ad ſummitatem ædium, plures autem eidem vices janitoris canive catenario debitam domus cuſtodiam conceſſiſſe; quaſi vero peſtis hircum

timeret. Interim non potui non laudare paganorum promptitudinem, qui cum cernerent pecus hoc adeo desiderari largoque vendi pretio, non desierunt, quantum possibile, gregatim illud quotidie nobis adducere, ut jurare ausim, plus lucri rusticos quam emolumenti nostros inde cepisse, posteaquam aliquot observavi & visitavi domos, quæ non obstante hirco egregio, pestem omnino expertæ sunt.

§. 12. Alii magis suffitus amant, atque ideo frondes baccasve juniperi, sabinam, ungulas & cornua, nec non corium accendunt, funiculum item pulveremque tormentarium, aut curiosius e sulphure, nitro, thure, succino, myrrha, camphora, pice, radice angelicæ, similibusque vix numerandis antiloimicis fumales pulveres, trochiscos, candelasque pro lubitu componunt. Atque inter hos quidam suaveolentia potius expetunt e styrace calamita, ladano, benzoë, ambra moschoque confecta; aliis pessima vix satis fœtent.

§. 13. Observarunt autem Diemerbr. p. 130. & 134. atque Barbette p. 440. odores ejusmodi fragrantes atque jucundos plus nocuisse quam profuisse; potissimum quia his assueti facillime a quovis odore alio minus grato lædunter, nauseamque concipiunt. Econtra graveolentia deprehendi non tantum inefficacia, sed & nociva fuisse; in quamplurimis enim dolor capitis & vertigo ac difficultas respirandi cum insigni pectoris dolore subsequebatur eorum usum; phthisicos tussis pene exanimabat, quotiescunque sulphur accensum aut acetum destillatum candenti ferro affusum esset. Nullum autem inter innumera vidi, quod pestem e domibus certo abigeret, aut satis servaret superstites.

§. 14. Sed hæc suffimenta saltem præservationis domesticæ gratia adhibentur, scilicet ut domus servetur pura; ecquid vero tum agendum, quando in publicum exeundum est, ubi non æque olentis hirci comitatus, vel thuribulum appensum nos decet.

cet. Tunc omnino nares pyxide juniperina pomove odorifero aut nodulo fragrante obturandæ ſunt, ne aëris virus ex improviſo admittatur. Mallem vero his oculos quoque deligari, ne cernant obviam forte venientem ægrum pallentem, aut chirurgum peſtilentialem; nam & his e longinquo viſis multi contremiſcunt ac tantum non corruunt, quanquam nullum inde odorem percipiant.

§. 15. Proinde ut explicem quousque ſe vires odoratorum extendant, quantaque inter uſum & abuſum ſit differentia, dicam breviter, in aëre libero & domo nondum infecta inutilem plane, ac potius damnoſam eſſe odoratorum uſurpationem, ſaltem in noſocomiis admittendam, & circa ægrorum cubilia ad avertendam adſtantium nauſeam.

§. 16. Nimirum aërem ſæpius falſo in peſte accuſari jam dictum eſt ſupra in antecedente cap. II. quem igitur in finem adulteramus ejusdem puritatem? Novi ſane, qui ex ædibus ſacris nauſeabundi redierunt, nec aliam ob cauſam, niſi faſtidium concurrentium odorum adeo diverſorum, peſte correpti ſunt. Quantam vero Concionatores noſtri moleſtiam ex acceſſu halituum horum in ſuggeſtu patiantur, ipſimet ſatis teſtari poſſunt.

§. 17. Me igitur judice, omittendus non tantum ſed & prohibendus eſt vanus ille odoramentorum cultus. Aſt qui circa ægrotos verſantur, ubi & ſudoris & potiſſimum, ſi alvi fluxus vel vomitu corripiantur, excrementorum inſignis fœtor deprehenditur, illis omnino proſpiciendum eſt. Ante acceſſum igitur Confeſſionarii, Medici vel chirurgi, cumprimis ſi nauſeator fuerit, non male ſuffimen incenditur ad arcendas exhalationes tetras. Inſtar omnium undique pulvis pyrius eſſe poteſt, cujus odor nec gravis eſt adeo, nec ulli pene ignotus. Ex multis compoſita peſſima ſunt ſuffimenta; quo enim mixtus magis, varius & peregrinus eſt odor, hoc magis quoque nauſeoſus eſt.

§. 18. Norunt, quos viſitavi, nunquam thura mihi accen-

sa, graveolentia plane rejecta, ac nihilominus, DEO sint gratiæ, me pariter atque contubernales ægroti & domesticos servatos fuisse. Saltem, si quis pestilentia interiret, tum in hujus cubiculo pulverem tormentarium supra laudatum alioquoties deflagrare jussi optimo cum successu.

§. 19. Quod si vero ægros accessurus ex superabundanti odoramentis se custodire velit, non errat, modo ea seligat, quæ penetranti gaudent odore, ut ambientem ac sæpe ingratum aërem corrigere satis queat. Solent idcirco plurimi gestare citri pomum aut pilam è junipero excavatam, quæ spongiam oleo antiloimico Heinisii, rutæ atque angelicæ turgidam contineat; alii strophiolum aceto simplici vel antipestilentiali aut etiam spiritu æruginis imbuunt: alii balsamum ex jam dictis Oleis paratum naribus inungunt, quod mihi præ ceteris perplacet, nebuloso potissimum aëre, tempestuoso vel frigido usurpatum. Æstivo tempore gratissimo mihi fuit caryophylli hortensis fragrantioris odor, vel basiliconis aut majoranæ, foliorum lauri & similium forte manibus obviorum; plerumque nihil horum omnium curans nihilque metuens accessi ægrotantes intrepidus.

§. 20. Quandoque vero in defectu odoramenti tantillum radicis angelicæ vel cort. citri in ore abscondi; horum etenim odor mihi admodum probatur. Camphoram & crocum nullatenus tolerare potui, statim enim capitis dolor & vertigo subsequebantur. Præter hæc a quibusdam myrrha vel baccæ juniperi vel costus vel radix Zedoariæ, vel helenii, vel thysselii (vespillonum arcanum) maxime æstimatur. Alii ex his similibusque curiosius extractis trochiscos parant sublinguales, adduntque non tantum olea destillata macis, rutæ, cinamomi &c. sed & ambram atque moschum ad imitationem Hœchstett. Dec. VII. obs. 1. p. 59. seq.

§. 21. Quanquam autem quemvis suo sensu abundare facile patior, monendum tamen est circa masticatoria primo, maxime

xime indecorum esse in genere, si quis pro more ruminantium pecorum indesinenter dentibus commolat masticanda, non secus ac si venter his satiandus foret: secundo, quævis promiscue, ac præsertim mixta contrarii odoris sæpe non esse assumenda; myropolam enim redolet aut herbarium multis exosum: tertio, ambram ac moschum similiaque suavia vitanda esse, ne sibi blandiens aliis magis damno sit, videlicet mulierculis, quarum paucissimæ suaveolentia hæc tolerant, quin statim hysterica passio aut suffocatio eas corripiat.

§. 22. Eligenda igitur sunt illa potius, quæ acri quidem sapore, sed odore minus gravi pollent. Semen erucæ præ reliquis laudo, uti & cubebas ac cardamomum, a Diemerbr. feliciter usurpatum commendatumque pag. 180. præterquam enim quod egregie linguam ac palatum afficiat, excellentissima insimul vertiginis, hoc tempore suspectæ, nihilominus frequentioris, sunt remedia. In eo autem maxime consistit masticatoriorum virtus, quod papillulas oris nervosas blande vellicando, spiritus ab externo pravoque odore avocent; hoc enim unice pacto nos præservant, quatenus occasioni resistunt nauseæ contagiosæ.

§. 23. Aliter sentiunt, qui aërem pestilenti veneno infectum credunt; ab his enim masticatoria præscribuntur ad corrigendum aëris inspirati vitium. Qui exspuitioni favent a Dobrzenski nuperrime ad præservationem commendatæ, possent ea omnia tanquam acria & salivam moventia, suæ hypothesi satis plausibiliter accommodare.

§. 24. Jam vero supra dictum est, aërem non simpliciter esse contagiosum, sed per accidens tantum. quando nempe nauseosus ejus fœtor ansam horrori præbet, adeoque nulla hic requiruntur alexipharmaca, quæ istud virus excludant, multo minus sputatio valebit. Imo vereor ne modus hic non sufficiat ad præservandum, qui aëris metuunt contagium. Mallem igitur ab his sæpius nares, per quas potius, quam os inspiramus, emungi,

imo & per screatum pulmones repurgari, ac ilico urinam reddi, juxta anicularum præceptum, ut sic iterum terror una & fermenti pestilentialis malignitas discedat.

§. 25. Qui nicotianæ fumo delectantur, hoc pacto duplicem ex eo percipiunt utilitatem; movet enim insigniter salivam & simul aërem ambientem suo replet odore, adeoque ori ac naso prospicit. Ac fateor me non semel fistulas antehac placitas repetiisse, ut in casu necessitatis mihi consulerem cum Diemerbr. p. 162. 273. Postquam vero observavi aliquot admiratores tabaci fere inter fumandum infectos ac sublatos fuisse, tandem credidi, nicotianæ usum forte Noviomagensibus magis quam Lipsiensibus convenire, vel etiam insufficientem esse ad præservandum corpus universum.

§. 26. Hujus universalis præservationis gratia nemo non adhibet interna medicamenta, quamvis pectus amuleto, nares balsamo vel odoramento, os trochiscis aut masticatorio munitum sit. Existimant enim omnes, alexipharmacorum virtutem admisceri chylo ac sanguini, cumque his ad singulas partes distribui, ita ut malignitatis contagiosum fermentum vel plane non admittatur, ob naturæ robur alexicacum, vel repente expellatur, antequam corpori nocere possit.

§. 27. Jubent itaque nonnulli quovis mane assumi theriacam, mithridatium vel similia electuaria, aut condituras nucum, cort. citri & aurantiorum, vel rad. helenii, quam præ omnibus extollit Diemerbr. p. 157. Alii acida potius commendant, præsertim citri poma vel acetum calendulatum, bezoardicum, semper virentibus affusum juxta Cardiluc. p. 33. & in append. p. 36. aut simplex saltim cum Sylvio p. m. 652. spiritum salis dulcem cum Hartmanno in Praxi chym. p. m. 916. vitrioli & sulphuris, vel quod idem est, hujus Gas in vino salito collectum, juxta Helmont. p. 889. Cum enim a sulphuris fumo vina, a sale carnes conservari cerneret, collegit hinc quoque, hæc ipsa egregia fore

fore præservativa præsidia contra omnem putredinem atque ipsam pestilentiam. Ecquis vero non videt inter hanc & carnium odorem marcidum vappamque insigne discrimen. Notum est vinum sulphuratum acerbos capitis dolores excitare, si hauriatur; solent igitur œnopolæ nucem moschatam loco sulphuris accendere, eodem cum fructu. Quis ergo non illam potius præ sulphure eligat, si quidem a vini remedio ad præcautionem pestis argumentari licet. Salis autem esculenti vires si tantæ sint, nunquam posset Hala Saxonum peste corripi, (quam tamen & in hoc Seculo, ut priora taceam, quater experta est) utpote in qua non tantum aqua atque cerevisia, sed & aër sale prægnans est, ut vix sitim temperare possint advenæ. Ecquod alimentum præstantius esset halecibus, ast horum esu pestem multum accrevisse testatur Diemerbr. p. 141. Melioris proinde securitatis gratia optarem, qui adeo delectantur sale, post condituram fumari, si parem cum porcina carne conservationem poscant. Huc spectat consilium Guarinorii in Pestilentz Guardien p. 74. 75. Wilt du derhalben ein fürtrefflich Rauchwerck für die Pest haben / der du allhier die Gelegenheithast so pflege mirs nach/und gehe zu morgens und abends/ und so offt es die Gelegenheit gibt/ in hiesiges Pfann-Hauß/ zuvor aber zum Schürloch und laß die Hitze gar wohl an deine Kleider und Mantel um und um gehen/alsdenn auf die Buhn/ und mercke woher der Wind den Saltzdampff wehet/ daselbsten stell dich zu gegen/ daß er völlig an dich gehe/ und du immittelst als in einer dunckeln Wolcke ein halb Viertelstunde lang mit abgedecktem Haupt / daß er in das Haar schlage/ verbleibest/ alsdenn magst du deine Wege fortgehen. Wer aber hiesige Gelegenheit nicht hat / der mache es ihm also: Nimm eine hiesige/ oder eine mit Saltz und Wasser gemachte Saltzsur/ giesse solches nach und nach auff einen heissen saubern Ziegel und lasse den Dampff und Rauch an dich und

auch

auch durch die Zimmer gehen. Die Vermöglichen aber mögen unter die Saltzsur ein theil Eßig vermischen und besagter Weise brauchen. Wer an der Kleidung etwas vergwisserter seyn will/ der duncke in benennte blosse oder mit Eßig vermischte Saltzsur einen Schwamm/ und befeuchte sich an Kleidern/ Händ/ Angesicht/ Haupt/ Haar und Barth/ ist über alle andere Artzeneyen ꝛc.

§. 28. Alii non acquiescunt in his alterantibus, sed & evacuationem requirentes volunt, vel sudorem quandoque provocandum, vel laxativa aliquoties adhibenda esse. Præscribunt igitur cum Diemerbr. p.160. ad minimum singulis septimanis semel generosius assumi sudoriferum ad eliminanda noxia, forte in corpus recepta, inquinamenta. Pro scopo laxandi simili ratione exhibent elixir proprietatis additione agarici vel rhabarbari acuatum, magisque specificatum pulvere radicis angelicæ, helenii &c. vel in forma pilularum, quibus antipestilentiales Ruffi non sufficiunt, eadem illa ingredientia propinant bis in hebdomade, alternis diebus, ac fere quotidie, in minore saltem dosi.

§. 29. De his jam enarratis singulis qui meas qualescunque observationes desiderat, sciat 1. Theriacalia & cetera opiata, uti & ex croco & camphora, nec non vomica nuce confecta, si mane assumantur & continuentur aliquandiu, multum certe disponere ad vertiginem, lassitudinem totius corporis & somnolentiam. 2. Saccharata uti & acida in genere, dum acidum vitiosum in corpore gignunt & augent, ab incautis assumta, sæpe vidi dolores colicos, dolores lienis & hypochondriorum, in fœminis passiones hystericas commovisse, phthisicos excitata tussi, ferme suffocasse. 3. Sudores præservative excitatos deprehendi maxime nocivos; factum enim est ut mane sudantes in lecto, a meridie ubi se forte occasio terroris vel iræ obtulerit, non minus quam alii, infecti fuerint, imo magis adhuc, ideo, quod vires per sudorem dejecerint. Recte igitur annotavit Diemerbr. p.160.

&

& 171. modum hunc præservandi per sudores minus tutum fuisse. 4. Laxantium usus plerumque ridiculus est in perfecte sanis, damnosus in prægnantibus, partim ob sequentem deficcationem, quæ aloës rhabarbarique & verbo omnium purgantium continuatam assumtionem excipit, partim ob additamentum myrrhæ, croci similiumque mensis ac fœtum vere pellentium. Abortus sane adeo frequentes in peste, quanquam ex terrore non difficulter in quibusdam deduci queant, metuo tamen ne nimio debeantur præservandi studio.

§. 30. Dicis, abusus hi usum non tollunt laudabilem: satis est qvosdam servari. Sed respondeo 1. usum esse incertum, 2. ex abusu damnum esse longe maximum: sit, ita hunc vel illum electuario de ovo, camphorato Kegleri, conditura radicis helenii &c. utentem non correptum fuisse peste, inde tamen nondum liqvet, hæc vera esse præservativa. Annon enim plures vivunt, DEO sic volente, qvi nihil unqvam assumunt? annon etiam multi eodem illo remedio usi intereunt? Aut ergo fallaciam non causæ ut causæ committi, aut particulariter saltim uni & alteri fuisse conveniens medicamentum clarum est. Proinde qvi certum præservativum desiderat, non alio modo id addiscere potest, qvam si in domibus jam infectis & iis, qvi circa ægrotantes versantur, tentamina attente instituat. Hic Rhodus, hic salta. Jactitarunt profecto multi a principio nostræ infectionis arcana & infallibilia pestis antidota, electuaria, morsulos, essentias atqve aceta a multis seculis experta, sed ecce sublati sunt mature cum integris pene familiis.

§. 31. Deinde qvod alterum concernit, nempe insignem ex abusu ejusmodi medicamentorum oriundam noxam: dissimulare non possum, inter nostros plebejos pariter ac melioris status cives plerosqve tantam in his qvisqviliis collocasse fiduciam, ut si qvos pestis invaserit, ante omnia suum adhiberent arcanum domesticum, vel a vicino communicatum; hoc irrito, ubi per

plures horas dies noctesqve frustra sudorem expectarunt, dosinque reiterarunt & auxerunt incassum, tum tandem ad Medicum veniebant serius, non raro exspirante prius ægro, qvam allatum esset medicamentum.

§. 32 Credunt enim pleriqve eandem esse rationem præservandi, & curandi, qvod tamen aperte falsum est. Qvapropter ut planum evadat, qvænam verè in præservatione observanda sint, dabo certas regulas seu præcepta, non modo circa facienda, sed & fugienda. Dixi in antecedenti capite pestem per terrorem ac nauseam propagari, adeoque hæc ipsa cane pejus & angve vitanda esse, quivis intelligit. Cum autem animi affectus in omnium potestate non sint simpliciter, demonstrabo modum, quo quisque sibi consulere possit. Beatus est profecto pestis tempore qui nihil metuit, nihil abhorret. Sunt enim per naturam quidam magis animosi, alii magis timidi; his ut succurramus, necesse est, illis nullatenus.

§. 33. Ante omnia igitur occasiones terroris vel nauseæ fugiendæ sunt omnibus modis. Peregre abire optimum quidem est, sed non semper licitum aut honestum. Sufficit ab ægrorum visitatione abstinuisse meticulosum. Ast aerem liberum qui timet & conciones publicas, ne quidem commiseratione dignus videtur: Merentur hanc potius, quos ira, mœror, curæ atque calamitas miseros reddit. Disponunt enim hæc omnia ad contagium, quatenus spiritus imbecilles reddunt, quo minus ideæ terrificæ resistere possint. Fugienda ergo in genere cuncta sunt quæ vires enervant, inedia, crapula, labores nimii, lucubrationes, abusus veneris, crebrior sudoriferorum ac purgantium usus atque similia.

§. 34. Econtra omnibus modis conservandæ sunt vires, ac roborandus spiritus per lautiores cibos potumque svavem, vini præsertim. Hujus enim virtutes in unico Henrico Sayero, cujus Willis meminit in Tr. de febr. p. 160. satis conspicuæ sunt.

sunt. Neque vero necessum est ut jejuno præcise stomacho potetur; sufficit inter prandendum aut cœnandum sumi, si qui matutinis horis id ferre nequeant. Eodem pacto ad robur spirituum augendum alii aquam magnanimitatis, confectionem alkermes & similia analeptica præscribunt. Ambræ essentiam cum spiritu vini malvatici paratam plurimum extollit Crato in consiliis; recte quidem, cum judicio tamen ea exhibenda sunt svaveolentia, ne per accidens quenquam lædant, uti supra monitum est.

§. 35. Prætèrea exhilarandus est animus quantum fieri potest: quem in finem olim apud Lacedæmones maximi habebatur Musica pestis tempore. Quamdiu amœnitas hortorum atque ruris floret, inhabitanda aut saltim visitanda est sæpius; nec unquam negligi debet conversatio amica ac svave colloquium. Quemadmodum enim tristes omnia timent, ita nemo felicius terrorem eludit, quam qui hilarem alit mentem, & quanquam ex improviso terreatur, minus nocebit, nam & alacrior spirituum motus ideam terrificam minus admittit, & si recepta fuerit, facile iterum eandem delet.

§. 36. Quandoquidem vero status corporis & spiritus tam arcte unitus est, ut læso uno alterum quoque lædatur, idcirco & corporis cura quandoque haberi potest, si spiritum servare ac fortificare velis. Non ignoro pestem æque sanos atque cacochymos aggredi, adeoque primarium præservationis punctum in sanitate non consistere; facit tamen secundario ad præservationem, quatenus in statu sanitatis naturaliter spirituum restitutio quotidie succedit, quæ ex opposito impeditur in corpore morboso; ut taceam mille occasiones pestem concipiendi, si forte caput aut dorsum vel stomachus doleat.

§. 37. Non igitur ineptum est grassante pestilentia in corpore plethorico venam secare, quod tam in meipso quam aliis necessarium pariter ac utile observavi; sicuti scarificati-

onem in assvetis, quippe qua neglecta plerique dentium atque capitis dolorem, artuum lassitudinem, torporem atque lancinationes experti sunt, non sine contagii suspicione. In aliis exigente necessitate evacuantia adhibui citra noxam, aliis alterantia præscripsi omnis generis, aromatica & salina pituitosis, acida biliosis, terrea atque salia volatilia, quos acidum vexaret, hypochondriacis & lienosis, mulieribus ad uteri suffocationes pronis antihysterica usitata, catarrho obnoxiis anticatarrhalia, verbo cuilibet subjecto appropriata. Omnes autem bono animo esse jussi, ac miratus sum, Deo benedicente, plures meorum interim melius habuisse, quam alias, partim quod præscriptis uterentur diligentius, partim quoniam diætam, iram atque similia moderarentur prudentiores.

§. 38. Quod enim diæteticam præservationem attinet, existimo nullos quidem cibos adeo universaliter damnandos, sed & nullos adeo extollendos esse. Ridiculum est a Gvarinonio p. 83. brassicam muriaticam præ omnibus alimentis & medicamentis tanquam optimum præservativum commendari; si libet, per me licet. Neque nobis vicissim anseres, caro suilla atque similia alias rejecta displicuerunt aut nocuerunt quicquam. Sanis omnia sana. Nihilominus pingvia quibusdam in nidorem degenerant, duriores cibi debiliorem ventriculum gravant, unde capitis dolor, appetitus prostratio, in timidioribus subjectis metus pestis sequitur. Utinam vero illud proverbium, **Sauer macht lustig**/ ad omnes se extenderet.

§. 39. Hæc de qualitate assumendorum; quantitatem quod spectat, præsertim in potu excessivam, non possum non damnare ebrietatem, quamvis poculum hilaritatis non rejiciam. Præterquam enim quod temulentus sibi ipsi cephalalgiam, ventriculi atque artuum langvorem, similiaque plura mala sponte creet, ex crapula metuendum est, ne animam una cum corpore in extremum conjiciat periculum. Horrendum est dictu

dictu, ex vino vacillantem in pestem labi, amentiam ebrii furore maligno, æstum a generosiori potu ardore funesto continuari, terminari.

§. 40. Sufficiant hæc ad præservandi rationem diætetiçam & pharmaceuticam. Chirurgica præsidia lubens prætereo, fonticuli enim a quibusdam adeo æstimati hoc tempore minus fideles extitere, quandoquidem aliquot subjecta alioquin satis vegeta e medio sublata noverim, præter historias antehac ab Hœchstett. in Dec. VII. cas. I. & schol. item a Diemerbr. p. 152. annotatas. Qui vero ad imitationem D. Alpruni ingvina sibi incidi, aut scrotum perfodi juxta methodum monachi a Platero in Pr. tr. 2. cap. 2. & L. 3. c. 12. annot. 3. observatam, expetat, non refragabor.

CAPUT. V.

DE

CURA PESTIS.

§. I.

SEquitur ut tandem quoque tradam infectorum curam, & quid agendum sit, si quem pestis invadat. Occurrunt hic potissimum quatuor indicantia: *primo* causa morbifica, nemde idea conceptæ cum terrore pestis, *secundo* coagulatus sangvis, *tertio* symptomata connexa, *quarto* productum morbosum, bubones & carbunculi.

§. 2. Quod ad primum spectat, eqvidem jam supra in Cap. II. egimus de natura terroris ejusque modo causandi pestem; nihilominus quædam adhuc restant monenda, quorum cognitio non parum utilitatis in praxi habet. Dixi tum terrorem

onem in assvetis, quippe qua neglecta plerique dentium atque capitis dolorem, artuum lassitudinem, torporem atque lancinationes experti sunt, non sine contagii suspicione. In aliis exigente necessitate evacuantia adhibui citra noxam, aliis alterantia præscripsi omnis generis, aromatica & salina pituitosis, acida biliosis, terrea atque salia volatilia, quos acidum vexaret, hypochondriacis & lienosis, mulieribus ad uteri suffocationes pronis antihysterica usitata, catarrho obnoxiis anticatarrhalia, verbo cuilibet subjecto appropriata. Omnes autem bono animo esse jussi, ac miratus sum, Deo benedicente, plures meorum interim melius habuisse, quam alias, partim quod præscriptis uterentur diligentius, partim quoniam diætam, iram atque similia moderarentur prudentiores.

§. 38. Quod enim diæteticam præservationem attinet, existimo nullos quidem cibos adeo universaliter damnandos, sed & nullos adeo extollendos esse. Ridiculum est a Gvarinonio p. 83. brassicam muriaticam præ omnibus alimentis & medicamentis tanquam optimum præservativum commendari; si libet, per me licet. Neque nobis vicissim anseres, caro suilla atque similia alias rejecta displicuerunt aut nocuerunt quicquam. Sanis omnia sana. Nihilominus pingvia quibusdam in nidorem degenerant, duriores cibi debiliorem ventriculum gravant, unde capitis dolor, appetitus prostratio, in timidioribus subjectis metus pestis sequitur. Utinam vero illud proverbium, **Sauer macht lustig**/ ad omnes se extenderet.

§. 39. Hæc de qualitate assumendorum; quantitatem quod spectat, præsertim in potu excessivam, non possum non damnare ebrietatem, quamvis poculum hilaritatis non rejiciam. Præterquam enim quod temulentus sibi ipsi cephalalgiam, ventriculi atque artuum langvorem, similiaque plura mala sponte creet, ex crapula metuendum est, ne animam una cum corpore in extremum conjiciat periculum. Horrendum est dictu

dictu, ex vino vacillantem in pestem labi, amentiam ebrii furore maligno, æstum a generosiori potu ardore funesto continuari, terminari.

§. 40. Sufficiant hæc ad præservandi rationem diætetica & pharmaceuticam. Chirurgica præsidia lubens prætereo, fonticuli enim a quibusdam adeo æstimati hoc tempore minus fideles extitere, quandoquidem aliquot subjecta alioquin satis vegeta e medio sublata noverim, præter historias antehac ab Hœchstett. in Dec. VII. cas. I. & schol. item a Diemerbr. p. 152. annotatas. Qui vero ad imitationem D. Alpruni ingvina sibi incidi, aut scrotum perfodi juxta methodum monachi a Platero in Pr. tr. 2. cap. 2. & L. 3. c. 12. annot. 3. observatam, expetat, non refragabor.

CAPUT. V.

DE

CURA PESTIS.

§. I.

SEquitur ut tandem quoque tradam infectorum curam, & quid agendum sit, si quem pestis invadat. Occurrunt hic potissimum quatuor indicantia: *primo* causa morbifica, nemde idea conceptæ cum terrore pestis, *secundo* coagulatus sangvis, *tertio* symptomata connexa, *quarto* productum morbosum, bubones & carbunculi.

§. 2. Quod ad primum spectat, eqvidem jam supra in Cap. II. egimus de natura terroris ejusque modo causandi pestem; nihilominus quædam adhuc restant monenda, quorum cognitio non parum utilitatis in praxi habet. Dixi tum terrorem

onem in assvetis, quippe qua neglecta plerique dentium atque capitis dolorem, artuum lassitudinem, torporem atque lancinationes experti sunt, non sine contagii suspicione. In aliis exigente necessitate evacuantia adhibui citra noxam, aliis alterantia præscripsi omnis generis, aromatica & salina pituitosis, acida biliosis, terrea atque salia volatilia, quos acidum vexaret, hypochondriacis & lienosis, mulieribus ad uteri suffocationes pronis antihysterica usitata, catarrho obnoxiis anticatarrhalia, verbo cuilibet subjecto appropriata. Omnes autem bono animo esse justi, ac miratus sum, Deo benedicente, plures meorum interim melius habuisse, quam alias, partim quod præscriptis uterentur diligentius, partim quoniam diætam, iram atque similia moderarentur prudentiores.

§. 38. Quod enim diæteticam præservationem attinet, existimo nullos quidem cibos adeo universaliter damnandos, sed & nullos adeo extollendos esse. Ridiculum est a Gvarinonio p. 83. brassicam muriaticam præ omnibus alimentis & medicamentis tanquam optimum præservativum commendari; si libet, per me licet. Neque nobis vicissim anseres, caro suilla atque similia alias rejecta displicuerunt aut nocuerunt quicquam. Sanis omnia sana. Nihilominus pingvia quibusdam in nidorem degenerant, duriores cibi debiliorem ventriculum gravant, unde capitis dolor, appetitus prostratio, in timidioribus subjectis metus pestis sequitur. Utinam vero illud proverbium, **Sauer macht lustig**/ ad omnes se extenderet.

§. 39. Hæc de qualitate assumendorum; quantitatem quod spectat, præsertim in potu excessivam, non possum non damnare ebrietatem, quamvis poculum hilaritatis non rejiciam. Præterquam enim quod temulentus sibi ipsi cephalalgiam, ventriculi atque artuum langvorem, similiaque plura mala sponte creet, ex crapula, metuendum est, ne animam una cum corpore in extremum conjiciat periculum. Horrendum est dictu

dictu, ex vino vacillantem in pestem labi, amentiam ebrii furore maligno, æstum a generosiori potu ardore funesto continuari, terminari.

§. 40. Sufficiant hæc ad præservandi rationem diætetica & pharmaceuticam. Chirurgica præsidia lubens prætereo, fonticuli enim a quibusdam adeo æstimati hoc tempore minus fideles extitere, quandoquidem aliquot subjecta alioquin satis vegeta e medio sublata noverim, præter historias antehac ab Hœchstett. in Dec. VII. cas. I. & schol. item a Diemerbr. p. 152. annotatas. Qui vero ad imitationem D. Alpruni ingvina sibi incidi, aut scrotum perfodi juxta methodum monachi a Platero in Pr. tr. 2. cap. 2. & L. 3. c. 12. annot. 3. observatam, expetat, non refragabor.

CAPUT. V.

DE

CURA PESTIS.

§. I.

SEquitur ut tandem quoque tradam infectorum curam, & quid agendum sit, si quem pestis invadat. Occurrunt hic potissimum quatuor indicantia: *primo* causa morbifica, nemde idea conceptæ cum terrore pestis, *secundo* coagulatus sangvis, *tertio* symptomata connexa, *quarto* productum morbosum, bubones & carbunculi.

§. 2. Quod ad primum spectat, eqvidem jam supra in Cap. II. egimus de natura terroris ejusque modo causandi pestem; nihilominus quædam adhuc restant monenda, quorum cognitio non parum utilitatis in praxi habet. Dixi tum terrorem

onem in assvetis, quippe qua neglecta plerique dentium atque capitis dolorem, artuum lassitudinem, torporem atque lancinationes experti sunt, non sine contagii suspicione. In aliis exigente necessitate evacuantia adhibui citra noxam, aliis alterantia præscripsi omnis generis, aromatica & salina pituitosis, acida biliosis, terrea atque salia volatilia, quos acidum vexaret, hypochondriacis & lienosis, mulieribus ad uteri suffocationes pronis antihysterica usitata, catarrho obnoxiis anticatarrhalia, verbo cuilibet subjecto appropriata. Omnes autem bono animo esse jussi, ac miratus sum, Deo benedicente, plures meorum interim melius habuisse, quam alias, partim quod præscriptis uterentur diligentius, partim quoniam diætam, iram atque similia moderarentur prudentiores.

§. 38. Quod enim diæteticam præservationem attinet, existimo nullos quidem cibos adeo universaliter damnandos, sed & nullos adeo extollendos esse. Ridiculum est a Gvarinonio p. 83. brassicam muriaticam præ omnibus alimentis & medicamentis tanquam optimum præservativum commendari; si libet, per me licet. Neque nobis vicissim anseres, caro suilla atque similia alias rejecta displicuerunt aut nocuerunt quicquam. Sanis omnia sana. Nihilominus pingvia quibusdam in nidorem degenerant, duriores cibi debiliorem ventriculum gravant, unde capitis dolor, appetitus prostratio, in timidioribus subjectis metus pestis sequitur. Utinam vero illud proverbium, **Sauer macht lustig**/ ad omnes se extenderet.

§. 39. Hæc de qualitate assumendorum; quantitatem quod spectat, præsertim in potu excessivam, non possum non damnare ebrietatem, quamvis poculum hilaritatis non rejiciam. Præterquam enim quod temulentus sibi ipsi cephalalgiam, ventriculi atque artuum langvorem, similiaque plura mala sponte creet, ex crapula, metuendum est, ne animam una cum corpore in extremum conjiciat periculum. Horrendum est dictu

dictu, ex vino vacillantem in pestem labi, amentiam ebrii furore maligno, æstum a generosiori potu ardore funesto continuari, terminari.

§. 40. Sufficiant hæc ad præservandi rationem diætetica & pharmaceutica. Chirurgica præsidia lubens prætereo, fonticuli enim a quibusdam adeo æstimati hoc tempore minus fideles extitere, quandoquidem aliquot subjecta alioquin satis vegeta e medio sublata noverim, præter historias antehac ab Hœchstett. in Dec. VII. cas. I. & schol. item a Diemerbr. p. 152. annotatas. Qui vero ad imitationem D. Alpruni ingvina sibi incidi, aut scrotum perfodi juxta methodum monachi a Platero in Pr. tr. 2. cap. 2. & L. 3. c. 12. annot. 3. observatam, expetat, non refragabor.

CAPUT. V.

DE

CURA PESTIS.

§. I.

SEquitur ut tandem quoque tradam infectorum curam, & quid agendum sit, si quem pestis invadat. Occurrunt hic potissimum quatuor indicantia: *primo* causa morbifica, nemde idea conceptæ cum terrore pestis, *secundo* coagulatus sangvis, *tertio* symptomata connexa, *quarto* productum morbosum, bubones & carbunculi.

§. 2. Quod ad primum spectat, eqvidem jam supra in Cap. II. egimus de natura terroris ejusque modo causandi pestem; nihilominus quædam adhuc restant monenda, quorum cognitio non parum utilitatis in praxi habet. Dixi tum terrorem

onem in assvetis, quippe qua neglecta plerique dentium atque capitis dolorem, artuum lassitudinem, torporem atque lancinationes experti sunt, non sine contagii suspicione. In aliis exigente necessitate evacuantia adhibui citra noxam, aliis alterantia præscripsi omnis generis, aromatica & salina pituitosis, acida biliosis, terrea atque salia volatilia, quos acidum vexaret, hypochondriacis & lienosis, mulieribus ad uteri suffocationes pronis antihysterica usitata, catarrho obnoxiis anticatarrhalia, verbo cuilibet subjecto appropriata. Omnes autem bono animo esse jussi, ac miratus sum, Deo benedicente, plures meorum interim melius habuisse, quam alias, partim quod præscriptis uterentur diligentius, partim quoniam diætam, iram atque similia moderarentur prudentiores.

§. 38. Quod enim diæteticam præservationem attinet, existimo nullos quidem cibos adeo universaliter damnandos, sed & nullos adeo extollendos esse. Ridiculum est a Gvarinonio p. 83. brassicam muriaticam præ omnibus alimentis & medicamentis tanquam optimum præservativum commendari; si libet, per me licet. Neque nobis vicissim anseres, caro suilla atque similia alias rejecta displicuerunt aut nocuerunt quicquam. Sanis omnia sana. Nihilominus pingvia quibusdam in nidorem degenerant, duriores cibi debiliorem ventriculum gravant, unde capitis dolor, appetitus prostratio, in timidioribus subjectis metus pestis sequitur. Utinam vero illud proverbium, **Sauer macht lustig**/ ad omnes se extenderet.

§. 39. Hæc de qualitate assumendorum; quantitatem quod spectat, præsertim in potu excessivam, non possum non damnare ebrietatem, quamvis poculum hilaritatis non rejiciam. Præterquam enim quod temulentus sibi ipsi cephalalgiam, ventriculi atque artuum langvorem, similiaque plura mala sponte creet, ex crapula, metuendum est, ne animam una cum corpore in extremum conjiciat periculum. Horrendum est dictu

dictu, ex vino vacillantem in pestem labi, amentiam ebrii furore maligno, æstum a generosiori potu ardore funesto continuari, terminari.

§. 40. Sufficiant hæc ad præservandi rationem diætetica & pharmaceutica. Chirurgica præsidia lubens prætereo, fonticuli enim a quibusdam adeo æstimati hoc tempore minus fideles extitere, quandoquidem aliquot subjecta alioquin satis vegeta e medio sublata noverim, præter historias antehac ab Hœchstett. in Dec. VII. cas. I. & schol. item a Diemerbr. p. 152. annotatas. Qui vero ad imitationem D. Alpruni ingvina sibi incidi, aut scrotum perfodi juxta methodum monachi a Platero in Pr. tr. 2. cap. 2. & L. 3. c. 12. annot. 3. observatam, expetat, non refragabor.

CAPUT. V.

DE

CURA PESTIS.

§. I.

SEquitur ut tandem quoque tradam infectorum curam, & quid agendum sit, si quem pestis invadat. Occurrunt hic potissimum quatuor indicantia: *primo* causa morbifica, nemde idea conceptæ cum terrore pestis, *secundo* coagulatus sangvis, *tertio* symptomata connexa, *quarto* productum morbosum, bubones & carbunculi.

§. 2. Quod ad primum spectat, eqvidem jam supra in Cap. II. egimus de natura terroris ejusque modo causandi pestem; nihilominus quædam adhuc restant monenda, quorum cognitio non parum utilitatis in praxi habet. Dixi tum terrorem

rorem peſtilentem eſſe cauſam peſtis proximam, atque hinc quisque non difficulter intelligit, non quemvis terrorem e. g. a cane rabido, lupo &c. peſtem producere; multominus hanc oriri poſſe ex ſimplici peſtis conceptu, ut legens, cogitans, ſcribens aut loquens de ea citra terrorem illam ſtatim contrahat.

§. 3. Similiter de metu peſtis ſtatuendum eſt. Plurimi peſtem metuunt, ea tamen non corripiuntur; inter metum enim atque terrorem hoc maxime intereſt, quod metus de futuro malo cogitet, cujus eventum adhuc ſperat felicem fore; terror autem ſentit actu præſens malum, idque graviſſimum & repentinum. Proinde qui peſtem timent, concipiunt eandem tanquam ſummè contagioſam & periculoſam, atque ideo omnem occaſionem infectionis ſubterfugiunt, deſerunt conciones publicas aut ſaltim plateas domosve infectas, muniunt ſe omnibus modis, uti in antecedenti cap. notavi, ſperantes ſe hac ratione forte tutos eſſe a contagio; ſed væ his, ſi qualiscunque terror ſuperveniat. Qui enim per terrorem peſtilentem alteratur, is firmiter ſimul credit, ſe jam reipſa contagium concepiſſe, adeoque vita periclitari. Quanquam alias animus iterum ſe erigat, ſi quis v. g. ex caſu ab alto, vel improviſa bombardarum exploſione perterritus, ſe tamen extra periculum conſtitutum videat; aſt quoniam pauciſſimi infectorum ſe morbi periculum ſuperaturos ſperant, idcirco terrorem plerumque deſperatio excipit; ſicuti non e querelis tantum atque ſuſpiriis ex imo pectore adductis, ſed & potiſſimum ex vultu mœrente colligere licet.

§. 4. Quæritur ergo annon & quomodo deſperationi huic ac terrori mederi debeamus. Utique neceſſarium eſt, quoniam ſpiritus attoniti atque deſperati ne quidem audent ſanguinem ex terrore coagulatum reſolvere aut expellere corruptum. Et quamvis hinc oriundum periculum per ſe mortem inferre ſatis potens ſit; accelerare tamen eam videntur læſarum functi-

functionum ſymptomata, ex eodem ſpirituum præternaturali ſtatu nata, qualia ſunt anorexia, nauſea, vomitus, tremor artuum, convulſivi motus &c. Non dicam in caſſum omnia adhiberi medicamenta, ſi natura deficiat nec cooperetur.

§. 5. Quapropter nullam velim negligi rationem, qua terroris ac deſperationis ideam tollere quantocyus queamus. Profecto ſi ullo alio in morbo, in peſte ceteris remediis adjuncta verba valent; nam & hæc ipſa ſæpe plus quam medicamenta juvant, dum animum ægrotantis erigunt, uti non male propria edoctus experientia aſſerit Sylvius p. m. 398.

§. 6. Ante omnia, ſi fieri poteſt, morbus ipſe diſſimulari debet, aut ſaltim ejus periculum non tantum a Medico, ſed & adſtantibus reliquis. Quid putas ſentire ægrum, ſi Medicus eum viſitare plane detrectet, vel ſi accedens in limine cubiculi hæreat, aut poſt ingreſſum os ſimul atque nares obturet, pulſum vix attingere audeat, ſtatimque manum abſtergens lavansque reſiliat celerrimo curſu: item ſi amici atque domeſtici deſerant ægrotum, aut eminus eum aſpiciant, aut effuſis lacrimis proſequantur tanquam demortuum. Novi innumeros, qui nec mortem, nec peſtis ſævitiem reformidabant, diurnis tamen nocturnisque precibus DEUM efflagitarunt ac obſecrarunt, ut a graſſante tum lue clementer ſervarentur, ne ſi peſte corripiantur inſtar putridorum fœtentiumque cadaverum abominabiles ſint omnibus, atque ſub manu clinicæ anus, deformis immanisque, peſſima pati, tandemque ſuccumbere debeant.

§. 7. Satius eſt ægrum ſpe lactaſſe, occultaſſe, morbum quantum poſſibile eſt. Econtra medicamentorum vires extollendæ ſunt omnibus modis, nam & qui deſperant excitantur, ſi modo auxilium intelligant repertum. Refert D. van der Myt/ in tr. de morbis Bredanis, cum peſtis tantopere graſſaretur, ut omnia fere medicamenta conſumta eſſent, Medicos tandem cogen-

cogente neceſsitate aquas deſtillatas, quæ ſupererant, tanquam Panaceam cochleatim ægris propinaſſe, atque ita demum inſigni cum ſucceſſu ſuperaſſe peſtem, annotante Frid. Hoffman. in Meth. med. pag. m. 267. Quid enim confidentia in Medicum & hinc nata remediorum ab eo exhibitorum exiſtimatio valeat, vix quisquam crederet, niſi qrotidiana id confirmaret experientia.

§. 8. Sed & porro omnes, quæ animum commovere poſſunt, occaſiones præſertim terroris mœrorisque declinandæ ſunt ab ægro; eſt enim triſtitia quaſi mater terroris ac deſperationis. Quemadmodum vero maxime inconveniens eſt juxta lectum ægri peregrina ſolum enarraſſe, neglecta præſentis morbi ratione; ita non minus abſurdum eſt atque periculoſum, ſi quis non niſi de peſtis immanitate, infectorum cruciatibus, mortuorum ſtupendo numero ſimilibusque verba faceret. Certum eſt, triſte nuncium de conſangvineorum amicorumve infectione aut morte, imo & inſomnium turbulentum jugulaſſe, qui a tergo relictis ſcopulis in vado reconvaleſcentiæ conſpiciebantur. Non dicam plurimos tenuioris fortunæ homines in momento, quo ſe in noſocomium detrudi percipiebant, ob ſubitaneam conſternationem peſſime habuiſſe, ac non raro exſpiraſſe in ipſa via.

§. 9. Mirum itaque non eſſet, ſi æger repente moreretur, quamprimum ſpectrum ejusmodi Italicum appareret, roſtro prægrandi, vitreis oculis, inepto pileo veſteque talari deforme atque horrendum; qua imagine diabolica in peſte Romana anni 1656. incedebant Medici, uti cernere licet in Th. Bartholini Cent. V. Hiſt. 71. Is certe venia dignus non videtur, qui dum ſibi nimium proſpicit, pluribus exitio eſt.

§. 10. Prolixum foret ſingulatim ea omnia recenſere, quæ terrori, metui, triſtitiæ ac deſperationi anſam præbere poſſint; ſufficiat me indicaſſe in genere, quamcunque occaſionem ſimilem

lem ſtudioſe evitandam eſſe. Ad tranquillitatem igitur animum potius componat æger, & ſi fieri poteſt, hilaritatem. Civis Noviomagenſis, alias peſtem valde timens, dum ſe magna cordis anxietate preſſum exiguoque ſed dolenti tumore in ingvine infeſtatum ſentit, malum celat, aſſumtisque ſociis ad diverſorium quoddam ſe confert, ut inibi timorem ſimul atque contagium grato colloquio, joco vinique potu diſpelleret; bibit proinde ſtrenue, donec multum incaleſceret ac paulo poſt vomeret, pergit tamen potando ad mediam usque noctem; tum demum hilaris domum redit, exutisque veſtibus lectum petit, obdormiens ſudat copioſe, ac ſequenti mane expergefactus optime valet. vid. Diemerbr. p. 398. Egregium ſane exemplum, licet non omnibus imitandum. Non dubito tamen quin ideam terroris peſtiferi compotatione lætabili deleverit mature, & per ſubſequentem ſudorem diſcuſſerit tumoris ingvinalis principium.

§. 11. Nimirum, quantumvis nulla ſalus ſperanda ſit, niſi terroris peſtilentis idea tollatur, ſciendum tamen eſt, hac ſublata nondum ſublatam eſſe peſtem, ſed adhuc plura requiri ad omnimodam reſtitutionem infecti. Errant, qui ex male intellecto Philoſophorum canone, credunt ſublata cauſa morbifica tolli morbum. Sicuti enim ædium flamma poſt diſceſſum incendiarii longe lateque ſe diffundit, ita nec omnis morborum cura cum cauſarum remotione abſolvitur.

§. 12. Debet igitur ſecundo in peſte ſangvis ex terrore congrumatus rurſus reſolvi; cui ſcopo varia inſerviunt medicamenta, præſertim ad ſudorem ciendum aſſumta. Vulgo uſitatiſſima ſunt Theriaca vetus, Mithridatium atque electuarium de ovo; quæ quidem in ſe remedia ſatis generoſa ſunt, ac potiſſimum ſi cum aceto rutaceo, calendulato vel ſimili bezoardico exhibeantur, ſudorem pellunt largum, ſæpe utiliſſimum; cum judicio tamen danda ſunt, uti optime monuit Raym. Minderer-

cogente neceſsitate aquas deſtillatas, quæ ſupererant, tanquam Panaceam cochleatim ægris propinaſſe, atque ita demum inſigni cum ſucceſſu ſuperaſſe peſtem, annotante Frid. Hoffman. in Meth. med. pag. m. 267. Quid enim confidentia in Medicum & hinc nata remediorum ab eo exhibitorum exiſtimatio valeat, vix quisquam crederet, niſi qrotidiana id confirmaret experientia.

§. 8. Sed & porro omnes, quæ animum commovere poſſunt, occaſiones præſertim terroris mœrorisque declinandæ ſunt ab ægro; eſt enim triſtitia quaſi mater terroris ac deſperationis. Quemadmodum vero maxime inconveniens eſt juxta lectum ægri peregrina ſolum enarraſſe, neglecta præſentis morbi ratione; ita non minus abſurdum eſt atque periculoſum, ſi quis non niſi de peſtis immanitate, infectorum cruciatibus, mortuorum ſtupendo numero ſimilibusque verba faceret. Certum eſt, triſte nuncium de conſangvineorum amicorumve infectione aut morte, imo & inſomnium turbulentum jugulaſſe, qui a tergo relictis ſcopulis in vado reconvaleſcentiæ conſpiciebantur. Non dicam plurimos tenuioris fortunæ homines in momento, quo ſe in noſocomium detrudi percipiebant, ob ſubitaneam conſternationem peſſime habuiſſe, ac non raro exſpiraſſe in ipſa via.

§. 9. Mirum itaque non eſſet, ſi æger repente moreretur, quamprimum ſpectrum ejusmodi Italicum appareret, roſtro prægrandi, vitreis oculis, inepto pileo veſteque talari deforme atque horrendum; qua imagine diabolica in peſte Romana anni 1656. incedebant Medici, uti cernere licet in Th. Bartholini Cent. V. Hiſt. 71. Is certe venia dignus non videtur, qui dum ſibi nimium proſpicit, pluribus exitio eſt.

§. 10. Prolixum foret ſingulatim ea omnia recenſere, quæ terrori, metui, triſtitiæ ac deſperationi anſam præbere poſſint; ſufficiat me indicaſſe in genere, quamcunque occaſionem ſimilem

lem ſtudioſe evitandam eſſe. Ad tranquillitatem igitur animum potius componat æger, & ſi fieri poteſt, hilaritatem. Civis Noviomagenſis, alias peſtem valde timens, dum ſe magna cordis anxietate preſſum exiguoque ſed dolenti tumore in ingvine infeſtatum ſentit, malum celat, aſſumtisque ſociis ad diverſorium quoddam ſe confert, ut inibi timorem ſimul atque contagium grato colloquio, joco vinique potu diſpelleret; bibit proinde ſtrenue, donec multum incaleſceret ac paulo poſt vomeret, pergit tamen potando ad mediam usque noctem; tum demum hilaris domum redit, exutisque veſtibus lectum petit, obdormiens ſudat copioſe, ac ſequenti mane expergefactus optime valet. vid. Diemerbr. p. 398. Egregium ſane exemplum, licet non omnibus imitandum. Non dubito tamen quin ideam terroris peſtiferi compotatione lætabili deleverit mature, & per ſubſequentem ſudorem diſcuſſerit tumoris ingvinalis principium.

§. 11. Nimirum, quantumvis nulla ſalus ſperanda ſit, niſi terroris peſtilentis idea tollatur, ſciendum tamen eſt, hac ſublata nondum ſublatam eſſe peſtem, ſed adhuc plura requiri ad omnimodam reſtitutionem infecti. Errant, qui ex male intellecto Philoſophorum canone, credunt ſublata cauſa morbifica tolli morbum. Sicuti enim ædium flamma poſt diſceſſum incendiarii longe lateque ſe diffundit, ita nec omnis morborum cura cum cauſarum remotione abſolvitur.

§. 12. Debet igitur ſecundo in peſte ſangvis ex terrore congrumatus rurſus reſolvi; cui ſcopo varia inſerviunt medicamenta, præſertim ad ſudorem ciendum aſſumta. Vulgo uſitatiſſima ſunt Theriaca vetus, Mithridatium atque electuarium de ovo; quæ quidem in ſe remedia ſatis generoſa ſunt, ac potiſſimum ſi cum aceto rutaceo, calendulato vel ſimili bezoardico exhibeantur, ſudorem pellunt largum, ſæpe utiliſſimum; cum judicio tamen danda ſunt, uti optime monuit Raym. Mindere-

cogente neceſsitate aquas deſtillatas, quæ ſupererant, tanquam Panaceam cochleatim ægris propinaſſe, atque ita demum inſigni cum ſucceſſu ſuperaſſe peſtem, annotante Frid. Hoffman. in Meth. med. pag. m. 267. Quid enim confidentia in Medicum & hinc nata remediorum ab eo exhibitorum exiſtimatio valeat, vix quisquam crederet, niſi qrotidiana id confirmaret experientia.

§. 8. Sed & porro omnes, quæ animum commovere poſſunt, occaſiones præſertim terroris mœrorisque declinandæ ſunt ab ægro; eſt enim triſtitia quaſi mater terroris ac deſperationis. Quemadmodum vero maxime inconveniens eſt juxta lectum ægri peregrina ſolum enarraſſe, neglecta præſentis morbi ratione; ita non minus abſurdum eſt atque periculoſum, ſi quis non niſi de peſtis immanitate, infectorum cruciatibus, mortuorum ſtupendo numero ſimilibusque verba faceret. Certum eſt, triſte nuncium de conſangvineorum amicorumve infectione aut morte, imo & inſomnium turbulentum jugulaſſe, qui a tergo relictis ſcopulis in vado reconvaleſcentiæ conſpiciebantur. Non dicam plurimos tenuioris fortunæ homines in momento, quo ſe in noſocomium detrudi percipiebant, ob ſubitaneam conſternationem peſſime habuiſſe, ac non raro exſpiraſſe in ipſa via.

§. 9. Mirum itaque non eſſet, ſi æger repente moreretur, quamprimum ſpectrum ejusmodi Italicum appareret, roſtro prægrandi, vitreis oculis, inepto pileo veſteque talari deforme atque horrendum; qua imagine diabolica in peſte Romana anni 1656. incedebant Medici, uti cernere licet in Th. Bartholini Cent. V. Hiſt. 71. Is certe venia dignus non videtur, qui dum ſibi nimium proſpicit, pluribus exitio eſt.

§. 10. Prolixum foret ſingulatim ea omnia recenſere, quæ terrori, metui, triſtitiæ ac deſperationi anſam præbere poſſint; ſufficiat me indicaſſe in genere, quamcunque occaſionem ſimilem

lem ſtudioſe evitandam eſſe. Ad tranquillitatem igitur animum potius componat æger, & ſi fieri poteſt, hilaritatem. Civis Noviomagenſis, alias peſtem valde timens, dum ſe magna cordis anxietate preſſum exiguoque ſed dolenti tumore in ingvine infeſtatum ſentit, malum celat, aſſumtisque ſociis ad diverſorium quoddam ſe confert, ut inibi timorem ſimul atque contagium grato colloquio, joco vinique potu diſpelleret; bibit proinde ſtrenue, donec multum incaleſceret ac paulo poſt vomeret, pergit tamen potando ad mediam usque noctem; tum demum hilaris domum redit, exutisque veſtibus lectum petit, obdormiens ſudat copioſe, ac ſequenti mane expergefactus optime valet. vid. Diemerbr. p. 398. Egregium ſane exemplum, licet non omnibus imitandum. Non dubito tamen quin ideam terroris peſtiferi compotatione lætabili deleverit mature, & per ſubſequentem ſudorem diſcuſſerit tumoris ingvinalis principium.

§. 11. Nimirum, quantumvis nulla ſalus ſperanda ſit, niſi terroris peſtilentis idea tollatur, ſciendum tamen eſt, hac ſublata nondum ſublatam eſſe peſtem, ſed adhuc plura requiri ad omnimodam reſtitutionem infecti. Errant, qui ex male intellecto Philoſophorum canone, credunt ſublata cauſa morbifica tolli morbum. Sicuti enim ædium flamma poſt diſceſſum incendiarii longe lateque ſe diffundit, ita nec omnis morborum cura cum cauſarum remotione abſolvitur.

§. 12. Debet igitur ſecundo in peſte ſangvis ex terrore congrumatus rurſus reſolvi; cui ſcopo varia inſerviunt medicamenta, præſertim ad ſudorem ciendum aſſumta. Vulgo uſitatiſſima ſunt Theriaca vetus, Mithridatium atque electuarium de ovo; quæ quidem in ſe remedia ſatis generoſa ſunt, ac potiſſimum ſi cum aceto rutaceo, calendulato vel ſimili bezoardico exhibeantur, ſudorem pellunt largum, ſæpe utiliſſimum; cum judicio tamen danda ſunt, uti optime monuit Raym. Mindere-

cogente neceſsitate aquas deſtillatas, quæ ſupererant, tanquam Panaceam cochleatim ægris propinaſſe, atque ita demum inſigni cum ſucceſſu ſuperaſſe peſtem, annotante Frid. Hoffman. in Meth. med. pag. m. 267. Quid enim confidentia in Medicum & hinc nata remediorum ab eo exhibitorum exiſtimatio valeat, vix quisquam crederet, niſi qrotidiana id confirmaret experientia.

§. 8. Sed & porro omnes, quæ animum commovere poſſunt, occaſiones præſertim terroris mœrorisque declinandæ ſunt ab ægro; eſt enim triſtitia quaſi mater terroris ac deſperationis. Quemadmodum vero maxime inconveniens eſt juxta lectum ægri peregrina ſolum enarraſſe, neglecta præſentis morbi ratione; ita non minus abſurdum eſt atque periculoſum, ſi quis non niſi de peſtis immanitate, infectorum cruciatibus, mortuorum ſtupendo numero ſimilibusque verba faceret. Certum eſt, triſte nuncium de conſangvineorum amicorumve infectione aut morte, imo & inſomnium turbulentum jugulaſſe, qui a tergo relictis ſcopulis in vado reconvaleſcentiæ conſpiciebantur. Non dicam plurimos tenuioris fortunæ homines in momento, quo ſe in noſocomium detrudi percipiebant, ob ſubitaneam conſternationem peſſime habuiſſe, ac non raro exſpiraſſe in ipſa via.

§. 9. Mirum itaque non eſſet, ſi æger repente moreretur, quamprimum ſpectrum ejusmodi Italicum appareret, roſtro prægrandi, vitreis oculis, inepto pileo veſteque talari deforme atque horrendum; qua imagine diabolica in peſte Romana anni 1656. incedebant Medici, uti cernere licet in Th. Bartholini Cent. V. Hiſt. 71. Is certe venia dignus non videtur, qui dum ſibi nimium proſpicit, pluribus exitio eſt.

§. 10. Prolixum foret ſingulatim ea omnia recenſere, quæ terrori, metui, triſtitiæ ac deſperationi anſam præbere poſſint; ſufficiat me indicaſſe in genere, quamcunque occaſionem ſimilem

lem ſtudioſe evitandam eſſe. Ad tranquillitatem igitur animum potius componat æger, & ſi fieri poteſt, hilaritatem. Civis Noviomagenſis, alias peſtem valde timens, dum ſe magna cordis anxietate preſſum exiguoque ſed dolenti tumore in ingvine infeſtatum ſentit, malum celat, aſſumtisque ſociis ad diverſorium quoddam ſe confert, ut inibi timorem ſimul atque contagium grato colloquio, joco vinique potu diſpelleret; bibit proinde ſtrenue, donec multum incaleſceret ac paulo poſt vomeret, pergit tamen potando ad mediam usque noctem; tum demum hilaris domum redit, exutisque veſtibus lectum petit, obdormiens ſudat copioſe, ac ſequenti mane expergefactus optime valet. vid. Diemerbr. p. 398. Egregium ſane exemplum, licet non omnibus imitandum. Non dubito tamen quin ideam terroris peſtiferi compotatione lætabili deleverit mature, & per ſubſequentem ſudorem diſcuſſerit tumoris ingvinalis principium.

§. 11. Nimirum, quantumvis nulla ſalus ſperanda ſit, niſi terroris peſtilentis idea tollatur, ſciendum tamen eſt, hac ſublata nondum ſublatam eſſe peſtem, ſed adhuc plura requiri ad omnimodam reſtitutionem infecti. Errant, qui ex male intellecto Philoſophorum canone, credunt ſublata cauſa morbifica tolli morbum. Sicuti enim ædium flamma poſt diſceſſum incendiarii longe lateque ſe diffundit, ita nec omnis morborum cura cum cauſarum remotione abſolvitur.

§. 12. Debet igitur ſecundo in peſte ſangvis ex terrore congrumatus rurſus reſolvi; cui ſcopo varia inſerviunt medicamenta, præſertim ad ſudorem ciendum aſſumta. Vulgo uſitatiſſima ſunt Theriaca vetus, Mithridatium atque electuarium de ovo; quæ quidem in ſe remedia ſatis generoſa ſunt, ac potiſſimum ſi cum aceto rutaceo, calendulato vel ſimili bezoardico exhibeantur, ſudorem pellunt largum, ſæpe utiliſſimum; cum judicio tamen danda ſunt, uti optime monuit Raym. Minderer-

cogente neceſsitate aquas deſtillatas, quæ ſupererant, tanquam Panaceam cochleatim ægris propinaſſe, atque ita demum inſigni cum ſucceſſu ſuperaſſe peſtem, annotante Frid. Hoffman. in Meth. med. pag. m. 267. Quid enim confidentia in Medicum & hinc nata remediorum ab eo exhibitorum exiſtimatio valeat, vix quisquam crederet, niſi qrotidiana id confirmaret experientia.

§. 8. Sed & porro omnes, quæ animum commovere poſſunt, occaſiones præſertim terroris mœrorisque declinandæ ſunt ab ægro; eſt enim triſtitia quaſi mater terroris ac deſperationis. Quemadmodum vero maxime inconveniens eſt juxta lectum ægri peregrina ſolum enarraſſe, neglecta præſentis morbi ratione; ita non minus abſurdum eſt atque periculoſum, ſi quis non niſi de peſtis immanitate, infectorum cruciatibus, mortuorum ſtupendo numero ſimilibusque verba faceret. Certum eſt, triſte nuncium de conſangvineorum amicorumve infectione aut morte, imo & inſomnium turbulentum jugulaſſe, qui a tergo relictis ſcopulis in vado reconvalescentiæ conſpiciebantur. Non dicam plurimos tenuioris fortunæ homines in momento, quo ſe in noſocomium detrudi percipiebant, ob ſubitaneam conſternationem peſſime habuiſſe, ac non raro exſpiraſſe in ipſa via.

§. 9. Mirum itaque non eſſet, ſi æger repente moreretur, quamprimum ſpectrum ejusmodi Italicum appareret, roſtro prægrandi, vitreis oculis, inepto pileo veſteque talari deforme atque horrendum; qua imagine diabolica in peſte Romana anni 1656. incedebant Medici, uti cernere licet in Th. Bartholini Cent. V. Hiſt. 71. Is certe venia dignus non videtur, qui dum ſibi nimium proſpicit, pluribus exitio eſt.

§. 10. Prolixum foret ſingulatim ea omnia recenſere, quæ terrori, metui, triſtitiæ ac deſperationi anſam præbere poſſint; ſufficiat me indicaſſe in genere, quamcunque occaſionem ſimilem

lem ſtudioſe evitandam eſſe. Ad tranquillitatem igitur animum potius componat æger, & ſi fieri poteſt, hilaritatem. Civis Noviomagenſis, alias peſtem valde timens, dum ſe magna cordis anxietate preſſum exiguoque ſed dolenti tumore in ingvine infeſtatum ſentit, malum celat, aſſumtisque ſociis ad diverſorium quoddam ſe confert, ut inibi timorem ſimul atque contagium grato colloquio, joco vinique potu diſpelleret; bibit proinde ſtrenue, donec multum incaleſceret ac paulo poſt vomeret, pergit tamen potando ad mediam usque noctem; tum demum hilaris domum redit, exutisque veſtibus lectum petit, obdormiens ſudat copioſe, ac ſequenti mane expergefactus optime valet. vid. Diemerbr. p. 398. Egregium ſane exemplum, licet non omnibus imitandum. Non dubito tamen quin ideam terroris peſtiferi compotatione lætabili deleverit mature, & per ſubſequentem ſudorem diſcuſſerit tumoris ingvinalis principium.

§. 11. Nimirum, quantumvis nulla ſalus ſperanda ſit, niſi terroris peſtilentis idea tollatur, ſciendum tamen eſt, hac ſublata nondum ſublatam eſſe peſtem, ſed adhuc plura requiri ad omnimodam reſtitutionem infecti. Errant, qui ex male intellecto Philoſophorum canone, credunt ſublata cauſa morbifica tolli morbum. Sicuti enim ædium flamma poſt diſceſſum incendiarii longe lateque ſe diffundit, ita nec omnis morborum cura cum cauſarum remotione abſolvitur.

§. 12. Debet igitur ſecundo in peſte ſangvis ex terrore congrumatus rurſus reſolvi; cui ſcopo varia inſerviunt medicamenta, præſertim ad ſudorem ciendum aſſumta. Vulgo uſitatiſſima ſunt Theriaca vetus, Mithridatium atque electuarium de ovo; quæ quidem in ſe remedia ſatis generoſa ſunt, ac potiſſimum ſi cum aceto rutaceo, calendulato vel ſimili bezoardico exhibeantur, ſudorem pellunt largum, ſæpe utiliſſimum; cum judicio tamen danda ſunt, uti optime monuit Raym. Minderer-

rus de Peſtil. pag. 214. & 279. id eſt, quando calor internus nondum invaluit. Quodſi enim corpus nimis jam æſtuet, augetur ardor in immenſum, cum inquietudine atque deliriis.

§. 13. Idem teſtatur ab experientia edoctus Aug. Thonerus obſervat. medic. pag. m. 64. 65. calida in genere, & aromatica & ſpirituoſa febrem maximo cum periculo intendiſſe, uti ſunt aqua theriacalis, Stapediana, bezoardica &c. Qui meas qualescunque obſervationes poſtulat, ſciat eundem effectum ſæpius ſecutum eſſe poſt aſſumtionem intempeſtivam ſpiritus theriacalis, mixturæ ſimplicis, tinct. bezoardicæ, reliquorumque eſſentiarum ex rad. angelicæ, olſnitii, Zedoariæ ac innumeris ſimilibus extractarum cum vini ſpiritu. Plura recenſere non vacat, ne aliorum medendi methodum impugnare videar; in tyronum attamen gratiam meminiſſe volui, aromatica in univerſum omnia, Veteribus dicta calida, & ſpirituoſa per fermentationem vel affuſionem ſpirituum ardentium facta, minus eſſe tuta, niſi primis forte horis, antequam calor manifeſtus ægrotum infeſtet. Qui dubitat, attendat tantummodo, annon ſtatim ab exhibitione talium medicamentorum anxietas præcordiorum, capitis dorſique dolor cum æſtu ſitique manifeſte augeatur.

§. 14. Idem mihi fere viſum eſt quandoque naſci ex nimio ſalium volatilium uſu; recordor tamen meipſum ſolo ſpiritu C. C. eſſentificato reſtituiſſe infectam fœminam, quæ omnia remediorum genera abhorrebat, niſi quæ guttatim aſſumerentur. Adhæc ſal volatile C. C. in potione cum fixis antimonialibus terreisque exhibitum ſæpius egregium mihi uſum præſtitit, ſed potiſſimum in principio morbi, quando ſudor acceleran-dus eſt. Loco ſtimuli igitur aliis diaphoreticis, ſi neceſſitas requirit, addi poſſunt ſalia volatilia, præter jam nominatum C. C. eboris, viperarum, bufonum, ſangvinis hirci, fuliginis, tartari & quæ ſimili virtute reſolvendi atque expellendi gaudent.

§ 15.

§ 15. Nec contemnenda ſunt ſalia fixa, card. benedicti, abſynthii, ſcordii, rutæ, vitium, millefolii &c. qualia Barbette atque Diemerbroeck felici cum ſucceſſu ſæpius præſcripſit. Plura inſuper de ſale fixo viperarum promittit Cunradus Rhunrath in med. deſtill. part. II. p. 361. de ſale bufonum J. P. Faber in panchym. p. m. 631. Verum enim vero, quantumvis ſalia fixa ex animalibus fieri non negem, qui talia ſine ullius rei additamento per ſimplicem incinerationem parata oſtendere poſſum omni die, nihilominus vereor, ne viperarum bufonumque turba undique colligenda deficeret prius, quam habeas tantum ſalis fixi, quantum ad ſervandam unicam infectam domum ſufficeret.

§. 16. Aſt quoniam pauciſſimi ægrorum ſapores iſtiusmodi acres æque ferunt, idcirco poſthabitis ſalibus fixis pariter atque volatilibus, remedia minus ſapida adhibui, nihilo infelicior. Et quanquam camphoram ejusque oleum ſimplex, vel cum oleo ſuccini atque citri compoſitum juxta Heniſium a multis ad ſidera usque extolli viderim, non potui tamen ob eandem ſaporis acredinem certa de his experimenta facere, credens, prudentis Medici non eſſe, ut ingratis utatur medicamentis, ubi ſuaviora æque virtuoſa ſuppetunt.

§. 17. Scribit Galenus lib. 9. de ſimpl. med. fac. terram armenam tanta excelluiſſe contra peſtem efficacia, ut plurimi qui eam aſſumerent in vino, vel potius vehiculo aqueo ſi febricitarent, ſanati fuerint illico, imo ſi hoc remedium eos non juvaret, alia omnia fuiſſe irrita. Subſtituunt autem noſtri Pharmacopœi communiter bolum Würtenbergicam, quanquam Armenam Galenus pallidiorem dixerit, atque hactenus Medici quoque non vulgares in malignis omnibus dicta bolo Armena, terra ſigillata & Lemnia promiſcue utuntur non ſine febricitantium emolumento; itaque nec ego terras iſtas medicatas reliqui intentatas, data occaſione, ac reperi eas non eſſe invalidas, ſi vel ſolæ cum aceto

propinarentur. Poſtmodum ſuccino, floribus ſulphuris, antimonio diaphoretico martiali & cinabari antimonii additis, pulverem magis compoſitum miſcui, ac (citra jactantiam) ad aliquot libras diſtribui cum inſigni plurimorum juvamine.

§. 18. Unicornu verum (cujus vires adverſus peſtem Borellus Cent. I. Obſ. 22. memorat) egregiam aliquoties opem tulit cum bezoardico minerali datum; atque hoc cumprimis in eo miratus ſum, quod, etſi ſudorem ſatis potenter moveat, nihilo tamen infirmiores inde reddat ægros. Pro ditioribus igitur id omnino commendatum volo; pro aliis Cornu cervi atque ebur non tam uſtum quam ex integro pulveriſatum, vel unicornu foſſile loco illius adhiberi poteſt.

§. 19. Aſt fidem pene ſuperant quæ de oculis cancrorum obſervavi. Cum in vicinia noſtra domus admodum infecta, atque ideo deſerta per aliquot ſeptimanas, iterum à fabro clauſtrario inhabitaretur, tunc ſtatim primis diebus decumbit ejus famulus, ac præter alia manifeſta infectionis ſigna conqueritur de tumoribus dolentibus in ingvine, poplitibus ſimul & aliis, hinc omnes uno ore affirmabant ſex ad minimum vel plures bubones in uno hoc latere ſubjecto. Propterea absque mora jubeo lapides cancrorum cum aceto rutaceo porrigi ægro, ſimulque loca emunctoria, uti vocantur, inungi oleo ſcorpionum; & ecce poſt largam ſudoris effuſionem cuncta evaneſcunt ſymptomata cum ipſis tumorum principiis, ita ut altera die citra aliam remedii exhibitionem integre reſtitutus fuerit.

§. 20. Nec dubito, quin ſangvis hirci, radix rubiæ tinctorum, ſperma ceti & in genere quæ ſangvinis grumos prompte reſolvunt, optima ſint peſtis remedia, ſi ſtatim in principio juſta doſi aſſumantur ad ſudorem. Si quis autem ſufficientiam horum medicamentorum in dubium vocare velit ideo, quod peſtis tanquam morborum princeps generoſa quoque requirere videatur remedia; is ſciat ſimplicium vires non æſtimari pretio, ſed

ſed effectu, adeoque viliſſima ſæpenumero eſſe potentiſſima. Reſpice quæſo compoſitionem pulveris Montagnanæ, de quo tamen autor ipſe teſtatur, nullum eorum, qui hoc uſi ſunt, peſte interiiſſe. Ejusdem farinæ eſt pulvis rubens Pannonicus, qui ſolus addito Diaſcordio Fracaſtorii ſuffecit Thonero ad plurimorum infectorum curam ac ſalutem, videantur ejusdem Libr. I. obſerv. 1. 2. 3. 4. & 5. in append.

§. 21. Ad imitationem horum poterit quisque varias concinnare pulverum formulas, eosque pro diverſitate ſymptomatum immutare pro lubitu. Diſcat autem meo exemplo, multum referre in quo vehiculo propinentur. Quam plurimi tales pulveres rob ſambuci admixtos aſſumebant ſummo cum fructu, ita ut non raro prima doſis ſuffecerit. Sed bilioſis, & quorum corpora jamjam ardebant, ordinarie cum aceto dedi, unde nunquam non egregie ſudarunt; In vehiculo aqueo ſi aſſumti fuerint, obſervavi vix ſatis potenter aut ſaltim tardius ſudorem promoviſſe, niſi forte offenderint ventriculum humore acido repletum. Maxime autem intereſt citiſſime ſudorem expelli, adeoque terrea cum aceto ſumpta ſunt optima.

§. 22. Præterea notandæ quoque veniunt quædam circa ſudorem cautelæ. Primo, in ipſo ſtatim principio morbi, ſi fieri poteſt, diaphoretica exhibenda ſunt absque mora; atque illud me ſemper male habuit, quod pauciſſimi ægrorum in tempore veniant. Quidam ob egeſtatem ne quidem auſi ſunt petere auxilium, adeoque ſe DEO commiſerunt unice, donec forte alius commiſeratione motus eorum ærumnas nobis indicaret. Quidam ob avaritiam non niſi ſumma neceſſitate coacti ad medicinam confugerunt, ignorantes, quod omnia relinquere in morte jamjam appropinquante, vel ſi evadant, plus damni propter tardiorem reconvaleſcentiam pati, ipſos oporteat. Quidam ob metum ejectionis malum celarunt, quamdiu poſſibile fuit, ſervi

puta cum ancillis, donec tandem præ vertigine in terram concíderent. Quidam vero arcanis ſuis conſiſi ſerius ſapuerunt, poſtquam ingraveſcente malo, meritas ſuæ cunctationis vel potius imaginatæ prudentiæ pœnas dediſſent.

§ 23. Dicam breviter, quodnam periculum è mora naſci poſſit. Sicuti pleuritis, quam in principio unica ſudoriferi potentioris doſi facillime curamus, poſt auctam inflammationem atque ſuppurationem peſſima ac tantum non lethalia gignit ſymptomata; ita quoque tantillum ſangvinis ex terrore peſtilenti coagulatum, quo diutius in corpore deliteſcit, hoc magis currumpitur ac putret, ideo quod natura pavida illum aggredi detrectet atque abhorreat. Interim vires decreſcunt, anxietas cordis augetur, ut ne ſudori quidem debitam quietem concedat; carbunculi & bubones interiora occupant, quorum principium minus rebelle felicius atque citius extirpari potuiſſet ab initio. Tum enim cunctandum non eſt, ſed allaborandum usque dum æger ſudore perfundatur optato. Hunc in finem perquam commode adhibentur lateres calefacti, atque fervente aqua repletæ lagenæ (**Wärmſteine und Wärmflaſchen**) ſi pedibus dorsoque ſupponantnr poſt aſſumtum medicamentum; ita enim ſudor egregie acceleratur, qui continuari debet, donec manifeſtum ſequatur levamen. Ne credas vires per diuturnitatem ſudoris perdi; quantum namque decedit morbo, tantum accedit viribus: ac certum eſt plus valere ſimplicem ſudationem rite continuatam, quam ſuperficialem centies reiteratam; movet enim, ſed nihil promovet, ac ferme ſimilis eſt efficaciæ, qualis aquæ gutta ſucceſſive & per longiora intervalla igni aſperſa; ſcilicet hoc modo eundem nunquam extingves, quod facile impetrabis, ſi una vice infundas affatim.

§. 24. Deinde poſt ſudorem quoque cavendum eſt, ne ab aëre ambiente offendatur æger & refrigeretur. Quamvis cubicu-

biculum etiam calefactum ſit, nunquam tamen concedendum eſt infecto, ut pedes denudet, multo minus integrum corpus, præſertim ſi bubone tentetur; ſolet enim hic plerumque retrocedere cum inſigni detrimento. Nam & qui nullam amplius moleſtiam ſenſerunt atque ideo lectum deſerentes in liberum prodierunt aërem, vidimus non ſemel pejorem pati recidivam.

§. 25. Peſſimum etiam deprehendi conſilium, quod induſium atque linteamina poſt ſudorem cum recentibus commutare ſvadet. Sed qui poſſent illud non jubere, qvandoquidem omnes communiter contagioſum virus cum lympha è corpore expelli ab alexipharmacis credunt & optant. Huic autem theoriæ praxin non reſpondere monſtrarem aliquot exemplis, niſi viderem idem hoc jam præſtitum à Diemerbr. p. 285. 343. 112, ſeq. ubi per crebriores obſervationes confirmatus ſatis evidenter declarat, linteaminum commutationem omni tempore extitiſſe maxime periculoſam, etiamſi induendum optime calefactum fuerit, nec ullum frigus attigerit infectos. Sed ſurdis narratur fabula!

§ 26. Progredior ad ſymptomatum in peſte obviorum curam. Etenim non ſufficit pro more empiricorum unicum ſaltim omnibus indifferenter ægris exhibuiſſe, poſtquam manifeſtum ſit, juxta diverſitatem ſubjectorum, qvæ peſtis corripit, diverſa quoque apparere ſymptomata. In principio quidem plerique erant vertiginoſi, atque ideo ſuccinum cum cinnabari antimonii primis adjeci ſudoriferis, & revera opportuna fuiſſe expertus ſum multifariam.

§. 27. Accedebat ſæpenumero vomitus frequens, qui propter inſignem conatum cor admodum angebat, ut prelo id quaſi comprimi conquererentur ægri; ſed vel ex hac ſola ratione multum periculoſius erat, quod ob aſſumtorum medicamentorum evomitionem nulla reſtitutionis ſpes ſupereſſet. Cum vero ter-

ram

ram ſigillatam, bol. armenam, corallia, opiata & quæ alias vomitum compeſcunt, viderim inſufficientia, tentavi aquam cinamomi cydoniatam atque hanc omnino efficaciſſimam deprehendi, ſi modo unicum ejus cochleare aſſunderem mixturæ diaphoreticæ. Majorem exhibere doſin neceſſum non eſt, nec utile; nam & hæc aqua æſtum auget, ſi largius potetur, ideoque ſi a prima doſi ceſſabat vomitus ſudorque fluebat, reliqvum mixturæ ſepoſui, tumque alia pro lubitu dare integrum fuit.

§. 28. Contra ſoporem varia reperi appoſita, caſtoreum, acetum, ſalia volatilia, quippe quæ ſingula infectos potenter excitant. Eſt autem ſopor nullatenus tolerandus, quoniam defectum ſpirituum arguit; qua de cauſa omnes uno ore Practici clamant, ſomnum non eſſe concedendum infecto, antequam per ſudorem natura perfecte allevata ſit: ſatius eſt profecto ſpiritus non quieſcere ante, quam malignus hoſpes ejectus fuerit. Proinde neceſſarium eſt, præter dicta excitativa remedia adhiberi etiam analeptica. Qvanta vero horum ſit virtus ad ſoporem diſcutiendum ex hoc unico exemplo ſatis liquet: Cum ante triennium juvenis quidam, e febre petechiali ſurgens, ſomno adeo profundo vexaretur, ut per aliquot dies noctesque dormiret continuo, atque virium imbecillitatem accuſaret, non obſtante quod largiter ederet biberetque ante conſveta; tunc potionem ex mere analepticis præſcribo, atque experior cum admiratione, ſomno ſepultum reviviſcere intra ſemihorulam, qua primam potionis doſin aſſumebat.

§. 29. In peſte igitur non ſecus ac in aliis febribus malignis, quæ cum ſumma virium proſtratione conjunctæ ſunt & langvore, nunquam, niſi ægri abhorreant, omittenda ſunt ambra, confect. alkermes, atque de hyacintho, ſyrupus flor. tunicæ &c. imo ſi animi deliquia ſuperveniant, quod in ſubjectis debilio-

bilioribus obſervare licet, addi poſſunt acetum liliis convalliis affuſum, aqua hirundinum c. caſtoreo, ſpiritus vitrioli cephalicus, ſpiritus formicarum acidus, atque ſimilia.

§. 30. Contra æſtum ſitimque intolerabilem nitrum cum floribus ſulphuris aliquoties exhibui, atque ſic utrique paſſioni egregie intra horam ſatisfeci, imitatus in hoc vulgare militum experimentum, quo pulverem pyrium contra omnis generis febres ardentes atque malignas aſſumere conſveverunt. Moneo tamen circa nitrum, in exceſſiva doſi non eſſe exhibendum, ne ſudor impediatur reqviſitus, aut frigidus inde promanet. Perplacet mihi proinde arcanum duplicatum, non quod plane alcaliſatum eſt, verum ſalſum rite paratum, quippe quod non tantum æſtum ſitimque ſatis compeſcit, ſed & blandum ſimul ſudorem movet. In cujus defectu nitrum antimoniatum ſurrogari poteſt, tam quod ex præparatione antimoniii diaph. ſimplicis remanet, quam quod habetur ab antimon diaph. martiali atque antihectico Poterii, quod utrumque ob dulcedinem ferream atque ſtanneam mihi admodum probatur.

§. 31. Adhæc ut ſitis ſedetur, potus medicandus eſt. Cereviſiæ, ſi eam ægri non abhorreant, addi debet gelatina C. C. in largiori quantitate, aut loco illius præſcribatur decoctum C. C. cum ſcorzonera, aut julepi probe acidulati ſpiritu vitrioli (quem tanti æſtimavit Mindererus, ut pag. 249. ingenue fateatur, ſe nunquam, vel ſaltim inermen ad peſtis curationem accedere, ſi vitriolatorum uſus ſibi interdiceretur) vel ſpiritu ſulphuris, viridis æris &c. Nimium autem edulcorari non debent, ob metum ſubſequent s diarrhœæ, ad cujus præcautionem ſuccus cydoniorum addi poteſt, non minus infectis conveniens quam citri ſuccus, juxta Prævotium de remed. mat. p. 108. & Gabelchoverum Cent. V. cur. 70. in annotat.

§. 32. De cetero omnis hauſtus frigidus in peſte ſumme nocivus eſt; & quod vinum attinet, non ignoro ab Helmontio p. m. 772. ejus potum ſerio ſvaderi, in peſte ſimiliter ac aliis morbis malignis; in febre ungarica & petechiali quoque ſingularem vini uſum annotarunt Jo. Rhodius Cent. II. obſ. med. 16. & Th. Barthol. Cent. VI. Hiſt. 7. & Sim. Schultz. in Miſcell. Nat. Cur. in Germ. Ann. III. 266. Nihilominus, ut verum fatear, ſæpius vidi in his morbis plus damni quam emolumenti ab ejus uſu fuiſſe natum, præſertim ſi in augmento malignarum illud petentibus concederetur; nam & præcordiorum anxietas & æſtus & cephalalgia notabiliter intenditur, & quandoque deliria atque motus convulſivi ſubſequuntur, quin imo, ſi poſt horum ſymptomatum remiſſionem potaretur, recruduerunt utplurimum omnia. Dicam igitur quomodo vinum in malignis proſit: certum eſt per quotidianam experientiam, vinum modice ſumtum alacres nos hilareſque reddere ac robur corporis augere excellenter; aſt ſi copioſius hauriatur, tandem nos ſomnolentos fieri atque infirmos, ut neque pes neque manus, neque lingva ſatis ſuum officium faciat. Videlicet, quamdiu ſpiritus noſter vitalis ſuperat vinoſum ſibique aſſimilare poteſt, tamdiu vires noſtri corporis augentur; quandocunque vero ſpiritus vini noſtrum ſuperat ſpiritum, tum ſuboritur impotens ebrietas. Jam autem qui allegatas obſervationes contemplatur, deprehendit primo non parum ſed ad ſatietatem ægros poraſſe pleno hauſtu; ſecundo in morbi declinatione præterlapſis aliquot diebus id demum factum eſſe; tertio blandum ſubſecutum fuiſſe ſomnum atque ſudorem cum inſigni euphoria. Inde colligo vinum in his caſibus non tam juvaſſe vi analeptica quam hypnotica, quatenus ejus ſulphur quod ſpiritui æthereo jungitur, plusquam opiatum, ſpiritus vitales ligavit, ut ab æſtu febrili remittere atque placida ſomni quiete frui potuerint; interea criticus ſudor ſponte fluxit. An autem

tem in peſte remedium hoc generoſum æque conveniat, hæreo. Recordor equidem me ſupra enarraſſe hiſtoriam civis, qui tali potione non ingrata ſeipſum ſtatim in principio contagii ſanavit; ſed recordor inſimul, quod in eodem Diemerbræk legerim, idem experimentum ab innumeris inſtitutum male ceſſiſſe, eosque necaſſe: quare hoc? quia vix centeſimus audet peſtem ſuperare; aſt qui ex deſperatione vinum bibit, nullum inde ſentiet commodum, ſiquidem terroris ideam ſpiritui animali tenacius inhærentem nec facile vini ſpiritus ejicit, nec in corpore figi expedit, quippe quæ in his ſubjectis denuo evolvitur, quotiescunque tantillum bubo vel anthrax dolet. Convenire igitur vini hauſtus poteſt aut in primo morbi principio, ſi animum æger rurſus excitarit, aut poſtmodum in decremento, quando omnibus patienter perpeſſis ſpes reſtitutionis affulget; an etiam in augmento atque ſtatu peſtis utilis ſit, aliis experiundum relinquo.

§. 33. Sed pergendum eſt ad curam reliquorum ſymptomatum, inter quæ primis ſtatim diebus maxime urgent dolores, non modo capitis, cordis dorſique, ſed & bubonum atque carbunculorum. His qua ratione ſuccurratur externe, dicam inferius; verum illi ab uſu ſudoriferorum, ſi expulſum fuerit malum, ſponte evaneſcunt. Attamen interdum contumacior eſt dolor atque vehemens adeo, ut eundem perferre ægri nullatenus valeant; tunc anodyna atque opiata exhibere nil impedit, niſi quandoque concurrens ſopor. Ceteroquin diaſcordium Fracaſtorii tanquam inter cetera theriacalia mitiſſimum minusque calidum, vel potius ſimpliciora, opium fermentatum, ejusque tinctura rite parata adhiberi tuto poſſunt.

§. 34. Eodem pacto in vigiliis diuturnis dantur una cum croco atque terris pingvibus. Obſervavi enim, revera terras ſigillatas, bolum armenam, uti & flores ſulphuris gaudere vitute ſomnifera, refrigeratoria ſimul & anodyna. In ho-

rum namque particulis ſulphureis ſpiritus vitales inhæreſcunt quaſi ac detinentur; unde fieri non poteſt, quin ſomnus ſequatur blandus, quandocunque ſpirituum fervor ſive rapidus motus cauſa omnis æſtus, inquietudinis, agrypniæ atque delirii ſedatus eſt. Potentiora ſunt nitrata hoc in caſu, quippe quæ non minus ſunt ſulphurea, uti ex inflammabilitate eorum liquet, ac præterea actu frigida; ut & ob hanc cauſam ea caute infectis danda eſſe ſupra dixerim.

§. 35. Ita dubio procul intelligis ſimul, quænam in deliriis vel præcavendis vel ſedandis conducant; alia experiri hunc in finem non potui, ſi quidem, Deo ſint gratiæ, nullus omnium infectorum, qui meo uſi ſunt conſilio, unquan deliravit, etiamſi non unus eorum mortem obierit.

§. 36. Adverſus convulſivos autem motus, quorſum & palpitatio cordis ſpectat, antepileptica in aliis febribus malignis quoque uſitata adhibui, quæ meo voto ſatis reſponderunt, nempe cinnab. antimonii, unicornu verum, liquorem C. C. ſuccinat. caſtoreum atque rutam.

§. 37. Hæmorrhagia raro mihi obvenit, quoniam eo ſemper meam direxi curam, ut ſpirituum & conſequenter ſanguinis motum præternaturalem una compeſcerem. Præſcribi autem in ea poſſunt quæ alias uſitata ſunt adſtringentia, Tinct. ſulph. vitrioli & hæmatitis, cum coralliis, terra ſigill. bolo armena &c. Quæ omnia eodem modo in alvi fluore, frequentiore in peſtilentia, dari poſſunt cum radice tormentillæ atque terra vitrioli balſam. quæ profecto ſola cum opii tantillo, reliquis irritis, aliquoties ſingulare quid præſtare viſa eſt. Adhæc non rarum fuit, diarrhœam per ſudorem ſublatam eſſe non ſecus atque cetera ſymptomata.

§. 38. Etenim hæc tutiſſima omnium methodus eſt medendi peſtilentiæ per diaphoretica, additis pro ratione circumſtantiarum ſive ſymptomatum modo adſtringentibus, modo refri-

frigerantibus, antepilepticis, corroborantibus, opiatis atque ſimilibus. Nec opus eſt ut de Venæ ſectione, Vomitoriis vel Purgantibus multum ſimus ſoliciti. Equidem circa V. S. ſæpius orta eſt diſceptatio, an in peſtis principio conveniat; in progreſſu morbi nemo eſt, qui eam ſuadere poſſit. Exiſtimo autem iſtam controverſiam facile decidi, ſi diſtinguamus inter juvantia & minus nocentia: ſit ita, hunc vel illum poſt V. S. reſtitui, adeoque eam tali ſubjecto maxime robuſto non nocere, nondum tamen ſequitur eam juvare, cum econtra innumeræ teſtentur obſervationes mortem ſubſecutam eſſe ſubitaneam in aliis. Quodſi conſcientia dubia nihil agendum eſt, multo magis religioni erit ea committere, quæ innumeris dederunt exitium.

§. 39. Paulo aliter judicandum eſt de vomitoriis; ſunt, qui ea admodum extollunt, quoniam exiſtimant ventriculum primario affici in peſte, ob inſpiratum atque cum ſaliva deglutitum contagium; ſecundo argumentantur ab aliorum morborum, præſertim febrium malignarum, cura ad curam peſtis; tertio emetica hoc magis urgent, quod videant ægros ſponte ſua vomere. Sed reſpondeo paucis ad primum, eam hypotheſin, quæ docet partem primario affectam eſſe ventriculum, falſo niti fundamento; adhæc per experientiam conſtat vomitoria non æque convenire illis, qui contagium inſpirarunt, quam qui ex terrore peſtem conceperunt, uti non male annotavit Neumeiſterus in epiſtola ad Sennert. (quæ cum aliis annexa eſt operibus Sennerti, edit. Lugdun. Ann. 1666.) p. m. 1158. Ad ſecundum moneo, peſtem longe ſuperare omnes malignos morbos, potiſſimum ob deſperationem conjunctam: deinde nec vomitoriis indiget, qui faciliori methodo malignis mederi novit. Ad tertium, exiſtimo non licere concludere a motu naturæ ſymptomatico ad medendi methodum; ſequitur equidem naturam ducem Medicus in motu critico: ecquis vero in contagio cum alvi fluore adhibeat purgantia, aut in hæmorrhagia venæſectionem?

idem agit qui emetica propinat in conjuncto vomitu. Quid ſi enim in ipſa ventriculi ſubſtantia hæreat carbunculus? aut ſi in ejus cavo reſideat humorum peccantium ſaburra, quid opus eſt vomitorio, quando ventriculus plus ſatis ſeſe exonerat ſponte?

§ 40. Si quis tamen vomitoria in cura infectorum exhibere velit, hunc admonitum velim, ut ea juxta modum Sayeri ſupra laudati non niſi in primo principio præſcribat, antequam bubonis vel carbunculi veſtigium appareat. Nemo equidem noſtrum, quantum ego ſcio, facile ea tentavit; unicam autem vidi mulierem clinicam, quæ vomitorium e pharmacopœa allatum prima die, qua nauſeam & vertiginem ſentiebat, aſſumſit, a meridie bubo inguinalis erupit, tumque meam imploravit opem, reſtituta eſt cum DEO, iisdem interim afflicta ſymptomatibus, qualia ceteri emetico intermiſſo patiebantur.

§. 41. Deinde ſubjectis non niſi paulo robuſtioribus dentur. Solet enim vomitorium non parum vires dejicere; ſed harum jactura omni ſtudio evitanda eſt, ne in expellendo poſtmodum morbo natura deficiat. Et quamvis ſudorifera quoque ægrum quodammodo debilitare videantur, maximum tamen inter hæc & illa diſcrimen intercedit; ſiquidem unicum vomitorium plus virium deprædatur quam ter repetitum ſudoriferum. Imo non ſemel obſervavi tam in hoc quam alio morbo ſudorem magis levare, ſi modo legitima diaphoreticorum doſis exhibeatur; minor doſis diu anxios reddit ægros, antequam ſudor coactus ac violenter expreſſus ſequatur, tumque non parum infirmantur; nihil horum patitur ægrotus, ſi prompte ab aſſumto ſudorifero ſufficienti ſudor fluat; ideoque ſatius eſſe deprehendi, ſi paulo largiore, quam ſi parciore diaphoreticorum doſi utamur. Præterea ut ſupra innui, ea ſeligi poſſunt remedia, quæ facilem ſudorem movent, & quæ vires ſimul analepticas poſſident, ut hoc pacto robur infectorum vix ac ne vix quidem infringatur.

§. 42.

§. 42. Porro ſi quo in caſu vomitorium non modo tutum, ſed & neceſſarium eſt, erit ſane tum temporis, quando quis ſtatim a paſtu inficiatur; cibus enim atque potus dum a ſpiritibus perterritis deſeritur, non poteſt non degenerare in cruditates, quæ non tantum morbi vehementiam augere poſſunt, ſed & periculum; quandoquidem medicamenta poſtmodum aſſumta, ſi coacervatis in ſtomacho pravis humoribus immergantur, nullius ſunt uſus atque efficaciæ. Niſi igitur natura ſua ſponte per vomitus ventriculum ſufficienter exonerarit, peropportunum eſt emeticum propinaſſe.

§. 43. Eligendum autem eſt, quod præ ceteris cito vomitum provocet, quoniam tardioris operationem per horam unam alteramque expectare non expedit; item, quod nimium non commoveat corpus, ad evitandum virium diſpendium; &, ſi haberi poteſt, quod per inferiora non purget, ſed per ſuperiora tantum.

§. 44. Sunt enim purgantia, quemadmodum in reliquis malignis, ita & in peſte ſumme periculoſa; ab iis etenim naturæ vires dejiciuntur, ſanguis ceterique humores, laudabiles pariter ac excrementitii, commoventur atq; turbantur inſigniter. Quid multa? experientia ſufficienter demonſtravit omni tempore, non modo fortiora purgantia, ſed & mitiora lenitiva tam in principio, quam ſtatu ac decremento fuiſſe peſſima; imo & clyſmata plerumque in majus periculum ægros conjeciſſe, ſiquidem disparentes poſt purgantium uſum bubones vel inopinata mors illico ſequitur, vel petechiarum itidem lethalium proventus copioſior.

§. 45. Sed nunc tandem tranſeo ad curationem peſtis chirurgicam, ſive externa bubonum atque carbunculorum remedia. Bubones, ut ſupra innui, vel diſcutiuntur, vel poſt ſuppurationem aperiuntur atque conſolidantur iterum. Diſcuti autem poſſunt variis modis; ſed horum quidem alii tuti, alii minus tuti videntur.

§. 46.

§. 46. De Mercurialibus, quorum efficacia in reſolvendis tumoribus morbi gallici aliisque notiſſima eſt, dubitandum non foret, quin bubones quoque peſtilentiales diſcutere queant; horum tamen uſum minus tutum ſatis demonſtrat unica, quæ apud Diemerbr. legitur hiſtoria. p. 268. Videlicet chirurgus quidam caſtrenſis peſte corripitur, aſſumto ſudorifero prodit in inguine bubo, levaturque ſtatim æger iſta ſequentique die; cum vero unguentum mercuriale ſuper impoſuiſſet, bubo diſparuit, febris recruduit cum maxima cordis anxietate, virium proſtratione ac vomitu, paulo poſt apparuerunt exanthemata purpurea, & poſt tres horas mortuus eſt. Idem hoc Simonio Medico Pariſienſi atque pluribus aliis eveniſſe ex hydrargyri uſu teſtatur Palmarius de febr. peſt. cap. 24.

§. 47. Quid dicam de oleo ſcorpionum? Habeo ſane compertum, iſtud vi repellendi gaudere notabiliter. Vidi ante aliquot annos amicum quendam, cui pro arcano contra ſcabiem communicatum erat hoc oleum, ſe crebrius eo inunxiſſe, atque hoc pacto ſcabiem ſemper evanuiſſe, ſed in loco vicino apparuiſſe eodem tempore, poſtquam vero meo conſilio expellentia aſſumſiſſet, plane convaluit ab ejusdem olei inunctione. Non diſſimilia ſunt quæ in peſte correptis obſervavi. In omnibus quidem poſt oleum ſcorp. bubonibus junctum deprehendi dolorem ceſſaſſe tumoremque imminutum fuiſſe quotidie; multis hoc profuit egregie, nimirum qui largiter ſimul ſudabant: nihilominus in aliis, præſertim qui bubone ſubalari laborabant, manifeſto cordis anxietas aucta eſt, eventu minus felici. Sunt equidem non pauci, qui pro ſummo contra peſtem arcano id commendant, vid. præ cæteris Oſw. Gabelchoverus Cur. Med. Cent. V. cur. 98. in annotat. Velim tamen notari, ab iisdem oleum ſcorpionum Matthioli non bubonibus aut carbunculis, ſed regioni cordis atque pulſibus inunctum, atque hanc inunctionem, ſi neceſſitas urſerit, poſt tres horas repetitam fuiſſe.

Pari

Pari forte intentione, ſed impari ſucceſſu plures quidam Medicus anno præterito juſſerat, non modo præſervative ſed & curative pectus ſimul atque dorſum munire emplaſtro magnetico arſenicali, theriaca atque mithridatio. Verum exinde in ſanis quoque auguſtia præcordiorum ſecuta eſt non levis. Quam ineptum autem fœminis hoc pectorale fuerit, quivis conjicere non difficulter poteſt. Si quid hac in parte agendum eſt, probarem potius inunctionem pectoris ex oleo ſcorpionum Matthioli, præſertim cum in malignis febribus illud ipſum non inefficax deprehenderim. Biennium fere præterlapſum eſt, quo Studioſus Medicinæ de contubernalis ſui ægritudine apud me conqueritur, conſiliumque petit contra calculum renum. Ego vero regionem lumborum atque dorſum ſæpius oleo ſcorpionum Matth. inungi, atque oculos cancrorum forte cum ſale vol. ſuccini intro aſſumi jubeo; aſt cum altera die ægrum accedo, ecce tum dolorem dorſi ſtatim ab inunctione ſedatum, aſt pectus atque brachia petechiis conſperſa intelligo. Lætor itaque conſilium meum præter intentionem optime ceſſiſſe, atque ut certus evaderem, num oleo ſcorpionum vere virtus ſedandi atque diſcutiendi dolores malignarum febrium competeret, præſcribo id aliis quoque data occaſione, ac omnino conveniens, quod caſu inveneram, remedium deprehendo. Quod ſi igitur malignitati hoc oleum reſiſtit, vero ſimile eſt, eam à corde quidem expelli, ſi pectus inungatur, ſed contra repelli eandem, ſi bubonibus applicetur. Nam & per os exhibitum ad drachmam unam alteramve, in peſte incredibilem præſtare effectum teſtis eſt Anton. Fumanellus; & ab uncia ejus una, quam delirans infectus per errorem epotavit, tres ſimul bubones diſruptos, eademque nocte ſedata deliria, ſublatumqve periculum, legi poteſt apud Gabelchoverum c. l. pag. 219.

§. 48. Quæ de oleo ſcorpionum exterius adhibito dixi, eadem pene obſervavi poſt uſum bufonum; etenim

nullus unquam bubo ad maturationem devenit, cui mature vel oleum ſcorpionum inungere vel bufonem deſiccatum ſuperimponere juſſi. Certum autem eſt dolorem inde ſedatum tumoremque imminutum tandemque ſublatum fuiſſe; aſt virus peſtilentiale hoc modo extrahere non licuit. Paracelſus quidem in tr. I. de peſtilitate p. 335. ranas, bufones, cochleas, tincas, angvillam, murænas, paſſeres, gallos, pavones, cornices, corvum, ciconiam, & in genere omnia animalia, quæ araneis ſimilibusque venenis veſcuntur, commendat contra peſtem, ſpecialiter autem in conſil. antipeſtil. ad Sterzingenſes p. 358. bufones in ſole deſiccatos bubonibus peſtilentialibus imponere jubet, donec venter illorum ab extracta virulentia intumeſcat & turgeat. Huic adſtipulatur inter alios Hartmann. in prax. chymiatr. p. m. 917. his verbis: bufones exſiccati, ſed per caput ſaltem (ſi nimirum per corpus transfigantur, non attrahunt venenum) transfoſſi & tumoribus peſtilentialibus ſuperimpoſiti (ventre bufo applicetur) manente cute integra venenum ad ſe attrahunt, ita ut licet aridiſſimi ſint & malleo complanentur (ante complanationem ducantur per acetum, vel relinquantur in loco udo) tamen paulatim ita turgeſcunt, ut quaſi rumpi videantur.

§. 49. Verum ego non modo transfoſſos ſed & ſuſpenſos & fame extinctos adhibui promiſcue in viris pariter ac fœminis, (non obſtante quod Paracelſus p. 347. potius ſexui ſequiori eos commendet) fuitque omnium unus idemque effectus, nunquam tamen bufonem tumidum, ſed omnino veriſſima deprehendi, quæ Helmont p. 884. habet: fateor, me bufones applicuiſſe bubonibus & eſcharis tam in pectore, capite, mammillis, quam alibi, tam in viris quam mulieribus; ac ubique non ſine prompto juvamine & doloris mitigatione, at nunquam vidi applicatum bufonem intumuiſſe tantillum.

§. 50. Quid multa? idem Helmont bufone quoque pulveriſa-

veriſato uſus eſt, in aquæ ſimplicis tantillo ad conſiſtentiam pultis decocto, atque ab hujus applicatione ſubinde dolorem anthracis bubonisque mitigatum notavit p. 876. Imo Paracelſus ipſe p. 347. bufonem ranamque contundere jubet atque cum opopanace, galbano, ſerapino atque bdellio in aceto roſaceo ſolutis, camphora item atque flor. ſulphuris commiſcere docet pro uſu externo in bubonibus virorum æque ac mulierum. Proinde non video quamobrem ſuperſtitioſa illa atque phantaſtica per caput transfoſſio inſtituatur atque adeò inculcetur, quandoquidem pulveriſatus bufo easdem adhuc virtutes nempe anodynas, non minus quam integer poſſidet.

§. 51. Spectant huc quoque illa, quæ de hyoſcyamo & braſſicæ foliis aſſerit Schenck L. VI. p. 800. De hyoſcyamo quidem refert è Mizaldo, illum bubonibus admotum feliciter hos ſanare atque diſpergere; ac præterea ſi quis ſaltim hanc plantam ſecum geſtet, tutiſſimum fore à bubonibus peſtilentialibus. Quanquam vero hoc ipſum amuletum contra bubones in medio relinquam, non tamen dubito de virtute ejusdem hyoſcyami externa, ſi jam præſenti buboni applicetur. Cum enim ſæpiſſime illius efficaciam deprehenderim inſignem tam in diſcutiendis tumoribus podagricorum quam teſticulorum ſumme dolentibus, idcirco mihi admodum probabile videtur, ſimile quid præſtare poſſe in bubone maligno, propter vim anodynam, quæ in hyoſcyamo manifeſta eſt.

§. 52. De braſſica poſtmodum ſubjungit, hujus folia, ſi buboni peſtilentiali imponantur, e veſtigio illum retropellere, aſt ſiniſtra ad ſalutem via; hoc enim pacto in Italia ſolet plebs paupercula peſtem celare, ob quam ſi innoteſcat, ex urbe ejicitur. Malunt ſcilicet exitium quam exilium, vitæ potius quam rei familiaris diſpendium pati. Videtur autem braſſica hæc refrigerando repellere, quemadmodum alias inflammationibus applicata æſtum ſedare atque tumorem diſcutere ſolet, vel etiam lac

extingvere, ſi mammis braſſicæ capitatæ folia frigidè applicentur atque iteratò. Igitur cum cautione imitandum eſt vulgi experimentum, cujus Diemerbroeck p. 249. meminit, quando bubonibus æque ac anthracibus braſſicæ rubræ folia oleo raparum imbuta adhibuerunt optimo cum ſucceſſu. Videtur namque hoc remedium potius carbunculis convenire quam bubonibus, uti ſuo loco dicetur.

§. 53. Igitur ut conſtet, quid in genere de medicamentorum externorum diſcutientium vel repellentium uſu in bubone peſtilentiali ſtatuam, lubet paulo penitius ſed breviter eorum differentiam ac modum operandi examinare. Videlicet Diſcutientia (quo nomine generali omnia remedia compello, quæ tumorem quendam quocunque modo reſolvunt ut evaneſcat) alia ſunt anodyna, alia refrigerantia, alia antiſpaſmodica, alia adſtringentia, alia denique ſtrictiori ſenſu reſolventia, volatilia, acria, & penetrantia.

§. 54. Anodyna, ſive mitiora uti lac tepidum, butyrum non ſalitum &c. ſive fortiora ex croco, ſolano, mandragora, hyoſcyamo atque opio parata, plurimi ſunt uſus in tumoribus doloroſis. Quamdiu namque dolor furit, tamdiu quoque tumor accreſcit, ubi vero dolor ceſſat, tum remanens tumor vel à natura ipſa diſcuti poteſt, vel ad maturitatem deduci, ſi jam forte collecta ſit materia purulenta.

§. 55. Idem poſſunt refrigerantia in inflammationibus; ſperma ranarum, albumen ovi, ſal comm. nitrum & remedia ſaturnina, minium, ceruſſa, lithargyrium &c. Quis enim neſcit ab horum uſu e. g. eryſipelas evaneſcere, quamprimum æſtus ſedetur.

§. 56. Nonnunquam vero antiſpaſmodica requiruntur, ruta, verbena, betonica, hypericum, camphora, ſuccinum, balſ. peruvianus, petroleum, pingvedo cati ſylveſtris, caſtorei &c. Videmus enim quotidie v. g. ab infixa ſpina vel contuſione pri-

primum dolere partem læſam, ex dolore criſpantur fibræ, ac poſtea accreſcit tumor, hoc magis, quo major fuerit dolor atque fibrarum ſpaſmus. Hic nimirum ipſe cum circulum ſangvinis quodammodo intercipiat, ac ſangvinem quidem per arterias e corde appulſum admittat, refluxum autem per venarum compreſſionem impediat, fieri non poteſt, quin a retento in partium poris ſangvine tumor in tantum aſſurgat, in quantum earum fibræ ſeſe extendi patiuntur. Atque huic ſpaſmo ſicuti anodyna & refrigerantia, dum cauſam ſpaſmi, nempe dolorem vel æſtum tollunt, medentur per accidens; ita primario antepileptica ſeu antiſpaſmodica conveniunt, præſertim ſi pars affecta nervoſa ſit admodum aut membranoſa, v. g. in tumoribus capitis, teſtium, articulorum &c.

§. 57. Hæc ſunt remedia quæ fibrarum præternaturalem tenſionem tollunt; verum etiam dantur tumores, qui potius a nimia laxitate fibrarum proveniunt, nempe minus dolentes, ſeroſi vel œdematoſi. Huic fibrarum imbecillitati occurrimus vel nervinis jamjam recenſitis, ac potiſſimum roborantibus, ſalvia, majorana, roremarino, ſpica, lavendula &c. Vel adſtringentibus, uti ſunt flor. roſarum rubr. balauſtiorum, cortices granat. folia myrti, quercus, gallæ, ſangvis draconis, bolus cum aceto, vitriolum, alumen.

§. 58. Denique ſunt & alia, quæ ipſam materiam peccantem & morbificam, nempe ſangvinem congrumatum, ſerum viſcidum &c. attingunt atque reſolvunt, e. g. flor. chamomillæ, ſambuci, ſemen aniſi, chelidonium, (a cujus radice intra 7. horas bubonem peſtil. diſcuti Tabernæmontanus affirmat) gummi ammoniacum, ſagapenum, vinum, ſpiritus vini, acetum, ſpir. lumbricorum terreſtr. ſalis ammoniaci, urina, & quæ ex mercurio parantur inunctiones atque emplaſtra.

§. 59. His præmiſſis facile eſt judicare, quænam ex jam recenſitis remediis in cura bubonum malignorum locum habere

bere queant. Danda nimirum eſt opera, ne repellatur tumor, ſed ut potius per cutis poros diſcutiatur. Adſtringentia igitur & nimium refrigerantia hic abſint; adhibeantur autem anodyna ſi dolor urgeat, cum antiſpasmodicis & reſolventibus; ut & refrigerantia mitiora, ſi inflammatio accedat. Utinam vero diſcutientia facultatem, quam veteres iis aſſignarunt, poros cutis aperiendi ac dilatandi, humoresque tumorum vitioſos in vaporem convertendi certo atque ſemper poſſiderent. Quid enim convenientius foret, quam illorum ope malignum virus e bubonibus elici. Sciendum ergo eſt, diſcutientium horum vires ſaltim in eo conſiſtere, quod reſolvendo aptam ad diſſipationem reddant materiam, quam poſtmodum ſola natura ſive ſpiritus expellere valet. Itaque ſi hæc deficiat, remeat potius intra corpus vitium, non ſecus ac ſi repellentia adhibeantur. Atque hanc ob cauſam eadem hæc remedia diſcutientia nunc proſunt, nunc vero, imprimis ſi medicamenta interna non æque cooperentur, magis nocent. Hoc igitur qui timent, malunt potius bubonum virus per maturationem evocari quam diſſipari; aſt ſicuti fruſtra tumorem, qvi jam ad ſuppurationem vergit, diſcutere, ita non minus inconvenienter maturationem qvandoqve accelerare nonnulli moliuntur. Utantur alii ventoſa, attrahentibus acrioribus, aut etiam cauſticis & veſicantibus, cantharidibus, flammula, ranunculo acri &c. ut humorum affluxum bubonisque incrementum promoveant atque accelerent; mihi tamen minus placere poteſt, quoniam plerumque ob dolorem jectigatio, anxietas præcordiorum cum febre intenditur. Adhæc facile iis carere poſſumus: aut enim in principio tumor eſt parvus, tunc ſane diſcutientia externa ſufficiunt, ſi modo ſudorifera interna ſimul aſſumantur: aut tumor magnus eſt atque ad ſuppurationem ſponte inclinat, quid opus eſt attrahentibus? Præſcribantur tum potius emollientia & ſuppurantia, violaria, malva, melilotus, radix lil. alborum

ſum & altheæ, radix cynogloſſæ, quam præ aliis hoc in caſu Droëtus commendat juxta Dimerbr. p. 249. Imo vero ipſa ſuperius laudata diſcutientia, ſi ad ſuppurationem tendat bubo, non parum eundem maturare ſolent, nam & anodyna, refrigerantia & antiſpasmodica fibrarum duritiem emolliunt, adeoque faciliorem puri exitum parant, & reſolventia, quam diſcutete non poſſunt, materiam dum commovent, ſolicitant quaſi ipſam naturam ad ejus excluſionem. Quis enim neſcit e. g. emplaſtr. de meliloto, diachylon atque ſimilia ſi mature applicentur, varios tumores diſcutere, au ſuppurare, ſi jamjam materia ad diſſipandum inepta fuerit. Ubi vero bubo aperiendus eſt, nil vetat ſcalpello aperiri; at qui ferrum reformidant, poſſunt emollientibus addere cepas vel ficus, ſic enim prompte pus egreditur, ut neque hunc in finem veſicatoria aut ruptoria fortiora requirantut. Tandem ut mundificetur iterumque conſolidetur ulcus, adhibeatur balſ. ſulphuris, emplaſtrum diaſulph. Rulandi, ungv. Baſilicon. prunella, plantago &c.

§. 60. Paulo aliter medemur carbunculis. Horum quidem dolor atque ardor, longe ſuperat bubones, ac propterea requiruntur non tantum anodyna, ſed & refrigerantia fortiora. Pulvis bufonis deſiccatus, quem Helmont commendat, egregius eſt, non ſecus ac herba Paris atque crocus, plantago item & ſempervivum, quæ inter alia jam olim Dioſcorides præſcripſit. Spectat huc Avicennæ cataplaſma ex malo punico aut ex carne cydoniorum, quod præ omnibus extollit Prævotius, nec non fuligo cum ſale atque ovorum vitellis mixta, quo remedio ſæpius feliciter uſus eſt Paræus. Atque hoc pacto ſi dolor æſtusque ſedetur, non opus eſt, ut ad uberiorem carbunculi progreſſum inhibendum butyrum antimonii adhibeamus, vel ſcarificemus profunde juxta Galenum, vel juxta Celſum

Celſum ferro candente aduramus, vel cum Paracelſo atque Helmontio cryſtallum circumducamus aut ſapphirum.

§. 61. Potius ſuppurantia poſtulantur, ut a carne ſana carbunculi ſeparentur; quem in finem Myrepſus carnem bubulam imponere jubet, cujus ea eſt virtus, ut poſt triduum carbo cum radice excidat. Folia verbenæ rectæ mire deprædicat Ætius, calendulam Valleriola, ſcabioſam Augenius, lyſimachiam Hollerius, ſucciſam Sennertus, oleum galbani Keslerus. Quæ de ſmilace aſpera ex relatione Donzelli Bartholinus hiſt. anat. Cent. VI. hiſt. 27. memorat, curioſa ſunt; affirmat enim per experientiam ruſticorum Neapolitanorum conſtare, quod ejus folia ſi facie lævi atque glabra applicentur anthraci, feliciter materiam peccantem educant, & contra humorem ad interiora repellant, ſi pars rugoſior atque candida invertatur.

§. 62. Poſtquam autem carbunculus ſeparatus eſt, tum demum ad mundificantia & conſolidantia deſcendere licet, ſulphurea nempe & cetera ad ulcus bubonum commendata; quibus non immerito adjungere licet conſolidam majorem, pariter ac minorem, quarum utramque pro mirabili ad carbunculos ſecreto habet Cortilio, ſi modo recens contuſa imponatur.

§. 63. Hæc ſufficiant, L. B. quæ ſi Tibi forte placebunt, bene eſt; ſin minus, ſcias, me quidem cenſuram eruditorum exoſculari, aſt imperitorum calumnias parum æſtimare.

Tantum.

DISPU-

DISPUTATIO XLVIII.

DE

FRIGORIS DAMNO.

J. J.

QUi de Natura Frigoris hactenus ſcripſerunt, equidem vix conveniunt inter ſe, utpote quorum alii pro accidenti, etiam mere privativo id habent, alii pro ſubſtantia, quæ atomis cubicis, tetrahedricis atque pyramidalibus gaudeat: vel ad Salis cujusdam nitroſi, vel ſpiritus frigidi naturam accedat. Sed meum jam non eſt, falcem immittere in alienam meſſem, aut Phyſicorum placita diſcutere multis, qui medico in foro jam verſor. Suppono interim, frigus per naturam competere omnibus in univerſum particulis, exceptis unice igneis; nempe aëreis, aqueis, terreis, ſalinis, ſulphureis, & quæ hinc miſcentur corporibus; ita quidem, ut tantum remittant de frigore ſuo, quantum de igne participent. Itaque ſi de animalibus & quidem de homine ſpeciatim ſermo ſit, ſatis apparet, ignem vitalem ſive ſpiritum liberalius à Creatore præ vegetabilibus ei conceſſum, ſi cum veteribus loqui licet, optimam competere

temperiem. Quodſi ergo ſimilia ſimilibus gaudent, dubium non eſt, quin corpus noſtrum male afficiant, quæ nimis aliena ſunt à natura noſtra; atqui tale præ cæteris frigus eſt exceſſivum, multis modis nos lædens, prout in ſequentibus apparebit. Nimirum operæ pretium feciſſe puto, ſi de Frigoris Damno Diſputationem Inauguralem conſcriberem, tempore præſenti ſuppeditante materiam, fortaſſe non indignam, ut in eam inquiram pro virili. Antequam vero id fiat, converto me ad Æternum Supremumque Numen, ſupplici mente id veneratus, ut Gratia ſua immenſa meis conatibus adeſſe clementiſſime, iisque benedicere velit ex alto.

§. 1.

FRigida vulgo duplicis habentur generis; videlicet quædam actu, quædam potentia. Hujus generis ſunt quæ vim refrigerandi latentem habent, uti Sal ammoniacum, nitrum, Saccharum Saturni, Semina quatuor frigida majora & minora, Sempervivum & ſimilia. Sed de his evitandæ prolixitatis ergo minus ſolicitus, hac vice magis occupatus ero circa ea, quæ manifeſte talia exiſtunt, uti glacies, nix, aqua frigida, hybernus aer &c. Quamvis enim haud inelegans foret contemplatio eorum, quæ fortaſſis ex abuſu medicamentorum refrigerantium oriri queant incommoda, nec deerit tamen mihi dicendi copia, ſi modo ea colligam, quæ de damno ex actuali frigore ſparſim ab Autoribus annotata ſunt; ita videlicet non tantum pathologice de vario nocendi modo, ſed & practice de præſer-

præservatione atque curatione sermonem instituere mihi permissum erit.

§. 2. Ut ergo qualemcunque in recensendis aliorum observationibus ordinem adhibeam, lubet primum eas proponere, quæ totum concernunt corpus, postmodum per partes progrediundo affectus capitis atque colli seorsim, dein pectoris, abdominis atque genitalium, & tandem quæ in extremitatibus sive artubus occurrunt vitia. Monendum autem est, me non tam attendere partem refrigeratam, quam partem exinde læsam; siquidem haud perpetuum est, ut in parte refrigerata præcise noxam sentiat æger, sed & frequentius accidit, licet totum refrigeretur corpus, ut nihilominus damnum in aliqua saltem parte notetur potissimum, vel e contrario membro quodam refrigerato corpus totum insimul afficiatur, aut saltem pars aliqua remotior.

§. 3. Ad rem: Qui mortui & omnino extincti sunt frigore hyberno, hinc inde recensentur non pauci: Equites congelati per alpes equitantes scuta & habenas tenentes manibus à *Camer. Syllog. memorab. Cent. 5. part. 60.* alii ab *Amat. Lusit. Cent. 2. Cur. 86.* Potu frigido dum æstuat corpus affatim hausto extinctos plures collegit *Marcellus Donatus lib. 4. de Med. Hist. mirab. cap. 6. ex Benivenio, Scaligero, Amato Lusitano, Qu. Curtio, Guil. Tyrio, & Appiano Alexandrino.* Vidimus hinc familias, inquit *Casp. Caldera de Heredia Tr. de potion. variat. cap. 4.* quæ mane antiquo splendore illuxerant, vesperi tristi orbitate defleviſſe, potu suavissimo sed eventu misero inopinatam mortem illorum, qui splendoris vanitatem in aquæ summa frigiditate posuere.

§. 4. De febricitantibus idem affirmat *Galen.* adducitque Arionis Peripatetici exemplum *lib. de Consuetud. c. 1.* qui ad extinguendum æstum jussus à Medicis, ut frigidam potaret, cum alias potioni calidæ assuetus esset, obiit illico post haustum. Alius ludimagister cum febre ardenti laboraret, & frigidam,

quantum anhelitus sufferebat, ebiberet, eodem die discesit notante *Fabrit. Cent. 3. Obs. 48.* Nam & mulier quædam ad restinguendum febris ardentis incendium frigida os colluens paucisque horis aliquot urnas ita consumens in delirium prolapsa interiit, notante *Tulpio lib. 4. Obs. Med. cap. 10.*

§. 5. Et quanquam non desint, qui mortem effugerint subitaneam, plures tamen inter eos occurrunt, quos constat inter sudandum frigida bibentes, vel saltem gelida perfusos aqua in febres non modo ephemeras aut intermittentes, sed malignas etiam atque periculosissimas incidisse, de quibus itidem *Fabrit. Cent. 3. Obs. 47. & 46. & Wepferus in Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 10. Obs. 171. in Schol. p. 308. Foreſtus lib. 1. Obs. 8. & lib. 2. Obs. 2. Cober. Dec. 1. Obs. 1.*

§. 6. Quidam sub ardentissimo Sole pilæ lusu incalescens sudansque, cum in cellam descenderet vinariam, calicemque vini frigidissimi epotaret, animo defecit indeque semimortuus ad cubile delatus ægerrime refocillatus fuit. vid. *Schenck. lib. 2. Obs. med. p. 277.* Idem animi deliquium ex hausto aquæ frigidæ cum ventriculi dolore acerbo expertus est juvenis alius, cujus *Fabrit. Cent. 5. Obs. 29.* meminit, ut non necessum sit, confugere ad sanguisugam cum frigida deglutitam, quorsum Hildanus inclinat, cum frigidus potus, qua talis, ad hæc aliaque graviora symptomata producenda omnino sufficiat; nam & eundem dolorem ventriculi cum mentis alienatione hinc ortam alibi *Cent. 4. Obs. 38.* commemorat.

§. 7. Sed iter facientes hyberno tempore apoplecticis similia symptomata passos fuisse notavit *Galen. lib. de morb. differ. cap. 5.* & alibi inter causas convulsionum cum *Hippocr. Sect. 5. aphor. 17.* frigus nominat excessivum. Apoplexiam autem à gelidæ potu natam recensetSchenck. 3. Observ. med. p. 324. & *Hagendorn. Cent. 3. Hist. 79.* refert puerum sexennem, qui mense octobr. in præterfluentem Nissum præcipiti casu deciderat, ultraque mille

passus

paſſus modo ſub, modo ſuper aquis, nataverat, extractum toto corpore rigidum ſine intellectu atque loquela jacuiſſe diu, cum jam vomitu reddidiſſet aquam copioſam & alimenta, alvumq; dejectione ſpontanea exoneraſſet, usque dum calefactis pannis membra probe fricarentur, adhibitisque aquis antapoplecticis aliisque medicamentis idoneis reſtitueretur. Adeo inimicum cerebro, ſpinali medullæ nervisque frigus eſt, cenſente *Hippocrate de Humid. uſu, IV. & Sect. V. Aph. 10.*

§. 8. Magis mirandum eſt, quod narrat *Th. Bartholinus Cent. 6. Hiſt. 88.* Videlicet nautam vidit, qui cum ebrius per glaciem non ſatis firmam aſcendere vellet navem, fallente veſtigio, pedes aqua immerſit gelu fere congelatos, paſſus autem exinde tantam eſt alterationem redeunte ad cerebrum ex calcaneis ſanguine coagulato, ut, cum alias ad omnes actiones facilitate nativa promtiſſimus eſſet, ilico memoriæ infirmitatem ſenſerit, aliaque torporis ſtuporisque inſoliti ſigna ediderit, quæ vix in melius emendari ſpatio potuerunt annuo. Quid? quod Epilepſia quoque a frigore nonnunquam naſcitur, vid. *Beniven. de abdit. morb. cauſ. cap. 46. & Wedel. in Ephem. Germ. Dec. 2. ann. 2. Obſ. 160.* præcipue quando in febribus malignis petechiæ, purpura & ſimilia axanthemata retrocedunt ad interiora. Neque rarum eſt, infantes, quos cruſta lactea infeſtat, ſi aeri liberiori atque frigido exponantur, deſiccata illa & evaneſcente, adeoque materia peccante retropulſa, epilepſia corripi morique, qualia exempla mihi etiam notare licuit.

§. 9. Quodſi ulterius frigoris noxam, quam membris particulariter infert, attendere velimus, commemoranda nunc ea ſunt, quæ caput hinc in ſpecie patitur. Itaque Cephalalgia huc ſpectat, quam in Monacho ſene per nives hyeme aſperrima iter faciente, atque in alio quodam viro, qui tempore hyberno in aquam frigidam collapſus erat, annotavit *Foreſtus lib. 9. Obſ. 6. & 7.* Idem alibi, videlicet *lib. 12. obſ. 2. & 4.* Dolores Aurium atque

Dentium ab aeris inclementia natos recenſet: Sed id in vulgus notiſſimum eſt, non minus, quam Anginas, Coryzam, Tumores uvulæ, tonſillarum glandularumque ſublingualium, ſimilesque affectus catarrhales à frigore produci. Vid. *Hildesheimii Spicileg. p. 705. Hæferus in medicat. familiar. p. 403. & Muraltus in Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 8. Obſ. 14.*

§. 10. Ut de Viſus hebetudine ex frequenti oculorum abluitione frigida, quam *Fabritius Cent. 1. Obſ. 27.* memorat, nihil dicam; ſaltim notatu dignior eſt Paralyſis palpebrarum ſuperiorum ex immodica frigidorum applicatione orta, quam memorat *Schenkius lib. 1. Obſ. medic. p. 164.* item linguæ paralyſis, quam ipſe ſibi *Fabritius*, cum puer duodecim annorum eſſet, frigidisque fluminibus diutius innataſſet, contraxerat, ita, ut per plures annos moleſtiam hinc ſentiret non levem, de qua videri poteſt ejus *Centur. 1. Obſ. 95.*

§. 11. *Cumque Hippocrates libr. de aëre, aquis & locis Sect. 3. p. m. 339.* aquas ex nive atque glacie omnium peſſimas judicet, non male agit *Franc. Baco de Verulamio in Sylv. Sylvar. Cent. 4. 396.* quando ex potu aquæ nivalis Strumas in collo naſci vult, frequentes iis, qui ad montium nive tectorum radices habitant; ſiquidem ipſe *Celſus lib. 1. cap. 9.* frigidam aquam ſtrumas excitare docet. Sed Raucitatem inſanabilem ex frigidioris cereviſiæ hauſtu absque tuſſi catarrhove annotavit *Cornel. Stalpart van der Wiel. Cent. 1. Obſ. 27.* qualem ab aëre frigido per ſex menſes durantem, usque dum inter dormiendum ſeri mediocris quantitas per aurem efflueret, recenſuit *Riverius Cent. 2. Obſ. 80.*

§. 12. De Lactis Coagulo & mamilla cum dolore indurata, quod fœmina inter ſugendum eam nimis nudaſſet tempore admodum frigido, videri poteſt *Foreſtus lib. 17. Obſ. 21.* Quid frequentius Tuſſi atque Pleuritide, quotiescunque aſperitas aëris, aut frigus dominatur hyemale? Aſt lethalem pleuritidem ſtudioſi quidam, dum diebus canicularibus æſtuante corpore in frigi-

frigidam insilirent aquam, experti sunt teste *Fabritio Cent. 1. Obs. 95.* Qui Asthmate laborant, tempore pluvioso, nivoso atque nebuloso manifestum sentiunt periculum juxta *Forestum lib. 16. Obs. 9.* Difficultatem respirandi summam in alio post superatum per nives iter notavit *Gabelchoverus Cent. 2. Cur. 83.* & Vomicam pulmonum in Serenissimo quodam Principe ex potu frigido, quem æstuante corpore nimis appetebat, deduxit *Verzascha Obs. med. 100. p. 260.* siquidem & ipsam Phthisin lethalem ex haustu vini refrigeratissimi in juvene, & ab haustu Spiritus vini frigidissimi in alio quodam viro natam vidit *Carol. Raygerus Ephem. Germ. Dec. 1. ann. 6. Obs. 210.*

§. 13. Nec prætereunda est, quam idem Autor subjungit historiam *Obs. 211.* videlicet cum circa finem Januarii exundatio quædam insolita Danubii accideret, forte civis quidam, ut ligna pro opificio suo necessaria in loco vicino sita salvaret ex undis, ultra tres horas in aquis mansit, quandoque ad alas usque: domum reversus penes fornacem fortiter calefactam decumbens statim lassitudinem sentit omnium membrorum: elapsis aliquot diebus in singultum incidit tres dies durantem: inde restitutus intra spatium anni gutta serena correptus primum sinistri, mox etiam dextri oculi usum amisit: Post triennium horrendis articulorum doloribus corripitur, quibus supervenit tremor perpetuus, nullo pacto sedandus: hæc autem omnia mala ex ista corporis refrigeratione originem duxisse nullum est dubium.

§. 14. Quid in reliquis viscеribus abdominis valeat frigus, minus obscurum est. Narrat *Borellus Cent. 3. Obs. 11.* quasdam puellas delicii gratia deglutientes glaciem, Torminibus, Colicis Doloribus, imo & Dysenteriis & Obstructionibus periisse: Et *Schenckius lib. 3. Obs. Med. p. 344.* refert, se vidisse quendam in Choleram lapsum, cum discalceatus more suo nudisque pedibus supra lapides frigidos marmoreosque ambulasset: atque alium in eundem affectum incidisse, quod singulis diebus æstivo tempo-

tempore pedes frigida aqua ſibi lavaret. In febre bilioſa cum juvenis potaret frigidam, cardialgia ei oborta eſt enormis juxta *Johan. Rhodium Cent. 2. Obſ. 71.* alius tertiana laborans meſſis tempore in agro ſitibundus aquam frigidam copioſe hauſit, hinc hepate refrigerato in hydropem incidit ex relatione *Wincleri Ephem. Germ. Dec. 1. ann. 6. Obſ. 52.* ita Hydropicus interiit, refrigerato ex hujusmodi potu hepate, qui ordinarie ante prandium ingentem aquæ copiam hauriebat, teſte *Panarolo Pentec. 3. Obſerv. 42.* Scirrhum hepatis in presbytero à refrigerio poſt ſudorem nimio notavit *Fabritius Cent. 3. Obſ. 10.* Jecur putridum ab hauſtu frigido poſt violentum corporis motum in cive quodam Aventicenſi deprehendit poſt mortem *Bonetus Sepulchr. lib. 3. Sect. 11. p. 896.*

§. 15. De Lienoſis atque Calculoſis certum eſt, eos nullatenus tolerare poſſe frigus; de fœminis autem, quæ proclives ad Paſſiones Hyſtericas ſunt, lippis atque tonſoribus notum. Exemplum vide in *Foreſto lib. 28. Obſ. 31. p. 673.* inprimis cum menſes fluunt aut lochia, ſiquidem tales fluxus ſupprimit non ſine graviori periculo & aer incaute admiſſus, & potus frigidus. Vid. *Galenus lib. de V. S. ad verſus Eraſiſtr. Solenander Sect. 5. Conſil. 15. Valleriola lib. 5. Obſ. 10. & Georg. Francus in Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 9. Obſ. 200.* Memorabile autem eſt, quod narrat *Muraltus in Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 1. Obſ. 100.* in partu à frigore ita ſe conſtrinxiſſe uterum, ut obſtetricantis manus premeretur notabiliter, ac doleret, & propemodum pars extrahendæ placentæ præſcindi videretur. Unde *Hippocrates de Humidor. uſu XI. p. 606.* frigida utero minus convenientia, & *lib. de Aer. Aqu. & Loc. p. 332.* affirmat mulieres quoque propter magnum aquarum frigus in regionibus ſeptentrionalibus ſæpe infœcundas eſſe.

§. 16. Nec genitalia virorum impune ferunt frigoris aſperitatem; Ita meminit *Garmannus in Ephem. Germ. Dec. 1. Ann. 3. Obſ. 41.* viri cujusdam, qui ſæviente hyemis frigore iter aliquot hora-

horarum equo emensus Paralysin penis incurrit, unde impotentia coeundi successit, nulla iterum arte curanda, quanquam Medicos non infimæ notæ statim in principio ad consilium vocarit. Verisime *Aristoteles lib. 6. de Generat. Anim. cap. 2.* homines in venerem segnes reddi ab aqua gelida asserit.

§. 17. Sed ad extremitates & artus quoque deveniendum. Memorat *Borellus Cent. I. Obs. 84.* ægrum, qui frigore nimio in Dolorem Tremoremque pedum maximum inciderat, præcipue dum accederet ad ignem: Et de se ipso *Abenzoar lib. 1. Theizir tr. 10. cap. 2.* Paralysin cruris sinistri ex vehementi frigore natam, postquam scilicet per totam diem pluvia ventusque illum à latere vexaret mire, dum curru veheretur. In aliis duobus qui diutius in frigido morabantur, puteum exhausturi, paralysin omnium partium inferiorum vidit *Cummius in Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 1. Obs. 84.* Præ cæteris custodire pedes debent, qui podagra tentantur, nisi majus incurrere discrimen malint, *vid. Gabelchov. Cent. 2. Cur. 83.* Ad hunc modum novi Senem podagricum cum de industria pedes dolentes aëri liberiori exponeret, ut æstus quodammodo mitigaretur, in singultum, per aliquot dies durantem ac denique lethalem incidisse, frustra exhibitis omnibus stomachicis, Zingibere in India condito, nuce moschata condita, similibusque.

§. 18. Observavit *Galenus lib. 3. de usu part. cap. 5.* non semel digitos à nive mortificatos excidisse; quod ipsum si non statim fiat, in instanti, accidit tamen frequentius à Gangræna superveniente, ut testatur *Borellus Cent. 3. Obs. 24. & Diemerbroeck Obs. 13. & annotation.* ubi præter digitos crura etiam sphacelata adeoque a Chirurgo extirpata fuisse refertur.

§. 19. Quodsi frigus adeo potens haud fuerit, ut membrum sensu motuque, vel ipsa denique vita, privare valeat, saltem id ipsum dolere facit ac tumere plus minus; quibusdam enim non nisi pruritus cum rubore ac levi partis intumescentia molesti-

am creat; alii vero dolorem magis vehementem ſentiunt cum fiſſuris cutem modo ſuperficialiter, modo profundius exulcerantibus; quod mali genus peculiari nomine Perniones appellant, his noſtris in terris non rarum, potiſſimum ſi manus pedesve ſpectentur illorum, qui per hyemem tractando humida, vel incedentes per nivem colliqueſcentem artus ſervare ſiccos nequeunt. Mirum enim eſt, quam facile frigus madida corrumpat membra.

§. 20. Hæc atque ſimilia plura, ſi quis in ſummam contrahere velit, apparebit non obſcure, damnum, quod a ſtigore nobis imminet, triplicis omnino generis eſſe. Aut enim afficit Spiritus, aut humores, aut ſolidas potiſſimum. Quanquam enim perpetua ſit harmonia inter dictas corpotis noſtri partes, ut nulla inter eas male habeat, quin reliquæ ſuo modo etiam afficiantur & in conſenſum nolentes volentes trahantur; nihilominus fieri ſolet haud raro, ut illarum quædam præ cæteris vitium contrahat, atque tum affectus prædicatur de ea, cujus læſio magis in ſenſus incurrit.

§. 21. Videamus igitur primo loco, quid ſpititus vitales noſtri corporis patiantur a frigore. Si antiperiſtaſis ad mentem veterum concederetur, dixerim a frigore coerceri particulas igneas, quemadmodum obſervatum fuit a gelu intenſiſſimo vinum conglaciatum vel cereviſiam in medio vaſis partem ſubtiliſſimam & ſumme ſpirituoſam ſervaſſe, vid. *Ind. Orient. part. 3 pag. 188.* Quidſi ſtatuam, præcludi a glacie tranſitum, ob rigiditatem coaleſcentium inter ſe particularum aquoſarum, alias fluidarum; ſiquidem major eſt impetus ambientis frigoris, cui reſiſtere ſpiritus vinoſus nequit, atque ideo, dum concreſcunt guttulæ ad conglaciandum aptæ, neceſſario propelluntur, quæ minus cohærent, & quidem verſus centrum, quod undiquae aer ambiens æqaliter urgeat.

§. 22.

§. 22. Verum facilius res expediri poteſt in corporibus viventibus, ſi modo nobis concipiamus ſpiritum inſitum ſenſu eſſe præditum; Quodſi enim quicquam hoſtile advenerit, cui ſe imparem cenſet, fibrasque ſenſu præditas laceſſet impetuoſius, fugit idem quaſi conterritus ad interiora, Cerebrum puta, cerebellum & medullam ſpinalem, deſeritque ſtationem ſuam. Appoſite *Actuarius lib. 2. de cauſ. urinar. c.* 1. Frigore valido, pluviis & nivibus uſqveqvaqve præſentibus, nulli apparent ſpiritus.

§. 23. Qvo altius ergo frigus penetrat, ſpiritibus in fugam converſis, hoc majus imminet periculum. Ponamus, ex toto fugari eos, ita ut deſerant non modo artus, ſed arcem quoque regiam, Cor puta; annon neceſſum eſt ſequi Lipothymiam? Si ſenſoria, potiùs Apoplexiam? vel denique Mortem, ſi omnino deficiant, partesque congelatas reſtituere nequeant in integrum? quis vero dubitet, oculorum aciem hebetari, quandocunque ſpiritus repelluntur ab organo? aut Guttam ſerenam contingere, ſi contractis per ſpaſmum nervi optici fibris ab influxu penitus prohibentur? ad quem modum paralyſis cruris, lingvæ, penis, ob denegatum robur debitum impotentem reddit alium ad ambulandum, alium ad ſermocinandum vel coeundum.

§. 24. Et quemadmodum in Syncope corpus univerſum friget, ægro ipſo ſæpe inſcio, ita multo facilius eſt explicatu, quomodo in aquam frigidam v. g. lapſi, aut aeri gelido expoſiti Frigus Febrile ſentiant & Horrores Rigoresque, dum ignis vitalis ad ſervandum calorem nativum nullatenus ſufficit. Ad hunc enim modum etiam concipere nobis Tremorem poſſumus optime, quod ſcilicet natura omnes intendat nervos, ut vires totius partis ſervet; quandoquidem vero hæ minus ſufficiunt, perpetua eſt in utramque partem fluctuatio, ſpiritibus videlicet ad momentum ſufficientibus iterumque deficientibus per vices, adeoque haud conſtanter præſentibus.

§. 25. Quod autem Febres Ardentes atque Malignæ interdum ſuperveniant, vel etiam Inſultus Epileptici; clarius apparebit ex iis, quæ dicenda ſunt inferius, ubi de Inflammatione atque Dolore. Hic loci notatu dignum arbitror, eam ob cauſam leviſſimum etiam refrigerium a potu mediocriter frigido, ab aëris eadmiſſione liberiori, a mutatione induſii ac linteaminum tantum imminere periculum in febribus malignis, præſertim ubi exanthemata, maculæ puſtulæque in cute jamjam effloruerunt, quoniam ſcilicet natura infirmior & tantum non proſtrata, ſi denuo alteretur intempeſtive, vix ac ne vix quidem ſuas recolligat vires, adeoque impar ſuperando morbo ſuccumbat.

§. 26. Quod ad humores, dubium non eſt, quin a frigore ambiente, ſi tranſpiratio ſufflaminetur, coacerventur in corpore. Hinc ſerum maxime colligitur, quod per modum inundationis vel univerſum corpus reddit hydropicum, vel membrum aliquod, ſicubi ſtagnet, tumere facit. Nam & hoc pacto ſangvinis abundantia in corpore ſequitur, ſi nimirum ſuppriматur, qui ſecundum naturam excernendus erat, e. g. ſi Menſium atque Lochiorum Fluxus ob clauſos a frigore poros uteri atque vaginæ non ſuccedat. Quantam vero id turbam in univerſa œconomia animali facia t, nemo non videt, qui hujus mali neceſſarii vim in ſervanda mulierum ſanitate unquam conſideravit.

§. 27. Sed deteriora fiunt omnia, ſi præterea coagulum acceſſerit humorum. Etenim ſi verum eſt, ſanguinem natura ſpiſſiorem, quamdiu calet in nobis, ſuum ſervare fluorem, & ſua ſponte concreſcere, quamprimum refrigeretur, prout ex V. S. collectoque in patina cruore omnibus conſtat; ſequitur multo magis, ab exceſſivo frigore ſi extinguatur inſitus calor, eum in grumos cogi, atque ſic ineptum reddi ad circuitum per poros partium anguſtiores & oſcula vaſorum ſanguiferorum legitime con-

continuandum. En pleuritidis, Peripneumoniæ atque Pleuropneumoniæ causas ex aëre inspirato nimis frigido. Et quemadmodum non infrequenter suffocatio imminet a sanguine congrumato, undecunque is affluat post Casum ab alto, Luxationem vertebrarum dorsi aut Percussionem graviorem &c. sanguis iste in pulmonum vesiculas delatus, favente potissimum inspiratione aëris paulo frigidioris, fixum sibi locum reperit aut quærit: Ita nec arduum erit ostendere, quomodo vel in aquam gelidam lapsi, præsertim dissipatis per sudorem spiritibus, vel ab hausto frigido & copioso quidem intereant alii, si quidem sanguis coagulatus cor ipsum & pulmones suffocet.

§. 28. Quodsi tanta in copia non coaguletur sanguis, aut maximam partem iterum resolvatur, concurrente potissimum vel pituita viscida vel materia tartarea & feculenta, jamjam occasio se offert commoda nascendæ Vomicæ Pulmonum, Scirrhi Hepatis atque Lienis. Ita enim Asthmatici præ cæteris ob seri visciditatem frigora haud innoxie tolerant; qui enim a calore suum ægre impetrat fluorem, is mucus instar glutinis refrigeratus longe spissior redditur ac pene induratur, ut nullo etiam negotio, quæcunque per screatum tussimque adhibeatur industria, expelli queat.

§. 29. De Calculosis ita mihi videtur; siquidem illi etiam cane pejus & angue arcere frigus a regione lumborum & abdomine debent, nisi præsentaneum incurrere damnum malint. Videlicet aut calculus jamjam concretus in rene latitat, quem paulatim accrescentem aliquandiu natura tolerat citra doloris sensum: quamprimum vero spasmus a frigore natus supervenerit, tunc illico crebre molestiam, & pungere fibras, exquisito sensu præditas, renis pelvisque ab eo extensas incipit, nec facile desinit prius, quam spina ista ejecta fuerit. Aut si fortasse nondum lapis in renibus aut vesica concretus adsit, sufficit vel solum frigus excessivum ad turbandum & præcipitandum lotium, si modo ejus

minera insit, seu idonea, tenax, tartarea, & quæ ad ejus generationem requirebatur materia. Nihil enim aliud tunc requiritur amplius, quam ut Urina aliquandiu supprimatur, usque dum particulæ modo nominatæ inter se coëant, successuque temporis coalescant firmius & indurentur sufficienter.

§. 30. Quid vero Lac patiatur a frigore, villica potius aut anus caseria docere poterit; postquam enim congelatur, secedit crassior ejus portio a reliqua serosiore, petitque fundum, ita ut massa postmodum adhibito igne liquefacta pristinam faciem aut consistentiam nullatenus acquirat, sed ex toto serosior maneat, nisi quantum materiæ caseosæ atque grumorum exinde præcipitatum fuerit. Quodsi proinde ad hunc modum in mammis quandoque alterari contingat lac, facile apparet, quomodo, parte aquosa per venas atque lymphatica redeunte, non nisi grumi atque materia caseosa relinquantur in glandulis tubulisve lactiferis: Quod ipsum deinceps coagulum satis potens est corrumpendi similiter materiam omnem, etiamsi optima ulterius ad augmentum lactis adducatur.

§. 31. Neque prætereundum est, alio in casu magis impelli humores, eorumque fluxum accelerari, quod coagulationi atque suppressioni e diametro videtur contrarium. Quicquid sit: Experientia tamen ostendit, Coryzam humidam atque Diarrhœas omnium frequentissimas notari per hyemem. Sciendum est igitur, quod ad Coryzam, non necessario confugiendum esse ad impeditam transpirationem, atque hinc auctam colluviem serosam, neque ad Sal corrosivum aëris, quod ad nonnullorum mentem pro causa frigoris genuina venditatur; cum revera dubium sit, annon acrimonia illa seri e naribvs destillantis dudum collecta fuerit in corpore scorbutico, vel etiam introducta per calorem vel totius, si Febris Catarrhalis concurrat, vel capitis in specie, qualis ad minimum in fronte tum temporis notatur ordinarie. Sufficit nempe frigus aëris ut sic, quippe quod eo ipso ster-

ſternutationes, fluxumque ſeri ſeu deſtillationes accelerare poteſt, quo ſaltim tunicam narium interiorem pituitariam, glandulosam atque nervoſam titillat, ut inſolitum, moleſtum atque intolerabile; ſicuti videmus a molliori etiam pluma & pulvere minus acri ſimile quid fieri, præſertim in ſubjectis tenerioribus ſenſuque magis exquiſito præditis.

§. 32. Si de Alvi Fluxu ſermo ſit, non putarim facile per tot anfractus inteſtinorum ſurſum atque deorſum ferri contenta, niſi facto impulſu ejiciantur citius quam par erat. Videant alii, quo pacto ex atonia ventriculi atque inteſtinorum Lienteriam deducant, quam unice a frigore natam non ſemel obſervavi ſatis gravem Profecto veroſimilius eſt, irritatis quomodocunque viſceribus & hinc accelerato motu periſtaltico propelli & exprimi, quicquid in alimentorum canali vel continetur vel in eum inſtillatur aliunde, ſeu crudum id fuerit, ſeu digeſtum, ſeu biliosum atque phlegmaticum. Satis eſt, ſi modo frigus aptum ſit ad irritanda interranea, quod jam porro demonſtrandum.

§. 33. Etenim quod ſolidas partes maxime affligit, Dolor eſt, quem a frigore qua tali deducere non incongrue poſſumus, ſi nobis concipiamus ſpiritum animalem & ſentire inſuetum frigus, ac ægre ferre, hoc ſuppoſito, quod excellens ſenſile ſuum lædat ſenſorium, atque ideo fibras criſpare omnes atque corrugare; quod in cute ipſa ſic ſatis obvium eſt. Habemus jam cauſam evidentem Spaſmi, & ſi reluctetur natura, Motuum Convulſivorum, quandocunque ſcilicet muſculos non omnino rigidos reddit gelu, reddere tamen conatur, contranitente ac repugnante natura, prout ſuperius §. 24. circa Tremorem monui.

§. 34. Ad ſpaſmum refero ſuperius allegatam Uteri Clauſuram intempeſtivam, & cauſam Alvi Suppreſſionis; nam & Iliacam Paſſionem à frigore vehementi & potu frigido, ſi a ſudantibus ingurgitetur, annotavit Ætius Tetr. III. ſerm. I. c. 28. procul dubio inde natam, quod ſpaſmus inteſtini dolentis, forſan ex inflam-

flammatione motum periſtalticum omnino turbarit, tranſitumque fecibus denegarit in totum. Ut enim ſpaſmus in corpore durare queat, neceſſum eſt cauſam aliquam inveniamus continentem. Quis enim credat contracturam ſeu curvationem dorſi, quam ſibi Monialis quædam, ex relatione *Mülleri in Ephem. Germ. dec. 2. Ann. 6. Obſ. 16.* hauſtu aquæ frigidæ ad explendam a Dyſenteria ſitim conciliaverat, per octennium potuiſſe perſeverare a ſolo refrigerio tranſitivo? Probabile potius videtur, materiam peccantem, ſanguinem coagulatum aut ſimile quid fixum ſibi occupaſſe locum circa vertebrarum ligamenta musculosve: quæ poſtmodum neque naturæ neque artis ope tolli potuerit.

§. 35. Motibus autem convulſivis accenſeri poteſt Tuſſis atque Singultus, thoracem ac diaphragma concutientes: Item Vomitus ſtomachum, Alvi fluxus inteſtina, utrumque Cholera p. n. exagitans. Nec dubito mulierum Paſſiones Hyſtericas hic loci commemorare, quando uterus male affectus partes connexas in conſenſum rapit, vel viciſſim ab his in conſenſum rapitur: ſicuti nec Spaſmi nomen inconveniens erit, ubi Suffocatio imminet, convulſo cum cæteris viſceribus thorace ſimul atque collo.

§. 36. Ecquis dubitet, Palpitationes Cordis cum Anxietate ſumma, vel etiam Epilepſiam produci, quotiescunque in Malignis materia peccans revertitur ad Cor, Cerebrum, partesque reliquas nobiliores. Cumque non ſatis obvium ſit, quomodo ea, ſi feculenta, putrida, virulenta ſupponatur, ab aëre vix ſenſibiliter frigido repellatur, ſubſidentibus etiam aut omnino evaneſcentibus puſtulis; facilius exiſtimo rem expediri poſſe, ſi cum *Kirchero, Langio & Hauptmanno* morbos ejusmodi ſtatuamus animatos. Ita enim palindromiam Purpuræ, Variolarum &c. non minus clare nobis imaginari poterimus, quam vires expellentium. Quod enim amaris, acribus, fœtidis fugentur vermes, nemo non admittit: aſt quid humorem malignum urgeat, ut ab uſu myrr-

hæ,

rhæ, camphoræ, liquoris C. C. succinati, castorei, asæ fœtidæ ad superficiem corporis sese recipiat, cuticulamque attollat, cum inter sudandum commoto sangvine secundum communes circulationis leges hinc inde pererrare possit, non æque apparet.

§. 37. De Viscerum Obstructionibus nihil peculiare occurrit notandum, quoniam à sangvine congrumato, pituita viscidiore vel tartareo sedimento, ut supra dictum, facillime deducuntur. Ita enim Tumores quoque fiunt, si major illius materiæ quantitas coacervetur in glandulis v. g. colli, sublingvalibus, tonsillis atque sic porro. Dolores autem capitis, Aurium, Dentium, Pectoris, Ventris &c. quemadmodum à frigore simpliciter oriri possunt, quam intemperiem frigidam sine materia nominabant Galenici, convulsis nimirum a frigore fibris, uti antehac ostendi §. 33. ita multo magis & quantitas humorum concurrens fibras nimis distendens & acrimonia plus minus vellicans & rodens, malum exaggerare insigniter solet; ut & Inflammatio & tandem Gangræna superveniat, si scilicet dolor exacerbetur. Atque ideo nec omnes pariter similem patiuntur affectum, aut in eodem gradu, quanquam plures interdum idem sufferre frigus necesse habeant: erunt nimirum alii propensi fortassis ad Febrem, ardentem quoq; vel malignam, alii ad Lipothymiam, Epilepsiam vel Apoplexiam: data igitur occasione, i. e. irritata natura, debili alias, sequitur effectus plurimum dispar, nullus tamen, quem ex vehementi dolore, undecunq; oriatur, vel centies natum non inveniamus in Practicorum observationibus.

§. 38. Enimvero dubium fortassis alicui videbitur, quomodo frigus vasa etiam perrumpere possit sangvifera, quod Hippocrates de Aer. Aqv. Loc. V, p. 331. aperte docet. Ac ne quis pro commento id habeat, evolvat Ludov. Bourgeois libr. de arte obstetr. & quidem partis primæ caput 48. ubi per Anatomen causa mortis inopinatæ in prægnante fuit detecta, ruptura scilicet venæ (uti videtur Gastricæ) post esum glaciei ad magnitudinem

gemini pugni ; etenim sangvis universus in abdominis cavum effusus deprehendebatur, ut ne gutta quidem in vasis sangvineis su eresset.

§. 39. Unde hic impetus? quæris. Respondeo. Si modo mihi concesseris, gelu sangvinem in vasis stomacho proximis coagulare potuisse, ratio jam in promptu est. Urget enim sangvinis per arterias impulsus cruorem venosum, hic vero cum per epatis poros transire necessum habeat, coagulatus autem impediatur, major successive quantitas colligitur, quam ut eam vena sustinere possit: rumpitur ergo nimium extensa, & quidem eo præcise in loco, ubi grumus sangvinis magis resistit. Quid enim impedit: hoc pacto etiam explicari hæmoptysin, & reliquas hæmorrhagias, quæ à potu frigido vel nimio refrigerio fuerunt observatæ? nempe impedita circulatione sanguinem extra suos limites egredi, dum spatium sibi amplius quærit ob viarum angustiam præclusus, aut nimium pressus. Si quod vero sputum cruentum cum Phthisi concurrat , adeoque vel Tussim diuturnam ac vehementem, vel Pleuritidem suppuratam , vel Vomicam ruptam sequatur , paremque cum aliis habeat conditionem in eo declarando non morabor.

§. 40. Potius ad leviores illos affectus qui supersunt me converto , vix ultra cutim descendentes , perniones puta; quo nomine id omne vitium appello, quod extremitates, digiti manuum pedumque, vel nasus etiam, patiuntur à frigore. Atque hoc malum nonnunquam levius est, interdum etiam gravius. Si levius fuerit , aliqualis tumor tantum in parte affecta deprehenditur cum rubore quodam & pruritu , interdum per hyemem durante , per æstatem evanescente , sed redeunte, quamprimum frigus anno sequente rursus accesserit. Cujus rei hæc ratio videtur, quod nempe à frigore coagulatæ quædam particulæ sangvinis intra cutem hærentes impediant quodammodo circulationem liberiorem ; hinc etiam Rubor atque Tumor.

Pruri-

Pruritus autem ex eo naſcitur, quod agitatæ à natura particulæ minus acres minusve duræ impingant in fibras ſenſu inſtructas exquiſito, unde titillantur quaſi. Diſſipantur igitur per æſtatem aucta tranſpiratione, ſed ita, ut quædam reliquiæ in poris remaneant, per hyemem inſequentem iterum augendæ. Atque ita malum iſtud per plures continuari annos poteſt.

§. 41. Quod ſi vehementius urgeat frigus, intenditur dolor, atque tum ex pruritu fit Inflammatio, propter majorem impetum ſpirituum igneorum, qui reſiſtere fortius iſti moleſtiæ conantur. Inflammationem poſtea excipit Exulceratio, uti communiter fieri ſolet, peccante materia in purem coacta ejectaque. Idque facilius accidit, ſi madidæ fuerint manus v. g. quoniam hoc pacto congelato humore propius aggredi cutim poteſt, adhærente gelu aut potius inhærente firmius. Quod autem ex parva ſcintillula incendium haud raro maximum ſeſe diffundat, id quidem vel membri culpa videtur fieri, vel culpa totius, ſi nimirum pars doloris impatiens v. g. calcanei tendo afficiatur, vel corpus univerſum ſit cacochymicum, & ad Gangrænam ſpontaneamque putredinem proclive.

§. 42. Verum jam ſatis de damno Frigoris actum eſt Pathologice, tempus monet, ut nunc quoque de præſidiis loquar, beneficio quorum id declinare queamus vel antecedenter, nos præſervando, vel etiam conſequenter, ſi jamjam aliquot inde vitium contraxerimus. Non enim neceſſum arbitror pluribus hic loci diſſerere de ſignis vel Diagnoſticis vel Prognoſticis aut Anamniſticis, cum nemo inter plebejos ac illiteratos ſit, quem ea fugiant, quæ manifeſte ſenſibus obvia exiſtunt. Converto me proin ad Præſervationem primum, ut conſter, quibus auxiliis a frigore quempiam ſecurum reddere valeamus.

§. 43. Si *Pechlinum lib. 3. Obſervat. Phyſico-Med. 33. p. 494.* audiamus, nihil magis Svecorum, Livonum & Finnorum corpora conſolidat, injuriisqve aëris ferendis idonea præſtat, quam du-

rum illud ab ineunte ætate vitæ genus & caloris frigoriſq; ſubitæ alterationes. Mos illorum eſt, modo natos pueros nunc Balneis, nunc frigidæ exponere, ac illata mature ſubitarum conſvetudine habitum præſtare ſecurum, futurisqve belli aërisqve injuriis ferendis parem. Qvod ipſum etiam in paganis montiumqve incolis in media Germania uſu compertum eſt, qvippe qvi etiam liberos in illa rei veſtiariæ inopia nudos fere ac laciniatos media hyeme dio nivibusqve exponunt, mox in hypocauſti calore refingendos torrendosqve.

§. 44. Refert ſimiliter *Georgius Francus in Ephem. Ger. Dec. 2. Ann. 9. Obſ. 200.* ſe noviſſe magnum aulæ cujusdam Electoralis miniſtrum, qui vel ſub bruma non alium bibebat potum, in ſpecie cereviſiam, niſi frigori geluque expoſitum, hinc inde circumvolitantibus nivium floccis: ſine ullo tamen incommodo, ſine tuſſi, ſine anorexia, ſine torminibus atque colica, quæ tamen alias valde ſunt ſolennia frigidam bibentibus, maxime potum glacialem. Imo inſignem Principem autumni & hyemis turbidis tempeſtatibus in venatione cereviſiam frigidam & tantum non gelu conſtrictam, ſtiriisque labio adhærentibus ſine noxa bibiſſe. Adeo a teneris aſſveſcere multum eſt.

§. 45. Dicis: Periculoſum eſt tentare idem ac imitari velle. Nec fortasſis omnium idem eſt naturæ robur. Quidſi tyro deficiat prius, quam artem calleat? Verum vacare metu poteris, ſi modo circumſtantias attendere velis requiſitas. Ante omnia ſcilicet requiritur integritas corporis. Quis enim id ſvadebit Phthiſico aut valetudinario, præſertim ætate jamjam præcipitata? deinceps nemini Autor ſum, ut uno actu & quidem exceſſivo ſe obfirmare ac indurare auſit; ſed per gradus ac pedetentim fieri neceſſum eſt, ſi quis habitum ſibi comparare voluerit, quo paulatim diſcat natura tolerare frigus. Ita nimirum fieri ſolet, ut nec fortiſſimo gelu terrea-

terreatur, quin potius masculè se isti opponat, ut contra id ipsum strenue pugnet corpusque defendat. Licebit autem postmodum ægro etiam, si antehac frigido assvetus sit, majore cum fiducia exhibere frigidam, postquam experientia didicit, omnia viscera ejus occursum familiariter tolerare; namque, si quod adeo frigidum esset, ut ab eo offenderetur, evidenter offensam suam ostendisset sanitatis tempore, ut rectè judicat *Leonhard. Fuchsius Oper. Part. III. Lib. 4. cap. 3. p. 185.*

§. 46. Si conjecturæ locus, crediderim fructus fragorum, quibus recentibus fricare frequenter manus pedesque jubet *Borellus Cent. 3. Obs. 32.* eatenus præservare a Pernionibus, quatenus refrigerant notabiliter, adeoque Spiritus animales solicitant, ut paulatim defendere cutim ab injuriis atque molestiis frigoris discant. Refrigerare autem fraga, & quidem egregie, vel inde liquet, quod per experientiam constet non unam, ea jejuno stomacho copiosè ingesta vix impune digeri, quin statim frigus plus minus molestum sentiatur in ventriculo. Idem externe applicata valent, v. g. in Gutta rosacea & Ophthalmia, siquidem hoc nomine mire laudantur a *Cardano*, *Gesnero*, *Cratone*, *Crollio* aliisque passim.

§. 47. Contraria prorsus ratio videtur illorum qvi, calefacientibus roborare potius partes jubent, qvemadmodum *Sennertus in Praxi lib. 5. Part. 1. cap. 15.* qvi utile putat tibialia seu saccos lineos Spiritu vini, præsertim ea parte qva pedes tegunt, humectatos induere. Mihi arrideret magis lotio reiterata cum aqua antapoplectica vel Reginæ Ungariæ, ut dicitur, vel potius qvocunqve Spiritu aromatisato, aut vino, in quo ebullierint plantæ nervinæ, rosmarinus, thymus, ruta, pulegium, calamentha &c. ad imitationem Franciscanorum qvi tali pacto præcavere sibi a pernionibus assolent teste *Rod. a Fonseca Tom. 2. Consult. 12. p.* 54.

§. 48. Neqve vero id abſonum erit, ad hunc modum augere ignem vitalem & excitare per exterius adhibita confortantia, naturæ amica, cum nec alia ſit ratio præſervandi corpus ab inclementia hyemis, qvam roborando & excitando ſpiritus. Svadet hunc in finem *Anton Cermiſonius Conſ.* 5. *pag.* 3. ne qvis vacuo ventre iter hybernum aggrediatur, ſed poſtqvam præmiſſo cibo vini generoſi & qvidem aromatiſati cyathum epotaverit. Approbat aut certe imitatur ſuo modo id vulgus etiam, qvando per ſemeſtre hybernum tam avide atqve conſtanter ſpiritum frumenti variis modis acuatum, ubivis vendibilem, vel aqvam vitæ, ſi ſuppetat, ex officinis petit potatqve, ut ſe in præſentiſſimo periculo eſſe arbitretur, niſi ante Solis ortum hauſtu ſufficienti reficiatur. Auſim jurare, non paucos citius neglecturos preces matutinas, qvam προφυλακτικὸν iſtud, adeo neceſſarium, prout exiſtimant.

§. 49. Aſt, qvid agendum, ſi jamjam damnum a frigore illatum fuerit? Juxta *Hippocratis* effatum *Sect. 3. aph. 19.* calefacere oportet, qvæ perfrigerata ſunt: & *Tr. de Humid. uſu. n. p. 606.* qvæcunqve præ frigore aut moriuntur, aut ulcerantur, his maxime conducit aqva calida. Nihilominus audio experientiam repugnare, cum omnes ore uno clamitent, potius immergendam eſſe partem congelatam in aqvam frigidam, aut fricandam nive. Imo fatetur ipſe *Cous. l. a p. 600.* ex calidæ perfuſione pedes decidiſſe perfrigeratos. Qvomodo igitur hæc inter ſe cohærent? Solvit hoc dubium optime *Ariſtot. lib. 1. Problem. ſſ. 56* qvando affirmat, calidis æqve ac frigidis curari ejusmodi ægros, ſed frigida eſſe præmittenda.

§ 50. Talis Curatio Livoniæ, Islandiæ & Norvvegiæ cæterarumque Septentrionalium plagarum incolis uſitatiſſima eſt. Nec enim veſperi diverſorium ingrediuntur, aut ad ignem vel vaporarium accedunt, niſi egregie perfricatis prius manibus, extremo naſo & auriculis plurima nive. Qvodſi alicui traha

vecto

vecto, pro regionis more, manus pedesque probe congelati fuerint, qvamprimum diversorium ingressus est, non dubitat illi co immergere partes gelidas in aquam frgidam aut nivem, at qve sic eas refovet, vid. *Gvil. Fabricium lib. de Gangr. & Sphacelo cap. 13. p. m. 792.* ut & *Thom. Bartholinum de Nivis usu cap. 29. p. 162. & seqq. Sanctorium de Indicant. aqvilibr. lib. 15. cap. 8. pag. 225. Mercurialem de Morb. Pueror. lib. 2. cap. 5. Davissonium in Prodr. Severini Id. Med. Phil. cap. 12.*

§. 51. Idem succedit negotium, si quis ex toto congelatus fuerit. Si unqvam mutatio subitanea periculosa est, certe in hoc passu periculosissima est: id quod confirmat exemplum illius famuli, cujus *Borellus Cent. 1. Obs. 84.* meminit, quippe qui cum reperiretur extinctus fere frigore, positus in fimo, ut ejus calore nativus calor resuscitaretur, tantum abest eum restitutum fuisse, ut potius post pauca, quæ indignabundus proferebat, verba, subito animam efflaret; procul dubio, quod hominem jamjam invalidum dolor per totum diffusus opprimeret, qui sæpe robustis fere intolerabilis existit, si saltim aliqvod membrum frigore confectum subitaneo admoveatur calori.

§. 52. Qvemadmodum autem ova congelata & poma tractari solent, utpote quæ non in calidam, ubi confestim turbantur, flaccescunt, & paulo post corrumpuntur, sed in frigidam immerguntur, ut serventur integra: ita hominem, si opus, etiam totum in gelidam demergere aquam convenit. Experimentum suppeditat *Fabritius* loco proxime allegato, ex relatione Generosi Domini Bernhardi ab Hazvelt; is enim narrabat, se aliquando incidisse in hominem secundum viam frigore rigidum ac pene mortuum, qvem plaustro suo impositum cum deduxisset in diversorium, hospes illico demersit in frigidam: quo facto undiqve erupit gelu, ut ipsius corpus glacie qvasi armatum conspiceretur; tum qvoqve propinavit ei cy-

cyathum ampliorem hydromelitis, qvo ibidem pro potu ordinario utebantur, addito pulvere cinamomi, caryophyllorum & macis, unde ſudor provocatus eſt, ægerqve ſervatus amiſſis duntaxat manuum pedumqve extremis articulis. Simile prorſus exemplum reperitur in illuſtris *Boyle Hiſtoria Frigoris, & ex ea in Act. Angl. Philoſoph. Menſ. Maj. 1665.*

§. 53. Qvidſi vero rigidus ex aqvis protrahatur, anne tum qvoqve conſultum eſt, eundem denuo reddi gelidæ? non videtur! potius alia ineunda via erit. En *Langelotti* conſilium, quod in *Ephem. Germ. Dec. 1. Ann. 6. Obſ. 20.* habetur: decideratur Vir qvidam Tronnigholmiæ Svecorum, cum paulo incautius per glaciem progrederetur, in aqvam 18 ulnas profundam, ſteteratqve per 16. horas integras erecto corpore anteqvam extraheretur, rigidus omnino. Extractum ſtatim pannis arctiſſime obvolverunt, & ſic ad lenem ignem ſenſim ſenſimqve refocillarunt. Nempe longa experientia compertum habent Sveci, nullum ſubmerſorum ſervari, qvi ſtatim libero aeri exponatur. Idem felici cum ſucceſſu tentatum in aliis. Unde apparet in his caloris eqvidem uſum inſignem eſſe, at eundem ſaltim per gradus adhiberi debere. Non diſplicet proinde inſtitutum *Hagendornii*, qvod in puero ſexenni, cujus mentionem ſuperius feci, egregiè profuit. Immitti videlicet æger, poſtqvam hauſtas evomuit undas, in aqvam tepidam poteſt, pannisqve calefactis fricari, & aqva antapoplectica refici aliisqve cordialibus. vide *Centur. 3. Hiſtor. 79. pag. 389.*

§. 54. Nullibi autem omittenda ſunt Sudorifera, ut ſanguis congrumatus reſolvatur, qui nunquam non plurimum facesſit negotium. Quanquam enim calor corporis partisve reſtitutus fuerit, ſpirituumque vitium eatenus ſublatum, in eo tamen nullatenus acquieſcere licet, cum præſertim fiat haud raro, ut æſtus intenſior; febris ac inflammatio ſuperveniat. Quapropter putarem in hoc caſu mitiora illa, quibus in Cura Pleuritidis

tidis utimur, ſeligenda præ cæteris eſſe, uti ſunt antimonialia fixa, lap. 69. mandib. luc. piſc. Ebur, Dens Apri & Hippopotami, Unicorn. marin. Lithomarga, terra Strigonienſis, fl. ſulphuris atque ſimilia. Si vero febrilis æſtus haud concurrat, nec acriora intermittenda videntur, ſalia volatilia oleoſa & aromatica, ſpiritus ſalis ammoniaci aniſat. & caryophyllat. liquor C.C. ſuccinatus, præſertim ſi circumſtantiæ id poſtulent ex. gr. Spaſmus, Paralyſis, Tremor, atque ſimilia.

§. 55. Nec abs re fuerit Secare Venam, ut liberior ſanguini concilietur motus conceſſo ampliore ſpatio; ita enim grumi felicius iterum diſſolvi poterunt, aut certe ſymptomata inde orta, quæ partem hanc vel illam urgent, neceſſario remittere debebunt. Potiſſimum ſi viſcus quoddam patiatur præ reliquis, Pulmo e. g. vel Cor, aut Epar, Lien, Uterus &c. Sic enim aſſerit *Galenus contra Eraſiſtr.* ſe ſola Sanguinis Miſſione mulieres Romanas, potu glaciali corruptas, ſervaſſe immunes à cunctis gravioribus accidentibus. Et *Borellus Centur. 1. Obſervat. 84.* teſtatum reliquit ægrum, qui frigore nimio in Dolorem Tremoremque pedum maximum inciderat, ſectis pone malleolos venis pauciſſimos intra dies curatum fuiſſe.

§. 56. Ad ſpecialiſſima ut deſcendam, ſupervacaneum arbitror. Quis enim neſcit? in Colica opus eſſe Carminativis, in Paſſione Hyſterica Uterinis, in Calculo Diureticis, in Tuſſi Bechicis, atque ſic porro. Tales namque a frigore morbos & naſci toto die videmus, & uſitata medendi methodo ſimiliter tolli. Sicuti vero rariſſimum eſt, a frigore produci ſtupiditatem, ita nec vulgare videtur remedii genus, quod in tribus puellis eodem modo infatuatis, & per 14. dies ad cuncta negotia ineptis expertum ſuggerit *Bartholinus Centur. 6. Hiſtor. 88.* pellem ſcilicet vervecinam calentem recens ab animali detractam,

qua capita frigore ſtupida fovebantur, donec ad ſe redirent miſeræ. Dignum ſane, quod in aliis caſibus adhibeatur ſimiliter.

§. 57. Denique ut adverſus Perniones quoque remedium habeatur idoneum, præter vulgatiſſima, Rapa nimirum congelata, Poma putrida, pultem avenaceam, de quibus omnibus videri poteſt *Pauli in Quadripart. Botan. pag. 82. 214. & 451.* & quæ tanquam ſingularia atque infallibilia commendat *Sorbait Medic. Pract. Tract. 5. cap. 7. pagin. 606.* Cerebrum nempe Cornicis, & ungventum ex tritico ſub nive vireſcente atque unguento roſaceo paratum. Inſtar omnium eſſe poterit Pediluvium ex decoct. agrimoniæ, hyſſopi atque majoranæ, ſi nondum exulcerati ſint pro ſcopo diſcutiendi: ſi exulcerati jam fuerint, ex ochra thermarum, quod utrumque multiplici experimento confirmatum, non poſſum quin omnino approbem.

§. 58. Atque ſic habes L. B. meos de Frigoris damno eosque primos conatus circa materiam non levis, uti prima fronte videtur, momenti. Hos ut in bonam partem accipere mihique favere porro, & ſicubi erravero, benigne condonare, defectusque meos Tua ſupplere Humanitate velis, unicum eſt quod abs Te oro atque obteſtor. Deo autem immortali ſit pro conceſſis viribus Laus, Honor & Gloria in omnia ſeculorum ſecula.

DISPU-

DISPUTATIO XLIX. VII.

DE

SITU ÆGRORUM COMMODO.

PRÆFATIO.

EXistimant equidem plerique Medicorum se officio satisfeciſſe ſuo, ſi modo neceſſaria ægris medicamenta vel præſcribant, vel exhibeant: reliquum regimen committunt Chirurgis, aniculis ut plurimum imperitis. Mirum non eſt, ſi remedia optima etiam aliquando tententur fruſtra, ubi diæta & cætera circa ægrorum curam obſervanda, temere negliguntur. Adeo refert omnes in curandis morbis attendere circumſtantias, nec quicquam eorum negligere, quæ ullo modo utilia ægrotantibus videntur; ſiquidem ipſe Hippocrates jurejurando ſuo expreſſe adigit Medicos, ut & diætam ægris præſcribant commodam, & quicquid his nocere queat, arceant ſedulo. Miſſis hac vice aliis, dicam de ſitu Ægrorum ſaltim; utpote cujus errores non minus damnum inferre ſolent, quam alius quicunque in cibo potuve aut reliqua diæta commiſſus. Quis auſit ſanare pleuri-

ticum aut febre maligna, petechiali e. g. correptum; ſi tempore hyberno haud ſuppetant, quibus corpus tegatur ac defendatur ab aëris inclementia. Æſtivis autem diebus, qui ſub tecto ſublimiorum ædium habitant, ac fortaſſe in febrem incidunt ardentem, proh! quanta excruciantur ſiti, quam exuruntur miſeri. Verum jam non vacat dicere de loco, in quo collocandus ſit æger, quanquam & in hoc determinando, tanquam re magni momenti, ſolicitum eſſe oporteat Medicum. Potius de modo loquar, ſeu figura vel poſitura corporis abſolute ſpectata, quatenus vel erigendum illud eſt, vel reclinandum, ut, aut ſupinus jaceat æger, aut pronus, aut in alterutrum latus recubans, prout morbi conditio poſtulat. Abs Te igitur, L. B. id unice contendo, ut hoſce meos qualescunque conatus æqui bonique conſulere, defectusque ſicubi obſerves, favore Tuo ſupplere haud gravatim velis.

§. 1.

Eſt alias aſylum ægrotantibus cunctis unicumque refugium lectus; Nihilominus fieri ſolet haud raro, ut morbus quietem iſtam invideat homini, ipſaque natura diverſum quid ſuadeat. Nam & decubitum vetat interdum ſuffocatio imminens, atque tunc lectum aut omnino deſerere, aut ſaltim erigere corpus neceſſe habent ægrotantes. Orthopnœam vocarunt Græci, quando aliter haud licet reſpirare, quam erecta, ut vulgo loquuntur, cervice, verius pectore ac ore arrecto, ſiqui-

ſiquidem in poſtica colli parte cervix deprimitur hoc magis, quo plus anteriora ejus cum vultu elevantur, urgente ſuffocationis periculo. Scilicet in ſenſu latiore ſic accipio vocem Orthopnœæ, quem hujus vocabuli origo inſinuat; atque ideo non refert, qua ex cauſa lædatur reſpiratio, aut quæ pars afficiatur proprie; ſufficit ægrum vix aliter poſſe, quam in ſitu recto ſpiritum ducere.

§. 2. Autorum obſervationes ſi conſulamus, apparet non difficulter, hujusmodi Orthopnœæ rationem quærendam eſſe modo in collo, modo in thorace atque pulmonibus, modo in abdomine. Sic enim in anginæ ſummo gradu, quem Cynanchen appellant, item in ſtrumis colli grandioribus accidere illam rarum non eſt. A tumore thymi obortam refert *Sim. Paulli in Digr. de Febb. mal.* a polypo ſiniſtri cordis ventriculi *Fürſtius in M. N. C. Dec. II. Ann. X. obſ.* 174. ab inflammatione mediaſtini *Panarolus Pentec.* 2. *Obſ.* 10. Pulmonum autem vitio, & quidem inflammatorum annotavit *Blaſius Part.* 1. *obſ. Med.* 16. deſiccatorum *Herc. Saxonia in Panth. L.* 2. *c.* 4. & *Prælect. Pract. L.* 1. *c.* 26. Nimis inflatorum *Bonetus in ſepulch. p.* 408. Obſtructorum à lapillis & materia caſeoſa *Salmuth C.* 1. *Obſ.* 7. Repletorum ſanguine coagulato & nigricante *Willis. Pharmac. Rat. p.* 264. Viſcida pituita infarctorum *Thonerus p.* 119. *&* 120. Nec infrequens Orthopnœa hydropicis exiſtit, ſeu in thorace collectum ſit ſerum copioſius, quale *Piſo de Morb. Ser. Obſ.* 53. *& ſeqq.* ſeu in abdomine, quod *Thonerus L.* 3. *obſ.* 7. teſtatur. Denique abdominis vitio idem ſuffocationis periculum imminet, ſi inflammatio, ſcirrhus tumorve alius hepar aut lienem vel renes etiam occupet. Conferatur *Piſo l.* 2. *obſ.* 46. *p.* 190. *&* 197. *& Ballonius Epid. L.* 2. *p.* 497.

§. 3. Commemoratæ jam, & ſi quæ ſimiles ſunt, hiſtoriæ oſtendunt clariſſime naturam ipſam, urgente neceſſitate, levamen aliquod in Orthopnœa quærere. Imminet nimirum ſuf-

focatio, quotiescunque Diaphragma, pulmones vel trachea insigniter impediuntur, quo minus officio suo, ad quod destinata illa sunt organa, fungi queant. In angina cæterisque colli vitiis via denegatur aeri ad pulmones, atque tunc idem patiuntur ægri, quod laqueo suffocati. Quod si vero intra pulmonum cellulas materia viscida vel tartarea, sanguisve congrumatus hæreat, aeri denegatur ingressus: quod & inflatis, inflammatis vel desiccatis pulmonibus accidit. Nam & in polypo cordis, præcipue si ventriculus sinister occupetur eodem, ob impeditum sanguinis transitum, pulmones plus justo implentur, quo minus aerem excipere valeant. Et quemadmodum aqua in thorace præter naturam collecta pulmonum expansionem debitam non permittit: ita, quæ in abdomine diaphragmatis descensum ad inspirationem necessarium prohibent, non minorem gignunt difficultatem.

§. 4. Est autem periculum longe maximum, quando decumbit æger. Ratio magis evidens est in ascite, scirrho hepatis lienisque ac cæteris infimi ventris vitiis; etenim moles ista, dum corpus erigitur, musculos atque integumenta ipsius distendit, quod facilius tolerare potest æger: ast in decubitu diaphragma premit periculosius repellitque versus superiora, ut pulmones spatium, quo semet expandant, habeant nullum, aut exiguum certe. Patiuntur ita pulmones atque thorax aliena culpa: propius ac immediate afficiuntur, si serum atqve pus in cavitate pectoris collectum pulmones undiqve inundet ac obruat: atqve id ipsum in decubitu magis contingit, erecto corpore minus, qvod materia supra diaphragma potius fluctuans pulmonibus aliquam adhuc libertatem concedat.

§. 5. Minus manifesta videtur inflammationis ratio, utpote quæ non definit unquam, etiamsi elevetur corpus. Perinde autem est, seu pulmo inflammetur ipse, seu mediastinum, seu collum etiam; nec enim refluit sanguis in hoc affectu stagnans, prout

ut humor alius in quadam cavitate collectus; affluxus autem idem necessario existit per arterias, quæcunque fuerit positura corporis, quamdiu cordis pulsus non mutatur. Enimvero, si quotidianam attendamus experientiam, nemo erit, qui si forte digitus inflammetur a paneritio aut spina infixa, vel alia quacunque causa, in seipso non sit expertus, dolorem vix tolerandum sentiri, quandocunque manus in declivi posita aut pendula fuerit: sed notabile deprehendi levamen ac pene momentaneum, si elevetur brachium, digitusve arrectus, instar pupæ circumgestetur. Idem in angina & aliis inflammationibus supra memoratis accidit, scilicet non aliam ob causam, quam quod refluxus facilitetur omnino, quando sanguini seroque descendendum est; ita enim minorem sentit resistentiam: quam proculdubio majorem experitur, quando in æquilibrio humores existunt: maximam vero si ascendendum sit ipsi.

§. 6. Quod de sanguine stagnante in inflammationibus jam dixi, pari jure de reliquis etiam tumoribus pronunciandum est. Ponamus tracheam comprimentes glandulas colli vel thymum a materia viscida, tartarea, voca ut lubet, occupari, atqve hinc in majorem accrescere molem, tunc sane probabile haud videtur, qvod jamjam firmius infarctum est, mutato corporis situ, moveri, nedum rursus diffluere: nihilominus augeri tumorem, si libere humores remeare nequeant, extra dubitationem positum est, sicuti quotidie cernimus tumores pedum œdematosos inter ambulandum vel sedendum enormiter, sæpe ad rupturam, augeri, ac vicissim non parum minui, quando nocturnis horis inter dormiendum, vel interdiu lecto sepultus quiescit æger.

§. 7. Hæc de situ corporis erecto ægris commodo dicta sufficiant. Videamus nunc etiam decubitum. Quod ad supinum attinet, non diffiteor, eundem esse minus naturalem, imo, ut verbis *Sennerti L. 4. Inst. Med. P. 2. 4.* utar, *interdum valde nocere,*

re, & fluxionum atque multorum morborum causam existere. Id enim experiuntur suo cum damno, qui pollutionibus vexantur nocturnis, quippe qui utplurimum eo tentantur vitio, quoties-cunque recumbunt supini, quale quid haud facile ipsis contingit, quamdiu in alterutrum latus cubitant. Eundem corporis situm in hæmorrhagia narium plane incongruum, in catarrho suffocativo summe periculosum existere paulo post declarabitur.

§. 8. Habet nihilominus alio in passu egregiam utilitatem eadem positura. Refert *Guil. Fabricius Cent. V. Obs. Chir. 54.* generosum quendam virum sexagenarium, postquam spatio viginti annorum Enterocele maxima laborasset, in alium incidisse morbum, qvo ultra sex menses affixus lecto fuit; interea evanuit hernia, ut ne vestigium qvidem minimum senserit ab eo tempore. Concludit exinde, qvietem & decubitum in dorsum, ut loqvitur, unicam esse panaceam herniarum; similem fere historiam recensetⁱ *Paullinus Eph. Germ. Dec. II. Ann. X. Obs. 190.* Videlicet nemo est, qvi nesciat hernioſos, qvi absqve subligaculis interdiu vix pedem proferre valent, eadem hæc deponere, cum lectum petunt. Retrocedit etenim portio prolapsa sive omenti sive intestini sua sponte: in hoc situ, si per plures dies vel septimanas, non dicam menses permaneant viscera, nihil impedit, quo minus restituatur fibrarum præter naturam relaxatarum ac nimis extensarum robur debitum.

§. 9. Notum est calculo vesicæ laborantes suppressionem lotii pati, qvamdiu ille in vesicæ collo hæret. Id in pueris vidit sæpenumero *Galenus*, itaqve resupino corpore concuti eos jussit, ut hac ratione a meatu lapis dimoveretur, vide *L. 6. c. 4 de Loc. aff.* Idem Riverius aliiqve hunc secuti tentarunt in adultis etiam non sine successu, immisso etiam, si opus, cathetere, qvo felicius dimoveri atq; retroagi qveat calculus. Hoc modo liberatur æger ab ischuria satis periculosa; & qvanqvam lapidem concretum ita edu-

educere non licet, ſufficit urgens ſymptoma inde natum ad tempus tolli; nam & repetere, qvotiescunqve neceſſitas urgeat, eandem enchireſin nihil prohibet: & calculum frangentia vel diuretica interim propinare ſecure licet.

§. 01. Solent alias Chirurgi etiam imperare, ſi cui cataracta beneficio acus fuerit remota, ut oculis deligatis æger per plures dies jaceat ſupinus immoto capite. Si *Georg. Bartiſch* expertiſſimum in hoc negotio audiamus, prohibet is **im Augen-Dienſt** *P. V. c. 3.* ne inter prandendum coenandumve, imo ne inter mejendum qvidem, aut, cum feces alvi excernendæ ſunt, ſeſe erigat, ſed, qvantum poſſibile, immotus plane vt ſit, ſvadet omnibus modis. Procul dubio hujus rei hæc eſt ratio: facta eſt a latere punctura in tunica ſic dicta oculi adnata ſive albo, & qvandoqvidem ſuffuſio e ſede ſua, beneficio acus remota, infra pupillæ aperturam deprimitur, commodum eſt ægri caput qvieſcere ſupinum, ne illa rurſus aſſurgat ſupra humorem cryſtallinum, locumqve priſtinum occupet, adeoqve irritum reddat laborem. Forſan qvod heterogeneum eſt in oculo, paulatim a natura ipſa ejicitur per foramen acu factū, & quidem felicius in iſta poſitura favente admodum, ſiqvidem ad vicinam punctūram cum aqueo humore derivari minus arduum eſt: ad minimum eo delata ſuffuſio juxta cicatricem hæret inibique firmatur.

§. 11. Nec absre hic loci erit commemorare vulgo notum in partu erroneo remedium, qvando fœtus non capite proclivi, ut decet, ſed exerta manu, aut umbilico apparente, ſimilive præternaturali ſitu male ad exitum diſpoſitus parturientis labores reddit irritos, tum profecto conſilio haud contemnendo fœminam jubent ſupinum ſervare ſitum, elevatisque cruribus vel natibus etiam facere, ut vel ſponte ad interiora embryo ſe recipere, aut manu obſtetricis perita diſponi ad egreſſum commodiorem qveat. Appoſite hanc in gratiam ruſticæ ſolent faſcem ſtramentorum paulo majorem eligere, ut ſupra eum conſidens mu-

lier ſecundum ſtraminis longitudinem reſupinata ſpica s inanes capite premat; quo pacto, Germanice vocant: **Eine kreiſſende Frau ſtürtzen**/ intra pauca temporis momenta reſtituunt, quod absque hac poſitura vix ac ne vix quidem fieri poſſet.

§. 12. Oppoſitus huic ſitui e diametro eſt pronus, inter alios omnes a naturali & conſueto decubitu alieniſſimus; hoc tamen non obſtante, ſuum habet uſum & egregium quidem, v. g. i n aqua ſuffocatis. Intereunt ſcilicet, ut recte judicat *Platerus Qu. Path. 55.* non quod ingurgitent aquam, ventriculumque illa repleant, ſed potius, quia pulmones prorſus inundat, adeoque ſanguini tranſitum ad vitam neceſſarium minime concedat. His igitur opem laturus ante omnia evacuare aquam opus habet; quod ipſum non difficulter fieri poteſt, ſi pendulo capite pronus jaceat, quamprimum ex undis fuerit extractus, ut per os naresque iterum effluat quicquid hauſerit homo. Hac ratione ſervati ſunt non ſemel diu etiam ſubmerſi, ſaltim adhibita cautela, ne ſtatim libero exponantur aëri, experimento Suecorum, de quo merentur legi *Eph. Germ. Dec. I. Ann. 6. & 7. Obſ. 20.*

§. 13. Quæritur alias in Catarrho ſuffocativo quæ forma decubitus, aut quis Situs capitis eſſe debeat; alii namque ſitum declivem ſvadent, quod credant, elevato illo plus vaporis atque humoris eo deferri; alii e contrario caput erigere jubent, ut materia jamjam collecta in capite facilius deſcendat, vide *Sennerti Practicæ L. 1. P. 2. c. 36. Qu. 2.* Neutrum, ut puto, ſatisfacit intentioni. Dicerem ſuadendam potius eſſe hanc poſituram, qua pronus in faciem æger decumbat, atque ſic affluens per tunicam pituitariam acre ſerum non ſinat ſupra laryngem deſtillare amplius, ſed per os naresque veluti derivet. Loquor autem hoc in loco de Catarrho ſuffocativo proprie dicto, i.e. quandocunque deſtillationes a capite ad laryngem deſcendentes manifeſte ſentit ægrotus, unde tuſſis oritur implacabilis cum ſumma reſpirationis difficultate, non ſine metu ſuffocationis præſentaneæ.

§. 14.

§. 14. Solent ad hunc modum mulierculæ noſtrates, qvando pueros epilepſia invadit, eos in faciem convertere, id unice obſervantes, ne os naresve obturentur, atqve ita ſuffocentur ægrotantes. Credunt hoc pacto citius finiri paroxysmum, breviqve poſt ad ſe redire; neqve fruſtra id tentatum vidimus aliqvoties, qvanqvam hujus experimenti ratio non æqve obvia ſit. Si conjecturæ locus, dicerem, mutato ſic corporis ſitu impediri artus, ne convulſionis æqve agitentur motibus, qvemadmodum pollices manuum inflexos alias etiam erigere ſolent eodem cum ſucceſſu. Fortaſſis etiam ſentiunt levamen ægri decubitu prono, qvando a tormínibus ventris, qvod ætati teneræ admodum eſt familiare, naſcitur epilepſia Hunc enim ſitum præ cæteris convenientem tunc eſſe vel illud *Hippocratis in Prænot. IV. p. 450.* & in *Coacis. p. 571.* non obſcure innuit, qvando in ventrem decumbere ſi deprehendamus ægrum, hunc aut delirare, aut ventris tormina pati pronunciandum eſſe judicat; procul dubio, qvod hæc abdominis compreſſio tormina ventris qvodammodo ſedare valeat, ut, qvi præ acerbitate doloris, jactitare ſe ſolent continuo, in hac poſitura qvietem qvalemcunqve reperiant.

§. 15. Feci ſuperius mentionem hæmorrhagiæ narium occaſione decubitus ſupini, qvem haud permittit. Pronum igitur e contrario tum eligendum eſſe nemo non videt, quoniam ſangvis ad fauces deſtillans, vel inter inſpirandum elevata epiglottide in tracheam ſe inſinuat, vel per œſophagum deglutiendo in ſtomachum fertur. Atq; hac occaſione non poſſum non mentionem qvoqve injicere ſangvinis intra calvariam effuſi a percuſſione capitis. Fallor, an malum ab initio levius progreſſu temporis redditur pejus, qvod fere omnium idem in lecto decubitus ordinatur, qvando perinde Chirurgis eſt, ſeu frons patiatur aut vertex, ſeu ſinciput vel occiput. Dubium non eſt, qvin cruor in conſueto illo capitis ſitu, etiamſi primitus in antica

parte ſtagnet, verſus poſteriora ſucceſſive derivetur, unde graviora qvidem ſupervenire ſolent ſymptomata, ſurditas, aphonia vel apoplexia ipſa. Aliis ergo dijudicandum relinqvo, annon aliqvando vel ſolus in faciem pronam decubitus liberare a mortis periculo ægrum qveat, cum ſciam, ſi vulnera frontis aut verticis etiam non fuerint ſatis patentia, obſervata iſta poſitura viam ſibi paraſſe ſangvinem per nares egregia cum euphoria.

§. 16. Supereſt, ut de magis uſitata decumbendi ratione in latus alterutrum adhuc qvædam adjiciam. Et ſane in vulneratis id maxime obſervandum eſſe qvotidiana monſtrat experientia. Memini enim, virum qvendam e ſcala præcipitatum ilico poſt caſum fuiſſe orbatum ſenſibus, atqve ita in lecto detentum ad qvartum usqve diem Spes unica in eo ſupererat, qvod per aurem dextram ſangvis continuo prodiret. Applicatis igitur ſangvinem congrumatum reſolventibus ſacculis in vino crebrius calefactis, ſemper in latere affecto repoſitus æger, atqve ita divina favente gratia, ſervatus fuit, qvi ab omnibus pro deplorato jam jam habebatur. Et qvemadmodum paracenteſi peracta in empyicis aut hydropicis, ut pus vel ſerum educatur, inclinare corpus in illud latus oportet, ubi punctura inſtituta fuit: ita & in vulneratis, ut ſangvinem eliciamus effuſum in cavitatem thoracis abdominisve, conveniens ægro ſitus omnino præſcribendus eſt.

§. 17. Quærit *Caſſius Problematum ſexto, cur é jecinore, liene, pulmonibusve laborantes in locum affectum minus difficulter decumbunt, quum oportuerit, qua locus affectus premitur, dolorem ingraveſcere? Dicendum, quod ſi in contrarium latus fiat decubitus, quædam veluti penſilis oneris moles relinquitur: at, dum locus patiens ita ſuſpenditur, major certe ſentitur cruciatus.* Nimirum ex ægrorum relatione id didicit autor, qvippe qvi eum ſibi eligunt ſitum,

ſitum, in qvo dolor minus eſt vehemens. Sed qvid de Pleuritide dicendum; habent enim viſcera illa, lien præcipue ac hepar, ſua ligamenta, beneficio quorum cohærent cum vicinis partibus: id vero de pectore, coſtis, muſculis interjectis ac membrana ſuccingente intelligi non poteſt. Malim ergo affirmare, puncturas lateris tum minus ſentiri, quando æger in latus affectum decumbit, qvod coſtæ propius ad ſe invicem accedentes inter reſpirandum non æqve moveantur, qvam qvæ ſunt in parte oppoſita magis diductæ. Hanc ob cauſam ſvadet *Paulus Ægineta L. 3. c. 32.* decubitum in latus non affectum, ſi, facta ſuppuratione, ruptionem adjuvare velimus, dolorem ſcilicet irritando.

§. 18. Sentiunt autem exinde levamen ægri non modo durante inflammatione, atqve ſuppuratione jam facta: ſed etiam rupto abſceſſu, ſi pus in cavitatem thoracis effuſum ſit. Facta nimirum exulceratione a pulmonibus qvaſi molliter tegi locum affectum vel ex eo apparet, qvod lobus vicinus communiter cum pleura conſolidetur ſanato ulcere. Materia vero in pectore collecta non permittit decubitum in latere ſano, qvoniam ſupra mediaſtinum ſuſpenſa hærens, hujus rupturam minitatur, unde dolores vix tolerandi. Nam & hoc pacto creat penſile onus moleſtiam ægris ſat gravem, præſertim, cum cohærens cum pericardio membrana illa cor ipſum neceſſario in conſenſum rapiat.

§. 19. Speciatim ergo in latere dextro qvieſcunt, qvibus jecur male habet, uti optime ex *Antyllo* notavit *Oribaſius L. 6. c. 1.* Connectitur enim cum enſiformi cartilagine coſtisqve ſpuriis atqve diaphragmate circa anteriora illius lateris ope ligamenti lati, præterqvam, qvod vena cava epati proxima a tergo illud perforet. Cogitemus jam viſcus hoc inflammatum, ſcirrho aliove qvocunqve morbo affectum, ſane omnino neceſſum eſt, ut dolor vel in ipſo viſcere, vel in partibus qvibuscum connectitur ſentiatur hoc acerbior, qvo plus ad ſiniſtrum latus

inclinet corpus. Videlicet pondere ſuo, quod præ aliis viſceribus jecur habet maximum, propendet non illubens ad datum quodcunque ſpatium. Stomacho igitur vacuo, qualis in ejusmodi ægrotis eſt propter inappetentiam, qvid prohibet, quo minus extra ſuos limites longius etiam egrediatur.

§. 20. Juvat hoc in loco adjicere, nos aliqvoties in icterici annotaſſe, commodum in dextro latere decubitum. Patiuntur illi dolorem ex obſtructione haud raro graviſſimum, &, ſi calculi per ductus choledochos ferantur, tantam ſæpe anxietatem, ut lipothymiæ ſudorque frigidus eos moribundis non diſſimiles reddat. Quanquam vero in aliis doloribus ægri ſeſe hinc inde jactitent, hoc tamen in caſu immoti potius jacent usqve dum ſublata obſtructione, bilis craſſior atqve lapilli cum reliquis alvi fecibus excernantur, qvo facto non ſaltem in lecto ſeſe circumvolutare pro lubitu, ſed & exinde ſurgere & redire ad conſveta munia poſſunt, ignari omnium, more illorum, qui calculo laborantes, facta hujus excretione, iterum liberati ſunt.

§. 21. Idem decubitus in dextrum latus deprehenditur convenire iis, qvi alvi fluxu, dyſenterico potiſſimum corripiuntur. Notum eſt poſt applicatum clyſma, ut facilius diutiusque retineatur, in idem latus dextrum decumbendum eſſe, ne ſcilicet injectus liquor e colo ad inteſtinum rectum ſtatim refluat ac urgeat ſui expulſionem. Qvod ſi proinde in dextro latere aliqvandiu reqvieſcat dyſentericus; v. g. retineri ad tempus excrementa poſſunt; interim exerere vires ſuas medicamenta incipiunt, anodyna, balſamica, ſudorifera vel adſtringentia; qvæ alioqvi ſine fructu exhibentur, qvamdiu fluxio ventris continua nulla iis concedit moram.

§. 22. Commendat alias Oribaſius l. c. in torminibus inteſtinorum & in ilei atqve coli affectionibus medium inter ſupinum atqve ſiniſtrum decubitum; & recte qvidem, ſi modo diar-

diarrhœa non concurrat. Atqvi Colica utplurimum alvi obſtructionem conjunctam habet; & tormina ventris in paſſione iliaca vel ideo vehementiſſima ſunt, qvod neqve flatibus neqve fecibns venia detur exeundi. Qvapropter in ſiniſtrum latus ægros tum ſeſe componere jubent Practici exercitati, ut ſcilicet ſecundum coli ductum, fecibus deſcendendi via paretur, ipſaqve inteſtina ſui admoneantur officii, & qua parte feces hærent irritata, propellant qvicqvid moleſtum eſt.

§. 23. De Lienoſis dubium moveri poſſet, num & his decubitus in partem affectam adeoqve ſiniſtrum latus congruat. Ita quidem ſentire cum Antyllo & Oribaſium atque Caſſium video, exiſtimo attamen ſimpliciter ita ſentiendum haud eſſe. Largior in ſcirrho aut inflammatione decubitum in latere dextro minus commodum eſſe, quatenus lienis connexio cum ſtomacho atque diaphragmate ſat firma dolorem indubitate auget, quando ſplen pendulus hæret. Nihilominus in contrarium teſtantur aliorum exempla, longe graviſſimas oriri anxietates, quotieſcunque in ſiniſtrum latus decumbunt, quod fortaſſe lien ventriculi alimentis onuſti pondus incumbens ægre ferat. Atque hoc, ut puto, tum maxime accidit, quando ſanguinis aliene reflui tranſitus per hepatis ſubſtantiam ſufflaminatur; ita enim ſplen tumorem patitur atque dolorem diſtendentem a ſanguine reſtagnante, non tam ſua quam aliena culpa.

§. 24. Confirmant hoc non pauca ſubjecta hypochondriaca & plethorica, utpote quæ, inter dormiendum, adeo turbulentis vexantur inſomniis, ut in extremo vitæ diſcrimine ſe verſari exiſtiment, atque hinc excitati etiam palpitationes cordis experiantur maxime moleſtas. Incubum vel ephialten, h.e. imminentem in ſomno ſuffocationem tunc potiſſimum accidere, quando ſupini jacent flatulenti homines, vulgo notiſſimum eſt; incumbentia enim diaphragmati viſcera, flatibus humoribusque pravis gravida, repræſentant ſpeciem ponderis incumben-

bentis ventri. Sed auxilium præsentaneum est mutata positura, quæ diaphragma quodammodo liberat ab illa molestia. Malim tamen dextrum latus præferre sinistro, nisi quis peculiariter ex consuetudine sinistrum amet decubitum; quoniam, uti dixi, pavores ac somnia plus minus tristia, frequentius in latere lævo contingere solent.

§. 25. Sufficiant hæc speciminis loco allegata exempla. Jam enim satis constare puto, in omni morborum genere, gravissimorum etiam, advertendam omnino esse posituram ægrorum, si quidem felicem ægritudinis eventum optemus. Plura in præsenti non addo, nisi hoc unicum, videlicet ex membrorum vulneratorum, fractorum, luxatorum tractatione vel sola sufficienter elucescere, quantum intersit partes læsas locari vel componi commode; sed particulares hos externosque affectus jam examinare instituti mei ratio non permittit. Finio hic, potius Deo Ter Optimo Maximo immortales pro concessis viribus decernens gratias. Adsit ulterius idem Sanctissimum Numen sua, qua huc usque conatibus meis clementissime benedicere voluit, immensa gratia, quo cuncta cedant feliciter, divino ejus nomini gloriosa, proximo salutaria.